








BURCARD GOTTHELF STRUVE. D.
Seren. Ducum Sax. l. E. ut et Seren Marggravii Brandenburgo-Culmba-
censis Consiliarius, etiam Aulicus, Duc. Historicus, Jur. et Historiar.
Professor in Acad. Jenensi.

Ingenium STRUVI summum et quampluribus aptum
certatim clarant Historia atque Themis.
Compositis memori conventum est ordine fastis
inserere hoc Nomen perpete laude polo.

Honori immortali
Viri Celeberrimi
P. L. M. Q.
Georg. Wolffg. Wedeli

BVRCARDI GOTTHELFFII STRUVII
SYNTAGMA
IVRIS PVBLICI
IMPERII NOSTRI
ROMANO GERMANICI


EX
GENVINIS HISTORIARVM FONTIBVS
LEGIBVS IMPERII FVNDAMENTALIBVS
ACTIS PVBLICIS
DIPLOMATIBVS ET OBSERVANTIA IMPERII
COLLECTVM
ATQVE
AD PRAESENTEM STATVM
DIRECTVM
CVM INDICE NECESSARIO
EDITIO SECVNDA
AVCTIOR LONGE ET EMENDATIOR

CVM PRIVILEGIO SACRAE REGIAE MAIESTATIS POLONICAE ET SAX. ELECTOR.






IENAE
SVMPTIBVS IO. FEL. BIELCKII
MDCCXX



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

GEORGIO GVILIELMO


BRANDENBVRGI MARGGRAVIO BORVSSIAE MAGDEBVRGI STETTINI POMERANIAE CASSVBIAE ET VANDALORVM MEGAPOLIS IN SILESIA CROSNENSI DVCI NORIBERGAE BVRGGRAVIO PRINCIPI HALBERSTADTI MINDAE CAMINI VENEDORVM SCHWERINI ET RATZEBVRGI COMITI IN HOHENZOL LERN ET SCHWERIN DYNASTAE RO STOCHIENSI ET STARGARDIENSI.

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS SACRIQVE ROMANI IMPERII AC REGIAE MAIESTATIS POLONICAE CIRCVLI ETIAM FRANCONICI CAMPI MARESCHALLO GENERALI DVCI MILITIS EQVESTRIS QVATVOR ITEM LEGIONVM EQVESTRIVM ET PEDESTRIVM TRIBVNO

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO



SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME



PRinceps noſtra Germania inter tot alia illuſtria ſidera ſplendore coruſcat GENTIS BRANDENBVRGICAE. Hæc

enim

enim inter Maiorum Imagines numerat tot factis Heroicis, toga, ſagoque conſpicuos, de quibus vniuerſa noſtra Germania ſuperbit. Hac etiam virtute, diuina hæc Gens Regna promeruit, ampliſſimas Prouincias, Iura pereximia. Tv autem, SERENISSIME PRINCEPS, Maiorum veſtigiis inſiſtis ſtrenue, atque virtute heroica id fuiſti adeptus, vt non ſolum inter Duces Imperii Militares, ſed etiam in Circulo Franconico primas partes teneas: Accedit virtuti Clementia, qua omnium in TE animos vertis oculosque, quam & ipſe ſubmiſſa mente veneror, dum & me, indignum licet, in numerum TIBI deuinctorum recepiſti, atque hactenus Gratia TVA inſigni es amplexus. Concedes igitur, PRINCEPS SERENISSIME, vt hoc deuotiſſimi animi monumentum, TIBI offeram obſequioſe, atque publico hoc ſcripto teſter, quantum Tibi debeam. Percipies ex eodem CLEMENTISSIME DOMINE, merita, Honoresque, in quos in dies increuit SERENISSIMA DOMVS BRANDENBVRGICA. Percipies, quæ IPSIS ob totidem facta illuſtria a diuerſis Imperatoribus conceſſa fuerint Iura in Imperio atque emolumenta. Hæcce digna ſunt,

quæ

quæ offerantur, cum leuidense alias hoc Opus sit, atque perexiguum. Accipe illud, SERENISSIME PRINCEPS benignissima fronte, meque, prout hactenus fecisti, Gratia TVA haut dedignare. Fidem offero, & quidquid in me est animi obsequentissimi

TIBI

SERENISSIME PRINCEPS


IENAE Kalend. Octobris
CIↃ IↃCCXIX.

deuotissimus

BURCARD GOTTHELF STRUVE.



BENEVOLO LECTORI!



Annus præterlapſus eſt octauus, cum hoc ipſum, quod iterum ſiſto, Syntagma, in lucem, prima vice, Auditorum in vſum, euulgarem. In certas Diſſertationes hoc erat diſtinctum, quæ Examini publico ſubiiciebantur, & per ingenia ſelecta ventilabantur. Ab iſto tempore Diſſertationes haſce Auditoribus meis per ſingulos annos explicui, ita, vt in ipſos fontes introducerem, atque controuerſias illuſtrium ex iisdem de-

clararem. Dum autem huius Operis exempla per annum deficerent, illud tunc nimium properatum, sub censuram iterum vocaui, in ipsos fontes maiori cura inquisiui, excrescentes quotidie illustrium controuersias in examen vocaui, Acta Publica magna sollicitudine perlustraui, vt Syntagma hocce emendatius nunc prodiret & absolutius. Sex autem hoc ipsum Opus partibus absoluitur: PRIMA equidem PARS ipsa Iuris Publici Fundamenta complectitur, eiusdem definitionem, diuisionem, differentiam ab aliis disciplinis atque diuersas huius doctrinæ Periodos, idque primo Capite explicatur. Sequitur Territorium Imperii Romani, Regni Germanici, Italici & Arelatensis, quæ ab inuicem distinguuntur Capite secundo, tertio, & quarto, quibus de Territorio antiquo & hodierno, singulorum prouinciis, finibus, & quæ ab Imperio fuerint auulsa, agitur. Potissimum vero Iuris Publici fundamentum ponitur in quinque Germaniæ Populis, Francis inquam, Alemannis, Boiis, Saxonibus, Lotharingis, ex qua diuisione origo Germaniæ Ducum, Electo-

Electorum, Circulorum, aliaque dilucide declarantur. Quintum Caput Imperii diuisionem continet, quæ olim facta in Francos & Saxones, siue Germaniam Superiorem atque Inferiorem, in Terras Imperii mediatas atque immediatas: vtriusque diuisionis fundamenta, vsus etiam hodiernus, demonstrantur vberius. Quæ vero vt plurimum adferri solet distinctio inter Territoria clausa & non clausa plane reiicitur, ita, vt quæ sita sint in Territorio, præsumantur eidem subiici, nisi demonstretur Exemtio. Sequitur in Circulos Diuisio, qui vna cum ipsorum Politia atque Iuribus exponuntur. Sextum vero Caput Obseruantiam & Leges Imperii fundamentales, horumque Historiam, & potissimum illam Capitulationis perpetuæ, recenset, &, postquam de Forma Imperii fuerit disputatum, primam partem absoluit. ALTERA PARS de Imperatore agit, eiusdemque Iuribus atque in Imperio Prærogatiuis. Describitur igitur Capite septimo Imp. electio atque coronatio, atque per singulos actus demonstratur, qua ratione certi ritus variauerint. Octauum Caput titulos

Imp. enarrat atque Inſignia, quibus ſubiunguntur Capite nono Palatia Impp. vrbes Palatinæ, caſtra & curiæ Imperiales, atque officiales Palatii & Aulæ Imperialis. Hinc progreſſus fit ad Reditus, Domania & Iura Imp. reſeruata, quæ vel in Iure Sacrorum conſiſtunt, vel circa dignitates & Iura Imperii verſantur, vel circa priuilegia, & diſpenſationes inter perſonas non ſolum illuſtres, ſed etiam circa effectum Imperii vniuerſalem, quæ ſingula Capite decimo, vndecimo atque duodecimo exponuntur, adduntur etiam Iura cum Electoribus communicata. Poſt Imp. Iura ſequuntur Capite decimo tertio modi, quibus Imperatoris poteſtas finiatur, atque Iura Vicariorum, quæ per ſingulas Impp. Periodos examinantur, & qua ratione ſenſim fuerint exorta, demonſtratur. Subiunguntur Capite decimo quarto Iura Regis Romanorum atque Auguſtæ. TERTIA PARS Status Imperii, horumque Iura concernit, atque Capite decimo quinto, Status Imperii quinam ſint, qua ratione tales fiant, iſti diſtinguantur, qualem inter ſe habeant ordinem, exponitur, demum iſti,

isti, secundum Classes suas recensentur. Decimum sextum Caput Electorum Originem, successionem, iura & prærogatiuas tradit: decimum septimum vero sigillatim Electorum statum iuraque illustrat. Decimum octauum & nonum Principum Ecclesiasticorum & Secularium diuersas Classes, iuraque exponit: Eadem ratione vigesimum de Comitibus & Baronibus, horumque diuersis classibus, vigesimum primum de Ciuitatibus Imperii agit. QVARTA PARS ea negotia concernit, quæ Imp. cum Statibus sunt communia, eademque, quia in Comitiis pertractantur, vocari solent Iura Comitialia. Inde vigesimum secundum Caput Comitia Imperii vel vniuersalia vel particularia describit, in iisdemque de Conuentibus agitur Circulorum, & quæ nuper mota fuit controuersia de Directorio Euangelico, ex Historiis & Actis Publicis declaratur. In Capite vigesimo tertio negotia Comitiorum vberius exponuntur. Caput vigesimum quartum Iudiciis Imperii est destinatum, in eodemque, qua ratione vel Imp. vel Status

Imperii poſſint iudicari, hique vel in cauſſis Eccleſiaſticis & Matrimonialibus, vel in Feudalibus & Criminalibus, pertractatur; materia de Iudiciis Imperii Prouincialibus, Auſtregis, Hiſtoria Iudicii Aulici & Cameralis, & qua ratione vtraque in Iurisdictione concurrant, demonſtratur dilucide. Vigeſimum quintum Caput reliqua, quæ Imp. & Statuum ſunt communia, vtpote Archiuum, Matriculam, Idioma, Cancellariam Imperii abſoluit. QVINTA PARS Statuum Iura examinat. Hinc vigeſimum ſeptimum Caput eorundem Territoria, horumque diuerſitatem, Allodia Imperii, Condominatum, Seruitutes Iuris Publici, Superioritatem vel Sacram, vel Iuris Gentium, vel Territorii, & Iura huc facientia complectitur. Vigeſimum ſeptimum Caput Iura, perſonam & ſucceſſionem Principum concernentia, comprehendit, in eodemque Iura Primogenituræ, Paragii, Apanagii, Succeſſionis fœmineæ, Clericorum in Terras ſeculares, ex Matrimonio inæquali prognatorum, pacta Confraternitatis, Tutelas, Dotalitia, Dotem filiarum illuſtrium expoſita videmus,

videmus, quorum pleraque in Iuris Publici Syſtematibus alias occurrere haut ſolent. Agmen denique claudit caput Vigeſimum octauum, de Membris Imperii immediatis, & Vaſallis Italiæ, qui Iuris ſunt Longobardici. Methodo vſus fui arbitraria; primordia capiens a temporibus Ottonis M. ita tamen, vt, ob nexum, ad Carolingorum tempora ſubinde fiat regreſſus. Declaraui itaque, quis Status priorum temporum, qua ratione ex Monarchica Forma ſenſim immutatum Imperium, quæ mutationis per temporum ſucceſſum fuerit ratio, & quis Status ſit hodiernus. Fundamenti loco fuerunt fontes Hiſtoriarum, Scriptores coæui, Conſtitutiones Imperii, Diplomata, Leges Imperii fundamentales, Acta Publica, quibus potius vſus fui, quam compendiis atque Syſtematibus. Diſſenſum a reliquis Scriptoribus non adfectaui, vbi vero neceſſitas hoc poſtulauit, ſine pruritu hoc feci, ſine inſulſis cauillationibus, prout hominibus malæ frugis moris eſt, ſed debita, & Chriſtianos decente modeſtia, rationibus ſuffultus atque documentis.

In-

Index adiectus est locupletior, in quo denuo operam nauauit doctissimus Christianus Gottlieb Buderus Budissinus, in quo obseruata videmus, quæ vel ad Ius Publicum Germaniæ vel illustrium etiam familiarum Iura in hoc Syntagmate fuerunt pertractata. Vtere hisce, B. L. & si hinc inde fuerit erratum, certissime credas, me Suffenum non esse, quin potius meliora docentibus & modeste monentibus subscribam.



BVRCARDI GOTTHELFFII STRUVII

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS

DE

IVRE IMPERII
IN DVCATVM PARMENSEM
ET PLACENTINVM

PRAEMISSA

EXERCITATIONIBVS IVRIS PVBLICI.



Ostquam a Gregorii VII. temporibus caput efferre cœperunt Romani Pontifices, diuersæ cum Imperatoribus, qui antiqua Imperii Iura vindicare conati, subortæ fuerunt Controuersiæ, quæ, licet subinde sopitæ, sæpe tamen in tantum fuerunt excitatæ, vt calamos exercerent cuiusuis generis scriptorum. A primis quidem temporibus sub Henrico IV. inualuit Controuersia de Inuestitura Episcopali, quæ, licet tanta non videatur, hoc tamen promouit, vt ipsi Papæ Impp. se subducerent potestati; immo, supra eosdem se efferrent. Statim, sub eiusdem successore & filio Henrico V. nondum fere sopitis Controuersiis prioribus, cœperunt contentiones de Successione in Terras Mathildianas, quæ Henrici V. Lotharii atque Conradi III. temporibus diuersimode fuerunt agitatæ. Magnus in vindicandis defendendisque Imperii Iuribus erat Fridericus Barbarossa, quem, licet haut pari virtute, secutus Henricus VI. Frater ipsius Philippus, plurimum concedebat Pon-

)()(tifici,

tifici, vt eundem sibi haberet fauentem contra Ottonem IV. Imperii æmulum. Hic tamen ex sententia ICtorum, Terras, a Papa hucusque vsurpatas, Iure repetebat, ideo, vna cum Friderico II. eiusdem successore, acerbas pontificum iras fuit expertus. Rudolphus Habsburgicus vna cum successoribus, non tam Italiæ curiosi vt Papis facile relinquerent, quæ huc vsque vsurpauerant. Henricus VII. autem, & potissimum Ludouicus Bauarus magna fiducia pristina Iura adserere non dubitarunt, e quibus tamen ille veneno; hic turbis enecatus, vt libere adhuc fruerentur ficto suo patrimonio pontifices. Hoc quidem vsque ad tempora Caroli V. qui Iura in Papam Romanum denuo exercuit, quem nostra ætate secutus Leopoldus, atque Augustissimus Imperator Iosephus. Hic, dum gladio Iura sua defenderet, plures excitauit Scriptores, qui idem Scriptis conarentur. Et, dum alii iam Iura Imperatoris in Papam, * alii Iura in Territorium Comaciense satis vindicauerint, ipse nunc Iura Imperii in Ducatum Parmensem atque Placentinum defendere ausus. Sunt equidem non Pontificii solum

* Eiusmodi Scriptores, qui Iura Imperatorum in Papam defenderunt, primum collegit SIMON SCHARDIVS in Syntagm. suo, *de iurisdictione, autoritate & præeminensia Imperiali, ac potestate Ecclesiastica, deque Iuribus Regni & Imperii*, quod primum *Basileæ* 1566. *f.* prodiit, recusum *Argent.* 1609. *f.* Secutus eundem fuit MELCHIOR GOLDASTVS *Apologia pro Henrico IV. aduersus Gregorii VII. & aliorum patriæ hostium impias ac malignas criminationes*, *Hanouiæ* 1611. 4. Maiori tamen adparatu idem illud egit in *Monarchia sua S. R. Imperii*, quæ *Francofurti* 1621. *f.* prodiit tribus Tomis. Haut ita pridem euulgatum est scriptum sub Titulo: GOTTFRIED RVHLMANNS *unwiederrufliches Recht, welches Sr. Kayserl. Mai. von wegen des H. Röm. Reichs deutscher Nation nicht nur auf Parma und Placentz, sondern auch so gar auf gantz Italien, die Stadt Rom und das Patrimonium S. Petri haben*, *Iena* 1709. 4. Hoc, licet Iura in Parmam & Placentiam in titulo ferat, parum tamen de iisdem habet, potius ad Iura in vniuersam Italiam se extendit. Addimus hisce IOACHIMI VRSINI (sub quo nomine SIMON SCHARDIVS latet) *Speculum Iesuiticum, Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos perfidiam, insolentiam ac tyrannidem repræsentans*, *Ambergæ* 1609. 8. qua per singulos Imperatores procedit, & quas Iniurias a Papis fuerint perpessi, demonstrat.

lum, ſed etiam inter eos, qui Proteſtantium caſtra ſequuntur, plures, qui Parmenſem Ducatum Pontificis Imperio plane ſubiectum eſſe contendant. * Aſt, fuerunt iam olim, qui contrarium dicerent, nec tamen adeo probarent, adduxiſſe contenti, Parmam Farneſiis traditam ſaluo Iure Imperii. ** Vt itaque eo plenius de Iure Imperii pateat, rem ab ouo reducemus. Parma, Tuſcorum olim & Boiorum, inde Romanorum Colonia facta. Decreſcente Romanorum potentia, præda fuit inuadentium, modo Gothis, modo Longobardis parens, vsque dum deuictis a Carolo M. Longobardis, ſub eiusdem quoque poteſtatem redacta, pars facta Italiæ Langobardicæ, quæ Francorum olim, poſt, vna cum Italia Romana Ottoni M. fuit ſubiecta. *** Hæc autem extra omnem dubitationis aleam poſita, vt vberiori haut indigeant probatione. Nunc autem examinandum, qua ratione Iura in Parmenſem Ducatum integra conſeruauerit Imperium. Deuolutum autem vna cum Langobardico regno Parmenſe Territorium ad

)()()(2 Ottonis

---

* GREGORII LETI *Italia regnante* p. I. lib. V. p. 258. *Il. Duca di Parma riconoſce per tutti li ſuoi ſtati il Pontefice* BECMANN Not. Dignit. Illuſtr. Diſſert. X. c. III. *Dux Parmenſis eſt Beneficiarius Pontificis M. qui & Feudum ſuum quotanni penſione M. Ducatorum ad Scalas Petri redimit.* Idem dicit *in Hiſt. Orb. Terr. cap. VI. p.* 193. Sequitur ZECH in *Europaiſchen Herold p. II. p.* 783. MISSON *Voyage de Italie p. I. p.* 35.

** Primus, quem noui, eſt HERMANNVS CONRINGIVS, *de Finibus Imperii cap. XX. p.* 435. qui ex Hiſtoria potiſſimum Carol. V. illud confirmat. Hunc ſequitur FVRSTENERIVS *de Suprematu cap. LII. p.* 193. ITTERVS *de Feudis Imperii cap. VI. §. VI. & XXV.* SCHWEDER *Introduct. in Iur. Publ. part. Gen. cap. IV.* §. 46. SCHVRTZFLEISCH *de Iure Auguſti in Italiam §. XXVII.* PFEFFINGER *Vitriario illuſtr. lib. II. Tit. V. d. I. lit. e.*

*** Teſtatur de eo THEODERICVS a NIEM *Nem. Vnionis tract. VI.* quod Otto Magnus Imp. Lombardiam viridarium Imperii appellarit, & Imperio ſingulariter incorporauerit, vt per Imperatores & Reges Romanos, qui eſſent pro tempore, iure proprietario poſſideretur.

Ottonis successores. Possedit Parmam Conradus II. qui natale Domini an. 1037. in eadem celebrauit, & tumultu contra ipsius Aulicos orto, eandem vrbem cremauit atque mœnibus nudauit. * Regebatur ista ætate Parma, prout reliquæ vrbes Longobardicæ per Vicarios & Magistratus, quos Potestates vocabant, ab Impp. missos, inde vero vna cum magna Longobardiæ & pleraque Tusciæ parte ad certos Italiæ Marchiones peruenit, & per hos ad Mathildem, Bonifacii filiam. Hæc, licet Gregorium Papam scriberet hæredem, ** missi tamen post ipsius mortem ad Henricum V. Imp. Nuntii, qui eundem ad possidendas Terras Mathildianas inuitarent, *** eo quod Mathildis olim Imperio subiecta. **** Exinde Controuersia de eadem Successione fuit suborta, qua multum agitata, † tandem eo deuenit, vt Parma & Mantua ad Imp. Ferraria ad Pontificem perueniret. †† Mansit exinde Parma sub Impp. ditione, tanquam pars regni

* OTTO FRISING. *lib. VI. cap. XXXI.* ADLZREITER, *Ann. Boi. p. I. lib. XVI. n.* 21.

** Reperitur Charta Donationis in MIRÆI *Cod. Don. Belg. lib. I. c. XXXVI.* & apud LEIBNITIVM *Script. rer. Brunsuic. p.* 687. Quare etiam CHRON. CASINENSE lib. III. c. XLVIII. *Anno Incarnationis Dominicæ MLXXIX. Mathilda Comitissa, Henrici Imperatoris Exercitum timens, Liguriam & Tusciam prouincias Gregorio Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissime obtulit.*

*** CONRADVS VRSPERG. a. 1115.

**** Dicitur enim possedisse Marchiam Imperium attinentem GODEFRIDO MONACHO *ad a.* 1209.

† ARNOLDVS LVBECENSIS *Chronico lib. III. c. X.*

†† SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. X. p.* 250. *Mathildis, gliscente inter Gregorium atque Henricum discordia, Lombardiæ Tusciaque ditionem Testamento S. Petro donarat. Itaque ea mortua, non defuere, qui nunciis missis, Henricum ad adeun-*

gni Longobardici & Prouinciæ Mediolanensis, & licet Lotharius largiter omnia concederet Pontificibus, Parmam tamen tenuit, vbi etiam Fœdus cum Legato Petri Polani Ducis Venetorum redintegrauit. * Successor ipsius Conradus, dum turbas inter Parmenses & Placentinos subortas comprimere conaretur, subitanea morte fuit extinctus. ** Huius Successor Fridericus Barbarossa, sub initium statim Regiminis, Iura in Terras Mathildianas sibi vindicauit, & Welfoni auunculo suo Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & totam Terram Mathildis Comitissæ concessit. *** Quantum autem Iura Imperii in Italiam vindicauerit Fridericus, patet ex formula Sacramenti, in quam singulæ vrbes iurarunt. † Paruit

dam ditionis eius hæreditatem in Italiam aduocarent. Ita Parma, & Mantua ad eum peruenit. Ferraria, quam Tedaldus auus a Iohanne XIII. Pontifice acceperat, Romanam ad Ecclesiam rediit.

* SIGONIVS *lib. XI. p. 267.*

** SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. XI. p. 284.*

*** RADEVICVS *de Gestis Friderici I. lib. II. c. X. Reditus quoque Imperiales, qui dicuntur Domus Mathildis, a Duce Guelfone, seu ab aliis destructos & dispersos congregauit, quos postmodum eidem Nobilissimo Principi adunatos, & melioratos, liberali restitutione noscitur reddidisse.* SIGONIVS *lib. XII. ineunte.*

† Formula hæc reperitur apud RADEVICVM *de Gestis Friderici I. lib. I. c. XIX.* atque talis est: *Ego iuro, quod a modo in antea ero fidelis Domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, sicut Iure debeo Domino & Imperatori. & adiuuabo eum retinere Coronam Imperii, & omnem honorem eius in Italia, nominatim & specialiter Ciuitatem illam, & quicquid in ea Iuris habere debet, vel in omni virtute Comitatus vel Episcopatus N. Regalia sua ei non auferam ibidem, nec alibi, & si fuerint ablata, bona fide recuperare & retinere adiuuabo. Neque in consilio ero neque in facto, quod vitam, membrum, vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum eius, quod ipse mihi fecerit, per se, vel Epistolam suam, aut per Legatum suum, de facienda Iustitia, fideliter ob-*

etiam Parma Ottoni IV. qui memor Iuramenti, quod fecerat, cum a Papa ad Imperium fuerat sublimatus, quod videlicet dignitates Imperii conseruare, & Iura dispersa reuocare vellet, fecit per summos Iureconsultos castella & alia Iura ad Dignitatem Imperialem spectantia, perquiri, & quaecunque per recognitionem ad Ius Imperii spectare didicerat, in vsos suos conuertere laborabat. * Licet Innocentius III. Parmenses ad subeundum Iudicium suum inuitaret. ** Paruit etiam Parma Friderico II. *** licet ciues excitato tumultu, Potestatem, siue Magistratum a Friderico II. constitutum occiderint, & eiectis, qui cum Imp. faciebant, sui Iuris vrbem reddere conarentur. Obsidebat quidem Parmam Fridericus, nouam vrbem ipsi opponendo, quam nuncupauit Victoriam, quam tamen verso in fugam Friderico, concremarunt.† Insecuta statim mors Friderici atque magnum Germaniae interregnum Parmensibus profuit, ne debitas luerent poenas. †† Rudolphus Habsbur

seruabo & illud audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio inuitabo. Haec omnia obseruabo fide bona sine fraude. Sic me Deus adiuuet, & haec sancta quatuor Euangelia.

* MATTHAEVS PARIS *Hist. Maior. Anglic. ad a.* 1210. *p.* 193.

** Vid. EPISTOLAE INNOCENTII III. lib. II. Ep. XXXIX. Ed. Balutzii.

*** Animus Friderici II. in vindicandis Iuribus Imperii, patet ex ipsius Epistola ad Regem Anglorum, apud PETRVM DE VINEIS *lib. I. Ep. XVI.* qua admodum conqueritur, quod non potuerit Pacem obtinere a Papa, concludit tandem: *Restat igitur, vt sic nostra & Imperii nostri Iura, aliorumque Regum & Principum, in causa nostra viriliter tueamur, quod nos non oporteat amplius Pacem imprudenter expetere, sed potius acceptare petitam.*

† MONACHVS PADVANVS *ad a.* 1247. 1248. GEORGIVS MERVLA *Antiquit. Vicecom. lib. IV. p.* 54. TRISTANVS CALCHVS *Hist. Mediolan. lib. XIV. p.* 322. VBERTVS FOLIETA *Hist. Genuensium p.* 354. HIER. RVBEVS *Hist. Rauenn. lib. VI. p.* 295. Narrat hanc cladem suam ipse FRIDERICVS II. principibus & vniuersis fidelibus suis apud PETRVM DE VINEIS *lib. II. ep. V.*

†† Animum fuisse Friderico II. de Parmensibus debitas poenas sumendi, patet ex

burgicus, licet variis Italiæ Ciuitatibus multas concesserit immunitates, non tamen omnia plane Imperii Iura in Italiam dimisit, quin potius Rescriptum ad Marchiones, Comites, Nobiles, Capitaneos, & Ciuitatum Potestates mitteret, in quo Romanorum Imperii vocat pomœrium. * Sic etiam Parmenses Ludouico Bauaro Imp. fideles extitisse, narrat in Historia Ludouici ALBERTINVS MVSSATVS. ** Dum autem subsequentes Impp. parum Italiam curarent, Parmenses sese subducere fuerunt conati, vsque dum inter turbas Italiæ Iulio II. Papæ sponte se dederent. *** Exinde variæ subortæ contentiones, dum dictas Terras nullo Iure possidere Pontificem adsererent Cæsaris legati. † Post Iulii II. mortem a. 1513. insecutam, Neapolitanus Prorex cum Hispa-

- Epistola ipsius ad Comitem Casertanensem IX. quæ reperitur apud BALVTZIVM *Miscell. lib. I. p. 471.* vbi hæc verba: *quanquam Regnum nostrum in proximo, ciuitatis Parmæ depressa proteruia, vel ipsius vrgentissime depopulatione peracta, repetere personaliter dispsonamus.*

* Apud LAMBECIVM *Comment. de Biblioth. Vindobon. lib. III. app. p. 327.*

** *p. 8.*

*** GVICCIARDINVS *lib. X.* exeunte: *in tanta rerum mutatione* (dum Galli ex Italia eiecti) *Placentini & Parmenses sponte suas Vrbes Pontifici dediderunt, quas, veluti Rauennensis Exarchatus membra, ad Pontificium Imperium spectare asserebat.*

† Latius hanc Controuersiam exponit FRANC. GVICCIARDINVS *Hist. Ital. lib. XI. p. 395. Sed rursum Gurcensis atque Hispanorum, ob Parmam & Placentiam, in Imperii Iurium fraudem ad nimiam Pontificum potentiam, & Mediolanensis Imperii, cuius quod semper primi Gallorum impetus illi essent sustinendi, potentia augenda fuisset, nimium debilitatam a Pontifice occupatas, querela resurgebat: Pontificem in fœderis capitibus nullius rei præterquam Bononiæ & Ferrariæ mentionem fecisse; nunc iuribus quorum nulla fide digna memoria appareat, id sibi vindicare, quod Ecclesiam Romanam nunquam ne vetustissimis quidem temporibus possedisse certo constaret, nec de Cæsarum donatione aliud, quam simplicem Scripturam, quæ ad cuiuslibet arbitrium fingi potuerit, ostendi: & nihilominus Pontificem, quasi res esset manifesta & nota, occasione ex Gallia togata Longobardiaue moribus sumpta, sibi ipsum Ius administrasse.*

Hispanis militibus Placentiam profectus, illam Ciuitatem sub Mediolanensium Ducum Imperium redire coegit, cuius Exemplum, eiusdem metus caussa, etiam Parmenses fuerunt secuti. Maximilianus I. demum Iulio II. quidem dimisit Parmam atque Placentiam, SALVO TAMEN IVRE IMPERII. * Post illa tempora, cum Franciscus I. Mediolanensem sibi peteret Ducatum, atque deuictis ad Marinianum Heluetis, viam sibi a. 1515. in Italiæ Prouincias aperuisset, Leonem X. Papam eo adegit, vt ipsi Parmam atque Placentiam Ciuitates relaxaret atque dimitteret. ** Postquam autem per captiuitatem Francisci I. Gallorum Regis aliter cederent res Gallorum in Italia, easdem vrbes repetebat Papa, icto etiam ea de re cum Carolo V. fœdere, qui ipsum in occupanda Parma atque Placentia adminicularetur, quæ a Pontificibus, eodem iure, quo antea easdem obtinuerant, possiderentur. *** His ipsis verbis vtile saltim dominium conceditur, cum directi dominii Iura olim fuerint Imperii. Parma itaque Gallis erepta, Pontificis cessit possessioni **** atque vtili dominio, contra Gallos etiam fortiter defensa. † Postquam autem vrbs Roma a. 1527. a Cæsareanis esset capta, & Papa Clemens VII. ad Pacis Leges adigeretur, inter easdem quoque fuit, vt Placentiam atque Parmam Cæsaris potestati, quam-

* LVDOVICVS CAVITELLIVS *Ann. Cremon. p. 1499. Imp. de Mense Nouembris adhæsit cum Rege Hispaniarum Summo Pont. aduersus Venetos ac Bentiuolios, dimissis Ecclesiæ Parma & Placentia* SALVO IVRE IMPERII.

** Patet illud ex Liga inter Leonem X. & Franciscum I. conclusa, quæ reperitur in *Recueil des Traittés de Paix Tom. II. p. 57.* MEZZERAI *abregé Chronolog. Tom. IV. p. 481.* VARILLAS *Hist. de Francois I. p. 74.*

*** Verba sunt GVICCIARDINI *lib. XIV. p. 495.*

**** GVICCIARDINVS *lib. XIV. p. 503.*

† GVICCIARDINVS *lib. XIV. p. 517.*

quamdiu ei libitum fuerit, retinendas permitteret. * Et dum Papa de eo Imp. criminaretur, respondet ille in Apologetico suo ad eundem Papam: ** *non tantum exacerbandum videtur, si nostri Duces & milites qui sua virtute & viribus Parmam & Placentiam Ecclesiæ reddidere, ac ab hostium faucibus euulsere, totiensque tutati sunt, vt illis victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab hostibus recuperatis disponendum censerent, potissimum cum ita hæ Ciuitates essent Ecclesiæ ex fœdere Leonis consignatæ, tenendæ duntaxat eo Iure, quo aut per ipsum Leonem tentæ fuerunt. Quod ius tamen nullum erat, quandoquidem ad Feudum pertinerent Imperii, essentque pars Ducatus Mediolani & de illis nullum Ecclesia Romana titulum validum nec ab Imperio, nec ab eo qui dare posset, obtinuerit.* Immo, in aliis Litteris ad eundem Papam a. 1526. scriptis, claris verbis dicit: † *Similiter mei commeatum & reliqua necessaria sumpserunt a Parmensibus & Placentinis, mirum id videri non debet, quoniam vrbes illæ sunt ditionis Mediolanensis ab Imperio dependentis, & minime omnium ad Ecclesiam Romanam pertinent.* Reseruauit sibi eadem Iura Carolus V. in Iuramento suo, ante Inaugurationem Bononiensem præstito. Ei enim e Genua Placentiam aduentanti tres Pontificis Legati præsto fuerunt, vt eum Pontificiæ ditionis fines intrantem, Sacramento adigerent, quo de more iurare cogebatur, nunquam se Pontificiæ libertati vim allaturum. Ea autem Iurisiurandi formula, verbis rite conceptis, ex sacris cerimoniarum libris petebatur. Sed Cæsar sui Imperatorii Iuris

)()()()(appo-

* GVICCIARDINVS *lib. XVIII. p.* 667.

** *n.* 93. Reperitur iste Apologeticus inter GOLDASTI *Statuta & Rescripta Imperialia a Carolo V. p.* 81.

† Reperiuntur istæ Litteræ *Tomo III. Constit. Imper. p.* 492. Licet enim in aliis Litteris Caroli V. ad Collegium Cardinalium apud GOLDASTVM *Statut. & Rescript. p.* 103. dicatur: *Parmam & Placentiam a Romani Imperii Feudo* (Ducatu Mediolanensi) *disiunctas, Sedi Romanæ, nullo Iure coacti possidendas restituimus*, hoc tamen de priori traditione, Leoni X. facta intelligendum.

apposite memor, ita iurauit, vt se de Iure suo nihil decessurum testaretur. Placentiam siquidem & Parmam vrbes, tanquam Mediolanensi Imperio antiquitus attributas, quoniam id Cæsarum Imperatorum beneficiarium semper fuisset, non obscuro nec intermisso Iure repetere videbatur. * Paulus III. postmodum Pontifex, easdem Terras sibi iterum vindicare conatus, hoc Iure, quod istæ Clementi VII. fuerint oppignoratæ, tabulas de eadem re exhibendo, quæ tamen e sententia Iureconsultorum, inscio Cæsare, aut ipsius Legato non adhibito, scriptæ decernebantur. Nihilominus idem Papa easdem filio suo notho, Petro Aloysio Ducatus titulo addixit. ** Hoc autem a furenti plebe ob tyrannidem occiso, *** Cæsareani in arcem Placentinam introducti; Parma vix Pontifici Paulo III. eiusdemque nepoti, misso cum valido præsidio Camillo Vrsino, seruata est. **** Multæ de eodem contentiones inter Carolum V. Imp. & Paulum III. Papam, e quibus Iura Imperii satis clare patent. † Qua de causa, vt THVANI verbis vtamur: *semel atque iterum Iulius ad Cæsarem mittitur, qui de Placentiæ restitutione cum vrgeret, quas cum ad ditionem Ecclesiasticam pertinere pernegaret Cæsar, Iulius contra & Placentiam & Parmam, postquam oppignoratæ fuissent, ex nouo fœdere in Ecclesiæ Romanæ ditionem translatas diceret, Cæsar fœderis tabulas, exhiberi postulat, lati-*

tiam

---

* Sunt verba IOVII *Hist. lib. XXVII. p.* 213. quem sequitur LAVRENTIVS SVRIVS *Comment. Rer. Gest. p.* 175. Hinc ADAM REISNER. Hist. Frundsberg. p. 176. *Er schwur mit Vorbehalt das er an seinem Recht auch nichts wolte begeben.*

** THVANVS *lib. IV. p.* 129. IMHOF *Gen. Fam. Ital. p.* 21. VMBERTVS LOCATVS *de Origg. Placentiæ ad a.* 1545.

*** THVANVS *lib. IV. p.* 131.

**** THVANVS *lib. IV. p.* 132.

† *lib. IV. p.* 133.

tiam animi præ se ferens, si sibi ex fœdere facultas daretur, qua sine inuidia rerum Imperii alienatarum, Farnesiis, quos filiorum loco babeat, gratificari posset: sed cum tabularum tantum Exemplum exhiberetur, descriptum ex Codice in Hadriani mole adseruato, in quem Iura R. E. referri solcant, & se eius minime memorem Cæsar diceret, quippe quod se iuuene cum Clemente VII. transactum fuisset, res ad Didacum Vrtadum Mendozam reip. Senensium præsidem remittitur. Iulius rem confectam existimans Senis Mendozam adit, & cum eo Romam proficiscitur, ibi cum archetypum Cæsaris manu subscriptum non exhiberetur, Mendoza re cum Iureconsultis deliberata, fidem nullam habendam tabulis respondet, inscio Cæsare aut ipsius legato non adhibito descriptis. Vrsit igitur Cæsar Parmæ restitutionem, pro dominio vtili largam offerendo compensationem, ast, * Octauius Farnesius eandem a Iulio III. obtinuit, qui tamen ad Cæsareanos Placentia exturbandos commoueri minime potuit. ** Octauius autem, rebus desperatis, a. 1551. in Henrici II. Galliarum Regis fidem clientelamque se tradidit, Cæsari † torquem Velleris aurei remittens. Verum, cum nec Gallorum ope Placentiam posset recuperare, reconciliationem cum Cæsare socero, denique quæsiuit, eademque a. 1556. impetrata, Placentiam etiam recepit, arce excepta, quam non nisi filius Octauii, suis erga Hispanos meritis, patri obtinuit, saluo tamen Iure Imperii. †† Successores Caroli,

* THVANVS *lib. VI. p. 616. Pontifex cum videret, nihil vllis hactenus officiis, aut illa trium Episcoporum Legatione profectum, neque Cæsarem adduci posse, vt Placentiam Octauio genero restitueret vellet, quin potius vrgere, misso nuper in eam rem Alfonso Delrio, vt Parmam in manus suas traderet, & compensationis loco amplum patrimonium cum honorifico Titulo in Regno Neapolitano acciperet.*

** IMHOF *p. 22.*

† HIER. RVBEVS *Hist. Rauennat. lib. IX. p. 494.*

†† THVANVS lib. XVII. p. 516. ad a. 1556. *Octauius Farnesius, Parmæ Dux cum Cæsare socero reconciliatus est, accepta Placentia Nauarra ac Nauarriensis Territorii & Castellorum in Parmensi agro a Cæsareanis occupatorum possessione. Istæ vero leges ge-*

roli, Germaniæ negotiis impliciti, circa res Italiæ parum sollicitii, animo potius Iura Imperii conseruarunt; sufficit tamen, quod Carolus V. SALVO IVRE IMPERII cum Papa pactus. Mansit hic Status vsque ad tempora Leopoldi, qui pristina Iura reduxit, dum exorto nouo apud Italos Bello, militum suorum parti in Parmensi Ducatu, contranitente licet Duce, hyberna adsignaret. * Agebatur eodem de negotio in Consistorio Romano, ast, dum viribus impar esset Papa, conniuendum potius esse, arbitrabantur Cardinales. ** Inter hodiernas contentiones cum Aula Romana, hæc ipsa est de Iure directi dominii in dictam Terram. Mouebatur ista potissimum dum a. 1707. Duces militiæ Imperatoriæ cum Duce Parmensi de hybernis paciscerentur. Hæc Pacta, diuulgato eadem de re Decreto, pro nullis non solum declarabat Clemens XI. sed etiam omnes, qui contra facerent, Banno notabat. *** Ast, contra illud declarationem æque ac protestationem edidit Augustissimus Imperator Iosephus, **** quo satis declaratur, ex Historiis non solum, sed etiam Litteris Inuestituræ patere, Parmam & Placentiam ab antiquo fuisse partes Regni Longobardici, ideoque Ducatus Mediolanensis & Feuda Imperii. Quin potius patere, priores Imperatores Iura sua in dictas Terras semper vindicasse, id quod ad mortem vsque Carolus V. egerit. Si quid etiam contra factum, plane nullum esse, cum Capitulationes prohibeant, quidpiam ab Imperio alienare. Concluditur demum, se Papæ nullum plane Ius in Parmam atque Placentiam relinquere, potius quæ contra acta plane abolere. † Idem Decretum variis in locis publicis Romæ adfigi fecit Imperator.

---

nero a Cæsare dictæ: Vt Placentiæ arcibus præsidium Hispanorum accipere, illud stipendio suo alere teneretur, maneant IMPERIO ET ROMANÆ S. SALVÆ RATIONES, *quas in Parmensi Ditione habent.*

* *Leben Eugenii p. II. p. 98. Schauplatz des Kriegs in Italien p. 885.*

** *Leben Caroli III. p. 532.*

*** Scriptum hoc euulgatum d. 27. Iulii 1707. & reperitur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p.* 651.

**** Scriptum euulgatum 26. Iunii 1708. quod reperitur *p.* 651.

† Verba sunt: *VVir erklæhren demnach zum ewigwæhrenden Andencken durch ge-*

rator. Cardinales quidem Marescotti, Sarpegna atque Pamphili Litteras* de eodem negotio d. XII. Augusti 1708. ad Imp. dederunt, quibus profitentur, Parmensem Ducatum directo summi Pontificis dominio iam a longo tempore subesse, & per antiquas atque repetitas pactiones Ecclesiæ confirmatum: neque tamen vllum pactum adducunt, quo directum dominium vnquam fuerit cessum, ita, vt temporis potissimum diuturnitate niti videantur. Hanc autem nullam plane vim habere patet ex eo, quod, dum regalia & Terras Italiæ Ottoni M. cederet Leo Papa, idque in Concilio Lateranensi, consentientibus Episcopis, inter easdem etiam Parmam, Iure nunquam reuocando restitueret, additis in contra facientes multis comminationibus. ** Sed, dum de Parmensium fatis dictum, paucis nunc de Placentinis erit edisserendum, quæ licet paria fere cum iisdem, aliqua tamen obtinuerunt singularia. † Colonia

)( )( )( )(3

gegenwærtiges, Protestiren zugleich, so viel als sonsten nœthig, zum allerkrafftigsten, das wir auf die Hertzogthümer Parma und Placentz dem Rœmischen Hofe, gantz kein Recht, am allerwenigsten aber das Directum und Supremum Dominium zustehen kœnnen: Ia wir behalten vielmehr alle und iede Rechte und Oberherrschafftliche Gewalt, die zu unserer Vorfahren, und unsern Praiuditz, iemahlen vsurpiret worden oder noch vsurpiret werden, es mag nun solches geschehen unter was vor einem Vorwand daß es wolle, Vns Krafft dieses zum kræfftigsten bevor, und confirmiren solche auf das gültigste als es seyn kan.

* Extant istæ in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p.* 662.

** Integram Cessionem seruauit THEODERICVS de NIEM inter Priuilegia & Iura Imperii apud SCHARDIVM *Synt. de Imperiali autoritate* p. 249. vbi in fine hæc verba: *Et possideatis in perpetuum ad vsus curiæ & militiarum vestrarum ad bellandum & expugnandum contra prædictos paganos & contra Rebelles Romani Imperii. Ideoque per huius nostri authoritatem instrumenti confirmamus, corroboramus in omnibus progeniebus vestris, de generatione in generationem in perpetuum. Quod si quisquam hanc authoritatem nostram destruxerit, & huius violator esse repertus fuerit, siue contra hoc agens, sciat se in iram beati Petri Principis Apostolorum, & nostrum nostrorumque prædecessorum casurum. Insuper nisi a malo resipuerit, subiacebit Legi Iuliæ, & eius Regiæ Potestati & Reipublicæ. Vt ei qui contra Rempublicam contra Imperatoris maiestatem aliquid moliti fuerunt, animæ amissionem sustineant, & bona eorum publicentur, fiat fiat.* Fiat ergo?

VELLEIVS PATERCVLVS *lib. I. c. XIV.* LIVIVS *Epit. XX.* POLYBIVS *lib. III. cap. XI.* CELLARIVS *Not. orb. ant. lib. II. cap. IX. p.* 666.

lonia Romana olim Placentia, ſub aduentum in Italiam Hannibalis vna cum Cremona deducta, iisdem igitur quibus Italia, fatis agitata. Inde Gothis, & Longobardis, iisdemque deuictis, Francis ſubiecta. * Hinc per Berengarios aliosque Italiæ tyrannos vexata, ceſſit tandem cum Italiæ regno, Ottoni M. qui eandem ſtudii ac vniuerſitatis ſcientiarum Diplomate decorauit, teſte LOCATO. ** Manſit ſub Cæſarum poteſtate Placentia, vsque ad Friderici Barbaroſſæ tempora, qui Placentinos, eo quod Cremenſibus opem atque annonam ſubminiſtraſſent, declarauit rebelles Imperii. *** Qui tamen ad ſubiectionem denuo fuerunt coacti, his conditionibus, vt ſex millia marcharum argenti Imperatori numerarent, turres ſolo æquarent, foſſas in planum reducerent, & Rectorem ipſis ab Imp. miſſum reciperent. † Licet igitur ſub Henrico VI. Imp. ſe ſubducerent Placentini, †† nihilominus fidelitatem fecerunt Rudolpho Habsburgico, inter alia iurantes: ††† *Imperium Romanum & Regalia eius, quæ habet vbicunque, & ſpecialiter in Italia manutenebunt totis viribus, & defendent, ad defendendum, & manutenendum vero, quæ habet, ſeu tenet, adiutores erunt; officium eis commiſſum in Italia bene & fideliter exercebunt; Iura & Iurisdictiones, & poſſeſſiones Rom. Imperii, quæ vbicunque conſiſtere ſcient, reuelabunt & conſeruabunt. Nuncios præfati Domini Regis Rodulfi recipient, & fideliter ac benigne tractabunt.* Inde Lambertus Cyprianus Henrici VII. Imp. in vrbe

* Fata hæc per Annales deſcribit VMBERTVS LOCATVS, *de Placentinæ Vrbis Origine, Succeſſu & Laudibus*, qui reperitur in GRÆVII *Theſauro Antiquitatum Italicarum.*

** *ad a.* 962.

*** LVDOVICVS CAVITELLIVS *Ann. Cremon. p.* 1276.

† RADEVICVS *de Geſtis Friderici lib. II. c. VIII. XLIX.* LOCATVS *ad a.* 1150. IO. BAPT. VILLANOVÆ *Laudis Pompeiæ Hiſt. lib. II. p.* 876. OTTO ET ACERBVS MORENA *Rer. Laudens. Hiſt. p.* 1000. TRISTANVS CALCHVS *Hiſt. patr. lib. X. p.* 256. SIGONIVS *lib. XIII. p.* 313.

†† VMBERTVS LOCATVS *de Orig. Placentiæ ad a.* 1189. *Henricus nullam a Placentinis habuit obedientiam.*

††† LOCATVS *ad a.* 1275.

vrbe Placentina factus est Vicarius, sed eodem anno cum Gibellinis a Guelphorum factione expulsus. Gibellinorum tamen impulsu Albertus Scotus ex castro Arquato Placentiam venit, Guelphosque inde expulit, atque vrbem pro Imp. rexit. Cum autem de Henrici aduentu in Italiam fama augeretur, Gibellini iterum eiecti,* quos tamen restituit Imp. & Parmensibus & Placentinis Vicarios dedit, ** quos deinde Galeatii Mediolanenses rexerunt. Placentia inde, pars facta Ducatus Mediolanensis a Leone X. vero Francisco I. cessa, *** & paria fere cum Parmensi vrbe fata sustinuit, vsque dum ad Farnesios perueniret, quod tamen saluo Iure Imperii factum, vt antea dictum. Patet igitur ex dictis, quod Iura Imperii in dictas Terras semper manserint integra. Cardinales quidem, dum in Litteris suis ad Iosephum Iura dominii Papalis adserere conantur, ad bina prouocant; ad Pacta scilicet, & continuatam Possessionem. Quantum ad primum attinet, non negamus, fuisse quædam inter Pontificem atque Imperatores Pacta, de quibus iam ante dictum, hæc autem saluo semper Iure Imperii conclusa. Continuatam autem Possessionem vnde demonstrabunt Pontificiæ sedis adsertores? Dicent fortassis, post Caroli V. mortem dominii directi Iura sibi adseruisse Pontifices in Ducatum Parmensem. Ast, quo titulo & fide? Titulus non adest, nec donationis nec emtionis, nec alius, dum Imperatores semper sibi Iura reseruarint. Vbi vero fides, certe non bona est, quæ subesse non poterit, dum Papæ ex pactis anterioribus satis edocti rem alienam possideant: sed mala, quæ nunquam præscribit, quæ satis ex ante adducta concessione, Ottoni M. facta patet. Et quid si dicamus, bonam fidem esse, obligatio tamen cuiusuis est possessoris ad rem Domino restituendam. † Sed, de his atque aliis Imperii Iuribus plenius nobis erit agendum in Exercitationibus Iuris Publici, quas fauente Deo, instituemus. Generosus enim, atque Nobilissimi quidam Commilitones, quos partim generis, omnes vero studiorum atque morum commendat præstantia, ipsa iam Iuris publici fundamenta satis edocti, vt eadem sibi familiaria magis redderent, me sibi

Du-

* LOCATVS *ad a.* 1311.

** LOCATVS *ad a.* 1313.

*** LOCATVS *ad a.* 1515.

† GROTIVS *de I. B. & P. lib. II. c. X. §. I.*


Ducem ſelegerunt, atque in Iuris Cathedra Præſidem, idque adſentiente illuſtri ICtorum Ordine. Horum igitur nomina, prout ab ipſis amica ſorte ordinata, hæc ſunt:

MATTHIAS LVDOVICVS HOLL,
Vlmenſis.
VLRICVS MARBACHIVS,
Argentinenſis.
ADAMVS ARNOLDVS KLOEKER,
Eidinghuſa Mindenſis Gueſtphalus.
IOANN. REINHARDVS WEGELIN,
Lindauia Acronianus.
IOANN. CASPAR BRECHENMACHER,
Auguſtanus.
GERLACVS ADOLPHVS de MVNCHHAVSEN,
Eques Thuringus.
PHILIPPVS HENRICVS HELMSTETTER,
Buxouilla Alſatus.
FRIDERICVS GVILIELMVS SPACH,
Buxouilla Alſatus.

Inſtitutum tale eſt, vt Diſſertationibus XXVIII. integra Iuris Publici doctrina delineetur. Singulæ Diſſertationes certis abſoluentur theſibus, ita, vt ſubinde indicentur vel Leges fundamentales & Acta, vel Scriptores præcipui, qui de ſingulis rebus vberius egerunt. Prodibunt iſtæ, quantum fieri poterit, ſingulis ſeptimanis, eædemque publicæ ventilationi ſubiicientur, ita, vt ternis vicibus vnusquisque Reſpondentium vices ſuſtineat, binis ſemper opponentibus. Generoſos itaque atque Nobiliſſimos Commilitones, qui noſtra amant acroateria, officioſe inuitamus, velint noſtris quoque exercitiis, quorum tempus in loco publico ſemper deſignabimus, frequentes intereſſe, id quod pari officiorum genere compenſare non dubitabimus. P. P. Dominica XX. poſt Trinitatis CIↃ IↃCCX.




CA-



CAPVT PRIMVM
DE
IVRE PVBLICO IMPERII
ROMANO-GERMANICI
IN GENERE.

§. I.



IVris publici doctrina vel nulla olim, vel incerta, cum Imperium nostrum legibus fundamentalibus destitutum, incertam plane redderet Iuris publici rationem, quod pro arbitrio & potentia Imperatorum atque Statuum, Episcoporum plerumque, penes quos maxima fere erat auctoritas, plurimum immutabatur.

§. II.

Dubium autem hic subest, vndenam initium Iuris publici petendum. Veteris Germaniæ equidem Ius Publicum ab eo tempore fuit enatum, quo Germanorum cœperunt Respublicæ. Dum autem Germania in diuersos populos esset distincta, qui nullo iure inuicem nexi, singulis etiam speciale Ius Publicum erit tribuendum. Verum, dum nostrum Ius Publicum nihil plane habeat commune cum antiquo isto Germaniæ statu, eius quoque initium aliunde erit petendum. Distinguendum hic esse putem, inter initium Iuris Publici Regni Germanici, & Imperii Romano-Germanici, quod in præsenti tractamus. Illud sine dubio originem sumit a Ludouico Germanico, sub quo proprium primum regnum, Germania, * quæ Francorum olim paruerat Imperio. Scilicet, in Diuisione ista, quæ post mortem Ludouici Pii inter ipsius filios, per Pactum Verdunense a. 842. fuit facta, Germania separatos plane a Francorum regno rationes accepit, proprii iuris facta, proprium nacta fuit Ius Publicum. Sed nondum dignitas Imperatoria in Germanos fuerat translata. Negandum tamen haud est, idem regnum sub Conrado I. insignem perpessum fuisse mutationem, ** eo quod Germani, Francis, qui in eosdem habuerant ius hæreditarium, sese subducentes, ius eligendi Regem sibi plane vindicarent, Duces Germaniæ, propriam atque hæreditariam adipiscerentur potestatem. Neque tamen exinde, prout quidam volunt, Iuris Publici initium erit reputandum, cum Germania iam ante proprii iuris fuerit facta.

* Patet hoc ex charta Diuisionis Ludouici Pii a. 837. apud BALVZIVM *Capit. Tomo I. p. 686.* qua cuilibet ex filiis Ludouici, proprii termini adsignantur. Et licet ista diuisio non statim locum habuerit, postea tamen Veroduni a. 842. noua diuisio fuit facta, qua Ludouico omnis Germania cessit. REGINO ad a. 842. *Tres supra dicti fratres Imperium Francorum inter se diuiserunt, & Carolo Occidentalia regna*

gna cesserunt, a Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium, Ludouico vero Orientalia, scilicet omnis Germania vsque ad Rheni fluenta, & nonnullæ Ciuitates cum adiacentibus Pagis trans Rhenum, propter vini copiam. Porro Lotharius qui & maior natu erat, & Imperator appellabatur medius inter vtrosque incedens Regnum sortitus est, quod hactenus ex eius vocabulo, Lotharingia nuncupatur, totamque Prouinciam, nec non omnia regna Italiæ, cum ipsa Romana vrbe. Concordant ANNALES BERTINIANI, FVLDENSES, METENSES, aliique Scriptores. Separatum autem ac proprium regnum Germaniæ a regno Francorum factum, patet ex OTTONE FRISING. lib. V. Chron. c. XXXV. dum ait: *Exhinc diuiso regno, regna modo duo, Orientale ac Occidentale, quorum alterum partem Ludouici ac Lotharii, sedemque regni Francorum, palatium Aquisgrani, ac Imperium Vrbis Romæ habet: aliud vero Occidentale, quod adhuc Francorum, eo quod istud Romanorum vocatur, appellatum, partem Caroli tenet, inueniuntur.* Quare etiam quilibet ex fratribus *omnem populum suæ partis suscepit ac sibi, vt deinceps fidelis esset, sacramento firmauit,* vt ait NITHARDVS *de diuis. fil. Ludouici Pii p. 478.* Plenius de eo HERM. CONRINGIVS *de Germanorum Imperio Romano c. IX. §. IX. & X.* C. S. SCHVRZFLEISCH *de diuisione Imperii Carolingici* §. *XXXV.* SYNT. HIST. GERM. *Diss. VIII.* §. *XX.*

** LEHMANN *Chron. Spir. lib. III. c. LI.* GVNDLING *differt. de Statu Reip. German. sub Conrado I, Halæ 1706. 4.* IO. PETRI LVDEWIGS *Germania Princeps Post-Carolingica sub Conrado I. Halæ 1710. 4.*

§. III.

Dum autem nostrum Ius Publicum concernat Imperium Romano-Germanicum, initium istius ab eo tempore statuendum, quo Germaniæ Regnum cum Romano Imperio fuit coniunctum, quod demum sub Ottone M. factum. Hic enim primum a Iohanne XII. a. 962. in Imp. fuit coronatus, qui ideo primus ex Teutonicis, quatenus a Francis erant distincti, Rex fuit factus. Inde in Synodo Romana a. 964. in Templo Lateranensi celebrata, qua depositus fuit Benedictus,

Leo VIII. consensu Romanorum, Ottoni, eiusdemque successoribus, Regibus Germaniæ, concessit facultatem tam sibi eligendi successorem, quam summæ sedis pontificem ordinandi, atque vt sit Rex & Patricius Romanorum. Ex hoc pacto iura Imperii Romani, quod hucusque Franci possederant, ad Germanos delati, sunt petenda, dum Romani a Francis pro derelicto habiti, iura dominii directi, vna cum Imperio Romano in Ottonem, eiusdemque successores Reges Germaniæ contulerint, ita, vt nexu nunquam violando, pacto in perpetuum valituro, Imperium Romanum, cum Regno Germanico iungeretur. Ex quo initia & fundamenta Iuris Publici Imperii Romano-Germanici, de quo agimus, sunt petenda. *

* Integrum Pactum ex vetustissimo Codice Florentino conseruauit, idemque notis illustrauit THEODORICVS a NIEM *de iurib. & priuil. Imp. p. 248.* ex quo desumsit GOLDASTVS *Constit. Imp. tom. I. p. 34.* idemque contra Baronii iniurias defendit *Rationali p. 29.* Idem IVO Carnotensis, in *Panormiæ lib. VIII. c. CXXXVI.* in compendium redegit, ex quo retinuit GRATIANVS *dist. LXIII. c. XXIII.* Vid. SCHILTERVS *Instit. Iur. Publ. Tom. II. lib. II. tit. X.* Neruus huius Pacti his verbis consistit: *constituimus, confirmamus & roboramus per manum Apostolicam, dignitatem concedimus atque largimur domino Othoni primo Augusto, Teutonico, regi prouidentissimo, spirituali in Christo filio nostro, eiusque successoribus huius regni Italiæ in perpetuum, tam sibi facultatem eligendi successorem, quam summæ sedis Apostolicæ pontificem ordinandi. Et per hoc Archiepiscopos vel episcopos, vt ipsi tantum ab eo inuestituram accipiant, & consecrationem, vbicunque pertinuerint, exceptis iis, quos Imperator pontifici & archiepiscopis concessit. Ita demum asserimus, quod nemo deinceps, cuiuscunque gradus vel conditionis aut dignitatis seu religionis, eligendi regem seu principem, siue pontificem summæ sedis Apostolicæ aut quemcunque episcopum, vel ordinandi facultatem habeat: sed soli regi Romani Imperii, hanc reuerendam tribuimus facultatem, quam absque omni pecunia disponet ac reget, vtpote rex & patricius Romanus. Quod si a cuncto clero & vniuerso populo quis eligatur episcopus, nisi a di-*

a dicto rege laudetur & inuestiatur, non consecretur: si quis contra hanc authoritatem Apostolicam & traditionem aliquid molitus, aut temerator in aliquo repertus fuerit, siue contra hoc nostrum consilium agens, sciat se in iram sancti Petri principis Apostolorum & filii nostri Domini Othonis, eiusque successorum & omnium prædecessorum nostrorum censuram, & anathematis vinculum incursurum. Ac per hoc excommunicatione vniuersalis ecclesiæ, omnisque populi Christiani eum subiacere decreuimus. Insuper nisi a malo resipuerit, irreuocabili exilio puniatur, vel vltimis suppliciis feriatur. Qui vero pio intuitu custos & obseruator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam cum omnibus sanctis sine fine mereatur habere in secula seculorum Amen. Inde OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XVII. *Otto Imperium a Longobardis vsurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos, forsan dictus est primus Rex Teutonicorum: non quod primus apud Teutonicos regnauerit, sed quod primus post eos, qui a Carolo Carolingi, sicut a Merouco Merouingi dicti sunt, ex alio, id est Saxonum sanguine natus, imperium ad Teutonicos Francos reuocauerit.* Idem dicit *lib. VI. c. XXII. XXIV.* Adsentitur GOTFRIEDVS VITERBIENSIS *p. XVII. Chron.* MAGNVM CHRON. BELG. *ad a. 962.* Apud RADEVICVM *Lib. I. c. VI.* Otto primus ex Teutonicis dicitur Imperator. PAVLVS LANGIVS *Chron. Citic. p. 757.* AVENTINVS *lib. V. Ann. Boi. ab initio.* THVANVS *lib. II. p. 40.* CONRING. *de Germ. Imperio Romano cap. X.* SYNT. HIST. GERM. *Diss. XII. §. XXIV.*

§. IV.

Prima igitur hæc meta Iuris Publici, primus terminus, quem ob diuersas Germaniæ mutationes politicas, diuersæ secutæ fuerunt Periodi, quarum inuicem Septem constituimus. * Primam statim periodum incoat Otto M. ab eo tempore, quo Imp. factus, quo Romanum Imperium Germaniæ regno ita fuit nexum, vt nunquam iterum potuerint separari, ex quo fines Imperii Germanici atque status politicus erit repetendus. Licet autem maior omnino potestas Ottonis, ac hodiernorum Impp. & pene Monarchica, ipse tamen Ot-

to decrescentis potentiæ prima dedit fundamenta, Episcopis integras prouincias & iura regalia concedendo, initio facto a Brunone fratre, archiepiscopo Coloniensi, qui primus secularem potestatem tanquam Dux Lotharingiæ, & Reipublicæ munia obire cœpit. Hoc ipso exemplo, antea inaudito, reliquis episcopis ansam dedit, eandem potestatem adipiscendi. ** Accedebat nimia in Archi-Episcopatum Magdeburgensem, Episcopatus Merseburgensem, Citicensem atque Misnensem profusio. ***

* Egimus de hisce Periodis iam in Propemtico, in honorem Friderici Heilbrunneri scripto, quod accessit dissertationi ipsius inaugurali de Superioritate Territoriali Ciuitatum Imperialium.

** plenius de eodem dictum in Syntagmate Historiæ Germanicæ *Diss. XII.* §. *XXIX.*

*** *c. l.*

§. V.

Ex hoc altera suborta fuit Periodus, dum potentia, opibus & terris in dies crescentes Episcopi, minorenne adhuc Henrico IV. Imp. se subducere, omnemque potestatem ad se trahere conarentur. Accedebant artes Gregorii VII. Papæ, qui, vt adfectatam Monarchiam suam stabiliret, caput in Imp. extulit, & nouo exemplo* eundem banno notauit. Tanta etiam huius fulminis erat efficacia, vt Henricus IV. tandem Papis succumbere necessum haberet, eiusdemque successor Henricus V. inuestitura Episcoporum plane cederet. Ex quo tempore prætensam Monarchiam sensim firmarunt Pontifices. Quantum autem augebatur Papæ atque Episcoporum auctoritas, tantum decedebat maiestati Imperatoris.

* OTTO FRISING. *lib. VI. c. XXXV. lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nunquam inuenio, quemquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum vel regno priuatum: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad bre-*

ve tempus a Romano Episcopo, inter pœnitentes collocatus, & Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam cædem a liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. Non deerunt equidem exempla Impp. qui ab Episcopis Romanis aliisve banno fuerunt notati, atque ab Ecclesia quasi sequestrati: Nouum tamen hoc erat exemplum banni politici, quo Gregorius VII. Imp. regno priuabat, subditos omni obsequio liberabat, & infamem quasi reddere conabatur Imperatorem. Plenius de eo in Syntagmate Historiæ Germanicæ diss. XV. §. XXVI. GOTFRIEDVS VITERB. *Chron. p. XVII.* AVCTOR VITÆ HENRICI IV. *apud Vrstisium p. 382.*

§. VI.

Hic Status temporum mansit vsque ad magni tempora Interregni, quod tertiam dedit Iuris Publici Periodum. Dum enim post mortem Conradi IV. a. 1254. ad Rudolphi Habsburgici electionem atque annum 1273. vsque, Germania per integros nouendecim annos legitimo destitueretur Imperatore, nulla tum temporis Comitia, nulla iudicia, quin potius dissensiones, turbæ, diffidationes, rapinæ, bella, immo status turbatissimus. * Exinde diuersæ mutationes, diversa Statuum iura. Cœperunt pacta mutuæ defensionis, incrementa, extinctis Ducum Francorum, Sueuorumque familiis, ceperunt vrbes imperiales & nobilitas immediata: orti fuerunt tacite, consentientibus reliquis Statibus, Electores, & quod Maiestati Imperatoriæ potissimum obfuit, originem cœpit Territorii potissimum Superioritas. Hæc autem in tantum inualuerunt, vt nec Rudolphus Habsburgicus, quantum etiam vellet, in pristinum reuocare iura Imperatoria, valeret.

* TRITHEMIVS Chron. Hirsaug. ad a. 1260. *His temporibus cum rex non esset, in terris, qui motus prædonum reprimeret, omnia per tumultum, sine lege, sine, ordine pro libitu fiebant.* FRAGMENTVM Histor. *apud Vrstisium, Tom. II. f. 93.* Huius Interregni Historiam & diuersas in eodem mutationes vberius exposuimus in Syntagmate Historiæ Germanicæ *diss. XXII.*

§. VII.

§. VII.

Quartam iuris Publici periodum constituit Carolus IV. Imp. Hic enim publicata Aurea Bulla, prima Imperii nostri constitutione pragmatica, priorem iuris publici incertitudinem, quam sola hactenus faciebat obseruantia, sustulit, Imperatoris iura adhuc reliqua atque Electorum confirmauit. Accesserunt seculo XV. Concordata nationis Germanicæ inter Fridericum III. & Nicolaum V. Papam a. 1447. conclusa.

§. VIII.

Quinta Periodus originem debet Maximiliani I. temporibus, quibus Imperium Romano-Germanicum in præsentem formam fuit redactum. Ipsi enim debemus Constitutionem de Pace ciuili, & per eandem abolitas diffidationes, Germaniæ tam fatales. Hanc sequebatur institutio atque ordinatio iudicii Cameralis, ordinatio Regimenti Imperii, diuisio Imperii in Circulos, demum in Comitiis Coloniensibus 1512. Ordinatio de Notariis.

§. IX.

Sexta periodus a Caroli V. temporibus est petenda. Testatur illud noua, quæ tum cœpit Capitulatio, qua Imperatoris potestas, cui iam sensim derogauerant Status, satis restringebatur. Publicabatur in Comitiis Wormatiensibus a. 1521. Matricula Imperii. Accedebat Bellum Smalcaldicum & Pax Religionis, quæ iura belli pacisque Statuum magis firmabant, religionis iura sanciebant & Protestantes a iugo Papæ liberabant. Eidem quoque debetur Ordinatio Executionis, quæ in Comitiis Augustanis de anno 1555. fuit decreta.

§. X.

Vltimam periodum facit pax Westphalica, quæ Statuum Iura

Iura, Maiestati proxima, sensim & latenter ab ipsis adquisita, lege nunquam violanda confirmauit, religionis iura stabiliuit, receptis etiam Reformatis, octauum Electoratum introduxit, plerasque Statuum controuersias definiuit.

§. XI.

Hæc igitur, vna cum A. Bulla, Capitulatione & Recessibus Imperii norma est Reip. Romano-Germanicæ. Licet per Recessum Imperii nouissimum, Comitia quæ adhuc durant, pacem Nouiomagensem atque Ryswicensem, Rastadiensem atque Badensem, nonum Electoratum, incrementa iuris Imperatorii in Italiam, & Statuum quorundam, diuersæ factæ fuerint, immutationes.

§. XII.

Diuersæ hæ mutationes incertam plane reddiderunt Iuris publici doctrinam. Hæc primum Henrici IV. temporibus Scriptorum calamos exercuit, qui Iura Imperii in Papam non examinarent solum, sed etiam defenderent, idque vsque ad tempora Ludouici Bauari. Dum autem per A. B. certius factum Ius Publicum, non defuerunt seculo decimo sexto Scriptores, qui in eandem, aliasque Leges Imperii fundamentales commentarentur. Plenius etiam fontes Iuris Publici in Chronico suo Spirensi examinare cœpit Christophorus Lehmannus.

§. XIII.

Sed, dum sparsim primum, occasione certarum controuersiarum, maxime tempore Reformationis ortarum, scripta ederentur Iuris Publici, primus in nostra Academia DOMINICVS ARVMÆVS prolixum Iuris Publici systema, certis dissertationibus, vel ab ipso, vel aliis etiam elaboratis, quas quinque distinxit Voluminibus, absoluit, quem secutus DANIEL OTTO, qui illud primus in Compendium redegit. Sen-

ſim itaque, ipſis concedentibus aulis, quæ illud olim inter arcana ſeruabant, in Academias introductum, maiorem accepit nitorem, poſtquam HERMANNVS CONRINGIVS pragmatico more Germaniæ hiſtoriam proponeret, hoc ipſo ſolida Iuri Publico præbens fundamenta. Inde HENRICVS COCCEIVS Lehmanni veſtigia ſtrenue ſecutus, iuris publici prudentia, quam edidit, magnam huic doctrinæ lucem attulit, quem ſecutus CHRISTIANVS THOMASIVS, IO. NICOLAVS HERTIVS, aliique. Et dum indies noua in publicum prodeant Acta Publica, anſam hoc præbet ſingulis, ſpeciales materias vberius examinandi. *

* egimus de hiſce in Hiſtoria Iuris *c. X. §. XXXIV.*

§. XIV.

Eſt autem Ius Publicum * Imperii noſtri Romano-Germanici, vel vniuerſale, vel particulare. *Vniuerſale Ius Publicum eſt Ius, quod Statum Reipubl. Romano-Germanicæ primario ad communem omnium, totiusque Reip. vtilitatem, mediantibus certis quibusdam legibus aut conſuetudinibus ordinat & dirigit.* ** Particulare autem Ius Publicum, ſingulos Germaniæ Status concernit, idque in Electorum, Principum, Comitumque familiis, pactis Gentilitiis, Teſtamentis, fœderibus, legibus & conſuetudinibus prouincialibus atque litteris Reuerſalibus, Statibus Prouincialibus conceſſis, nititur. Ciuitatum Imperialium vero Ius Publicum, Legibus Imperii, Priuilegiis Impp. atque Obſeruantia nititur.

* Occurrit in *Policey-Ordnung* zu Francfurt a. 1577. Tit. XVII. §. X. *Soll dieſelbige Leiſtung, als nunmehr Iure publico verbotten.*

** Eadem fere ratione illud deſcribit IO. SCHILTERVS in diſſert. de natura & origine Iuris Publici §. III. quod ſit *ea Iurisprudentiæ ſpecies, quæ iura ac ſtatum regni & Imperii Romani Germanorum ſecundum leges & conſuetudines fundamentales docet.*

§. XV.

§. XV.

Illud, Ius Publicum vniuersale, quod nostri est instituti, differt a *Notitia Reipublicæ Germanicæ*, quæ tribus potissimum partibus absoluitur, chorographica, historica atque politica: * cum ius publicum legibus saltim nitatur fundamentalibus, & fundamentis politicis, vt ideo partem faciat Notitiæ Reipublicæ Germanicæ.

* Nemo melius demonstrauit, quid ad Notitiam Rerumpublicarum requiratur Io. Andr. Bosio, in sua *introductione generali in notitiam Rerumpublicarum orbis uniuersi, Ienæ 1676. 4.*

§. XVI.

Differt æque a *cognitione Status publici.* Hæc enim diversas periodos & mutationes Imperii, formam politicam, Regimen, vires atque morbos Imperii, interesse Politicum erga vicinos, næuos Politicos, constitutionem atque administrationem Imperii, Harmoniam, qualis est inter Imperatorem & Status atque inter Status inuicem, considerat, quæ sæpe degenerant a legibus atque consuetudinibus Imperii, quæ sunt Iuris publici. *

* TITIVS quidem notis ad Monzambano p. 8. minime differre putat. Facimus tamen potius cum CONRINGIO, qui in notis suis ad Lampadium p. 2. ita loquitur: *Appello autem ius publicum, quod ad statum rei Germanicæ pertinet: quomodo Romanorum publicum ius Iustinianus definiuit, quod ad statum rei Romanæ spectat. At vero non qui Ius illud tenet, eo ipso statum politicum, vel* τὴν πολιτείαν *ipsam tenet. Multum enim sæpe numero diuersa est administratio reipublicæ (in qua reuera consistit status publicus) ab Iure siue legibus publicis.* Clarius adhuc Idem loquitur in præfatione primæ editionis Taciti Germaniæ p. 21. dum ait: *Ergo legum Imperii publicarum scientia non omnino idem est, cum cognitione status Imperii: cæteroquin enim qui ius scit publicum sciret condicionem quoque omnem status*

Imperialis. An tamen is, qui statum penitus pernouit potest ignorare ius Imperii publicum. Non sane. Leges enim illæ anima ciuitatis sunt; quis ergo Imperii nouerit naturam ignoratis eius legibus? At vero manifestum hinc fit, Iuris publici nostri (ne quid nunc dicam de priuato) notitiam partem esse cognitionis qua status Imperii comprehenditur: hac enim ambitu suo, quantum apparet illam complectitur. Quæ exinde persequitur plenius. Hunc sequitur MONZAMBANO *in præf. p. 6.* PACIFICVS a LAPIDE *disc. I. §. VI. p. 16.* SAM. RACHELIVS *otio Noviomagensi cap. III. §. 12.*

§. XVII.

Differt æque a *iure priuato*, quod priuatorum saltim negotia atque vtilitatem concernit. Differt a *Politica*, quæ generalis magis est, atque præcepta tradit quamuis Rempublicam constituendi, & feliciter gubernandi, quæ in Iure Publico nostro ad Remp. Germanicam erunt adplicanda. * Differt ab *Historia pragmatica Germaniæ*, quæ per temporis seriem demonstrat, quid sub quouis Imp. gestum, siue ad regimen publicum faciat, siue non.

* Belle in rem HERM. CONRINGIVS in dicta præfatione p. 12. *a quo profecto multum diuersa ciuilis prudentia est. Hæc enim nihil sigillatim de hac nostra republ. vt nec de vlla alia, præcipit; sed in communi tantum occupata, vt natura est artium omnium & scientiarum, ad singula neutiquam demittitur. Hæc non respicit vnius solum ciuitatis salutem, sed omnium omnino in vniuersum æqualem curam habet. Hæc denique non iubet, quid agendum sit ex decretis ante factis, sed quomodo ipsa sint decreta condenda, quid eorum obseruandum, quid mutandum & qua cautione, vsu id ipsum publico postulante.*

§. XVIII.

Fundamentum igitur Iuris Publici Imperii Romano-Germanici vniuersalis consistit in Legibus atque Consuetudinibus Imperii: alia sunt subsidia atque adminicula. Inter hæc præ-

præcipuum eſt *Hiſtoria* Imperii Romani, Germanica atque regni Longobardici, quæ Iuri publico in tantum propria, vt ſine eadem mancum plane ſit. Maxime vero conſuetudines atque obſeruantia Imperii ex eadem petenda.*

* Optime hiſtoriam cum iure publico coniungit CICERO l. de Oratore c. LX. dum ait: *Subſidium belliſſimum exiſtimo eſſe ſenectuti, otium. Reliqua vero etiam ſi adiuuant, hiſtoriam dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis iter.* Vid. CONRING. *p. 26.*

§. XIX.

Alterum ſubſidium præbet *Politica,* cuius ope forma Imperii, & qua ratione ſecundum leges fundamentales feliciter gubernetur Reſpublica Romano-Germanica, declaratur. Tertium ſubſidium præbet *Ius Naturæ & Gentium*, quod non ſolum in explicandis legibus fundamentalibus Imperii, ſed etiam in controuerſiis cum exteris, immo inter ipſos Status, vbi Leges fundamentales vel pacta ſpecialia nihil præſcribunt, locum omnino inuenit.*

* Huc ſpectat potiſſimum ERICI MAVRITII *Specimen diſſertationum de principiis Iuris Publici* & SAM. RACHELII *Otium Nouiomagenſe.*

§. XX.

Quartum ſubſidium ex *Iure Feudali* atque *Ciuili* eſt petendum. Illud in feudis Imperii obtinet. Hoc, licet ad illuſtrationem quidem parum conducat,* vt ideo peccent, qui ex Iuſtiniano, Bartolo & Baldo illud declarare conentur. Dum autem iuriſprudentia pragmatico admodum ſit vtilis, multæ etiam Statuum controuerſiæ Ciuiles ex Iure Ciuili illuſtrandæ, illud quoque in ſubſidium erit vocandum.** *Ius Canonicum* in Statu eccleſiaſtico publico Statuum Pontificiorum adhuc obtinet; quod ſecus eſt apud Proteſtantes, qui in iure

Sacrorum canonibus nihil reliquerunt, nisi quod circa beneficia ecclesiastica iisdem adhuc aliqualis vsus remanserit. ***

* Bene itaque dicit AVCTOR DER DONAWERTISCHEN INFORMATION P. I. p. 121. *daß ipsa Republicæ Germanicæ forma nicht aus den lateinischen Rechten, oder Bartolo, sondern vielmehr aus des Reichs læblichen Herkommen, und daher rührenden alten Verfassungen, aus der güldenen Bulle, Kayserlichen und Kæniglichen Capitulationen, den Reichs-Abschieden und Constitutionen zu nehmen.* HERMANNVS CONRINGIVS *p. 13.* in illos admodum inuehitur, qui Ius Publicum ex Iuris Ciuilis fontibus deducere amant.

** Facit huc VLRICI OBRECHTI *Parænesis de coniungendis priuati & publici Iuris studiis.*

*** Vid. TITIVS *spec. Iur. Publici lib. II. c. IX.*

§. XXI.

Sed, de eo disquirendum, vndenam controuersiæ, quæ in Imperio nostro Romano-Germanico oriuntur, decidendæ. Distinguendum hic putem; an istæ cum exteris fuerint, an vero cum Imp. vel Constatibus. Quæ cum exteris, decidendæ vel ex Pacis Instrumentis, vel Pactis specialibus. Sic pax Osnabrugensis & Nouiomagensis fundamenta sunt Iuris Publici inter Imperium & Reges Sueciæ: pax Monasteriensis, Nouiomagensis, Ryswicensis, Rastadiensis & Badensis inter Imperium & Reges Galliæ. Vbi vero iisdem nihil definitum, Iuri Gentium locus est.

§. XXII.

Exortis inter Regem vel Rempublicam exteram & Statum Imperii, controuersiis, caussæ erunt distinguendæ. Si enim de Iure Belli & Pacis, de fœderibus, legationibus & similibus agatur, non nisi Gentium Ius locum habere poterit, * cum nihil de iisdem legibus Imperii definitum, neque istæ exteros obligarent. Idem dicendum in caussa ciuili, vbi

Sta-

Status Actor est. ** Quod si vero Status Imperii sit Reus, caussa secundum leges Imperii erit disceptanda. ***

* GROTIVS *de I. B. & P. lib. I. c. II. §. 1.*

** Exemplum in Friderico Guilielmo, Electore Brandenburgico, qui, postquam ob debitum non solutum, aliquot Hispanorum naues cepisset, per legatos suos in diuersis aulis demonstrari fecit; *sibi huc fuisse descendendum, quod Hispani debitum explere abnuant, nec iudex sit, qui morosos debitores ad soluendum, compellat.* PVFENDORF *Hist. Frid. Guil. lib. XVIII. §. X.*

*** Adgnouerunt hoc ipsi Hispani, qui testante PVFENDORFIO *lib. XVIII. §. 11.* opponebant: *si quid debebatur, Hispano velut circuli Burgundici possessori apud Caesarem actionem fuisse intentandam, aut alia iuris remedia adhibenda in Imperio vsu recepta.* Quare etiam controversia Aurelianensis art. VIII. Instr. Pacis Ryswicensis ad leges & constitutiones Imperii remittitur.

§. XXIII.

Quod si vero controuersiae sint inter ipsos Status, prouocandum primo loco ad pacta specialia atque obseruantiam, quae in singulis familiis obtinent. Quod si iisdem nihil decretum, Leges Imperii, vna cum pace Westphalica obtinent. His nihil decidentibus, vel ius Gentium, vel, si quaestio sit ciuilis, vtpote si agatur de validitate Contractus, iure successionis, iurisdictione, pignorationibus, turbationibus, debitis & similibus, ius Ciuile * locum habet & Prouinciale. ** Nec etiam feudales leges aliter quam in subsidium inter illustres personas fuerunt receptae, ni Iuribus Imperii Legibusque aliud quid statutum. ***

* B. STRYK. *in Vsu Mod. disc. praelim. §. 40.* HENRICVS ERNESTVS KESTNERVS quidem in dissertationibus *de defectibus Iuris communis in Rep. Germanica probl. V.* nullum plane vsum habere Ius ciuile in iure publico demonstrare voluit, quod etiam, si quaestio mere sit iuris publici, concedimus. Vberius hac de re egimus in *Historia Iuris Capite*

pite X. §. *XXXVIII.* vbi etiam controuerſiam, quæ hac de materia IO. OTTONEM TABOREM atque HERMANNVM CONRINGIVM interceſſit, expoſuimus. Potiſſimum vero commendari hic meretur, doctiſſima diſſertatio MICHAELIS HENRICI GRIBNERI, *de præiudicio Principum Imperii ex abuſu Iuris Iuſtinianei*, *Witteberga 1715. 4.* qui potiſſimum demonſtrauit, quantum inde detrimenti oriatur, ſi ad illuſtrium controuerſias definiendas, vel de forma ſtatuque Imperii diiudicando, ad Ius Ciuile prouocatur.

** *Hiſtoria Iuris* c. I. Quare etiam inter Saxoniæ Duces Ius Saxonicum obtinere in eadem demonſtrauimus *capite VIII.* §. *XXX.* Idem confirmat IO. SCHILTERVS *de natura & indole Iuris Publici* §. *XX.* & in Inſtitutionibus Iuris Publici *Lib. I. Tit. II.* §. *XVII.* ſeqq.

*** *Hiſtoria Iuris c. VIII.* §. *XXVIII. XXIX.* Hanc materiam pertractauit HENRICVS de BÜNAV, eques Miſnenſis, in Examine Diſſertationum ex Iure Publico & Feudali quod nouiter demum contra Pucholtzium, Pragenſem ICtum, euulgauit, in cuius Capite primo ſpeciatim egit de abuſu Iuris Feudalis Longobardici in controuerſiis Iuris Publici Germaniæ.

§. XXIV.

Duplex autem eſt interpretatio Iuris Publici, vel authentica, vel doctrinalis. Illa ſolius eſt Imperii, & ſi forſan de intellectu legis vel conſuetudinis Imperii ſcrupulus ſuboriatur, in Comitiis eſt decidenda.* Interim cuiuis licet ſuam quoque proponere ſententiam declaratoriam, ſi modo non contra Leges ſit Imperii, quæ tamen neminem obligat.

* Inſtrum. Pacis art. VIII. §. 2. *Gaudeant Status ſine contradictione iure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim vbi leges ferendæ, vel interpretandæ.*

§. XXV.

Methodus tractandi Ius publicum varia eſt, vel *Politica*, vel *ciuilis* vel *arbitraria*. Illa primum vſu cepit, dum MATTHIAS

THIAS STEPHANI, TOBIAS PAVRMEISTER, ſub titulo *de iurisdictione*, THEODORVS REINCKING *de Regimine ſeculari & eccleſiaſtico* ius publicum proponerent, qui tamen nimium ſunt vniverſales, parum ad Statum Imperii noſtri accommodati, & potius ex generalibus regulis, quam legibus fundamentalibus hanc doctrinam illuſtrare conantur, niſi quod Reinckingius reliquis adhuc ſit præferendus.

§. XXVI.

Altera methodus *Ciuilis* eſt, dum ad ordinem Inſtitutionum, ius Publicum proponunt. Hanc ſecutus eſt RHETIVS, SCHILTERVS, VITRIARIVS: quæ tamen ideo parum conuenire videtur, quod iuris publici rationes a iure ciuili plane ſint alienæ, ita, vt hic ciuilis ordo iuri publico plane non ſit naturalis. * Nec deſunt, qui ex iure ciuili potius hanc doctrinam declarant, quam legibus fundamentalibus, vtpote HERMES, & CARPZOVIVS. CASPAR MANTZIVS in fundamentis orbis & vrbis, ius publicum veterum Romanorum in fundamentum vocat, quod tamen plane eſt alienum.

* Hanc methodum GOTTLIEB GERHARDVS TITIVS in præfatione primæ editionis Speciminis Iuris Publici ad longum conuellit, Vitriarium inde hac methodo vſum reprehendens, qui cum ſe contra Titium defenderet, anſam hoc Titio dedit, ſecundæ ſpeciminis editioni addere *Vindicias Vitriarii caſtigatas*.

§. XXVII.

Tertia methodus eſt *arbitraria* recentiorum, qui pro Statu Imperii noſtri eandem doctrinam ordinare conantur, quæ tamen pro cuiuslibet captu variat. MONZAMBANO quidem Originem, membra, Imperatorem & formam Imperii conſiderat, qui tamen potius ad cognitionem Status Imperii

facit. COCCEIVS initio facto a territorio Imperii, quod prolixius deducit, pergit ad formam, Imperatorem, Status, iura & membra Imperii. TITIVS post generalia, primum de Statibus agit, vtpote qui Imperatorem constituant, inde de Imperatore, eiusdemque iuribus, demum de forma Imperii, quam ex Harmonia inter Imp. & Status demonstrat.


§. XXIIX.

Nostrum institutum est, vt præmissis generalibus, dicamus statim de Nomine & Territorio Imperii, & separatim de Territorio Regni Germanici, eiusdemque diuisione, de Legibus, consuetudine & forma Imperii. Inde descendentes ad specialia, dicemus de Imperatore, eiusdem titulis, electione, coronatione & iuribus. Tertia sectio de Statibus Imperii tum in genere, tum secundum singulas eorum classes aget. Quartam constituent iura Imperii, prout ex Imperatore & Statibus constat, communia, consideraturi Comitia & iura Comitialia, præsertim ius Belli & Pacis, ius legum condendarum & tributorum, Archiuum, Reditus, Matriculam, Onera & Iudicia Imperii. Quinta sectio Status Imperii, horumque iura specialia comprehendit. Vltima sectio aget de membris & vasallis Imperii.

CAPVT

CAPUT SECUNDUM
DE
NOMINE ET TERRITORIO
IMPERII ROMANO GERMANICI.

§. I.



Dpellatur Imperium nostrum, *Sacrum Romanum Imperium nationis Germanicæ, das Heilige Römische Reich teutscher Nation.* Quare in Procemio A. B. occurrunt *septem Electores Sacri Imperii.* Sacri equidem adpellatio a Friderici Barbarossæ temporibus originem traxisse videtur, idque ad æmulationem Imperii Constantinopolitani, cuius Imperantes sibi præ Impp. Romanis prærogatiuas tribuentes, Imperium suum ἁγίαν βασιλείαν nuncupabant. * Licet etiam hoc a Romanis desumptum, qui quidquid ab Imperatore erat, Sacrum vocabant. ** Hic igitur titulus tanquam præ aliis regnis præcipuus, vsu & solennitate obtinuit, ad demonstrandas Imperii prærogatiuas eiusdemque Maiestatem. *** Inde appellari solet *Imperium Romano-Germanicum.*

* In Responso Friderici I. Legatis Græcorum facto, apud Philippopolim data, in TAGENONIS Descriptione Expeditionis Asiaticæ, apud FREHERUM *Tomo I. p. 409.* ex quo sumsit MELCH. GOLDASTUS Constit. Tomo vno p. 286. *Siquidem Carolus victoria felix præcessor noster diuæ memoriæ monarchiam vrbis Romæ obtinuit, & plus quam 300. annis sine interruptione ad tempora nostra vsque deriuata est, & nos authore Deo & Principum libera electione, celsitudine Sacri Romani Imperii iam ferme triginta octo annis potestatiue gloriamur.* Plenius de eo IO. HENRICUS BOECLERUS *in Sacro Romano Imperio p. 415.*

 ** Sic

** Sic *Sacras domus*, *Sacras largitiones*, *Sacra ſcrinia*, *Sacrum ſtabulum*, *Sacrum monitum*, *Sacrum Os*, *Sacrum comitatum* in Conſtitutionibus Impp. Romanorum ſæpius reperimus. BARN. BRISSONIVS *de Verb. Signif. lib. XVII.* voce: *ſacras.* Seculo IX. ſæpius occurrit *Sacri Palatii Antiſtes* vel *Archicapellanus*, *prout* IO. MABILLONIVS demonſtrauit *de Re Diplomatica lib. II. c. XI. n. 13. & lib. VI. p. 549.*

*** In Decreto Ludouici Bauari & Ordinum Imperii in Comitiis Renſenſibus 1338. apud GOLDASTVM Conſtit. Tom. III. p. 409. *Sacro ſanctum Imperium ſumma in terris poteſtas, cæleſte donum eſt: Imperator enim primus ante omnes, ſecundus poſt Deum eſt.* Vid. CONRING. *de Germanorum Imperio Romano. Notis ad Lampadium p. 105. & 262. Cenſ. diplom. Ludou. c. XI. p. 196.*

§. II.

Territorium igitur huius Imperii Romano-Germanici triplex eſt, *Imperii Romani*, *Regni Longobardici & Regni Germanici*, quæ tria ſub Ottone M. ita fuerunt coniuncta, vt nunquam iterum ſeparanda. * Et licet ſub vno capite eſſent iuncta, ſeparatas tamen ſemper habuerunt rationes, Terminos, & iura diſtincta etiam nunc habent. *Regni Arelatenſis* vero quod ſub Conrado II. Imp. Germaniæ acceſſit, iura ab Imperio fere ſeparata, paucis ſeruatis eiusdem reliquiis.

* Dictum de eo *Cap. I. §. III.* Diſtinguit hæc tria Regna SIGONIVS de regno Italiæ lib. VII. p. 166. *Ab hoc* (Ottonis ſcilicet) *tempore, qui rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ & occidentale Imperium tenuit.* Vid. etiam THEOD. de NIEM *Priuil. & iura Imper. p. 261.* LVPOLDVS de BABENBVRG *de Iur. Regn. & Imp. cap. V. p. 44.* CONRING. *de German. Imperio Romano c. XII.* HENRICVS MEIBOMIVS in ſua ad Hiſtoriam Saxoniæ Inferioris Introductione p. 21. adducit Diploma, cuius tale eſt initium. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Otto III. Romanus, Saxonicus & Italicus, Apoſtolorum ſeruus, dono Dei Romani orbis Imperator Auguſtus.* Quod licet ob inſcriptionem inſolitam dubium videatur, ex autographo tamen deſcriptum, pro ſuſpecto minime habet Meibomius.

§. III.

§. III.

Territorium Romani Imperii eſt vel *principale*, vel *ſecundarium*. * Illud conſiſtit in iure in vrbem & Papam Romanum, ** quod non ab antiquo Statu Romani Imperii repetendum, ſed Carolo M. primum ſub Patritiatus titulo oblatum, *** qui inde, ablato Patritii nomine, Imperator & Auguſtus eſt declaratus. **** Eundem patritii titulum geſſit etiam Otto M. poſtquam Imp. factus, cui per pactum cum Leone VIII. idem ius in vrbem & Papam Romanum fuit confirmatum. *Secundarium* Territorium conſtituunt prouinciæ a Romanis olim vel bello, vel teſtamento adquiſitæ, ſine quibus tamen ſaluum eſſe poteſt Territorium principale, & ius Romani Imperii.

* COCCEIVS I. *P. prud. cap. II.* §. *1.*

** LVPOLDVS BABENBVRG. *de Iur. Regni & Imperii Romani c. V. p. 61. 62. cap. VIII.*

*** Dicendum de eo infra *Cap. VIII.* §. *VIII.* vberius, vbi de titulis Imperatorum ſermo, atque demonſtratur, ſub Patritiatus titulo nihil aliud, quam ius in vrbem & Papam Romanum intelligi.

**** ANN. FRANC. FVLDENSES *ad a. 801.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 263.* SYNT. HIST. GERM. *Diſſ. VII.* §. *XXXII.*

§. IV.

Diſputari equidem adhuc ſolet: An Germanorum Impp. Iura Imperii Romani habeant, eo quod Romanorum Pontifices, Imperio ſe plane ſubduxerint, ideoque Cocceius contendit, Imperium noſtrum re eſſe Germanicum, nomine ſaltim Romanum. * Verum, licet ipſam Romam Imperatores haut poſſideant, Pontifices etiam Romani ipſis non ſint ſubiecti, manet tamen Impp. adhuc ius in vrbem Romam, Papam & Territorium Papale integrum, contra nitente licet Papa. Patet illud ex pactis cum Ottone M. initis, quibus ſub multis

comminationibus hæc iura Ottoni & ſucceſſoribus tribuuntur. ** Patet exercitio, cum Carolus M. Otto M. Otto III. ipſe etiam Henricus IV. *** & ſubſequentium permulti atque inter hos potiſſimum Lotharius **** Fridericus Barbaroſſa ***** & Ludouicus Bauarus ****** adhuc ius in Papam Romanum exercuerint. Opponent forſan Pontifices Donationem Conſtantini, Pipini, Ludouici, Mathildianam, quæ a diuerſis poſtmodum confirmatæ fuerint Imperatoribus. Illam tamen pro ficta habent ipſi Pontificiorum eruditi. † Pipini donatio ſaluo iure dominii directi eſt facta, †† eademque conditione a ſucceſſoribus confirmata: Ludouici Pii donatio, quæ Romano Epiſcopo de Romano Ducatu facta eſſe dicitur, certo deſtituitur fundamento. ††† Mathildianæ terræ iure Pontifici haut poterant donari, cum Mathildis Imperio ſubiecta, †††† nec reliqui Imperatores quidpiam ſine Imperii conſenſu alienare valuerunt. Nec pro derelicto hæc iura Imperii cenſenda, cum iisdem nunquam renuntiatum, quin potius per Titulum Imperatoris Romani adhuc continuentur, qui ab ipſis Papis conceditur, quod Gentium moribus ad conſeruanda iura ſufficit. Ipſa quoque Coronatio ad Caroli V. vsque tempora conſeruata, iura Imperii, minime regnum imaginarium notat. Immo Carolus V. Leopoldus atque Ioſephus, ipſe Auguſtiſſimus Imp. noſter Carolus VI. iura ſua in Papam diuerſimode exercuerunt. Et ſi non omnes Impp. ſuo iure vſi, vti haud facile potuerunt, ††††† quod ipſorum iuribus minime poterit obeſſe.

* *Iuris Publici Prudentia c. VI. §. XVI.* Eadem fere adſerere videtur SEVERINVS de MONZAMBANO *de Statu Imperii Germanici, c. I. §. XIV.*

** *vide ſupra c. I. §. III.*

*** De Caroli M. iure, quod ſub Patritii titulo iam exercuit, omnino certum eſt, idque in SYNT. HIST. GERM. vberius fuit expoſitum *Diſſ. VII. §. XXV.* Iudicium etiam, poſtquam Imp. factus, in ipſum Papam

pam exercuit ANN. FRANC. *ad a. 801.* De Ludouico Pio auctor est THEGANVS c. XVI. *Stephanus, statim postquam pontificatum suscepit, iussit omnem populum Romanum* FIDELITATEM *cum iuramento promittere Ludewico.* Eius Missi in Palatio Lateranensi Romano in ipsum etiam Pontificem Iudicium exercuerunt, AVCTOR VITÆ LVDOVICI *ad a. 824.* ANN. FVLDENSES ad a. 823. Paschalis quoque Papa potestatem, quam prisci Impp. habuerunt, ei super populum Romanum concessit, prout CONTINVATOR PAVLI DIACONI apud FREHERVM docet. Mortuo Paschali Eugenius II. iuramentum fidelitatis Ludouico & Lothario præstitit more maiorum, quod idem Continuator exhibet, & ex eo STEPHANVS BALVZIVS *notis ad Agobardum p. 122.* SYNT. HIST. GERM. *diss. VIII. §. III.* De Lothario narrat ANASTASIVS in vita Sergii II. 248. *omnes Primates Romanorum* FIDELITATEM *Lothario magno Imperatori promiserunt.* AGNELLVS vitis Archiepiscop. Rauennat. p. I. p. 56.

Armipotens satus magno Carolo Ludouicus
Pacificus, natusque suus Lotharius acer,
Belliger, Italiæ Regna tenens Romaque potitus
Regibus, & Populis lectus solio Imperiale.

Exorta quoque sub Leone IV. Papa quorundam Romanorum rebellione, iudicium non solum in rebelles exercuit; sed etiam orbis Principatum ac dominatum magis adhuc adseruit Lotharius. Hunc etiam Romanorum Magister militum, Daniel tali modo adloquitur: *Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, & Græcis tradere illam,* notante ANASTASIO *in vita Leonis p. 292.* In Epitaphio Lotharii, quod RHABANVS MAVRVS confecit, apud DE CHESNE *Script. Rer. Franc. Tom. II. p. 398. Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis.* In litteris Ludouici II. Imp. ad Basilium, Orientis Imp. scriptis: *Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quod non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur, sed scire te conuenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem assumpsimus apud quos præfecto primo tantæ culmen sublimitatis & appellationis effulsit, quorumque Gentem & Vrbem diuinitus gubernandam, & Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnan-*

di

di prius, & postmodum imperandi auctoritatem prosapia nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti sunt, hi duntaxat qui a Romano pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt. In qua etiam Carolus Magnus, abauus noster vnctione eiusmodi per summum Pontificem delibutus, primus ex Gente & Genealogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus & Christus Dominus factus est. Hanc epistolam ex MS. Codice Longobardorum Beneuentanorum Principum ab Eremperto conscripto, BARONIVS Tomo IV. Annalium Ecclesiasticorum primus edidit, ex quo eandem Tomo Tertio Scriptorum Historiæ Francicæ inseruit ANDREAS du CHESNE *p. 555.* De eodem ANASTASIVS Vitis Pontificum ad a. 844. *Postulauerat a Pontifice* (Sergio II.) *vt Primates Romani Fidelitatem Ludouico Regi per Sacramentum promitterent.* In eiusdem Ludouici II. Epitaphio in Templo S. Ambrosii Mediolanensi apud du CHESNE *Tomo II. p. 399.* hæc habentur:

Huic, vbi firma virum mundo produxerat ætas,
Imperii nomen subdita Roma dedit.

Eadem in Romanos iura obtinuisse Carolum Caluum Imp. docent nos Acta Synodi Pontigonensis de a. 876. apud du CHESNE *Tomo* II. p. 458. quæ tali modo finiunt: *Nos vnanimiter vos protectorem, dominum ac defensorem omnium nostrum eligimus, cui & gaudentes toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem, decernitur & sancitis totis viribus annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate obseruare promittimus.* De eodem Panegyricus Berengarii apud LEIBNITIVM *Script. Rer. Brunsuic. Tom. I. p. 236.* sub initium libri primi: *Postremus Francis regnando coegit habenis.* Qua ratione Arnolpho, quem Germani primum Regem sibi elegerunt, fidelitatem iurauerint Romani, tradunt ANNALES FVLDENSES ad a. 895. *Iuro per hæc omnia Dei misteria, quod salue timore, & lege mea atque fidelitate domini Formosi Papæ fidelis sum & ero, omnibus diebus vitæ meæ Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo.* De eodem iidem Annales dicunt: *vrbem vero ad suas manus custodiendam Fanoldo eiusdem Vassallo concessit.* De Ottonis M. iuribus in vrbem Romam, diximus

mus *Capite primo §. III.* Quare de eodem HROSWITHA canit *lib. I.*

cui Christus talem iam nunc augescit honorem,
possidet vt Rhomam pollenti iure superbam.

LVITPRANDVS in Legatione p. 138. *& vt considero, domino meo non gratiam, sed impotentiam adscribis, quod post Italiæ seu Romæ acquisitionem tot annis tibi dimiserit.* OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XXIV. *Otto magnus post multos Triumphos primum ex Teutonicis post Carolos, capto Berengario Romanis imperauit.* DITMARVS in Summario libri secundi:

Hic Beringerum superans virtute superbum,
Longobardorum sibi subdit colla furentum
Imperatorem fecit sibi Roma potenter.

AVCTOR VITÆ S. MATHILDIS, Henrici Aucupis vxoris in Actis Sanctorum ad diem 14. Martii, de Ottone M. *a Præsule Apostolicæ Sedis, vt gloriam Imperialis Coronæ perciperet, & Romanis præesset, Coronam accepit munere Christi, & totus Populus Romanorum se sponte subiugauit ipsius Dominatui, & sibi soluebant Tributa, & post illum cæteris suis posteris.* Quare etiam CAR. SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. VII. p. 177. Et sane, quanquam Italia a Rege, eodemque Imperatore, & a Romano pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in vtroque auctoritas. Pontifex Romam Rauennamque & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quam imperio, quod ciuitates pontificem, vt reipublicæ principem, regem vero, vt summum dominum intuerentur, atque ei tributa, obsequiaque quæ dixi praberent.* Ex hoc Iuris capite Otto M. Ioannem XII. Papam deposuit, Leonem VIII. substituit, de quo OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XXIII. *Otto, missa legatione, Papam reuocat: sed eo venire nolente, collecta synodo Episcoporum, Leonem ei in Pontificatu substituit.* Immo ipsum patrimonium Petrinum Ottonis M. potestati fuisse subiectum, docet nos LVITPRANDVS lib. VI. c. VI. scribens: *omnem terram Sancti Petri, quæ nostræ potestati subiecta est, Ecclesiæ promisimus reddere.* Vid. S. H. G. *diss. XII. §. XXV.* Eadem Iura in Romanos exercuit Otto III, dum Iohanne XVII. defuncto, in synodo Romana, Brunonem, Ottonis, Saxoniæ Ducis filium Papam constituerit, quem Romani Gregorium V.

 voca-

vocarunt, prout ex DITMARO *lib. IV. p. 353. & lib. VI. p. 399.* CHRONOGRAPHO SAXONE etiam *ad a. 996.* adseruimus in S. H. G. *diss. XII. §. XI.* Eidemque defuncto Syluestrum II. Papam substituit *§. XII.* Hinc LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad a. 989. *Theophania Imperatrix Romam perrexit, omnemque illam regionem Regi subdidit.* Idem confirmant ANNALES HILDESHEIMENSES ad dictum annum & HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 997. Otto Rex, subactis Rebellibus, Italia, Romaque potitus est.* De Henrico canit DITMARVS sub exitum libri sexti:

ista dies pulchro signatur clara lapillo,
qua regi nostro se subdit Roma benigno.

Exercuit in Papam Iura sua Henricus III. dum sublato Schismate, Clementem II. a. 1046. Romanis Papam constitueret, iurantibus etiam Romanis, se sine eius consensu, nunquam Papam esse electuros, de quo SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad a. 1046. *Roma vno contra duos, & duobus contra vnum de papatu contendentibus, rex Henricus contra eos Romam vadit & eis canonica & Imperiali censura depositis, Suidigerus Babenbergensis episcopus qui & Clemens, Romanæ ecclesiæ 153. præsidet. & ab eo rex Henricus in Imperatorem benedicitur, iurantibus Romanis, se sine eius consensu nunquam Papam electuros.* Idem confirmat ALBERICVS ad *a. 1046.* Extat Decretum apud GOLDASTVM *Tomo vno* p. 231. Hinc aduocatus regius in disceptatione synodali ait: *quod Pater Domini mei regis piæ memoriæ Henricus Imp. factus est patricius Romanorum, a quibus accepit in electione super ordinando Pontifice Principatum.* Idem Imperator mortuo Clemente II. Damasum II. a. 1047. surrogauit, & hoc a. 1049. defuncto, Leonem IX. substituit, demum a. 1054. Victorem II. prout demonstratum fuit in S. H. G. *diss. XIV. §. XVIII. & XIX.* Henricus IV. Hildebrandum Papam eo adegit, vt ipsius consensum impetraret, licet postmodum miris turbis ab eodem fuisset agitatus, de quo S. H. G. *diss. XV. §. XVI. seqq.* Hæc tamen Hildebrandi attentata reprehendit Henricus IV. in epistola ad Hildebrandum, scripta, apud BRVNONEM Historia B. Saxonici p. 122. *Nam quum inprimis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens regnum Italiæ*

Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. De Henrici IV. iuribus GOLDASTVS in Apologia. De reliquis Scriptores in SCHARDII Syntagmate de Iurisdictione Imperii, & GOLDASTI Monarchia S. Rom. Imperii. SCHILTER de Libertate ecclesiarum Germaniæ & similes.

**** Lotharius iura sua in terras Italicas exercuit, de quo testatur LEO OSTIENSIS *Chron. Casinensi lib. IV. c. CVI.* dicens: *Lotharius interea Imperator eo tempore Rauennam egrediens, Vmbriam, Aemiliam, Flaminiam, Picœnumque Prouincias sub suo iure redegit, ciuitates obedientes sub Romani Imperii iura redegit, contradicentes ad solum vsque prostrauit.*

***** Qua ratione in Papam ius suum exercuerit Fridericus I. Imp. vberius explicauimus in S. H. G. *diss. XVII.* §. *XXXVIII.* Quare Romani, dum Fridericus ad coronationem suam Romam properaret, apud OTTONEM FRISINGENSEM *lib. II. c. XXI.* ad ipsum: *futurus es Princeps, Imperator & Dominus.* Fridericus vero ad Romanos apud GÜNTHERVM *lib. III. v. 570.*

Aspice Teutonicos Proceres, equitumque cateruas,
Hos tu patricios, hos tu cognosce Quirites,
Hunc tibi perpetuo DOMINANTEM *iure Senatum*
Hi te Roma suis (nolis licet ipsa) gubernant
Legibus; hi pacis, bellique negotia tractant.

****** Quomodo Ludouicum Bauarum Romani inuitauerint, testatur ALBERTINVS MVSSATVS Historia ipsius p. 3. *Romani iis frustrationibus, vt a Papa illusi, communi assensu ad Ludouicum Nuncios miserunt. Romam veniat, Romanis, Imperioque suo libere potiatur, cui se parituros ferro, igni, omnibus obsequiis spondebant.* De eodem idem testatur *p. 9.* eum *Romam peruolasse, in Capitolio sedisse, Senatorem, Consulesque ac Decuriones & Tribunos more Romani Imperatoris creasse.* In S. H. G. *diss. XXVI.* atque plenius Dn. CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER in *Vindiciis Iuris Imperatorii aduersus Vrbis Romæ Episcopos, Ienæ 1717. 4.* exasciato labore demonstratis. De his etiam agitur in *Vmilissima Supplica di Rinaldo d' Este al Giosepp I. n. VII. & seqq.* Quidquid etiam contra Iura Impp. in Papam obiiciat Auctor Dissertationis Historicæ *de Iure Sedis Romanæ in Comitatum Comacensem n. CXXIII. seqq.*

† Fabulam hanc prolixe confutauit LVDOVICVS ELLIES du PIN in *Constantino M. p. 59.* Singulare est, quod Alphonsus Cicarellus apud LEONEM ALLATIVM *in animaduersionibus ad Curtii Inghiramii Antiquitates Etruscas p. 278.* fatetur, se in fauorem Ecclesiæ compilasse Priuilegium, quasi Theodosius Imp. Siricio Papæ confirmauerit Donationem Constantini M.

†† Licet enim EGINHARDVS & ANNALES FRANCORVM *ad a. 756.* OTTO FRISING. *lib. V. c. XXV.* saltim dicant, Rauennam, aliasque vrbes Pontifici fuisse concessas, patet tamen, cum reseruatione Dominii eminentis hoc factum, cum in ipsum Papam potestatem exercuerit & Pipinus & Carolus. Maxime vero hoc patet ex Confirmatione Henrici II. *de a. 1024.* qua bona & iura ecclesiæ Romanæ confirmantur, qua præter alia, hæc reperiuntur: *prouinciæ, ciuitates, vrbes, castella, oppida, terræ, patrimonia atque insulæ, censusque & pensiones, ad partem Ecclesiæ beati Petri Apostoli, atque Pontificum in sacratissima sede illius residentium, nos in quantum possimus, defensores esse teneamur, ad hoc, vt eam illi ditionem ad vtendum atque disponendum firmiter valeant obtinere*, SALVA IN OMNIBVS POTESTATE NOSTRA POSTERORVMQVE NOSTRORVM. GOLDASTVS *Constit. Imp. Tom. I. p. 43.* BARONIVS *Ann. Eccles. ad a. 1014.* TOLNER *Cod. diplom. Palat. p. 24.*

††† hanc enim falsam esse, atque tabulas, quæ desuper exhibent Pontificii, suppositítias, iamdum docuimus in S. H. G. *diss. VIII. §. IV.*

†††† prout in Dissertatione de allodiis Imperii §. *XIII.* demonstrauimus, & in S. H. G. *diss. XVI. §. VII.*

††††† Vid. CONRING. *de Germ. Imp. Rom. c. XIII.* MONZAMBANO *cap. I. §. 13. 14.* TITIVS *spec. Iur. Publ. lib. I. c. VI.* Addi potest IO. WOLF G. IÆGERI *Roma cum Regno Italiæ Carolo VI. vindicata.* Quam insecuta est Eiusdem *Continuatio Iurium Maiestatis Cæsareæ in Italiam*, & quam modo excitauimus Clar. EVDERI Dissertatio, quæ *vindicias Iuris Imperatorii aduersus Orbis Romæ Episcopos* potissimum sub Leopolde, Iosepho atque Carolo VI. factas, demonstrat.

§. V.

Regnum Italiæ comprehendebat, quidquid olim Longobar-

gobardi in Italia possederunt. Hoc autem primum per Carolum M. deuicto Desiderio, vltimo Longobardorum Rege ad Francos fuit delatum: * postea sub Ottone M. inuitante ipsum Adelheide Lotharii Regis vidua, quam a Berengario II. liberabat ad Teutonicos. ** Hic enim Berengarium II. eo adegit, vt a. 952. in Comitiis Augustanis, se cum filio Adalberto, Imp. dederet. *** quæ prima iura regni Germanici in Italiam. Postquam autem denuo rebellaret, eundem a. 956. deuicit, **** atque denuo rebellantem a. 964. in monte Leonis captum, in Bauariam misit captiuum, ***** Italiamque regno Germanico iunxit, ****** ita tamen, vt Status Italiæ non iura regni Germanici sed Longobardici haberent, excepto Sabaudo, qui Ius Ciuitatis Germanicæ a Sigismundo Imp. fuit adeptus.

* ANN. FRANC. *ad a. 774. Longobardi obsidione pertæsi, pariter cum Rege Desiderio egrediuntur ad Regem. Ille vero altera die cum hymnis & laudibus Dei vrbem (Papiam) ingrediens, thesauros regum repertos exercitui distribuit, & cunctum Italiæ regnum adeptus, in Franciam regreditur.* MONACHVS EGOLISMENSIS *in vita Caroli apud Pithœum p. 239.* ADELMVS BENEDICTINVS *ad a. 774.*

** Totum negotium explicat LEO OSTIENSIS Chron. Casin. lib. I. c. LXI. *Lotharius deinde post IV. ferme annos in subitam frenesim incidens, vltimam diem expleuit: & ita ipse Francorum Regibus deinceps in Italia regnandi terminum dedit: Quo defuncto, vxor eius Adelais ad Attonem propinquum suum in Canussam, Arcem valde munitissimam confugit. Cum interea prædictus Berengarius cum filio Alberto strenuissimo valde viro, rursus Regnum inuadere cupiens, ac per hoc prædictam Reginam capere modis omnibus satagens, per triennium ferme, præfatam arcem obsedit. Atto interim cum Regina consilio habito, nuntium ad Ottonem Saxoniæ Ducem, Vngarorum tunc victoria gloriosum, transmittunt. Qui ei omnia, quæ circa illam gerebantur referret, eumque oraret, quatinus ad Italiam confestim transire, eosque de Berengarii obsidione liberare, Reginamque ipsam in coniu-*

gium simul cum Regno deberet recipere. Iam vero prædicta Arx ad deditionem hostium cogebatur, cum ecce dispositione Dei, transmissus a Regina nuntius subito rediit, & quoniam propter diligentissimam obsidionem, nullus illi in Arcem dabatur ingressus, litteras, & anulum, quem a Duce detulerat, callide satis sagittæ inseruit, & arrepto arcu, nemine id suspicante in Arcem illam traiecit. Tenor itaque litterarum huiusmodi erat, quod idem Dux cum exercitu iam transitis Alpibus Veronam venisset, eiusque filius Litulfus Mediolanum se præcessisset: in proximo illis venturo auxilio viriliter agerent, se tum de coniugio, quam de aliis Regni vtilitatibus, pro illorum voto, auxiliante Deo, facturum. E vestigio igitur Duce veniente & fugato Berengario, atque Alberto: soluta obsidio est, captis duabus eius filiabus, atque in Teutonicam terram transmissis exilii moxque Adhelaïdis coniugium Otto sortitus Teutonicis ex tunc & deinceps in Italia regnantibus initium extitit. Adstipulatur WITTICHINDVS *lib. II. p. 652.* DITMARVS *lib. II. p. 331.* HROSWITHA *apud* MEIBOMIVM *Tomo I. p. 719.* CONTIN. REGINONIS, FRODOARDVS *ad a. 950.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad a. 954.* LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 951.* ODILO CLVNIACENSIS *de vita Adelheidæ c. II. & III.* AVCTOR VITÆ MATHILDIS *c. II.* apud LEIBNITIVM *Tomo I. p. 690.*

*** WITTICHINDVS lib. II. p. 652. *Interea rex regem alloquitur, in gratiamque regis ac reginæ susceptus, deditionis sponsionem dat fœderis spontanei diem apud vrbem Augustam designans. Vbi cum Conuentus fieret, Berengarius manus filii sui Adelberti suis manibus implicans, licet olim Hugonem fugiens regi subderetur, tunc tamen renouata fide coram omni exercitu famulatui regis se cum filio subiugauit:* REGINO lib. II. ad a. 952. *Berengarius cum filio suo Adelberto regiæ se per omnia in vasallitium dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono regis accepit regendam.* HROSWITHA *p. 723. 724.* DITMARVS *lib. II. p. 332.* AVCTOR VITÆ MATHILDIS *c. IV.* ALBERTVS STADENSIS *ad a. 951.* SIGEB. GEMBLACENSIS, ALBERICVS *ad a. 955.* OTTO FRISING. *lib. VI. c. XIV.* HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 951.* CONRING *de Fin. Imp. c. IX.* SCHVRZFLEISCHII *Ius Augusti in Italiam §. 2. & 3.* S. H. G. *diss. XII. §. XX.*

**** AVCTOR VITÆ MATHILDIS c. III. *tandem licet cum magna suorum cæde,*

cæde, Atto cum ſuis victor exiſtit, & fugatum Adalbertum Regno priuauit. Qui regni amiſſi confuſionem non ſuſtinens, pertranſiuit Oceanum, ſeu mare Adriaticum, amplius minime reuerſurus. Ab eo quoque Longobardi, nullum ſibi Regem vlterius ſtatuerunt. Hæc autem acta ſunt anno octingenteſimo quinto decimo incarnati Verbi Dei. Hæc vltima tamen verba librariorum vitio eſſe corrupta, facile patebit. CONT. REGINONIS ad a. 956. *Ludolphus in Italiam ad deprimendam Berengarii tyrannidem dirigitur, & in breui expulſo Berengario, totius pene Italiæ poſſeſſor efficitur.* HERMANNVS CONTRACTVS, CHRONOGRAPHVS SAXO *ad a. 956.* FRODOARDVS *ad a. 957.*

***** CONT. REGINONIS ad a. 964. *Berengarius cum ſuis in monte ſancti Leonis obſeſſus vincitur, & id ipſum caſtellum imperatoris ditioni ſubditur & Berengarius cum Willa in Bauariam mittitur.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XXIV.* DITMARVS *lib. II. p. 333.* LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 964.* ADAMVS BREMENSIS *lib. II. c. V.* HELMOLDVS *lib. I. c. X.* CAR. SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. VII. p. 170.*

****** Hinc etiam Lombardia prouincia vtique nobilis & pars Romani Imperii pretioſa dicitur Friderico II. Imp. in Reſcripto apud GOLDASTVM *Conſtit. Imper. Tomo II. p. 51.* Vid. SCHVRZFLEISCH. §. *XVI.*

§. VI.

Comprehendit autem hoc Italiæ regnum non omnem Italiam, ſed ſuperiorem ſaltim eius partem, excepto Territorio Romano, cum inferior, Calabria atque Apulia Ottonis M. temporibus Græcorum Imperio fuiſſet ſubiecta. * Hodie igitur Imperii ad huc dominium directum adgnoſcit Rex Hiſpaniæ ob *Ducatum Mediolanenſem*, qui præcipua olim pars regni Longobardici. Hanc Imp. nomine Vicecomites ** primum rexerunt, e quibus Wenceslaus Imp. Io. Galeacium pileo & inſignibus Ducalibus tranſmiſſis, Ducem conſtituit, ita tamen, vt ipſi & ſucceſſores ipſius dictum Ducatum ab Imp. in feudum recipiant. *** Rupertum equidem Imp. Electores ſub Imperii ſtatim initium obligabant, vt Mediolanenſem Duca-

Ducatum armis vindicaret, **** quem tamen, poſtquam ad lacum Benacum victus fuit, Galeaciis relinquere fuit coactus. ***** Imperante Friderico III. Imp. extincto a. 1447. Philippo Maria, ex Galeaciis vltimo, plures Ducatum prætendebant, atque inter hos Carolus Dux Aurelianenſis, qui ex Valentina, Ioannis Galeacii, primi Mediolanenſium Ducis filia natus erat, iure ſibi hunc Ducatum deberi credebat, eo quod inter pacta dotalia Valentinæ fuerit, vt proles, quæ ex ipſa naſceretur, ſuccederet in Mediolanenſis Imperii iura, quandocunque finita maſcula ſtirpe, finis ſucceſſioni Vice-Comitum fieret, quod pactum Pontificis Romani auctoritate fuit confirmatum. Aſt Franciſcus Sfortia, qui in matrimonio habebat Blancam Mariam, Philippi Mariæ filiam ſpuriam ab eodem quoque fuerat adoptatus, Mediolanenſes eo adegit, vt vrbem ipſi dederent, quam etiam IV. Kl. Martii 1450. triumphans fuit ingreſſus. Licet nec ipſe, nec filius ipſius Galeatius Sfortia inueſtituram ab Imperatore adipiſceretur. ****** Poſtea vero pactis inter Maximilianum I. atque Ludouicum Morum initis fuit concluſum, vt Ludouicus eiusdemque gener, ex Claudia filia, Franciſcus Engolismorum Dux, poſtea Rex Gallorum factus, eiusdemque liberi & poſteri ſucceſſores, beneficiario iure Mediolani Duces adpellarentur. ******* Poſt, cum anno 1500. Ludouicus XII. Gallorum Rex, Heluetorum ope, Mediolanenſem Ducatum occupaſſet, Ludouico Sfortia Duce facto captiuo, Ducatus Mediolanenſis inueſtituram ab Imp. petebat. Idemque obtinuit, vt per pacta Tridentina XIII. Octobris 1501. inita, eandem inueſtituram promitteret Maximilianus, † eam in Comitiis Noribergenſibus a. 1502. petitam denegaret. Per Tractatus Bleſenſes a. 1504. Maximilianus omnibus Mediolanenſis principatus diplomatis reſciſſis, nouum Ludouico XII. eiusdemque proli maſculæ ſi

qua

qua nasceretur, promisit, sin minus, Carolo Cæsaris nepoti Claudiam, Regis filiam ducturo, aut illo ante maturam nuptiis ætatem moriente, Ferdinando, Philippi secundo filio, si Claudiam ipse duxisset, promissis Cæsari sexaginta aureûm numûm Rhenensium millibus, atque in Dominii directi recognitionem singulis annis, ad natalem seruatoris nostri diem, binis aureis calcaribus. †† Inde anno 1505. Georgius Ambosius, Cardinalis Rotomagensis, præstito prius vasallagio, Regis nomine de Mediolanensi Ducatu fuit inuestitus, ††† in eodemque per pacem Cameracensem a. 1508. confirmatus, ipseque Ludouicus XII. per litteras Tridenti XIV. Iunii 1509. scriptas, de Mediolanensi Ducatu a Maximiliano Imp. fuit inuestitus. †††† Nihilominus Ludouici Mori filius Maximilianus, atque huius Franciscus Sfortias, Cæsaris vasalli in Ducatu succedebant. ††††† Et licet Franciscus I. Gallorum Rex, Ducatum Mediolanensem iterum adfectaret, eundemque varie tentaret, post prœlium Ticinense tamen, & pacem Cameracensem a. 1529. iuribus suis ac prætensionibus in Ducatum Mediolanensem renuntiare iterum fuit coactus, †††††† atque Franciscus Sfortias in eodem confirmatus, qui etiam Carolo V. fidem iurauit. ††††††† Hoc autem a. 1535. defuncto Carolus V. Imp. Philippum II. filium suum de eodem Ducatu inuestiuit, cuius successores Philippus III. & IV. ad Carolum II. vsque vasallagium Imperatoribus præstiterunt. †††††††† Simili ratione Hispaniæ Reges sub clientelari nexu ab Imperio possident, Dynastiam Ponterolo, Senas, Plombinum, Telamonem & Portum Herculis. *

* SIGONIUS lib. VII. p. 175. *Erat Italia hoc tempore in has regiones diuisa, Apuliam, Calabriam, Ducatum Beneuentanum, Campaniam, terram Romanam, Ducatum Spoletanum, Thusciam, Romaniolam, Lombardiam, Marchias Anconitanam, Veronensem, Taruisinam, Foroiuliensem & Genuensem. Ex quibus Apulia & Calabria, ad quam* an-

antiqui Bruttii pertinebant, Græco adhuc Imperatori paruerant. Reliqua omnia post recuperatam a Carolo Magno Italiam Romani nutum Imperatoris respexerant. Vid. PAND. COLLENVTIVS *Hist. Neapol. p. 81.*

** Legi possunt ANDR. ALCIATI *Historia Mediolanensis*, TRISTANI CALCHI & IOSEPHI RIPAMONTII *Historia patria*, GEORGII MERVLÆ *Antiquitates Vice Comitum*, & PAVLI IOVII *Vitæ Duodecim Vice Comitum, Mediolani Principum*, qui omnes reperiuntur in Tomo secundo & tertio Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ Græuiano. Hi etiam Vicecomites ideo ALBERTO ARGENTORATENSI ad a. 1354. *Regis ministri* dicuntur.

*** PAVLVS IOVIVS *vita Io. Galeacii p. 321.* Singula hæc plenius patent ex diplomate Wenceslai desuper Pragæ XI. Maii 1395. euulgato, quod reperitur in LEIBNITII *Codice Diplomatico, Tom. I. p. 257.* & ex eodem in RECVEIL *des Traittés de Paix Tom. I. p. 358.* In quo hæc verba: *animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, Procerum, & aliorum nostrorum & Sacri Imperii fidelium accedente consilio, Te, Princeps dilecte, non ad Tuæ petitionis instantiam, sed de benignitate Regia, motuque proprio, ac Tuæ originis Nobilitate poscente.* Licet contrarium pateat, quod petente potissimum Galeatio, mediantibus nummis, hæc dignitas fuerit collata. Patet hoc ex litteris Electorum in VLRICI OBRECHTI *Apparatu Iuris Publici p. 1. und sunderlichen die sachen von des von Meylan wegen umbe das Land von Meylan söllen wir nit bestetigen.* Hinc etiam Electores de eodem Wenceslaum maxime criminantur in sententia Exauctorationis apud GOLDASTVM *Constit. Imp. Tom. I. p. 440.* & in OBRECHTI *Apparatu p. 55.* Mansit tamen hic Ducatus feudum Imperii. Sic enim in Diplomate desuper concesso: *quodque quidem tu, heredes & successores tui Duces Ciuitatis & diœcesis Mediolanensis, Ducatum seu Principatum eundem, cum omnibus suis pertinentiis sicut superius expressatur, a nobis, nec non a Serenissimis Romanorum Imperatoribus & Regibus successoribus nostris, & ab ipso Romano Imperio, quoties opportunum fuerit, debito solemnitatis honore, cum vexillis, vt moris est, & solita reuerentia suscipere debeatis, nobisque ac eisdem nostris successoribus in casibus præmissis sicut alii Imperiales Duces & Principes, præstare & facere fidelitatis, homagii, obedientiæ, & subiectionis debita corporalia iuramenta.* ****.

**** Inter ea, quæ Electoribus promisit Rupertus extat: *Auch als Kœnig Wentzlaw von beheim in den zyden als er ein Romischer Kœnig gewest ist, den von Meilan off das lant zu Meilan einen Hertzogen und off das lant Pasye einen Grafen gewürdiget und gemacht hat, das sollen wir von Rœmischer Konglichen macht widerruffen und gentzlich vernichten, und sollen dieselben Land und ander des heiligen Richs lande in Lamparten und in Welschen landen understeen nach allir unsir macht ane geverde wider an das Rich zu bringen nach rade der vorgenanten unsir mitkurfürsten und die dann auch by dem Riche getruwelich behalden, und soliche Koste und schaden die daruff geen werden und darumb geschehen, darumb machen wier an dieselben Land griffen und die davon usrichten und widernemen mit rade der Kurfürsten.*

***** de hac clade IO. CVSPINIANVS *in vitis Imp. p. 393.* LVDOVICVS CAVITELLIVS *Ann. Cremon. ad a. 1400.* S. H. G. *diss. XXVIII* §. *XXI.*

****** hanc causam exponit IOSEPHVS RIPAMONTIVS *Hist. Mediol. lib. VIII. p. 686.* PAVLVS IOVIVS *in argumento deuoluta hæreditatis Mediolanensis ad Aurelianorum Principum domum*, S. H. G. *diss. XXX.* §. *XVIII.*

******* PAVLVS IOVIVS *in argumento deuol. hæreditatis apud* GRÆVIVM *Tomo III. Thesauri Antiquitatum Italicarum p. 334. Igitur cum Maximiliano Cæsare, qui ex Tridentinis Alpibus ad Benaci lacus fines peruenerat, numerata pecunia transactum est, procurante eius negotii tabulas Georgio Ambosio Rothomagensi Cardinale in hanc formulam, vt Ludouicus eiusque gener ex Claudia filia, Franciscus Angolismorum Regulus, liberique demum eius & posteri successores beneficiario iure, Mediolani Duces appellarentur.* Extant litteræ Inuestituræ 25. Nouembris 1495. Antwerpiæ scriptæ in *Recueil des Traittés de Paix Tom. I. p. 791.*

† FRANC. GVICCIARDINVS *lib. V. p. 474.* MICH. COCCINIVS *de bellis Italicis*, apud FREHERVM *Tomo II. p. 276.* S. H. G. *diss. XXXI. §. XIII. XVI.* In ipsis autem tabulis, quas exhibet Recueil des Traittés de Paix *Tom. II. p. 2.* hoc decretum: *quod Serenissimus Romanorum Rex in proxima dieta Francfordiensi, vna cum Electoribus, & cæteris Principibus Romani Imperii, solenniter & vt moris est, Christianissimum*

 Fran-

Francorum Regem, aut eius legitimos procuratores, de Ducatu Mediolani inuestiat, accepto prius homagio & iuramento consuetis, secundum consuetudinem sacri Romani Imperii.

†† Hæc latius declarauit GERH. a ROO *Ann. Austr. lib. XI. p. 556.* & PONTVS HEVTERVS *lib. VI. c. VII.* Extat ipse Tractatus Pacis in Recueil des Traittés de Paix *Tom. II. p. 8.*

††† PONTVS HEVTERVS Rer. Austr. *lib. VII. c. VII. Exinde Rex Ludouicus Georgium Ambosium Cardinalem Rotomagensem, ad Cæsarem in Germaniam, Hagenoæ comitia celebrantem mittit, suo ei nomine clientale sacramentum de Ducatu Mediolanensi ac Comitatu Ticinensi Anglerieque diceret, quemadmodum pacis conditionibus superiori anno conceptis erat conuentum.* GERH. a ROO *lib. XI. p. 557.* Tractatum Blesensem Hagenouiæ IV. Aprilis 1505. confirmauit Maximilianus I. prout hæc confirmatio reperitur in Recueil des Traittés de Paix *Tom. II. p. 8.* & apud MÜLLERVM *Reichstags-Staat lib. III c. II.* Vasallagium a Georgio Ambosio, nomine Ludouici XII. de Mediolanensi Ducatu VI. Aprilis præstitum, exhibetur *p. 17.* ipsa vero inuestitura VII. Aprilis 1505. *p. 18.* & apud MÜLLERVM *l. c.*

†††† Vid. S. H. G. *diss. XXXI. §. XXIX.* Litteræ istæ extant in RECVEIL *Tom. II. p. 29.*

††††† De his turbis late in SYNT. HIST. GERM. *diss. XXXI. §. XLIII. seqq.*

†††††† P. HEVTERVS *lib. X. c. VI.* FRANC. GVICCIARDINVS *lib. XIX. p. 933.* P. IOVIVS *lib. XXVII. p. 231.* Singula, quæ circa hanc restitutionem gesta fuerunt, singulari Tractatu exposuit GALEACIVS CAPELLA in SCHARDII *Tomo II.* Legi etiam hic meretur IACOBVS WILHELMVS IMHOFIVS in Historia Italiæ & Hispaniæ Genealogica Stemmatis Desideriani stirpe p. 143.

††††††† S. H. G. *diss. XXXII §. XXVII.*

†††††††† IOS. RIPAMONTIVS lib. X. p. 751. *iam Cæsar tunc* (Philippum) *Mediolani Ducem creat, atque cum perscribi traditionis eius auctoritatem iuberet, ita in diplomate erat præfatus: tradere se Philippo filio, Prouinciam Mediolanum, quæ esset recepta suis armis & defensa; quam vetusto Cæsarum iure possideret.* Eadem testatur in *Historia a Philippo II. lib. II. p. 1121.* Hoc tamen de vtili saltim domino

minio esse intelligendum, patet ex eo, quod Philippus IV. hunc Ducatum in fide & clientela Imperii tenendum tuendumque a Ferdinando II. Cæsare susceperit, PIASECIVS *Chron. ad a. 1623.* De eodem a Leopoldo a. 1669. inuestitus fuit Carolus II. Vocatur ideo *des Reichs-Eigenthum* R. I. Spiræ 1542. §. 3. Litteras inuestituræ in Tractatu Gallico, cui titulus: *Inuestiture du Duché de Milan, à Cologne 1701. 12.* In CASSANDRI THVCELII Tomo primo Actorum Publicorum Seculi XVIII. reperitur n. XXII. *Kurtzer iedoch wahrhaffter Bericht, in welchem klærlich bewiesen wird, daß das Hertzogthum Mayland, des Heil. Ræm. Reichs unstreitbares Mann-Lehn sey:* idque longa exemplorum serie demonstratur, n. XXIII. *Caroli V. Imp. Aurea Bulla de Iure & ordine succedendi in Ducatum Mediolanensem cum Eiusdem Ducatus Inuestituris Cæsareis, tum aliis, tum quæ ab Augustissimo Imperatore Leopoldo I. Regibus Hispaniæ Philippo IV. & Carolo II. concessæ sunt.* De hoc Ducatus Mediolanensis nexu legi etiam merentur IO. STRAVCHII *Dissert. Exot. I.* C. S. SCHVRZFLEISCHI *Ius Augusti in Italiam, §. XXII.* Eiusd. *Diuisio Imperii Carolini, §. LXXVI.* IO. FRANC. BVDDEVS *de Testam. summ. Imper. cap. II. §. XXVIII.*

* THVANVS lib. V. f. 139. *Plombinum & in eius territorio Burianum, Scarlinum & Suberetum præcipua castella, atque adeo Iluam insulam in Tyrrheno mari ferrifodinis nobilem ad Cæsaream iurisdictionem pertinere non ambigitur. Vid.* IO. WILHELM. ITTER *de feudis Imperii cap. VI. §. VI.* IO. ANDR. BOSIVS *notitia Imperii Hispanici lib. III. c. III.* & Dissertatio sub præsidio IO. CHRISTIANI SCHRÖTERI, amicissimi Collegæ habita, de *vasallo non statu Imperii cap. II. §. XI.* FRANCISCVS FERDINANDVS ab ANDLERN, *Iurisprud. publ. & priu. lib. I. Tit. V. p. VI. p. 149. n. 21.*

§. VII.

Subest quoque Imperio Territorium *Florentinum*, quod in Vetus & nouum solet distingui, quorum illud Florentinæ Pisanæque vrbis ditionem, hoc Senensem vrbem, aliaque nouiter a Magnis Ducibus adquisita comprehendit. De veteri Territorio liberum ius prætendit magnus Dux Florenti-

 nus,

nus, eo quod Florentia olim libertatem a Rudolpho Habsburgico emerit,* cuius iura nunc Magno Duci conueniant. Aſt, Conringius** contendit, nullas eadem de re extare tabulas ſolennes, tacere Scriptores coæuos, & ſi quid actum, minime hoc præiudicium adferre Imperio, cum omnia intelligenda ſaluo iure Imperii.*** Potius Florentini inter Italiæ diſſidia, dum Guelphicarum partium, contra Gibellinos inſurgerent, libertatem ſuam tueri fuerunt conati.**** Inde Henrico VII contrarii, ipſius mortem promouent.***** Deminuta vero poſt huius mortem Cæſarum potentia apud Italos, Imperii iugum plane excuſſerunt.****** Poſtquam vero Carolo V. Imp. fuiſſent contrarii, priuilegiis ſuis fuerunt priuati, ipſorumque ſtatus a Cæſare denuo fuit ordinatus. † Immo Maximilianus II. Imp. Franciſco Medices tanquam Imperii beneficium a. 1574. titulum Magni Ducis confirmauit. †† De nouo vero territorio res omnino certa eſt, Florentinum magnum Ducem, Senenſem ditionem tanquam Imperii ſubfeudum ab Hiſpanis, Filaterram, Dynaſtiam Pontremuli, atque inſulam Eluam ab Imperio recognoſcere. †††

* Teſtatur de eo TRITHEMIVS Chron. Hirſaug. ad a. 1286. *ea de cauſa Florentinos expoſuiſſe tot argenti marcas, Lucenſes quoque & alios contuliſſe pecuniam, & libertate cöempta, imperii non ſubderentur deinceps iuſſionibus. Qui hoc factum contendunt, in argumentum aſſertæ veritatis conſequentia producunt: quod Florentini mox poſt impetratam pro pecunia libertatem, magiſtratum inſtituerint, quem Priores artium vocauerint, addito & alio, quem velut Maieſtatis & libertatis Principem vexilliferum Iuſtitiæ nuncupabant.* Sequitur SIGONIVS *lib. XX p. 125.* LEHMANN. *Chron. Spir. lib. V. c. VI.*

** *De Fin. Imp. c. XVIII.*

*** Eo intelligendus videtur GERARDVS a ROO *Ann. Auſtr. lib. I. p. 34.* quod promiſerint Cæſari ſe audientes fore. Idem fere innuit LEHMANNVS. Quare etiam Henricus VII. Imp. in ſententia contra Robertum, Apuliæ Regem Piſis lata, apud ALBERTINVM MVSSATVM *Hiſt. Hen-*

Henric. VII. lib. XIII. p. 71. Senenses memorat & *alios Romani Imperii subditos in Lombardia & Tuscia.*

**** hoc NICOLAVS MACHIAVELLVS ipse Florentinus, satis innuit, dum Hist. Florent. lib. II. p. 75. sic loquitur: *Siquidem Florentini arma in eum qui Imperatoris vices gerebat, corripuere, atque quo Ghibellini ab officiis remoueri, potentioresque coerceri possent, nouam Reip. formam constituere. Atque id quidem sub annum MCCLXXXII. incidit.*

***** *de hoc* S. H. G. *diss. XXV. §. XV.*

****** Facit ad rem NICOLAVS BVRGVNDVS Hist. Ludouici Bauari lib. II. p. 61. *Italia in duas factiones Guelfos & Gibellinos lacerata, defuncto Henrico Septimo vetera oda retractare cœperat. Imperatorum auspicia Gibellini sequebantur: Pontificia signa Guelfi præferebant, resumendæ potentiæ auidi, vnde paullo ante exciderant. Guelforum omnium peruicacissimi Florentini, excussum pridem imperii iugum vertebant in libertatem.*

† Ita enim responsum a Cæsare Florentinorum legatis: *Ciuitatem ob fœdus cum Cæsaris hostibus initum & copias contra ipsum missas, priuilegia amisisse, atque ad Imperium recidisse, ideoque Cæsarem de ea quidquid vellet, statuendi potestatem habere*, narrante GVICCIARDINO *lib. XIX. p. 717.* prolixe de eo IOVIVS *lib. XXVII. p. 190.* & ex hoc CONRING. c. l.

†† THVANVS lib. LX. p. 82. *postea Io. Baptista Concinus iam multoties ad Maximilianum Cæsarem ob concessum a Pio V. magni Etruriæ ducis titulum Cosmo & Francisco, qui sororem ipsius in matrimonio habebat, succensentem missus, tandem obtinuit, vt hi Francisco tituli* TANQVAM IMPERII BENEFICIARIO *confirmarentur, eaque de re amplissimum a Cæsare diploma impetrauit.*

††† ITTER *de feudis Imp. c. VI. §. XXI.* De Insula Elua THVANVS *lib. V. fol. 139.* Adgnouit illud etiam FRANCISCVS FERDINANDVS ab ANDLERN, dum *Iurisprudentia, lib. I. Tit. V. P. VI. p. 149. n. 11.* sic loquitur: *Agnoscit & Imperium Siena Ciuitas, quam sub Feudi Imperialis nomine Dux Florentinus a Rege Hispaniæ recognoscit. Item Plumbinum, Orbitellum & Comacchium ad mare Hadriaticum & quæ sunt plura alia Feuda in Italia & in ipso statu Romano, quæ ab Imperio ad-*

adhuc Feudi titulo dependent, velut nouissime Princeps Sauelli petiit renouationem Inuestiturae super Ciuitate Albani, & denominando quoque Aritiam, Arignano, Pontiano & Flaciano &c. Garpina in Romania, Rigalti, Anguillara, Lamendana in agro Romano &c. Ascoli in Marca Pontificia, pro quibus recuperandis iuxta Capitulationem Caesaream nihil intermittitur. Quare Leopoldus Imp. ad Florentinum Ducem aeque mandata misit dehortatoria sub initium belli Hispanici. *Staatsspiegel m. Iulio 1701. p. 8.*

§. VIII.

De *Mantuano Ducatu* dubium amplius non subest, feudum adhuc esse Imperii, id quod Acta * non solum Imperii, sed etiam ipsa Ducum inuestitura ** satis testatur. Quare vltimus Dux Mantuanus, Ferdinandus Carolus eo quod hostibus adhaeserat, a Iosepho Imp. a. 1708. banno fuit notatus, *** idemque Ducatus hucusque ab Austriacis possessus, licet in eundem praetenderet Dux Guastallae, caussam etiam eius in pace Rastadiensi atque Badensi **** Galli egissent. Imperii quoque feuda sunt Guastalla, Nouellaria, Bozzuolo, Sabionetta, Castiglione, quae minoribus natu Principibus solent concedi. ***** Idem dicendum de *Marchionatu Montisferratensi*, qui proprios olim habuit Marchiones, quorum vltimus Io. Georgius Palaeologus liberis nullis relictis, fuit extinctus. Et licet Sabaudiae Dux atque Salussius Marchio in eundem praetenderent, Carolus V. tamen eundem Friderico Gontzagae, cui Bonifacii VI. penultimi soror nupta fuerat, a. 1537. adiudicauit. ****** Dum autem a iure suo non recederet Sabaudus per pacem Ratisbonensem a. 1630. & Clarascensem a. 1631. ipsi pars Marchionatus fuit adsignata, † vsque dum defuncto vltimo Duce, Victor Amadeus Dux hodiernus de integro Marchionatu a. 1708. inuestiretur. ††

* HORTLEDER *von Vrsachen teutschen Krieges Tom. I. c. XV. p. 72. &*

cap.

cap. XXVII. p. 94. vbi vocatur, *des Reichs Eigenthum ohne Mittel, die eigen Hertzogen, des Reichs Lehnmann hat.*

** Patet illud ex Instrum. Pacis Monasteriensi *art. XCVII.* & ex litteris investiturae vltimi Ducis, Ferdinandi Caroli, quarum tenor reperitur in ANT. FABRI *Staats Cantzeley Tom. XIII. p. 672.* Extant etiam Ferdinandi II. Imp. Decreta de successione olim controuersa, apud LVNIGIVM *im Reichs Archiv partis Spec. Contin. II. III. Fortsetzung p. 694.*

*** Extant Acta in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VI. cap. IX.* Ipsa vero sententia banni *Tom. XIII. p. 670.* & in LVNIGII *Reichs-Archiv p. Spec. II. Contin. III. Forts. p. 698. 700.*

**** *art. XXXI.*

***** CONRING *de Fin. Imp. c. XXIII.* ITTERVS *c. VI. p. 269.* SCHVRTZFLEISCH *Ius Augusti in Italiam §. 24.*

****** THVANVS lib. I. p. 39. *Iam Mantuae marchio, quem foederi contra Caesarem icto subscripsisse diximus, etiam ante pacem cum Pontifice factam in parteis Caesaris transierat, itaque Caesar eo fere tempore ex Pannonia rediens Mantuam venit, vbi a Friderico honorifice exceptus, vt hospitem honorifica gratificatione remuneraret eum ex Marchione Ducem creauit: addidit & nouum beneficium; nam cum Io. Georgius Paleologus, qui Bonifacio Montisferrati marchioni Vilelmi fratris F. successerat, paullo ante sine liberis decessisset, & Fridericus, qui Margaritam Bonifacii sororem in matrimonio habebat, haereditatem adire vellet, contra Sabaudo & Saluciarum Principe tendentibus, Caesar oppida, & arces imposito praesidio sequestri iure occupauit, & postea tradita possessione secundum Fridericum pronuntiauit.* Idem dicit CHYTRAEVS *lib. XIV. p. 373.* SAM. GVICHENON *Hist. Genealog. de Sauoye Tom. I. c. XXXIV. p. 645.*

† In pactis Ratisbonensibus *art. VI.* in pace Clarascensi *art. XIII.* prout vberius explicatum fuit in S. H. G. *diss. XXXV. §. XXXVIII.* Idemque in pace Monasteriensi *art. XCV.* & per Capitulationem Iosephinam *art. IV.* Carolinam *art. XXVI.* Sabaudica alias iura circa Montisferratensem Marchionatum strenue atque egregie defendit ANTONIVS FABER in *Consultatione de Montisferratensi Ducatu, Lugduni 1617. 4.*

†† S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XXIV.*

§. IX.

Mutinenses atque *Rhegienses* Terræ, pars olim Regni Longobardici. Has Opizo Atestinus imperante Rudolpho Habsburgico sub Marchionis nomine, beneficiario iure obtinuit.* Demum Fridericus III. Imp. VIII. Idus Maii 1452. Borsium Estensem ex Imperii Vicario, Ferrariæ, Mutinæque ac Regii Ducem & Rouigii Comitem creat.** Principatum etiam Correggio a Mutinensi Duce possessum feudum Imperii esse, ex Capitulatione Leopoldina*** patet. Mutinense quoque castrum Brixellum, non, vt vulgo traditur, Mantuanum est feudum, sed æque castrum est Imperii.****

* SIGONIVS lib. XX. de Regno Italiæ sub finem, *Biennio post, Opizo Marchio Atestinus Mutinam & Regium sibi, eodem permittente Rodulpho, subiecit.* Præstantia atque Prærogatiuæ Domus Atestinæ prolixius declarantur in libro, cui titulus Osseruazioni sopra vna lettera *n. LXXI. seqq.*

** IO. GOBELLINVS Comment. Pii II. lib. I. p. 21. *qui, postquam Ferrariam venit, animo repetens Borsii magnificentiam, qua fuerat receptus, quaque recipiebatur, ac generosum animum, ditionis amplitudinem, Estensem nobilitatem, a consiliariis suis, præsertim ab Aenea rationibus suasus, ex agro Mutinæ, & Regii ducatum erexit ac Borsium ducem creauit, quod bene factum, bene locatum omnis Italia dixit.* AENEAS SYLVIVS *Hist. Friderici III. p. 61. 82. 94.* Idem *de Statu Europæ c. XLIX.* IO. BAPT. PIGNA *lib. VII. dell' Historia de Principe d' Este p. 544.* GERH. a ROO *lib. V. p. 188.* S. H. G. *diss. XXX. §. XXII.* GOLDASTVS *Polit. Imper. p. VI. p. 361.* CONRING *de Finibus Imperii c. XXIII.*

*** *art. XXXIX.*

**** GEORGIVS HORNIVS *in Orbe Politico p. 246.* & qui eum sequitur Auctor EVROP. HEROLD. *p. II, p. 773.* Brixellum pro feudo habent Mantuano, quasi pro eodem par calcarium quotannis persolueretur ab Atestinis Principibus Ducibus Mantuæ. Sed confutauit fabulam LVDO-

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS, cuius excerpta literarum reperiuntur in *Actis Eruditorum Mensis Octobris 1711. p. 442.* quibus demonstratur, quod Brixellum permutationis iure a Mediolani Ducibus obtinuerint Atestini, de eodemque ab Impp. semper fuerint inuestiti. Fabulam calcarium inde enatam dicitur, quod Hippolytus, Cardinalis Estensis, pro quadam Insula in Pado posita a. 1539. conventiones statuerit cum Duce Mantuano, quæ tamen Brixellensem agrum minime attigerint. Neque etiam par calcarium vnquam persoluisse Estenses, cum insula ista iamdudum euanuerit.

§. X.

De *Comaciensi* Comitatu multum equidem adhuc disceptatur. Pontificis adseclæ Comacium partem faciunt Exarchatus Rauennatensis, cuius terras & castra Stephano III. Papæ restituerit Pipinus, † Adriano Carolus M. †† Immo, quod in donatione Ludouici Pii Paschali Papæ facta, Comacium exprimatur. * Hunc etiam Comitatum Ioannem VIII. Papam sibi vindicasse contendunt, ** Ottonem vero M. Henricum II. Ottonem IV. Fridericum II. Pontificibus hæc iura in Comacium confirmasse. *** Quare etiam ad quinq; Bullas prouocatur Archiepiscopis Rauennatensibus concessas, quibus Papæ dicant: *nostrum Comitatum Comaclensem.* **** Potissimum vero Rudolphum Habsburgicum, consensu Electorum atque Principum Imperii non solum omnes concessiones Antecessorum suorum confirmasse, sed etiam Comacium singulari ratione designasse aiunt. ***** Et quod Comitatus Comaciensis semper pars fuerit Ducatus Ferrariensis, qui feudum semper fuerit Papale. ****** Econtrario hunc Comitatum feudum ab antiquo fuisse Imperii, historiæ nos docent, quod Adelheidi Ottonis II. Cæsaris matri primum in dotem fuit adsignatum, ******* deinceps Archiepiscopis Rauennatensibus nexu feudali fuit concessum, id quod litteræ inuestituræ diuersorum Imperatorum, potissimum Henrici II. & IV. & Friderici I. comprobant. ******** Fridericus II. etiam Imp. hanc

Ciuitatem per Priuilegium a. 1211. *tanquam ſpeciale Domanium Imperii*, in ſpecialem ſuſcepit protectionem. ********* Inter Italiæ turbas a. 1275. Comacienſes Guidonem de Polenta Rauennæ Dynaſtam eligebant Protectorem. ********** Dum vero Polentani Tyrannidem adfectarent, Rainaldo & Opizoni Eſtenſibus a. 1315. per ſingulare deditionis inſtrumentum ſe ſubiecerunt Comacienſes, *********** iſti etiam a Carolo IV. Imp. deſuper inueſtituram obtinuerunt, † eademque a reliquis Impp. Sigismundo a. 1433. Friderico III. Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. fuit repetita. †† Immo a. 1598. adhuc Cæſar Dux Ateſtinus a Rudolpho II. Imp. de Vrbe & diſtrictu Comacienſi fuit inueſtitus. ††† Idem inter Imperii feuda ſemper fuit relatus, †††† vsque dum Clemens VIII. Papa, duce Aldobrandino Cardinale a. 1598. illud tanquam Ferrarienſis Ducatus partem, proteſtantibus licet deſuper Cæſare, atque Duce Mutinenſi, ††††† Cæſari ac Mutinenſi Duci eriperet, a quo tempore Papæ illud retinuerunt. Nihilominus reliqui Mutinenſes Duces de Comacienſi tractu ab omnibus Impp. ad Ioſephum vsque fuerunt inueſtiti. †††††† Et licet de Ferrarienſi Ducatu a Papa olim inueſtituram petierint Mutinenſes, ſatis tamen ipſi demonſtrarunt, ſub Ferrarienſi Ducatu Mutinenſem tractum minime comprehendi. ††††††† A. 1708. vero Ioſephus Imp. priſtinum Ius Imperii iterum vindicauit, Comacium occupauit, idemque hucusque retinuit Auguſtiſſimus Imp. Carolus VI. Inde cauſſa hæc ſcriptis fuit agitata. ††††††††

† ANASTASIVS *in vita Stephani III. p. 126.* poſtquam dixiſſet, Pipinum adegiſſe Aiſtulphum, Longobardorum Regem ad reſtituendas Eccleſiæ Romanæ vrbes, dicit: *addens & caſtrum, quod cognominatur Comacium.* Idem poſtea narrat, qua ratione Fulradus Abbas harum terrarum poſſeſſiones acceperit, inter easdemque nominatur Comaclum. Idem *in vita Adriani p. 144.* quod *iam ſatus Deſiderius abſtuliſ-*

stulisset Ciuitatem Fauentiam, & Ducatum Ferrariæ, seu Comaclum de Exarchatu Rauennate, quas sanctæ memoriæ Pipinus Rex, & eius filii Carolus, & Carolomannus Excellentissimi Reges Francorum, & Patritii Romanorum Beato Petro concedentes obtulerunt.

†† EGINHARDVS in vita Caroli M. c. VI. *Finis tamen huius belli* (Longobardici a Carolo M. contra Desiderium gesti) *fuit subacta Italia, & Rex Desiderius perpetuo exilio deportatus & filius eius Adalgisus Italia pulsus, & res a Longobardorum Regibus ereptæ, Hadriano Romanæ Ecclesiæ Rectori restitutæ.* Eadem confirmantur in epistola Constantini & Irenes, in Concilio Generali VII. recitata, quæ extat Conciliorum Tomo VII. p. 119. vbi dicitur: *per sua laboriosa certamina, eidem Dei Apostoli Ecclesiæ, ob nimium amorem, plura dona perpetuo obtulit possidenda, tam prouincias, quam ciuitates seu castra & eorum territoria: immo & Patrimonia, quæ a perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Apostolo restituit, cuius & Iure esse dignoscebantur.* Deinde prouocant ad grauamen Adriani Papæ contra Leonem Archiepiscopum Rauennatensem, qui ipsum in possidendo Comacio impediuerit, prout in Codice Epistolarum Caroli apud du CHESNE *Script. Rer. Franc. Tom. III. ep. LI.* conqueritur: *nam & de aliis ciuitatibus Aemiliæ, id est, Fauentia, Ducatu Ferrariæ, Comiaclo, & Foro Liuii, & Foro Populi, Cæsnia, & Bobio, seu Tribunatu decimo, nullum hominem exinde ad nos, pro suscipiendis præceptis actionum, aduenire permisit. Nam illi omnes parati erant ad nos coniungere.* Et in Epistola LIV. *etenim, præcellentissime magne Rex, postquam vestra Excellentia a ciuitate Papia in partes Franciæ remeauit, ex tunc tyrannico atque proteruissimo intuitu rebellis beato Petro & nobis extitit, & in sua potestate diuersas ciuitates Aemiliæ detinere videtur, scilicet Fauentiam, Forum Populi, Forum Liuii, Cesinas, Bobium, Comiaclum, Ducatum Ferrariæ, seu Imolas atque Bononias: asserens, quod a vestra Excellentia ipsæ ciuitates, vna cum vniuersa Pentapoli illi fuissent concessæ.* Licet Magdeburgenses Centuriæ has epistolas habeant pro suppositiis.

* hanc Donationem satis explosimus in S. H. G. *diss. VII. §. IV. §. CVII.* Falsitatis etiam argumentum patet ex sententia mortis Hieronymi

 Mat-

Matthæi publicata contra Alfonſum Ceccarellum, eo quod falſo confinxerit & fabricauerit inſtrumentum Confirmationis Donationis Conſtantini ſub aſſerto nomine Theodoſii Imperatoris, prout ex ſententia mortis contra ipſum lata, adparet; quæ extat in Appendice Actorum *p. 188.* Licet Auctor Diſſertationis Hiſtoricæ eandem defendere fruſtra conetur.

** Confirmare hoc contendunt Romani, in ſcripto cui titulus: *Il Dominio della ſanta ſede ſopra Comacchio n. VIII. IX. X. XI. & in Difeſa della ſede Apoſtolica §. XCVII. ſeqq.* Maxime ex Scriptoribus Venetis probare volunt, quod Ioannes Dux Venetorum Baduarium fratrem ſuum Romam ablegauerit, vt a Ioanne Papa Comitatum Comacii obtineret. Vid. & Diſſert. Hiſtor. §. *XII. ſeqq.*

*** In dicto ſcripto *n. XIII.* & in Diſſert. Hiſtorica §. *XXVIII.* prouocatur potiſſimum ad Iuramenta Impp. quibus iura Pontificum ſe defenſuros eſſe promiſerint.

**** in Difeſa *l. c. IX. p. 80.* prouocatur ad Bullam Paſchalis II. de a. 1106. duas Innocentii II. de a. 1133. & 1139. Coeleſtini II. de a. 1143. Lucii II. de a. 1144. quæ etiam in Appendice ſecundæ Defenſionis *p. 328.* inſeruntur. Has tamen, Auctor des Droits de l' Empire ſur l' Etat Eccleſiaſtique *c. XIX.* pro ſuppoſititiis habet. Idem repetitur in Diſſert. Hiſtorica §. *XXIII. ſeqq.*

***** varia ſunt Rudolphi Habsburgici ſcripta, ad quæ prouocant Papicolæ, quibus ſedi Romanæ poſſeſſiones ab Anteceſſoribus traditas confirmauit Rudolphus, quales etiam adducuntur a RAYNALDO ad a. 1275. atque in appendice Actorum Veterum. Ad hanc potiſſimum prouocatur in dicto ſcripto *n. XI. & ſeqq.* atque in Difeſa ſecunda *n. LXIII.* in Diſſertatione Hiſtorica *n. LV. ſeqq.* atque in Relatione Iurium Sedis Apoſtolicæ in Ciuitatem Comacienſem. De hac Rudolphi conceſſione prolixe Auctor Oſſeruazioni ſopra vna lettera *n. XXIII. ſeqq.* & Auctor *des Droits de l' Empire c. XXIV.*

****** Hoc prolixius demonſtrare conatur Auctor ſcripti cui titulus: *Difeſa del Dominio Temporale della Sede Apoſtolica ſopra Comacchio §. LIX. ſeqq.* Et in Difeſa ſecunda *n. LXXXVIII. ſeqq.* in Diſſert. Hiſtor. *n. CXLVI. ſeqq.*

******* Confirmatur hoc in Oſſeruazioni ſopra vna Lettera *n. XVIII.* pre-

Prouocatur etiam ad concessionem Lotharii Imp. Ottoni Estensi a, 844. factam. Quæ extat apud LVNIGIVM *p. spec. IV. Contin. III. Fortſ. p. 703.* de cuius tamen fide spondere nolim.

******* HIERON. ROSSVS in Historia Rauennat. lib. V. p. 275. *Pellegrinus, Missus Henrici Imp. apprehendens in manibus illam virgam & misit eam in manibus suprascripto Harnaldo gratia Dei sanctissimo & euangelico Archiepiscopo, & inuestiuit ipsum, Ecclesiam Rauennatem ex parte Henrici Imp. de omni Fisco & de omni publica re Ravennate, siue ripæ, aut portæ - - - & de Comitatu Bononiense, & Comitatu Comeliense, & Comitatu Fauentino.* Reliquas Henrici IV. Ottonis IV. Friderici II. Henrici VI. Impp. inuestituras ex FERDINANDI VGHELLI Italia Sacra adducit Auctor Osseruazioni *n. XIX. seqq.* Ibidem *n. XXVI.*

******** Extat apud LVNIGIVM *p. Spec. II. Contin. III. Fortſetzung p. 704.* Diploma Friderici II. Imp. per quod Comacium tanquam *speciale Domanium Imperii, & omnes Ciues eiusdem, tanquam speciales homines, & piscatores nostros adgnoscit.*

********* dicto scripto adducitur Instrumentum ex Archiuo Atestino, per quod statuitur, quod *communis Ciuitatis Comacli conuenerit ad eligendum virum nobilem Dominum Guidonem quondam Domini Alberici de Polenta, in suum perpetualem Dominum & gubernatorem, actorem & rectorem Ciuitatis, & Districtus Comacli.*

********** In eodem scripto *n. XXVII.* atque in Appendice scripti quod sub titulo Les Droits de l' Empire prodiit *p. 487.* adducitur ex Archiuo Estensi Instrumentum, in quo *Dominus Mathiolus filius quondam Domini Zanthoni de Ciuitate Comacli, Syndicus, Actor, procurator, & nuncius specialis Communis, Vniuersitatis & hominum Ciuitatis Comacli &c. syndicario & procuratorio nomine &c. dedit, concessit, & transtulit Illustribus & Magnificis Dominis Dominis Raynaldo & Obizoni fratribus Dei gratia Estensibus & Anchonitanis Marchionibus &c. totum, plenum & omne Dominium dictæ Ciuitatis Comacli &c. cum plena potestate, & baylia.* IO. FRANCISCVS FERRVS etiam in *Historia Comaclensi p. 268.* Friderici II. Imp. litte-

litteras protulit, quibus Comacli ciues, tanquam Imperii clientes a. 1231. variis priuilegiis exornat.

† Idem Auctor *n. XXV.* ex Archiuo Estensi litteras inuestiturae Caroli IV. Imp. adducit Mantuae XVI. Kal. Decembris 1354. scriptas, in quibus: *concedimus etiam nostra munificentia Regali ipsis fratribus, & eorum haeredibus, & successoribus, nec non eorum Procuratoribus antedictis, per Nos, Nostrosque successores in perpetuum iure nobilis Feudi dictum Comaclum, siue Terram Comacli, valles, terram, cultam, & incultam nemora, & buscos, venationes, & syluas, piscationes & aquas salsas, & dulces dictae Terrae Ciuitatis Comacli, eiusdem Dioecesis, siue Territorii cum omnibus aliis & singulis connexis & dependentibus ab eadem, cum omni honore, & iurisdictione, districtu, & dominatu, ac mero & mixto imperii, & baylia.*

†† Confirmauit hanc inuestituram Carolus IV. Noribergae XIV. Kl. Ianuarii 1361. Sigismundus Imp. Ferrariae XVII. Septembris 1433. Vtriusque litterae extant apud LVNIGIVM *Reichs Archiv. p. spec. II. Cont. III Forts. p. 706.* Fridericus III. Ferrariae XVIII. Maii 1452. Maximilianus I. Imp. in oppido Campidonensi XXIV. Aprilis 1494. & in castris prope Patauium III. Idus Nouembris 1509. Carolus V. Granatae V. Octobris 1526. & Neapoli XVII. Decembris 1535. Ferdinandus I. Pragae VIII. Decembris 1558. & Viennae XX. Maii 1560. Maximilianus II. Viennae Kl. Octobris 1565. prout ex Archiuo Estensi pluribus confirmat dictus Auctor *n. XXIX. XXX.*

††† Rudolphus II. primum Alphonsum II. Pragae d. XXVI. Ianuarii 1577. de hac terra inuestiuerat. Huius successor Caesar, Pragae die XIII. Ianuarii 1598. de eadem fuit inuestitus: *de Comaclo & Terra Comacli, vasallus, terris cultis, & incultis, nemoribus & boschis, venationibus, syluis, piscationibus, & aquis salsis & dulcibus dictae Terrae, & Ciuitatis Comacli, eiusdemque Dioecesis siue territorii cum omnibus aliis & singulis connexis, & dependentibus ab eadem cum omni honore, iurisdictione, districtu & dominatu.*

†††† Inter Litteras Ludouici XII. Gallorum Regis Tomo primo reperitur Epistola Andreae de Burgo ad Margaretham Austriacam scripta de a. 1510. in qua de Duce Ferrariae inter alia p. 59. narrat: *quan-*

quantum ad Comacchium (Dux Ferrariæ) *demonſtrat, quod non ſit feudum Eccleſiæ, ſed feudum Imperiale, & quod ſupra trecentos annos Domus Eſtenſis habuerit priuilegia ab Imperio & quod eſt contentus ſtare in iuſtitia & eligantur arbitri iudices.* In Deſignatione Feudorum Imperii a Paulo Gertzweilero, Conſiliario Imperii aulico, ſub initium ſuperioris ſæculi facta, quam exhibet ITTERVS *de feudis Imperii cap. VI. p. 296.* dicitur: *Comacchio iſt ein Reichs Lehn, ſo der Pabſt de facto eingezogen, deswegen die Nothdurfft weiter zu bedencken, iſt in die 80000. Cronen werth.* Et p. 273. *Modena, Reggio beſitzt Don Caſare da Eſte, welcher ſich der Contribution mit ſeiner Tochter auffgewandter ſtarcken Vnkoſten, und andern erlittenen Schaden, ſonderlich aber mit deme, daß ihme die Pabſtl. Heiligkeit des Lehen Commachio de facto eingezogen, entſchuldiget.* FRANCISCVS FRIDERICVS ab ANDLERN *in Iurisprudentia publica & priuata lib. I. Tit. V. p. VI. p. 149.* etiam eo refert atque AVCTOR *des Droits de l' Empire p. 402.* plura ſcriptorum loca adducit, qui Comacium pro Feudo habent Imperii.

††††† THVANVS *lib. CXIX. exeunte.* In dicto libro *n. LXXIX. in Vmiliſſima ſupplica n. XXVII.* Et in Difeſa *n. LXVIII. ſeqq.* Litteræ, quibus occupationem ſuam Ferrarienſis Ducatus, vna cum pertinentiis Europæ Proceribus ſignificat, extant inter alia Acta publica Comacienſia, in Diſſertatione Hiſtorica *n. XVIII.* Auctor des Droits de l' Empire *c. XLIII.*

†††††† Cæſarem equidem de eodem Comitatu inueſtiuit Matthias Imp. XIX. Martii 1613. & Ferdinandus II. VI. Auguſti 1620. Idem X. Nouembris 1629. Franciſcum inueſtiuit. Quod poſtea IX. Nouembris 1637. fuit confirmatum. Leopoldus I. Alfonſum IV. XI. Auguſti 1659. & Franciſcum II. XV. Iunii 1663. inueſtiuit, demum Rinaldum I. XXX. Maii 1695. quem etiam Ioſephus Imp. VIII. Martii 1708. de eodem inueſtiuit. Prout in Oſſeruazioni *n. XXXIII.* comprobatur, & in Vmiliſſima Supplica *n. XII.* Extant hæ Litteræ Inueſtituræ in Appendice *des Droits de l' Empire n. XVIII. XXIII. ſeqq.*

††††††† In dicto ſcripto *n. XXXV. ſeq.* & in Vmiliſſima ſupplica *n. XV. ſeq.*

†††††††† S. H. G. *diſſ. XXXVIII. §. XXII.* Diuerſis autem ſcriptis hæc cauſſa hactenus fuit agitata. Primum, quod nouimus ſcriptum, hoc titulo prodiit: *Iura Sereniſſ. Domus Eſtenſis, quibus Allodialia eius*

bona minus rite vel recte titulo pertinentiarum Ferrariæ, Reuer. Camera Apostolica detinere nunc probatur. Coram Eminentissimis & Reuerendissimis DD. Cardinalibus Capponio, Spada, Panzirolio, ad referendum Sanctiss. D. D. Innocentio Papæ Decimo, Mutinæ ex typographia Iuliani Cassiani Impressoris Ducalis 1647. fol. Contra illud a Romanis oppositum fuit: *Sacra congregatione Eminentissimorum DD. Cardinalium Deputatorum Comaclensium Vallium Summarium concordatum super iuribus Serenissimi Ducis, Romæ ex typographia Reuer. Cameræ Apostolicæ 1661. fol.* Nostro vero sæculo in lucem prodiit GIO. FRANCESCO FERRO *Storia di Commachio, Ferrara 1701. 4. it. Supplemento alla medesima Roma 1705. 4.* In ipsa vero Controuersia & causa Comaciensi Romanorum partes defendit IVSTVS FONTANINI, in scripto, cuius titulus est: *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio per lo Spazio continuato di dieci secoli Roma 1708. 4.* Contra hoc prodierunt: *Risposta per il diritto Imperiale sopra Comacchio alla prima e seconda Scrittura della Corte di Roma, in Vienna 1708. 4. Osseruazioni sopra vna Lettra intitolata: Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio per lo spatio continuato di dieci secoli 1708. 4.* quæ LVDOVICVM ANTONIVM MVRATORIVM Mutinensis Bibliothecæ Præfectum, agnoscunt auctorem. Insecuta statim est: *altra Lettera diretta al vn Prelato della Corte di Roma 1708. 4.* Contra tria hæc scripta Romani se defendunt in *Difesa del Dominio Temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio contra le tres Scritture publicate da' Ministri del Serenissimo Duca di Modena,* cui varia adiecta fuerunt documenta, cuiusque Auctor FONTANINI habetur. Secuta est *Dissertatio Historica de summo Apostolicæ Sedis Imperio in vrbem Comitatumque Comacli 1709,* quod scriptum Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, LAVRENTIO ZACCAGNIO tribuitur. Inde a parte Ducis Mutinensis: *Alla Sacra Cesarea Real Maestà di Gioseffo I. Imperatore de Romani Vmilissima supplica di Rinaldo d' Este Duca di Modena per le controuersie di Comacchio 1710.* auctore Muratorio. *Succincta Esposizione delle Ragioni del S. R. Imperio e della Serenissima Casa d' Este sopra Comacchio 1710.* Accesserunt: *Quastioni Comacchiesi fol. 1711. Synopsis Iurium Cæsareorum ac Estensium in Vrbem & Comitatum Comacli 1712. 4. Animaduersiones pro S. Rom. Imp. & pro Ser. D. Mutinæ in Monitum*

nitum Lectori, quod præmittitur Tabulæ Chronologicæ fauore Reu. Cameræ Romanæ editæ in causa Comaclensi 1711. 4. Aliudque: *Quanto sia giusto é conueneuole que Comacchio si conserui al S. Rom. Imp. f.* Vtraque hæc tempore electionis vltimæ Cæsareæ Francofurti fuerunt distributa. Romani vero diuersis scriptis iura sua plenius declarare fuerunt conati, potissimum in *Difesa seconda del Dominio Temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio in Roma 1711. f.* quod dictum FONTANINI adgnoscit auctorem. Subsecuta est: *Relatio Iurium Sedis Apostolicæ in Ciuitatem Comaclensem, complectens varias discussiones Romæ habitas in Conuentibus, Romæ 1711. 4.* qua exponitur, quid hac de caussa diuersis in congressibus inter Legatos Cæsareos atque Pontificios fuerit actum. Hisce vero se opposuit *Auctor des Droits de l' Empire sur l' Etat Ecclesiastique recherchés & pleinement éclaircis à l' occasion de la Dispute de Comacchio & de Droits particuliers de la Serenissime Maison d' Este sur cette ville.* Auctorem illud scriptum habet dictum MVRATORIVM, qui illud Italico sermone conscripserat, quod postmodum per CASIMIRVM FRESCHOTVM in Gallicum sermonem translatum prodiit *à Vtrecht 1713. 4.* Hic autem auctor in adserendis iuribus Imperatoriis ac Mutinensibus reliquorum labores superauit. Idemque in præfatione statim exponit, quid in hoc negotio hactenus fuerit peractum. Ex anterioribus vero scriptis PHILIPPVS LVDOVICVS BRENNERVS S. R. Imperii & Ducis Estensis Iura in Comitatum Comachicum, auspicali oratione breuiter, nec tamen satis perfecte, declarauit, *Tubingæ 1710. 4.*

§. XI.

Ad Imperium æque spectare *Parmensem* atque *Placentinum* Ducatum, alio loco * fuit assertum, dum dominium vtile quidem Octauio Farnesio a Carolo V. concessum, saluo tamen iure Imperii. ** Hoc etiam Ius a Leopoldo atque Iosepho fuit redintegratum. *** *Mirandulanos* Principes Principatum suum beneficiario iure ab Imp. recognoscere demonstrauit Conringius. **** Hinc etiam a Gertzwilero inter Feuda Imperii numeratur. ***** Inde factum, vt Iosephus

 Imp.

Imp. Mirandolæ Principem ob feloniam Feudo priuaret, eundemque Principatum Mutinensi Duci addiceret, qui eundem clientelari nexu ab Imperio tenet.

* In *Dissertatione præliminari.* Addi potest locus in sententia Henrici VII. contra Robertum Apuliæ Regem Pisis lata, apud MVSSATVM lib. XIII. p. 71. vbi: *Ciuitates Cremonæ, Rhegii & Parmæ, quæ sub nostra obedientia existebant.* Sic etiam Parmæ ab Imp. præsides fuisse impositos, refert MVSSATVS *lib. XII. p. 76.* VECERIVS *Hist. Henric. VII. p. 70.*

** THVANVS *lib. XVI. p. 516.*

*** Publicauit enim Iosephus Imp. d. 26. Iunii 1708. Viennæ Edictum, contra Nullitatem Declarationis Papæ in quo sæpius declarantur *antiquissima nostra, & Imperii Romani in Italia, atque inde dependentia Ducatus Mediolanensis Iura in Parmam ac Placentiam.* Extat illud apud LVNIGIVM *im Reichs-Archiv p. Spec. II. Contin. III. Fortsetzung IV. Abtheil. p. 682.* & vernaculo sermone apud FABRVM *Staats-Canzelley Tomo XIII. c. XVI.* In hoc Diploma *Specimen Annotationum* dedit SIMON HENRICVS MVSÆVS, *Kiloni 1709.* Eiusdem est *Commentatio de Iuribus, in Parma & Placentia Ducatus a Pontifice male pratensis vel vsurpatis, Kiloni 1709.* PFEFFINGER *in Vitriarium lib. II. Tit. V. p. 1028.*

**** *De Fin. Imp. c. XXIII. p 537.*

***** Apud ITTERVM *de Feudis Imperii cap. VI. p. 273.*

§. XII.

Genuenses, licet a Rudolpho Habsburgico æque libertatem se pretio emisse dicant, adgnouerunt tamen Henricum VII. Principem, Dominumque suum † & in caussa Finaliensi Carolum V. iudicem, †† qui multa quidem iura vrbi indulsit, addita tamen hac clausula, saluo iure Imperii. †††

† CONRADVS VECERIVS Hist. Henrici VII. p. 70. *Cæsar ad diem vndecimum Calendarum Octobrium* (1311) *maximo apparatu Genuam est inuectus, Principem dominumque solenni more appellantibus:* ALBERTINVS MVSSATVS Hist. Henrici VII. lib. V. p. 26. *in harum rerum primordio regimen, gubernationemque Ciuitatis Potestate, qui eis de more*

re praerat, amoto suscepit, Abbati dimisso tantum vocabulo satellites abstulit, Vicarium constituit.

†† Integram controuersiam narrat THVANVS *lib. XXXVI. ineunte: Genuenses Finalium, quod ad Imperii iurisdictionem pertinere diximus, in Liguria occupauerant Carrectæ familiæ oppidum, ad id votis & ope oppidanorum adiuti & inuitati, qui dominos suos pertæsi ad libertatem sub Genuensis reip. patrocinio aspirabant, ea de re cum Alfonsus Finalii marchio apud Cæsarem sæpius conquestus esset, & postremo litem Genuensibus intendisset, tandem Cæsar secundum Alfonsum pronuntiauit, & Genuenses ad Feudi restitutionem & sumptus in id bellum factos marchioni refundendos, condemnauerat. Cum tamen non parerent Genuenses, postremo, Cæsar fecialem ad eos misit, sed irrito initio successu, paullumque res ob eorum contumaciam a bello abfuit: verum interuentu Philippi Finalium marchioni inuitis oppidanis restitutum est, & Genuenses Cæsari reconciliati.*

††† CONRING *de Fin. Imp. c. XXIII. p. 540.*

§. XIII.

Sabaudiæ Dux in Italia possidet *Pedemontanum* Principatum, cum ipsa Sabaudia sit iuris Burgundici. Hunc in Taurinis situm ab antiquo iam suos Duces habuisse, docent nos Historiæ. † Cessit tamen Imperatoribus, qui Taurinorum vrbi præfectos dederunt. †† Hi Cæsarum beneficio Comites facti, & quod Italiæ claustra custodirent, Marchiones. Ex quo demum Pedemontanus Principatus fuit erectus, quem Humbertus II. Sabaudiæ, hæres ex asse Adelheidis auiæ suæ, sub finem seculi XI. tanquam allodium familiæ intulit. ††† Ideo titulo semper a Sabaudia distinctus. †††† Hunc autem Imperio factum beneficiarium, patet ex litteris inuestituræ Amadeo VIII. primo Sabaudiæ Duci a. 1416. per Imp. Sigismundum factæ, ††††† quibus Pedemontium æque cum aliis terris continetur. Sic etiam Astensis Comitatus, Marchionatus Ceræ, Imperii dominium directum agnoscunt, †††††† & Marchionatus Montisferratensis. †††††††

† Sic PAVLVS DIACONVS *de Gest. Longobard. Lib. IV. c. LIII.* Garibaldi, Taurinatium ducis facit mentionem.

†† De Henrico VII. hoc testatur ALBERTINVS MVSSATVS *in Vita lib. I. p. 3.*

††† Du CHESNE *Hist. de Bourgogne lib. IV. c. LVI.* GVICHENON *Hist. Geneal. de Savoye Tom. I. p. 214.*

†††† Primum quidem Amadeus, Humberti filius, hunc titulum gessit: *Ego Amedeus Comitis Vmberti Refortiati filius, ac Dei gratia Burgundiæ & Lombardiæ Comes, Neposque Comitissæ Aladiæ, & hæreditario iure successor,* in Charta Donationis apud GVICHENON *Tom. VI. p. 34.* in qua etiam vocatur Adeilheidis allodium. Seculo demum decimo quarto Philippus titulum gerit *de Sabaudia, Dominus in partibus Pedemontii,* GVICHENON *Tom. VI. p. 109.* Quare ALBERTINVS MVSSATVS Historia Henrici VII. *lib. IV. p. 22. Ameus Comes Sabaudiæ Longobardiæ, prouinciæ Comes.*

††††† Extant litteræ inuestituræ apud GVICHENON *Tom. VI. p. 254.* & Recueil des Traittés de Paix *Tom. I. p. 393.* Inde etiam OCT. CACHERANVS *Decis. Pedemontanis cons. XXVII. n. 21.* testatur, se vidisse inuestituras Imperiales desuper erectas.

†††††† De ista iamdum inuestitus fuit Aledramus, Sabaudiæ Marchio ab Ottone M. a. 907. Litteræ Inuestituræ extant apud LVNIGIVM *im Reichs-Archiv p. Spec. II. Cont. III. Forts. p. 769.* Recentiores Litteræ Inuestituræ Ferdinandi II. de a. 1631. & Iosephi de a. 1708. reperiuntur *p. 774.* ITTER *de feudis Imp. c. VI.* §. *19.* SCHVRZFLEISCH. *Ius Augusti in Italiam* §. *23.* In Pace Monasteriensi art. 96. dicitur, quod feuda Rocheuerani, Olmi & Cæsolæ cum pertinentiis a Romano Imperio nulla ratione dependeant, quod tamen ita intelligendum, feuda hæc Sabaudica esse non immediata Imperii.

††††††† Confirmatur hæc Inuestitura Sabaudiæ in Pace Monasteriensi art. XCVI. *Cæsarea Maiestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudiæ, vna cum Inuestitura antiquorum Feudorum & Statuum, qualem inclytæ memoriæ Ferdinandus II. Duci Sabaudiæ Victori Amedeo concesserat, Inuestituram quoque locorum, ditionum, statuum omniumque iurium Montisferrati cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti Tractatus Clarascensis, nec non executionis inde subsecutæ decreta & remissa fuerunt, sicuti quoque Feudorum Nouelli, Monfortis,* Si-

Sinii, Moncherii & Castelletti appertinentiis iuxta tenorem Instrumenti acquisitionis, ab eodem Duce Victore Amedeo facta sub decimo tertio Octobris Anni Millesimi sexcentesimi trigesimi quarti, & congruenter concessionibus seu permissionibus, nec non approbationibus Cæsareæ Maiestatis, cum confirmatione quoque omnium & quorumcunque priuilegiorum, quæ Sabaudiæ Ducibus hactenus indulta fuerunt quotiescunque a Domino Duce Sabaudiæ requirentur, & postulabuntur.

§. XIV.

Plura supersunt Imperii Feuda in Italia. *Marchionatus* equidem *Sauonensis*, Feudum est Marchionis de Caretto. De Feudis Buzallæ, Petræbissariæ & Montis Canearum, Cantalupi, insula & Variana inuestiuntur Marchiones de Spinola. De Comitatu Gazoldi Domini de Hippolytis. Marchionatus Calicis & Veppi, Castellum S. Christophori, Burgus Furnariarum & Arquata Marchionibus de Spinola, partim etiam de Auria in Feudum conceduntur, quorum etiam est castellum Serrauallis & Marchionatus Turrilia & S. Stephani Vallis Auanti. Feudum etiam Imperii est Carosium cuius decem partes Franciscus Lercarius a. 1626. obtinuit. Virguletta, Villa Rochetta, Beueroni, Garbugliaghæ, Fillattoria, Bæstia, Pons Bosii & dimidia pars Villæ Francæ Marchionibus de Malaspina in feudum fuerunt concessa. Imperii quoque feudum est Sauignoni, cuius partem Leopoldus Imp. Lucæ Flisco a. 1687. concessit. Nobiles de Lupis inuestiuntur de Marchionatu Soranea, quos Iosephus Imp. a. 1709. in numerum Imperii Principum euexit. Marchionatus Pallauicini vna cum diuersis castris feudum est Imperii. Costarum familia de Comitatu & Castro Linguiliæ; Parlendæ & Parauennæ inuestiuntur. Domini Scarampi Cribelli inuestiuntur de Montisclaro, Vinchii & Beluederis parte. * Plura supersunt

quæ

quæ vel iuri Imperii ſenſim fuerunt exempta, de quibus tamen indagandis Imp. per Capitulationem obligatur,** vel non adeo cognita.*** Inter memorata, pleraque ſunt *Feuda Landarum* ſiue Langharum. Nomen iſta habent a locis deſertis,**** in quibus conſtituta, atque conſiſtunt in locis iſtis a Flumine Tanagri ad flumen Orbæ & ad Litus Maris,in Montisferratenſi Marchionatu. ***** Concesſerat iſta Otto M. Imp. Aledramo, Montisferratenſi Marchioni, ex quo Sabaudiæ Dux, tanquam Montisferratenſis Marchionatus poſſeſſor, in eadem prætendit, tanto magis, quod Carolus IV. Imp. per ſingulare Diploma d. VIII. Maii 1355. illud Marchionibus concesſerit, ideoque dictorum Feudorum poſſeſſores a Montisferrati Marchionibus ſæpius fuerint inueſtiti. Accedit,quod Marchiones feuda dicta in bellis contra Genuenſes atque Venetos iterum vindicauerint. Potiſſimum vero argumentum Sabaudiæ Dux inde ſumit, quod Leopoldus Imp. per Diploma ſingulare VIII. Februarii 1690. ipſi facultatem concesſerit feuda iſta, tanquam Imperii ſubfeuda ſibi vindicandi, id quod per pactum ſingulare a. 1703. deinde etiam a Ioſepho Imp. fuit confirmatum. ****** Dum autem dictorum feudorum poſſeſſores, inter quos Marchio Carrettanus eſt præcipuus, deſuper proteſtarentur, a Ioſepho Imp. XXIX. Iulii 1709. obtinuerunt, vt feuda illorum pro Imperii feudis declararentur ipſique a fide Duci iamdum præſtita abſoluerentur. Contradicente tamen Duce, illi feuda per Monaſterienſem Pacem conceſſa, vtpote Nouelli, Signo Monchiore & Caſtelletto confirmantur. ******* Nondum eo contentus Dux, obtinuit, vt per conſtitutos Commiſſarios XXVIII. Martii 1711. feuda iſta adſignarentur, cuius tamen executionem Ioſephi Imp. mors ſtatim inſecuta impediuit. Durante Interregno,Sabaudiæ Dux non ſolum per Dominum de Mellarede cauſſam ſuam coram Collegio Electorali de feudis Landarum, ſed etiam ipſi

ipsi possessores dictorum Feudorum caussam suam egerunt, nihil tamen vtrique obtinuerunt, potius decretum, vt caussæ Feudorum Italiæ alienatorum penitius indagarentur. † Dum Rastadti pacis negotium tractaretur, caussam Ducis equidem Galli suscipiebant, hanc etiam Feudorum concessionem præter alia postulantes, †† nihil tamen in Ducis fauorem obtinere valuerunt.

* Horum Feudorum litteras Inuestituræ exhibuit LVNIGIVS *im Reichs-Archiv II. Contin. III. Fortsf. im Anhang p. 733. seqq.* Sequitur eundem PFEFFINGERVS *in Vitriarium lib. II. Tit. V. p. 1036.*

** Capit. Caroli VI. *art. X.*

*** Extat apud DATTIVM *lib. III. c. IX. de Ciuitatibus & Castris, quæ in ditione Florentina, Lucana, Pistoriensi, Vulterra & Senensi tunc ad Imperatorem & Imperium Romanum adhuc pertinebant, consignatio per Wenceslai Regis notarium facta.* Eiusmodi consignatio Feudorum Imperii apud Italos per PAVLVM GERTZWEILERVM sub initium Seculi superioris facta, reperitur apud IO. GVILIELMVM ITTERVM *de Feudis Imperii c. VI.*

**** OCT. FERRARIVS *Origg. Linguæ Italicæ:* Landa. Regio, & planities arenosa. Idem dicit SPELMANNVS Glossario.

***** Extat Diploma Ottonis apud ANTONIVM FABRVM, *in Consultatione de Montisserratensi Ducatu p. 2.* in quo: *omnes illas cortes in desertis locis consistentes, a flumine Tanagri, vsque ad flumen Vrbam, & ad littus maris, quorum nomina hæc sunt: de Gobangiasco, Balangio, Salascedo, Lecesi, Cabole, Miolia, Pulcione, Gruaza, Prunetto, Altrismo, Cortemiglia, Montenesi, Nascetto, Masionti, Arche, & quicquid ibidem hactenus Iuris Regni Italici pertinuit, vt sicut huc-vsque Iuri Regni nostri, & dominio subdi visæ sunt; ita amodo in antea præfati Aledrami Marchionis dominii subdantur, & in eius ius delegentur, & omnino transfundantur.* In scriptis Sabaudicis dicitur: *Secundo geniti descendentes ex Aledramo de portionibus in appanagium sibi concessis septem constituerunt Marchionatus, scilicet Savonæ, seu Carretorum, Clauesanæ, Ceuæ, Bosci, Ponzoni, Boscæ & Incisæ.*

****** Argumenta Sabaudica collecta videmus in scripto, quod Collegio Electorali Francofurti exhibuit Dominus de Mellarede, atque in Appendice Documentorum reperitur, quæ accessit Iunioris Domini a ZECH *gegenwartiger Verfassung der Kayserlichen Regierung in Teutschland p. 269.* In compendio ista exhibuimus in *Historie Rastadtischer Friedens-Handlung p. 128.* & in S. H. G. *diss. XXXVIII.* §. *XXIV.*

******* §. *XCV.*

† Vtraque scripta in dicta Appendice exhibentur.

†† In Proiecto Pacis Gallorum *art. XXXI.*

§. XV.

Hi igitur fines & termini Regni Longobardici. Dispiciendum tamen, an etiam in *Regnum Neapolitanum* Iura quædam sint Imperii. Illud sub Apuliæ atque Calabriæ nomine olim comprehendebatur, atque in diuisione, quæ de Imperio inter Carolum M. & Irenem fuit facta, Græcorum imperio relictum. † Otto M. autem primum Græcos ex omni Calabria atque Apulia eiecit, †† qui imperante Ottone II. turbas denuo mouentes, Saracenos concitarunt, ††† quos Normanni a Conrado II. euocati, eiecerunt, qui etiam illis Apuliam concessit inhabitandam, hoc ipso ius exercens in dictam prouinciam. †††† Neque etiam istos ab omni Imperii subiectione fuisse alienos, patet ex eo, quod Lotharius Imp. Reginaldo ducatum Apuliæ contulerit, manum tamen vexillo admouente pontifice. ††††† Henricus VI. demum, ducta Constantia, idem regnum sibi subiecit, idemque Germanico imperio iungi voluit, si ipsi hæreditarium Ius in Imperium concederent Principes. Hoc cum effectu destitueretur, †††††† mansit Neapolis Sueuicæ familiæ. Postquam autem Otto IV. Imp. Friderico II. adhuc Regi Neapolitano se opponeret, hic regnum Neapolitanum a Papa se tenere profite-

fitebatur, quod tamen Otto IV. Imperio iterum vindicare conabatur. * Exinde iura dominii directi in illud Regnum sibi Papæ sumserunt, & dum Sueuicæ familiæ essent infesti, Andegauenses in regnum euocarunt ea conditione, vt illud ab ecclesia Romana in feudum recognoscerent, & tributum quotannis soluerent. ** Hi tamen ab omni Imperii nexu minime fuerunt alieni, id quod exemplo Roberti Regis patet, quem Henricus VII. tanquam Imperii vasallum, ob læsam Maiestatem condemnauit. *** Licet Papæ iura sibi hucusque vindicauerint, quod ex parte etiam Arragonii adgnouerunt, licet exinde nullum præiudicium iuribus Imperii. Maxime, dum Augustissimus Imp. CAROLVS VI. hoc clientelæ ius Papæ plane deneget.

† PANDVLPHVS COLLENVTIVS *Hist. Neap. lib. II. p. 83.* S. H. G. *diss. XII. §. XXVII.*

†† OTTO FRISINGENSIS VI. c. XVII. *hic est Otto, qui post multas, quas noui victorias, Græcos quoque in Calabria & Apulia superauit.* WITTICHINDVS *lib. III. p. 671.* DITMARVS *lib. II. p. 334.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 969.* COLLENVTIVS *p. 88.*

††† S. H. G. *diss. XII. §. V.*

†††† WIPPO vita Conradi Salici p. 433. *facta igitur pace inter Romanos & Teutonicos Imperator in Apuliam concessit: & Beneuentanum & Capuam, ac reliquas ciuitates illius regionis seu vi, siue voluntaria deditione sibi subiugauit, & Nortmannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos regni aduersus Græcorum versutias, eos principibus suis coadunauit.*

††††† OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. c. XIX. XX.* Idem tradit FVLCO apud BARONIVM *ad a. 1137. §. 14.* Postquam dixisset, Imp. cum Innocentio Papa Beneuentum aduenisse, addit: *vbi ipse Apostolicus Innocentius Ducem ad defensionem Apuliæ ordinare nomine suo satagebat, Imperator vero nomine suo contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Vnde factum est, vt per triginta fere dies ad inuicem ea de re*

fuerit discordatum, sed sapientium consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa, divina fauente clementia, & ipso Imperatore annuente, omnibusque suis, prædictus Apostolicus suo nomine, ad B. Petri fidelitatem, Comitem Rainulphum, virum vbique prudentem & discretum, in Ducem elegit, & eo electo, vexillum, ad honorem Ducatus Apostolicus & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmauerunt.

†††††† MAGNVM CHRON. BELG. *p. 205.* GERVASIVS TILBER. *Otiis Imper. lib. II. c. XIX. p. 943.* GOBELINVS PERSONA *Cosmodrom. at. VI. p. 275.* MEIBOMIVS *apol. pro Ottone IV. p. 116.* S. H. G. *diss. XVIII. §. X.*

* GODEFRIDVS Monachus ad a. 1210. *Apuliam etiam Imperio restituere volens, quam Siculus a Papa in feudo se tenere affirmabat, quam etiam quidam Rutgerus nomine, quondam Imperio vi ablatum inuaserat.* PAND. COLLENVTIVS lib. IV. p. 147. *Deinde in regnum Neapolitanum progressus multas illius vrbes & inter cæteras Capuam occupauit, vbi cum esset in hybernis, multa Apuliam vsque obtinuit.*

** PAND. COLLENVTIVS lib. IV. p. 195. *deliberauit Pontifex illi vtriusque Siciliæ regnum tradere, ea conditione, vt id suis sumptibus armisque comparatum, agnosceret tamen se ab Ecclesia habere, & honestum quendam tributum illi quotannis persolueret.* THOMAS FAZELLVS *de reb. Siculis, dec. poster. lib. VIII. p. 447.*

*** CONRADVS VECERIVS Hist. Henrici VII. p. 72. *tum de Roberto castigando tractatum. Causa cognita, deque consilii sententia ob læsam maiestatem Romani Imperii, paterno illum regno prouincialique Comitatu excidisse pronuntians.* NICOLAVS SPECIALIS *rer. Sicul. lib. VII. c. I.* ALBERTINVS MVSSATVS *Historia Henrici VII. p. 70.* Extat sententia Pisis 1311. lata apud GOLDASTVM *Constit. Imp. p. I. p. 95.* in qua vasallus Imperii dicitur.

§. XVI.

Supersunt etiam Imperii iura in *Ducatum Beneuentanum*, Neapolitano regno adiacentem, a Papis tamen prætensum. Beneuentum enim sedes principum Longobardorum * quod tamen Otto M. cum aliis annexis prouinciis, Ducibus

cibus illorum deuictis, sibi vindicauit.** Henricus II. hanc Beneuentanam regionem a Græcis recepit. *** Henricus III. Imp. Normannis eandem a. 1047. confirmauit.**** Idem tamen Imperator Leoni IX. Papæ, qui ipsi Bambergensem episcopatum B. Petro donatum, plene submiserat, in commutationis vicem Beneuentum a. 1053. concessit. ***** Postquam vero Rogerius Dux Apuliæ Beneuentum cepisset, illud, imperante Lothario repit Henricus Superbus, eius gener, atque Papæ restituit. ****** Fridericus II. Imp. eandem iterum sibi vindicauit. ******* Possedit eandem etiam Manfredus, ad eam victus a Carolo Andegauensi, ibidemque sepultus. † Alphonsus V. Rex Neapolitanus dum Regnum suum recuperaret, eandem vrbem a. 1439. cepit †† quam tamen potentiores Papæ facti, sibi iterum vindicantes tenuerunt, vsque dum Augustissimus Imperator Carolus VI. Iura Regni Neapolitani in Vrbem & Tractum Beneuentanum nouiter ††† vindicaret.

* De hoc LEO OSTIENSIS *Chron. Casin. lib. I. c. V. & c. VI.* ibidemque ANGELVS de NVCE *in notis & c. XXIX.*

** DITMARVS *lib. II. p. 333.* de Ottone M. *patronus Romanæ effectus Ecclesiæ, Beneuentum, Calabriam atque Apuliam ducibus eorum deuictis sibi vindicauit.*

*** GLABER RODVLPHVS Hist. lib. III. c. I. *pergens ad regionem Beneventanam expugnauit ac subdidit vniuersas Ciuitates & castra, quæ Græci surripuerant eius Imperio.* Qua ratione vero Græci a. 890. Beneuentum ceperint, narrat LEO OSTIENSIS *lib. I. c. XLIX.*

**** LEO OSTIENSIS lib. II. c. LXXX. *Inde Beneuentum contendens, cum noluissent eum ciues recipere, tam ob suam, quam & ob patris iniuriam, totam ciuitatem a Romano pontifice, qui cum illo tunc erat, excommunicari fecit, cunctamque Beneuentanam terram Normannis*

auctoritate sua confirmans, vltra montes exinde est reuersus, Gregorium secum asportans. Idem adserit HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 1047.*

***** Auctor est LEO OSTIENSIS lib. II. c. XLVI. *hic idem Augustus* (Henricus II.) *ex proprii patrimonii sumptibus construxit Ecclesiam ad honorem S. Georgii in Babenbergense, & aduocans Benedictum Papam, ab ipso illam consecrari fecit, atque Episcopalem in eo sedem constituens, beato Petro ex integro obtulit, statuto censu per singulos annos equo vno optimo albo cum omnibus ornamentis & faleris suis, & centum marchis argenti. Postmodum vero Leo nonus Papa vicariationis gratia Beneuentum ab Heinrico Corradi filio recipiens, praedictum Episcopium Babenbergense sub eius ditione remisit, equo, tantum, quem praediximus, sibi retento.* Et PETRVS DIACONVS *Chron. Casfin. lib. II. c. LXXXIV. tunc temporis facta est commutatio inter eundem Apostolicum & Imperatorem de Beneuento, & Episcopio Bambergense sicut iam supra retulimus.* CAR. SIGONIVS *de Regno Italiae lib. VIII. p. 206. Possidebat in Germania complures pontifex, easque opimas ecclesias superiorum regum beneficio ac pietate S. Petro donatas. Has igitur liberare Henricus cupiens, petiit a Leone, vt sibi remitteret & pro illis Beneuentum, ac caetera in Ducatu Beneuentano iuris regii oppida nomine vicariatus sibi haberet. Qua re audita Leo nihil se eius abnuere voluntati posse respondit.* Exinde suspectum mihi admodum videtur Diploma Henrici II. Imp. de a. 1014. quo inter alia Bona atque Regalia B. Petro concessa, refertur etiam Ducatus Beneuentanus, quod exhibet BARONIVS *ad a. 1014.* GOLDASTVS *Constit. Imper. Tomo I. p. 229.* TOLNERVS *Codice Diplomatico p. 24.* cum hic Ducatus demum ab Henrico III. Pontifici fuerit cessus. Immo initium statim Diplomatis illud reddit suspectum: *In nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus spondeo &c.* Cum alia Henrici II. Diplomata ita incoent: *In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus,* vt alia nunc taceamus. Idem confirmat etiam HERMANNVS CONTRACTVS ad a. 1053. dicens: *Imperator cum domino papa, multisque episcopis & principibus, Natalem Domini Wormatiae egit,*

egit. Vbi cum papa, ficut dudum cœperat, Fuldenfem abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia quæ fancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore repofcens exegiffet, demum Imperator pleraque in Vltramontanis partibus ad fuum ius pertinentia pro Cifalpinis illi quafi per concambium tradidit. Adfentitur BARONIVS *ad d. a.* ANTONIVS PAGI *ad a. 1052.* Hinc etiam LEO OSTIENSIS dicit *lib. IV. c. XIX. per idem tempus Anfo Rector Beneuentani Principatus ad fidelitatem Romanæ Ecclefiæ -- obtulerunt & fancto Benedicto Ecclefiam fancti Nycolai.* Et GVILIELMVS APVLVS *de Normannis, lib. IV. ineunte* de Henrici IV. temporibus:

Illis Gregorius Beneuentum Papa diebus
Aduenit: vrbs erat hæc Romano fubdita Papæ,
atque fui iuris.

****** MONACHVS WEINGARTENSIS de Guelfis c. XII. *porro Heinricus nofter, per Tufciam exercitum duxit, quam etiam ab Imperatore beneficio obtinuit. Romamque veniens fummo Pontifici Innocentio vsque ad Imperatorem conductum præbuit. Suburbia Albæ ciuitatis fibi refiftere nitentis expugnauit, ac deftruxit. Beneuentum cepit, ac Papæ reftituit.* Prolixius vero fingula narrat PETRVS DIACONVS *lib. IV. c. CV.* Idem dicit VITVS ARENPECK *de Guelfis p. 663.* ANT. PAGI *Critica ad a. 1137.*

******* THOMAS FAZELLVS *de rebus Siculis pofter. Dec. lib. VIII. p. 442.* de Friderico II. *Beneuentum vi captum diripuit, direptum mœnibus nudauit.*

† MONACHVS PADVANVS *Chron. lib. III. ad a. 1266.* THOMAS FAZELLVS *pofter. Dec. lib. VIII. c. III. p. 447. proinde parta Carolus victoria Beneuentum ingreditur, confluentes vndique populos in deditionem accepit.* PANDVLPHVS COLLENVTIVS *Hift. Neap. lib. IV. p. 205.*

†† PAND. COLLENVTIVS *lib. VI. p. 439.* Et licet idem dicat, *p. 448.* quod Alfonfus quasdam Ciuitates reftituerit, inter has tamen Beneuentum haut numeratur. Sic enim ifte: *ciuitatem Ducatam, Cumulum atque Matricem Aprutii vrbes, Ecclefiæ reftituerit.*

††† LA CLEF DV CABINET DE PRINCES *Octobre 1708. p. 258. & Mai 1718. p. 458.*

§. XVII.

§. XVII.

De *Venetorum Republica* dubitatur, an tanquam Italiæ pars Imperatoribus Germanicis olim paruerit. Auctor quidem Scrutinii Libertatis Venetæ, † multis probare contendit Venetos ab antiquo paruisse Græcis, Gothis, Francis atque Germanis, contrarium adserente Conringio, †† qui nullum plane ius in Venetorum vrbem tribuit Germanis. Ottoni M. tamen certo fœdere adligati fuerunt Veneti, ††† a quo eiusdemque successoribus diuersas adepti immunitates, vt ideo libertatem suam decrescente potissimum Impp. apud Italos potentia, facile vindicarent. ††††

† Dictum de eo *Bibl. Hist. cap. XXVII.* §. *XXIX.* atque verus auctor ALPHONSVS de CVEVA indicatur.

†† *De Fin. Imp. c. XI.* Licet enim ADELMVS BENEDICTINVS *ad a. 806.* dicat, quod Carolus Venetias ordinauerit, & *ad a. 810.* quod Pipinus, eiusdem nepos Venetos rebellantes iterum subiecerit: addit tamen quod Venetias Nicephoro reddiderit. Hunc sequuntur ADO. REGINO.

††† SIGONIVS *lib. VII. p. 172.* dicit, quod Otto M. Venetiarum ecclesiis multas concesserit immunitates & *p. 180.* cum fœdus Venetum rescindere vellet, tamen a legatis Ducis rogatus abstinuit. Otto III. vero a. 992. priuilegium concessit, vt nullus princeps aliquem Venetorum coercere, aut fodrum exigere aut banno mulctare posset, SIGONIVS *lib. VII. p. 182.* quo ipso satis patet, aliqua olim fuisse Iura Imperii. De eodem dicit SABELLICVS *ad a. 998.* quod *aureum pannum, qui ex publico fœdere Cæsaribus annuus dabatur, in perpetuum Veneto nomini remiserit.*

†††† Latius hoc demonstrauit CONRINGIVS *de Finibus Imperii c. XXIII.* Sunt tamen qui putent, hæc priuilegia omnino posse reuocari. Hanc in rem adlegantur ab auctore Scrutinii Libertatis Venetæ p. 82. verba BALDI, qui BARTOLVM secutus, ita loquitur: *libertatem ab Imperio Romano recognoscunt* (Veneti) *& viuunt tanquam filii emancipati, debentque illi reuerentiam, quam si non exhibent, possunt in ser-*

seruitutem reuocari, tanquam ingrati; quia non sunt liberi nisi per patientiam Imperatoris, vel speciale priuilegium, quod alii successores possunt secundum Bartolum reuocare.

§. XVIII.

Potiora tamen iura esse videntur Imperii in terras Venetorum, quas in Lombardia tenent, Agrum scilicet Patavinum, Vicentinum, Veronensem, Brixanum, Cremensem & Bergamensem. Hæc enim partes olim regni Longobardici indubiæ, Friderico Barbarossæ se denuo subiecerunt, † Veneti de iisdem tributum pro vetere consuetudine Henrico VII. soluerunt. †† Ipsi etiam post infelix ad Adduam prælium, per legatum suum Antonium Iustinianum omnia se Maximiliano, tanquam vero & legitimo Principi restituturos promiserunt. ††† Licet postea mutata belli facie, easdem denuo sibi vindicarent.

† SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. XIV. ad a. 1183.*

†† CONRADVS VECERIVS de gestis Henrici VII. ad a. 1311. *Ab eo* (Genuensi Episcopo) *Vicentia, quæ Paduani iuris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea victoria ipsos quoque Patauinos metu vsque eo perculit, vt suppliciter sese fidei in primis Cæsareumque præfectum recipere iussi. Idem Antistes profectus Venetias, tributum pro vetere consuetudine postulauit. Appulso honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam, talenta Veneta mille.*

††† Extat Oratio apud GVICCIARDINVM *lib. VIII. p. 275.* licet in recentioribus editionibus omissa. S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XXX.*

CAPVT TERTIVM
DE
TERRITORIO REGNI
GERMANICI.

§. I.

GErmania omnis, quæ præcipuam partem constituit Imperii nostri, primis sæculis a Galliis, Rhætiisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis, Dacisque mutuo metu aut montibus olim separabatur.* Vistula potissimum Germaniam Scythiamque terminabat.** Talis fere status fuit vsque ad Caroli M. tempora. Postquam vero per pactum Verdunense a. 843. Ludouicus, alter ex Ludouici Pii filiis Germaniæ regnum obtineret, vna cum nonnullis Ciuitatibus cum adiacentibus pagis trans Rhenum, tractu scilicet Spirensi, Wormatiensi & Moguntino, ob vini copiam fuisset adeptus,*** extensi etiam Germaniæ limites fuerunt trans Rhenum, ita vt Epusium, hodie Iuoy castrum Treuirorum in finibus Galliæ atque Germaniæ situm esse diceretur.**** Contra Slauos vero irrumpentes, Viader Germaniæ Terminus fuit factus,***** Leita & Maraha terminus versus Vngariam,† Eidora versus Daniam.†† Hodie Germania post diuersas vicissitudines fines habet orientem versus Poloniam atque Vngariam, in Occidente Galliam atque Belgium Fœderatum, versus meridiem Italiam & Heluetorum Respublicas, versus Septentrionem mare Balthicum atque Daniam.†††

* Verba sunt TACITI *de Mor. Germ. sub initium.* Eadem fere habent

IVLIVS CÆSAR *de B. Gall. lib. I. c. II.* POMPONIVS MELA *lib. III. c. III.* CHRIST. CELLARIVS *Not. Orb. antiqui lib. II. c. V. p. 449.*

** IORNANDES de rebus Geticis sub initium: *Vistula fluuius Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scanziæ septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans.* Licet Slauicæ gentes iamdum ista ætate cis Vistulam egerint, in Francorum fines incurrentes, qui tamen a Carolo M. ex parte fuerunt deuicti, prout in vita ipsius EGINHARDVS adserit cap. XV. *Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias effecerit. Inter quas fere præcipui sunt, Welatrabi, Sorabi, Abotriti, Boëmani, cum iis namque conflixit: ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.*

*** De huc supra *cap. I. §. II.*

**** LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1056.* de Henrico III. Imp. *Imperator regressus de Italia sanctum Pascha Podelbrunnæ celebrauit, breuique commoratus in Goslaria, perrexit ad villam Civis in confinio sitam regni Francorum ac Teutonicorum, colloquium ibi habiturus cum rege Francorum.* Hodie *Ipsch*, Gallis *Iuoy* de quo in SYNT. HIST. GERM. *diss. XIV. §. XX.*

***** GÜNTHERVS *Ligurino* lib. VI. v. 88. *Odera Germanos quà separat atque Polonos.* Inde vlterius narrat, qua ratione eandem transgressus fuerit Fridericus Barbarossa.

† OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici Barbarossæ lib. I. c. XXXII. *Dux etiam* (Henricus Leo) *cum suis non longe ex altera parte eiusdem fluuii, qui Imperii Romani, & Regni illius ex vno Danubii latere (nam ex altero Maraha fluuius) limes est, suos conuocans, itidem castra metatur.*

†† ADAMVS BREMENSIS lib. IV. c. XLVI. *Daniam a Germania Egdora dirimit.* Quare ANN. FVLDENSES ad a. 811. *Condita vero inter Imperatorem & Hemmingum Danorum regem pax, a duodecim primoribus vtriusque gentis, Francorum videlicet & Danorum, iuxta fluuium Egidoram vicissim secundum ritum ac morem suum datis sacramentis confirmatur.*

††† Hos fines etiam describit THVANVS *lib. II. ineunte.*

****** Argumenta Sabaudica collecta videmus in ſcripto, quod Collegio Electorali Francofurti exhibuit Dominus de Mellarede, atque in Appendice Documentorum reperitur, quæ acceſſit Iunioris Domini a ZECH *gegenwärtiger Verfaſſung der Kayſerlichen Regierung in Teutſchland p. 269.* In compendio iſta exhibuimus in *Hiſtorie Raſtadtiſcher Friedens-Handlung p. 128.* & in S. H. G. *diſſ. XXXVIII. §. XXIV.*

******* §. *XCV.*

† Vtraque ſcripta in dicta Appendice exhibentur.

†† In Proiecto Pacis Gallorum *art. XXXI.*

§. XV.

Hi igitur fines & termini Regni Longobardici. Diſpiciendum tamen, an etiam in *Regnum Neapolitanum* Iura quædam ſint Imperii. Illud ſub Apuliæ atque Calabriæ nomine olim comprehendebatur, atque in diuiſione, quæ de Imperio inter Carolum M. & Irenem fuit facta, Græcorum imperio relictum. † Otto M. autem primum Græcos ex omni Calabria atque Apulia eiecit, †† qui imperante Ottone II. turbas denuo mouentes, Saracenos concitarunt, ††† quos Normanni a Conrado II. euocati, eiecerunt, qui etiam illis Apuliam conceſſit inhabitandam, hoc ipſo ius exercens in dictam prouinciam. †††† Neque etiam iſtos ab omni Imperii ſubiectione fuiſſe alienos, patet ex eo, quod Lotharius Imp. Reginaldo ducatum Apuliæ contulerit, manum tamen vexillo admouente pontifice. ††††† Henricus VI. demum, ducta Conſtantia, idem regnum ſibi ſubiecit, idemque Germanico imperio iungi voluit, ſi ipſi hæreditarium Ius in Imperium concederent Principes. Hoc cum effectu deſtitueretur, †††††† manſit Neapolis Sueuicæ familiæ. Poſtquam autem Otto IV. Imp. Friderico II. adhuc Regi Neapolitano ſe opponeret, hic regnum Neapolitanum a Papa ſe tenere profite-

fitebatur, quod tamen Otto IV. Imperio iterum vindicare conabatur.* Exinde iura dominii directi in illud Regnum sibi Papæ sumserunt, & dum Sueuicæ familiæ essent infesti, Andegauenses in regnum euocarunt ea conditione, vt illud ab ecclesia Romana in feudum recognoscerent, & tributum quotannis soluerent.** Hi tamen ab omni Imperii nexu minime fuerunt alieni, id quod exemplo Roberti Regis patet, quem Henricus VII. tanquam Imperii vasallum, ob læsam Maiestatem condemnauit.*** Licet Papæ iura sibi hucusque vindicauerint, quod ex parte etiam Arragonii adgnouerunt, licet exinde nullum præiudicium iuribus Imperii. Maxime, dum Augustissimus Imp. CAROLVS VI. hoc clientelæ ius Papæ plane deneget.

† PANDVLPHVS COLLENVTIVS *Hist. Neap. lib. II. p. 83.* S. H. G. *diss. XII. §. XXVII.*

†† OTTO FRISINGENSIS VI. c. XVII. *hic est Otto, qui post multas, quas noui victorias, Græcos quoque in Calabria & Apulia superauit.* WITTICHINDVS *lib. III. p. 671.* DITMARVS *lib. II. p. 334.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 969.* COLLENVTIVS *p. 88.*

††† S. H. G. *diss. XII. §. V.*

†††† WIPPO vita Conradi Salici p. 433. *facta igitur pace inter Romanos & Teutonicos Imperator in Apuliam concessit: & Beneuentanum & Capuam, ac reliquas ciuitates illius regionis seu vi, siue voluntaria deditione sibi subiugauit, & Nortmannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos regni aduersus Græcorum versutias, eos principibus suis coadunauit.*

††††† OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. c. XIX. XX.* Idem tradit FVLCO apud BARONIVM *ad a. 1137. §. 14.* Postquam dixisset, Imp. cum Innocentio Papa Beneuentum aduenisse, addit: *vbi ipse Apostolicus Innocentius Ducem ad defensionem Apuliæ ordinare nomine suo satagebat, Imperator vero nomine suo contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Vnde factum est, vt per triginta fere dies ad inuicem ea de re*

fuerit discordatum, sed sapientium consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa, divina fauente clementia, & ipso Imperatore annuente, omnibusque suis, prædictus Apostolicus suo nomine, ad B. Petri fidelitatem, Comitem Rainulphum, virum vbique prudentem & discretum, in Ducem elegit, & eo electo, vexillum, ad honorem Ducatus Apostolicus & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmauerunt.

†††††† MAGNVM CHRON. BELG. *p. 205.* GERVASIVS TILBER. *Otiis Imper. lib. II. c. XIX. p. 943.* GOBELINVS PERSONA *Cosmodrom. æt. VI. p. 275.* MEIBOMIVS *apol. pro Ottone IV. p. 116.* S. H. G. *diss. XVIII. §. X.*

* GODEFRIDVS Monachus ad a. 1210. *Apuliam etiam Imperio restituere volens, quam Siculus a Papa in feudo se tenere affirmabat, quam etiam quidam Rutgerus nomine, quondam Imperio vi ablatum inuaserat.* PAND. COLLENVTIVS lib. IV. p. 147. *Deinde in regnum Neapolitanum progressus multas illius vrbes & inter cæteras Capuam occupauit, vbi cum esset in hybernis, multa Apuliam vsque obtinuit.*

** PAND. COLLENVTIVS lib. IV. p. 195. *deliberauit Pontifex illi vtriusque Siciliæ regnum tradere, ea conditione, vt id suis sumptibus armisque comparatum, agnosceret tamen se ab Ecclesia habere, & honestum quendam tributum illi quotannis persolueret.* THOMAS FAZELLVS *de reb. Siculis, dec. poster. lib. VIII. p. 447.*

*** CONRADVS VECERIVS Hist. Henrici VII. p. 71. *tum de Roberto castigando tractatum. Causa cognita, deque consilii sententia ob læsam maiestatem Romani Imperii, paterno illum regno prouincialique Comitatu excidisse pronuntians.* NICOLAVS SPECIALIS *rer. Sicul. lib. VII. c. I.* ALBERTINVS MVSSATVS *Historia Henrici VII. p. 70.* Extat sententia Pisis 1311. lata apud GOLDASTVM *Constit. Imp. p. I. p. 95.* in qua vasallus Imperii dicitur.

§. XVI.

Supersunt etiam Imperii iura in *Ducatum Beneuentanum*, Neapolitano regno adiacentem, a Papis tamen prætensum. Beneuentum enim sedes principum Longobardorum * quod tamen Otto M. cum aliis annexis prouinciis, Ducibus

cibus illorum deuictis, ſibi vindicauit.** Henricus II. hanc Beneuentanam regionem a Græcis recepit. *** Henricus III. Imp. Normannis eandem a. 1047. confirmauit.**** Idem tamen Imperator Leoni IX. Papæ, qui ipſi Bambergenſem epiſcopatum B. Petro donatum, plene ſubmiſerat, in commutationis vicem Beneuentum a. 1053. conceſſit. ***** Poſtquam vero Rogerius Dux Apuliæ Beneuentum cepiſſet, illud, imperante Lothario repit Henricus Superbus, eius gener, atque Papæ reſtituit. ****** Fridericus II. Imp. eandem iterum ſibi vindicauit. ******* Poſſedit eandem etiam Manfredus, ad eam victus a Carolo Andegauenſi, ibidemque ſepultus. † Alphonſus V. Rex Neapolitanus dum Regnum ſuum recuperaret, eandem vrbem a. 1439. cepit †† quam tamen potentiores Papæ facti, ſibi iterum vindicantes tenuerunt, vsque dum Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. Iura Regni Neapolitani in Vrbem & Tractum Beneuentanum nouiter ††† vindicaret.

* De hoc LEO OSTIENSIS *Chron. Caſin. lib. I. c. V. & c. VI.* ibidemque ANGELVS de NVCE *in notis & c. XXIX.*

** DITMARVS *lib. II. p. 333.* de Ottone M. *patronus Romanæ effectus Eccleſiæ, Beneuentum, Calabriam atque Apuliam ducibus eorum deuictis ſibi vindicauit.*

*** GLABER RODVLPHVS Hiſt. lib. III. c. I. *pergens ad regionem Beneventanam expugnauit ac ſubdidit vniuerſas Ciuitates & caſtra, quæ Græci ſurripuerant eius Imperio.* Qua ratione vero Græci a. 890. Beneuentum ceperint, narrat LEO OSTIENSIS *lib. I. c. XLIX.*

**** LEO OSTIENSIS lib. II. c. LXXX. *Inde Beneuentum contendens, cum noluiſſent eum ciues recipere, tam ob ſuam, quam & ob patris iniuriam, totam ciuitatem a Romano pontifice, qui cum illo tunc erat, excommunicari fecit, cunctamque Beneuentanam terram Normannis*

auctoritate sua confirmans, vltra montes exinde est reuersus, Gregorium secum asportans. Idem adserit HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 1047.*

***** Auctor est LEO OSTIENSIS lib. II. c. XLVI. *hic idem Augustus* (Henricus II.) *ex proprii patrimonii sumptibus construxit Ecclesiam ad honorem S. Georgii in Babenbergense, & aduocans Benedictum Papam, ab ipso illam consecrari fecit, atque Episcopalem in eo sedem constituens, beato Petro ex integro obtulit, statuto censu per singulos annos equo vno optimo albo cum omnibus ornamentis & faleris suis, & centum marchis argenti. Postmodum vero Leo nonus Papa vicariationis gratia Beneuentum ab Heinrico Corradi filio recipiens, praedictum Episcopium Babenbergense sub eius ditione remisit, equo, tantum, quem praediximus, sibi retento.* Et PETRVS DIACONVS *Chron. Cassin. lib. II. c. LXXXIV. tunc temporis facta est commutatio inter eundem Apostolicum & Imperatorem de Beneuento, & Episcopio Bambergense sicut iam supra retulimus.* CAR. SIGONIVS *de Regno Italiae lib. VIII. p. 206. Possidebat in Germania complures pontifex, easque opimas ecclesias superiorum regum beneficio ac pietate S. Petro donatas. Has igitur liberare Henricus cupiens, petiit a Leone, vt sibi remitteret & pro illis Beneuentum, ac caetera in Ducatu Beneuentano iuris regii oppida nomine vicariatus sibi haberet. Qua re audita Leo nihil se eius abnuere voluntati posse respondit.* Exinde suspectum mihi admodum videtur Diploma Henrici II. Imp. de a. 1014. quo inter alia Bona atque Regalia B. Petro concessa, refertur etiam Ducatus Beneuentanus, quod exhibet BARONIVS *ad a. 1014.* GOLDASTVS *Constit. Imper. Tomo I. p. 229.* TOLNERVS *Codice Diplomatico p. 24.* cum hic Ducatus demum ab Henrico III. Pontifici fuerit cessus. Immo initium statim Diplomatis illud reddit suspectum: *In nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus spondeo &c.* Cum alia Henrici II. Diplomata ita incoent: *In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus,* vt alia nunc taceamus. Idem confirmat etiam HERMANNVS CONTRACTVS ad a. 1053. dicens: *Imperator cum domino papa, multisque episcopis & principibus, Natalem Domini Wormatiae egit,*

egit. Vbi cum papa, ſicut dudum cæperat, Fuldenſem abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia quæ ſancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore repoſcens exegiſſet, demum Imperator pleraque in Vltramontanis partibus ad ſuum ius pertinentia pro Ciſalpinis illi quaſi per concambium tradidit. Adſentitur BARONIVS *ad d. a.* ANTONIVS PAGI *ad a. 1052.*. Hinc etiam LEO OSTIENSIS dicit *lib. IV. c. XIX. per idem tempus Anſo Rector Beneuentani Principatus ad fidelitatem Romanæ Eccleſiæ -- obtulerunt & ſancto Benedicto Eccleſiam ſancti Nycolai.* Et GVILIELMVS APVLVS *de Normannis, lib. IV. ineunte* de Henrici IV. temporibus:

Illis Gregorius Beneuentum Papa diebus
Aduenit: vrbs erat hæc Romano ſubdita Papæ,
atque ſui iuris.

***** MONACHVS WEINGARTENSIS de Guelfis c. XII. *porro Heinricus noſter, per Tuſciam exercitum duxit, quam etiam ab Imperatore beneficio obtinuit. Romamque veniens ſummo Pontifici Innocentio vsque ad Imperatorem conductum præbuit. Suburbia Albæ ciuitatis ſibi reſiſtere nitentis expugnauit, ac deſtruxit. Beneuentum cepit, ac Papæ reſtituit.* Prolixius vero ſingula narrat PETRVS DIACONVS *lib. IV. c. CV.* Idem dicit VITVS ARENPECK *de Guelfis p. 663.* ANT. PAGI *Critica ad a. 1137.*

****** THOMAS FAZELLVS *de rebus Siculis poſter. Dec. lib. VIII. p. 442.* de Friderico II. *Beneuentum vi captum diripuit, direptum mœnibus nudauit.*

† MONACHVS PADVANVS *Chron. lib. III. ad a. 1266.* THOMAS FAZELLVS *poſter. Dec. lib. VIII. c. III. p. 447. proinde parta Carolus victoria Beneuentum ingreditur, confluentes vndique populos in deditionem accepit.* PANDVLPHVS COLLENVTIVS *Hiſt. Neap. lib. IV. p. 205.*

†† PAND. COLLENVTIVS *lib. VI. p. 439.* Et licet idem dicat, *p. 448.* quod Alfonſus quasdam Ciuitates reſtituerit, inter has tamen Beneuentum haut numeratur. Sic enim iſte: *ciuitatem Ducatam, Cumulum atque Matricem Aprutii vrbes, Eccleſiæ reſtituerit.*

††† LA CLEF DV CABINET DE PRINCES *Octobre 1708. p. 258. & Mai 1718. p. 458.*

§. XVII.

§. XVII.

De *Venetorum Republica* dubitatur, an tanquam Italiæ pars Imperatoribus Germanicis olim paruerit. Auctor quidem Scrutinii Libertatis Venetæ, † multis probare contendit Venetos ab antiquo paruisse Græcis, Gothis, Francis atque Germanis, contrarium adserente Conringio, †† qui nullum plane ius in Venetorum vrbem tribuit Germanis. Ottoni M. tamen certo fœdere adligati fuerunt Veneti, ††† a quo eiusdemque successoribus diuersas adepti immunitates, vt ideo libertatem suam decrescente potissimum Impp. apud Italos potentia, facile vindicarent. ††††

† Dictum de eo *Bibl. Hist. cap. XXVII. §. XXIX.* atque verus auctor ALPHONSVS de CVEVA indicatur.

†† *De Fin. Imp. c. XI.* Licet enim ADELMVS BENEDICTINVS *ad a. 806.* dicat, quod Carolus Venetias ordinauerit, & *ad a. 810.* quod Pipinus, eiusdem nepos Venetos rebellantes iterum subiecerit: addit tamen quod Venetias Nicephoro reddiderit. Hunc sequuntur ADO. REGINO,

††† SIGONIVS *lib. VII. p. 172.* dicit, quod Otto M. Venetiarum ecclesiis multas concesserit immunitates & *p. 180.* cum fœdus Venetum rescindere vellet, tamen a legatis Ducis rogatus abstinuit. Otto III. vero a. 991. priuilegium concessit, vt nullus princeps aliquem Venetorum coercere, aut fodrum exigere aut banno mulctare posset, SIGONIVS *lib. VII. p. 182.* quo ipso satis patet, aliqua olim fuisse Iura Imperii. De eodem dicit SABELLICVS *ad a. 998.* quod *aureum pannum, qui ex publico fœdere Cæsaribus annuus dabatur, in perpetuum Veneto nomini remiserit.*

†††† Latius hoc demonstrauit CONRINGIVS *de Finibus Imperii c. XXIII.* Sunt tamen qui putent, hæc priuilegia omnino posse reuocari. Hanc in rem adlegantur ab auctore Scrutinii Libertatis Venetæ p. 82. verba BALDI, qui BARTOLVM secutus, ita loquitur: *libertatem ab Imperio Romano recognoscunt* (Veneti) *& viuunt tanquam filii emancipati, debentque illi reuerentiam, quam si non exhibent, possunt in ser-*

seruitutem reuocari, tanquam ingrati; quia non sunt liberi nisi per patientiam Imperatoris, vel speciale priuilegium, quod alii successores possunt secundum Bartolum reuocare.

§. XVIII.

Potiora tamen iura esse videntur Imperii in terras Venetorum, quas in Lombardia tenent, Agrum scilicet Patavinum, Vicentinum, Veronensem, Brixanum, Cremensem & Bergamensem. Hæc enim partes olim regni Longobardici indubiæ, Friderico Barbarossæ se denuo subiecerunt, † Veneti de iisdem tributum pro vetere consuetudine Henrico VII. soluerunt. †† Ipsi etiam post infelix ad Adduam prælium, per legatum suum Antonium Iustinianum omnia se Maximiliano, tanquam vero & legitimo Principi restituturos promiserunt. ††† Licet postea mutata belli facie, easdem denuo sibi vindicarent.

† SIGONIVS *de Regno Italiæ lib. XIV. ad a. 1183.*

†† CONRADVS VECERIVS de gestis Henrici VII. ad a. 1311. *Ab eo* (Genuensi Episcopo) *Vicentia, quæ Paduani iuris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea victoria ipsos quoque Patauinos metu vsque eo perculit, vt suppliciter sese fidei in primis tradiderint, aureorum millia centum ob contumaciam pendere, Cæsareumque præfectum recipere iussi. Idem Antistes profectus Venetias, tributum pro vetere consuetudine postulauit: Appulso honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam, talenta Veneta mille.*

††† Extat Oratio apud GVICCIARDINVM *lib. VIII. p. 275.* licet in recentioribus editionibus omissa. S. H. G. *diss. XXXI. §. XXX.*

IVLIVS CÆSAR *de B. Gall. lib. I. c. II.* POMPONIVS MELA *lib. III. c. III.* CHRIST. CELLARIVS *Not. Orb. antiqui lib. II. c. V. p. 449.*

** IORNANDES de rebus Geticis sub initium: *Vistula fluuius Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scanziæ septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans.* Licet Slauicæ gentes iamdum ista ætate cis Vistulam egerint, in Francorum fines incurrentes, qui tamen a Carolo M. ex parte fuerunt deuicti, prout in vita ipsius EGINHARDVS adserit cap. XV. *Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias effecerit. Inter quas fere præcipui sunt, Welatrabi, Sorabi, Abotriti, Boëmani, cum iis namque conflixit: ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.*

*** De hoc supra *cap. I. §. II.*

**** LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1056.* de Henrico III. Imp. *Imperator regressus de Italia sanctum Pascha Podelbrunnæ celebrauit, breuique commoratus in Goslaria, perrexit ad villam Ciuis in confinio sitam regni Francorum ac Teutonicorum, colloquium ibi habiturus cum rege Francorum.* Hodie *Ipsch*, Gallis *Iuoy* de quo in SYNT. HIST. GERM. *diss. XIV. §. XX.*

***** GÜNTHERVS *Ligurino* lib. VI. v. 88. *Odera Germanos quà separat atque Polonos.* Inde vlterius narrat, qua ratione eandem transgressus fuerit Fridericus Barbarossa.

† OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici Barbarossæ lib. I. c. XXXII. *Dux etiam* (Henricus Leo) *cum suis non longe ex altera parte eiusdem fluuii, qui Imperii Romani, & Regni illius ex vno Danubii latere (nam ex altero Maraba fluuius) limes est, suos conuocans, itidem castra metatur.*

†† ADAMVS BREMENSIS lib. IV. c. XLVI. *Daniam a Germania Egdora dirimit.* Quare ANN. FVLDENSES ad a. 811. *Condita vero inter Imperatorem & Hemmingum Danorum regem pax, a duodecim primoribus vtriusque gentis, Francorum videlicet & Danorum, iuxta fluuium Egidoram vicissim secundum ritum ac morem suum datis sacramentis confirmatur.*

††† Hos fines etiam describit THVANVS *lib. II. ineunte.*

§. II.

Diuisa autem antiquitus Germania non in prouincias, sed populos, quorum prima ætate perplures.* Media ætate distinguitur in Germaniam *originariam* & *accessoria*. Ista Germaniæ fines atque Territorium complectitur, quale fuit temporibus Ottonis, quæ primum terminum faciunt Iuri Publico Romano-Germanico. Accessoria comprehendunt regna, prouincias & populos, qui post ista tempora vel Territorio Germanico accesserunt, eidemque plane sunt incorporata, vel Germaniæ saltim subsunt. Originariam igitur Germaniam constituebant Ottonis M. temporibus, Quinque isti Populi, FRANCI, ALEMANNI, BAVARI, THVRINGI & SAXONES,** quibus ob pactum inter Henricum Aucupem & Carolum Simplicem, Gallorum Regem initum, accesserunt LOTHARINGI.*** Thuringi vero, cum ipsorum terra in plures partes scissa, aliquantum cessarunt. Slaui vero atque Vandali, qui a quibusdam inter Germaniæ populos referuntur,**** tales nunquam fuerunt, sed Germanorum armis perdomiti, ipsis tanquam proprii homines subiecti, prout Lusatia nos docet, vel ex eorum finibus eiecti. Licet pleræque Slauorum terræ, perdomito populo, Germaniæ vel Territorio vel regno accesserint.

* Prout in SYNTAGMATE HISTORIÆ GERMANICÆ *diss. III. §. II.* iamdum demonstrauimus. Hos Germaniæ Populos plenius videmus expositos a PHILIPPO CLVVERO, in *Germania antiqua*, BEATO RHENANO *rebus Germanicis*, CHRISTOPHORO CELLARIO *notitia orbis antiqui*, IO. WERLHOFIO *notitia Sacri Romani Imperii enucleata*, *specimine secundo*, IO. NICOLAO HERTIO *in Notitia Veteris Germaniæ Populorum*. Accessit nouiter IACOBI CAROLI SPENERI *Notitia Germaniæ antiquæ*, cui accessit Conspectus Germaniæ, qualis seculo VI. & post paulo sequentibus fuit.

** Memorantur isti quinque Populi iamdum a temporibus Ludouici Pii. Sic enim ANNALES BERTINIANI ad a. 823. *Francofurti mense Maio con-*

conuentus habitus, in quo non vniuersæ Franciæ primores, sed de Orientali Francia atque Saxonia, Baioaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt. De Ludouico Germanico ANNALES FVLDENSES ad a. 840. *Hludouuicus vero Orientales Francos, Alemannos, Saxones & Turingios sibi fidelitatis iure confirmat.* De Electione Arnolphi ANNALES FVLDENSES ad a. 887. *Mox vero Cæsar grauissima infirmitate detentus est, ab illo ergo die male inito consilio Franci, & more solito Saxones & Duringi, quibusdam Baiowariorum primoribus, & Alemannorum ammixtis cogitauerunt deficere a fidelitate Imperatoris, nec minus perficere: Igitur veniente Carolo Imperatore Franconofurt, isti inuitauerunt Arnolfum filium Carlmanni regis, ipsumque ad seniorem elegerunt, sine mora statuerunt ad regem extolli.* De eodem ALBERTVS STADENSIS ad a. 888. ait: *Arnulfus itaque Rex potens principabatur Bawaris, Sweuis, Francis orientalibus, & post mortem Karoli Calvi, Lotharingis, audacibusque Saxonibus.* De Henrici Aucupis electione ait REGINO ad a. 920. *Henricus dux, consensu Francorum, Alemannorum, Bauarorum, Thuringorum & Saxonum rex eligitur.* Ad hæc igitur tempora Thuringi adhuc memorantur. Postquam vero Henricus Auceps a. 924. de Lothariensi regno cum Carolo Simplice fuisset pactus, harum inter quinque Germaniæ populos fit mentis, exclusis Thuringis. Sic enim de eiusdem Henrici temporibus loquitur LVITPRANDVS lib. III. c. V. *Henrici præsertim famosissimi Regis; qui, vt supra memorauimus, Baioariis, Sueuis, Lotharingis Francis atque Saxonibus imperabat.* De Ottonis M. temporibus CONTINVATOR REGINONIS ad a. 952. *eodem anno, mediante Augusto mense, conuentus Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum & Longobardorum publicus apud Augustanam vrbem Rhetiæ prouinciæ agitur.* Vbi tamen pro *Longobardorum*, *Lothariorum* legendum esse crederem: vix enim concedi potest, Longobardos, gentem deuictam, Comitiorum factos fuisse participes, illorum præsertim, quibus Berengarius Rex Ottoni subiicere sese necessum habuerit. Apud WIPPONEM vita Conradi Salici p. 425. dicitur *consensus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum.* SVGERIVS vita Ludouici Grossi apud du CHESNE Tomo IV. p. 312. de Henri-

co V. Imp. *exercitum quantumcunque potest Lotharingorum, Alemannorum, Baiuariorum, Sueuorum & Saxonum, licet eis infestaretur, colligit.*

*** De hoc infra §. *XXIV.* pluribus.

**** HENRICVS equidem COCCEIVS *Iuris Publici Prudentia cap. II. §. XXIV.* septem Germaniæ Populos numerat, dicens: *his nominibus dudum fere abolitis, & producto ad Alpes vsque limite, eodem tamen numero præcipui populi & prouinciæ fuere: I. Vandalia, sub qua Burgundi & II. Morauia, (quæ vtraque a Venedis seu Slauis deinde occupata) sub qua Boemi, Poloni &c. III. Saxonia, sub qua Turingi. IV. Francia. V. Sueuia sub quo Heluetii. VI. Boioaria. His Francorum virtute accessit VIIma trans Rhenum prouincia scil. vtraque Germania cis Rhenana: quæ & a Germanis ante habitata est, & in eandem cum Germania ciuitatem prorsus denuo coaluit.* Idem dicit §. CXVI. *vt adeo hæc VII. populorum Germaniæ diuisio & sacer quasi numerus, fons ac basis sit iuris publici Germanici, vnde Circulorum, Electorum, Archiofficiorum secularium, Comitiorum, Imperii iudiciorum, immediatæ Nobilitatis aliorumque ratio accurate ducitur.* Nec desunt qui Cocceium hac in parte sequuntur, septem istos Germaniæ populos pro basi habentes, inter eosdemque nouiter IACOBVS CAROLVS SPENERVS *in Notitia Germaniæ Mediæ cap. III.* Verum ista, quæ Cocceius dicit, ad dictos quinque saltim Populos quadrant, quos solos antiqui Scriptores memorant, minime ad Slauos & Vandalos. Brandenburgicæ enim Pomeranicæ atque Bohemicæ Terrarum, quas Slaui olim possederunt, in diuisione Circulorum nulla plane habita fuit ratio, nec Bohemia vnquam Germaniæ Territorio fuit inserta, quin potius, prout ipse COCCEIVS *cap. II. sect. V. §. LXVII.* adserit, Slaui ab Henrico I. Ottone III. Conrado II. aliisque domiti, quin tandem prope eiecti, Germanæque Coloniæ substitutæ sunt. Non desunt equidem Scriptorum loca, quibus Slaui atque Boemi vna cum quinque Germaniæ populis numerantur. Verum, vbi de Slauis sermo est, illi intelliguntur, qui Slauicas terras inhabitabant, cum ipsi Slaui vel subiicerentur penitus, vel e Germania eiicerentur. Hi autem ad expeditiones omnino euocabantur, vbi vero de Imperatoris electione, vel Comitiis agebatur, iurium Imperii minime erant participes. Patet hoc ex BRVNONE *Historia Belli Saxonici p. 188.* vbi

ait: *illinc namque venturos ad pugnam Francos, vtrumque litus Rheni tenentes, Sueuos, Bauaros, Lotharingos & Boemos aspiciunt.* Saxones hic non memorantur, contra quos pugna erat directa, Boemos autem multis promissis in auxilium adlexerat Henricus IV. Imperator. Audiamus enim BRVNONEM *p. 187.* loquentem: *Duci Boemorum Wratitzlao Misnam ciuitatem cum omnibus ad eam pertinentibus, promisit, & sic eum, vt suis partibus adiutor esset, adsciuit.* Idem dicendum de Bohemis, qui Ottoni M. Imp. a 955. in auxiliis fuerunt contra Hungaros, in prœlio prope Augustam, in quo Baioarii, Saxones, Sueui memorantur, vbi addit WITTICHINDVS *lib. III. p. 656. in octaua erant Bohemi electi milites mille, armis potius instructi, quam fortuna: in qua & sarcinæ omnes & impedimenta quæque quasi ipsa esset tutissima, quæ esset nouissima.* Bolislaus autem Rex paullo ante, vti ipse WITTICHINDVS p. 652. innuit, a. 950. ad obsequium fuerat redactus. Immo adeo Bohemi in nouissimam aciem fuerant reiecti, quod ipsi non essent Germani. Subditi itaque fuerunt Boemi, non æque iurium Germaniæ particeps populus, non secus atque etiam in ANNALIBVS METENSIBVS *ad a. 882.* Langobardi ac Fresones Germaniæ subditi dicuntur: *qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Longobardis, Baioariis, Alamannis, Thuringis, Saxonibus, Fresonibus, & cum omnibus Regnis suæ ditioni subditis, Normannos in supradicto loco obsidere exorsus est.* Idem confirmat OTTO FRISINGENSIS *Chron. lib. VI. c. VIII.* Scrupulum tamen mouere videntur ANNALES FVLDENSES *ad a. 888.* vbi dicitur: *Rex Arnolfus vrbe Radaspona receptis primoribus Baiowariorum, orientales Francos, Saxones, Duringos, Alamannos, magna parte Sclauanorum, natalem Domini & Pascha ibidem honorifice celebrauit.* Intelliguntur sine dubio Slaui Marahenses, qui cum Rege suo Zuendiboldo Francis ista ætate subiecti, de quo REGINO ad a. 890. *Arnolphus rex concessit Zundebolch Marahensium Sclauorum regi ducatum Bohemensium, qui hactenus principem suæ cognationis ac gentis super se habuerant Francorumque regibus fidelitatem promissam, inuiolato fœdere consecrauerant, eo quod ille, antequam in regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit connexus.* Potius OTTO FRISINGENSIS *Chron. lib. VI. c. XI.* Slauos Marahenses atque Bohemos a Germaniæ regno singulari ratione distinguit, dum

ait:

ait: *porro Arnolfus totam Orientalem Franciam (quamodo Teutonicum regnum vocatur) id est, Baioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam rexit: Occidentale vero Odo ex eius auctoritate habuit. Concessit autem Zuentebaldo Marabensium Regi ducatum Boemiae, filiumque suum ex sacro fonte ab ipso leuatum, eius nomine Zuentebaldum vocavit.* Superest adhuc WIPPO *in vita Conradi Salici p. 424.* vbi de electione Conradi: *Saxones cum sibi adiacentibus Sclauis: Franci Orientales, Norici, Alemanni conuenere. De Gallia vero Franci, qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Lotharingi coadunati sunt.* Verum ibidem Slaui minime pro singulari populo habentur, sed Saxonibus adnumerantur, atque intelliguntur illi, qui terras, olim Slauicas, Marchiam potissimum Brandenburgensem inhabitabant, quae adhuc partem facit Circuli Saxoniae superioris. Patet hoc tanto magis ex eo, quod *p. 425.* mentionem saltim faciat *consensus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum.*

§. III.

FRANCORVM nomen Valeriani & Gallieni temporibus primum auditum,* qui a libertate, quam contra Romanos vindicare conabantur, nomen sortiti.** Hi ex diuersis Germaniae gentibus, Sicambris, Bructeris, Marsis, Tencteris, Vsipiis, Chamauis, Chaucis, Amsiuariis, Saliis, Dulgibinis, aliisque inter Saxones & Alemannos intermediis,*** in commune primum foedus contra Romanos coiuerunt, Ducibus saltim vsi militaribus, qui tamen saepe Reges, Reguli & Subreguli dicuntur.**** Ex his Sunno erat, quo defuncto, consilium ceperunt de eligendo Rege, aliarum gentium instar, primum creantes Pharamundum.*****

* Primus, quem noui, illorum facit mentionem TREBELLIVS POLLIO *in Gallieno c. VII.* FL. VOPISCVS *in Aureliano c. VII.* S. H. G. *diss. V.* §. *XVII.*

** Sunt, qui a voce Atuatica *Vrangh*, quod ferocem notat, ducant. GESTA FRANCORVM *c. II.* & ex iis AIMOINVS *lib. I. c. I.* IVO CARNO-

TEN-

TENSIS *de Reg. Franc. sub init.* Sed bene notandum, quod omnes dicant, Valentinianum istos a ferocia sic adpellasse, cum tamen nomen Francorum vltra seculum ante Valentiniani tempora innotuerit. Rationem reddit RIGORDVS de gestis Philippi Augusti p. 174. *quos cum multis postmodum idem Valentinianus praliis attentasset, nec vincere potuisset, proprio eos nomine Francos, quasi ferancos, id est feroces appellauit.* Vid. NIC. VIGNERIVS *de situ & orig. vet. Francorum.* IO. ISAACH PONTANI *origines Francia*, SCHATENIVS *lib. III. Hist. Westphal.* MONVMENTA PADERBORNENSIA. HADR. VALESII *Notitia Galliarum.* WERLHOF *Not. Imp. enucl. spec. I. lib. I. c. I. §. 61.* FRID. LVCÆ *vhralter Fürsten-Saal p. 231.* Vid. plenius S. H. G. *diss. V. §. XV.*

*** GREGORIVS TVRON. *lib. II. c. IX.* CLVVERVS *Germ. antiqua lib. III. c. XX.* VALESIVS *not. Gall. v. Francia p. 201.* SCHATEN *hist. Westphal. lib. I.* WERLHOF *l. c.* MONVMENTA PADERBORNENSIA. Illos autem inter Saxones & Alemannos collocat AIMOINVS *lib. II. cap. X.* ex Hieronymo.

**** S. H. G. *diss. V. §. XVI.*

***** Duces saltim illos primitus habuisse patet ex GREGORIO TVRONENSI *lib. II. c. IX.* GESTA FRANCORVM epitomata *c. IV. tunc defuncto Sunnone, & accepto consilio, in vnum primatum eorum vnum habere Principem, petierunt consilium Marchomiro, vt Regem vnum haberent sicut & catera gentes. At ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramundum filium ipsius Marchomiri, & leuauerunt eum super se Regem crinitum.* S. H. G. *diss. VI. §. I.*

§. IV.

Duxit Pharamundus primum Francos trans Rhenum, Teutoburgi siue Duisburgi, Brabantiæ castro, sedem figens: * quem secutus Clodio, qui capto Cameraco atque Tornaco, sedem eo translocabat. ** Vlterius in Galliam progredi conantem Aetius, Romanorum Dux militaris prohibuit. Merouæus tamen, Hunnis deuictis, vlterius progressus, id quod deuicto Aegidio prosecutus filius Childericus, qui fines regni ad Ligerim vsque extendit. *** Huius filius Clodouæus, eiectis

ctis Romanis, omnem denique Galliam occupauit, **** deuictis etiam a. 491. Thuringis, atque post cladem ad Tolbiacum a. 496. Alemannis, eosdem sibi subiecit, viam Francis aperiens in omnem Germaniam. Wesi-Gothos etiam atque Burgundiones suæ subdidit potestati. † Inde Parisiis cathedram regni constituit. †† Successores vlterius arma in Germaniam protulerunt, deuictis Boiis, quibus sub Carolo M. demum Saxones accesserunt.

* De Dispargo vberius egimus in S. H. G. *diss. I.* §. *XIV.* Nostra coniectura Dilsbergum esse castrum prope Heydelbergam.

** AIMOINVS *lib. I. c. V.* GREGORIVS TVRONENSIS *lib. II. c. IX.* GESTA FRANC. *c. V.* CHIFLETII *Anastasis Childerici p. 6.* S. H. G. *diss. VI.* §. *II.*

*** GREGORIVS TVRONENSIS *lib. II. c. XII.* AIMOINVS *lib. I. c. VI. VII.* GESTA FRANC. Epit. *c. VI. VII.* S. H. G. *diss. VI.* §. *III. IV.*

**** GREGORIVS TVRONENSIS *lib. I. c. XII.* GESTA FRANC. epitomata *c. IX.* S. H. G. *diss. VI.* §. *V.*

† GREGORIVS TVRONENSIS *lib. II. c. XXVII. XXX. XXXII.* GESTA FRANC. epit. *c. X. XV. XVI.* AIMOINVS *lib. I. c. XIX.* S. H. G. *diss. VI.* §. *V. VI. VII.*

†† GREGORIVS TVRONENSIS *lib. II. c. XXXVIII.* GESTA FRANC. *c. XVII.*

§. V.

Postquam itaque Galliam non solum, sed etiam Germaniam sibi sensim subiicerent Franci, cœpit diuisio in Franciam *Orientalem* atque *Occidentalem*, siue quod idem est, Regnum *Austrasiæ* & *Neustriæ*, *Oestenreich* & *Westenreich.* * NEVSTRIA complectebatur, terras inter Mosam & Ligerim sitas, quæ etiam quandoque proprio nomine Francia, dicebatur, ** quæ tamen neque Burgundiam, neque Aquitaniam, neque Prouinciam comprehendebat, cum hæ terræ nomen suum ab antiquo retinerent. *** AVSTRIÆ vero nomen comprehendebat quidquid inter Mosam & Rhenum situm, licet postea omnis Germania, quousque Francorum parebat Imperio, Franciæ

ciæ Orientalis nomen ſortita. **** Eadem quoque dicebatur Francia Teutonica, cum Neuſtria alias quoque diceretur Francia Romana, eo quod incolæ Romano vterentur ſermone. *****

* AIMOINVS procem. Hiſt. c. V. *has omnes prouincias dum Franci occupaſſent, in duas tantummodo partes diuidentes, eam qua Septentrionem verſus tenditur & inter Moſam & Rhenum eſt* Auſtriam: *illam vero, quæ a Moſa ad Ligerim vsque pertingit*, Neuſtriam *vocauerunt. Pars tamen Lugdunenſis Galliæ quam Burgundiones occupauerant, Burgundia nomen retinuit. Aquitania quoque auitum non eſt dignata nomen mutare.* Hinc AVCTOR VITÆ LVDOVICI PII *in Ann. Pithœan. p. 418.* de filiis Ludouici Pii, *Lotharius a fluuio Moſa auſtralem ſibi partem tenendam delegit, occiduam vero Carolo fratri habendam reliquit.* Eadem ratione diſtinguit MONACHVS S. DIONYSII *geſtis Dagoberti c. XXXII.* OTTO PRISINGENSIS *lib. V. c. XX. lib. VI. c. XVII.* Vtrumque etiam Regnum probe diſtinxit GOTFRIDVS VITERBIENSIS *Chron. p. XVII. p. 472. 473.* Vid. & PONTANI *Origg. Franc. lib. V. c. VII.* WERLHOF *c. I. §. 90.* HOTTOMANNVS *Francogallia c. IV.* HADR. VALESIVS *voce: Auſtria. Neuſtria.*

** EGINHARDVS vita Caroli M. c. XV. *nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim Oceanumque & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque & Salam fluuium, qui Turingos & Sorabos diuidit, poſtea Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 844. Carolus accepit occidentalia regna a Britannico Oceano vsque ad Moſam fluuium, in qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remanſit.* Inde Francia Auſtriæ opponitur, vtpote in GESTIS FRANCORVM c. XXXVI. *cum hac agerentur, & aurora diei initium daret, irruerentque Franci ei cum ſtrepitu tubarum ſuper Auſtraſios & Burgundiones dormientes* & cap. XL. Inter vtrumque regnum intermedia erat ſylua Carbonaria apud Flandros, quod teſtantur ANNALES METENSES ad a. 690. *Adornato igitur exercitu Pipinus ad Carbonariam ſyluam peruenit, qui terminus vtraque regna diuidit.*

*** AVCTOR VITÆ LVDOVICI apud PITHOEVM p. 401. *Populi tam Fran-*

cia, quam Burgundiæ, sed & Germaniæ, vbi Germania pro Austria. Easdem prouincias distinxit etiam OTTO FRISINGENSIS *lib. IV. c. XXXII.* & AIMOINVS *l. c.*

**** Patet hoc ex loco AIMOINI, licet eiusdem fines postea latius protensi. Hinc OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XVII. dicit: *Orientale regnum, quod Teutonicorum dicitur.* Idem lib. VI. c. XI. *Arnolfus totam Orientalem Franciam (quæ modo Teutonicum regnum vocatur) id est, Baioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam rexit: Occidentale vero Odo ex eius auctoritate habuit,* quem sequitur GOTFRIDVS VITERBIENSIS ad *a.* 881. Quare etiam Ludouicus Germanicus in ANNALIBVS FRANCORVM FVLDENSIBVS ad *a.* 850. *Rex* dicitur *Orientalium Francorum.* Eadem ratione Henricus Auceps in pacto cum Carolo Caluo inito vocatur *Rex Francorum Orientalium* apud BALVZIVM *Capit. Tom. II. p. 899.* Vid. VALESIVS *not. Galliarum, voce Austria. Francia. Neustria.* SCHVRZFLEISCH *de Austrasia,* FRANCOPOLITÆ *Bericht von den Kœnigreichen, Austrasien, Lothringen und Germanien.* GVNDLING *de Statu Reip. Germ. sub Conrado I. §. IV.* S. H. G. *diss. VI. §. X.*

***** LVITPRANDVS lib. I. c. VII. *cumque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet.* Idem lib. I. c. II. vocat *Francos Teutonicos.* Rationem reddit OTTO FRISINGENSIS lib. IV. c. XXXII. *Romani etiam qui in Galliis habitabant, ita vt nec reliquiæ ibi invenirentur, exterminati sunt. Videtur mihi inde Francos, qui in Galliis morantur, a Romanis linguam eorum, qua vsque hodie vtuntur, accommodasse. Nam alii qui circa Rhenum, ac in Germania, remanserunt, Teutonica lingua vtuntur.* Hinc Ditmarus lib. V. p. 369. ait. *Franco-Latini, aliis veteribus Francigenæ, François.*

§. VI.

Occidentalis quidem Francia nunquam pars fuit Germaniæ, Orientalis vero sub Francorum olim Imperio mansit vsque ad tempora Ludouici Germanici, qui Ludouici Pii erat filius, sub quo proprium regnum factum Germania, a Francorum Imperio separatum. Mansit tamen hæreditario iu-

re

re in linea Carolingica, poſt mortem enim Ludouici, filii ipſius regni diuiſionem inſtituerunt, qua Carolomanno Pannonia, Baioaria, Carinthia & regnum Slauorum Bohemenſium & Marahenſium; Ludouico Minori Francia Orientalis, Thuringia, Saxonia, Friſia & pars regni Lotharienſis; Carolo Alemannia obuenit. Aſt, fratribus ſine liberis legitimis defunctis, omnia deuenerunt ad Carolum Craſſum.*

* ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 872.* REGINO *ad a. 876.* qui dicit, Principalem ſedem Orientalis regni fuiſſe Francofurti. S. H. G. *diſſ. X. §. XII.*

§. VII.

Cum autem animo & corpore marceſceret Carolus Craſſus, pertæſi ipſius Principes Germani, ipſo depoſito, Arnulphum, Carolomanni filium nothum eligunt,* qui etiam Imperatoriam dignitatem a Formoſo Papa & Romanis obtinuit.** Poſt ipſius mortem, Ludouicum infantem a. 901. eligunt, qui tamen caruit benedictione Imperiali, dum regnum Italiæ ſimul cum Romano teneret Berengarius. *** Hoc autem defuncto, & extincta cum ipſo linea Carolingica in Germania Germani ſibi elegerunt Conradum, Franciæ Orientalis Ducem. ****

* REGINO *ad a. 887. 888.* OTTO FRISING. *lib. VI. c. IX.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 890.* MARIANVS SCOTVS, GOTFRIDVS VITERBIENSIS, HERMANNVS CONTRACTVS, ALBERICVS *ad a. 887.* CHRON. LAVRISHAM. *ad a. 883.* S. H. G. *diſſ. X. §. XXVI.*

** REGINO *ad a. 896.* HERMANNVS CONTRACTVS, MARIANVS SCOTVS, LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS, OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XIII.* S. H. G. *diſſ. X. §. XXXIII.*

*** OTTO FRISING. *lib. VI. c. XV.* ALBERICVS *Chron. ad a. 912.* S. H. G. *diſſ. X. §. XXXIV.*

**** REGINO *ad a. 911.* HERMANNVS CONTRACTVS, GOTFRIDVS VITERB. *ad a. 911.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 912.* OTTO FRISING. *lib. VI. c. XV. XVI.* DITMARVS *Chron. lib. I. p. 325. ed. Leibnit.* LVITPRANDVS

lib. II. c. VII. Ludouicus autem, vltimus Carolorum apud Francos Orientales imperantium dicitur WITTICHINDO *Ann. lib. I. p. 634.* S. H. G. *diss. XI. §. III.*

§. VIII.

Postquam igitur Germaniæ, siue Franciæ Orientalis Regnum proprios Reges fuisset nacta, Franci, prout a quatuor reliquis Germaniæ populis fuerant distincti, singularem constituebant prouinciam, ex qua singularis fuit Ducatus. * Comprehendebat autem iste Franciæ Ducatus tunc Rhenensem tractum, ad vtrumque Rheni litus, ** ita vt Wormatiæ palatium suum haberent, & Duces Franconiæ ab hac sede sæpius dicerentur Duces Wormatienses. *** Immo Hassia quoque Francorum pagus fuit, **** iidemque ad Mœnum vsque terras suas extenderunt. ***** Licet alias proprias terras atque allodia possedisse videantur, inter quas Wilinaburgum etiam, siue Weilburgum fuisse videtur. ******

* Franciam singularem fuisse Germaniæ prouinciam, patet ex ANNALIBVS FRANCORVM Fuldensibus ad a. 852. *Habita est autem & Synodus ex voluntate atque præcepto eiusdem serenissimi principis in ciuitate Moguntia metropoli Germaniæ, præsidente Hrabano venerabili eiusdem vrbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ & Saxoniæ.*

** Docet hoc BRVNO Hist. B. Saxonici p. 188. *illinc namque venturos ad pugnam Francos, vtrumque littus Rheni tenentes.* AVCTOR VITÆ S. IOHANNIS GORZIENSIS apud MABILLONIVM *Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti sec. V. p. 410.* ait, quod Eberhardus Ducatum Franciæ, Austrasiæ & quorundam trans Rhenum tenuerit locorum.

*** Sic Conradus Ottonis M. gener WITTICHINDO lib. I. p. 640. dicitur *Dux Francorum*, de quo OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XX. *cecidit in eo prælio* (adversus Hungaros) *Dux illustris Warmaciensis & gener Regis Conradus.* Huius corpus etiam Wormatiam missum fuit tumulandum, secundum WITTICHINDVM *lib. III. p. 657.* & DITMARVM *lib. II. p. 333.* WIPPO vita Conradi Salici p. 425. dicit, quod

iste

isto tempore duo fuerint Cunones, ambo in Francia Teutonica nobilissimi. Cuno iunior vero dicitur Wormatiensis Dux Francorum, quem etiam OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XXVIII.* vocat Conradum Vangionum, idem vero c. XXXI. dicitur *Dux Francorum.*

**** POETA de *gestis Caroli M. v. 132.*

Saxones sibi contiguos inuadere fines
ausi Francorum pagum, qui dicitur Hassi.

***** TOLNERVS equidem *Hist. Palatina cap. IV.* tradit, possedisse Conradum, qui postea factus fuit Rex Germaniæ, præter Franconiam & terram Rhenensem Wetterauiam & Hassiam Fridslariam vsque, terras Nassouicas, idemque magis firmat GVNDLING. *de Conrado I.* §. *VI.* Licet omnes terras hasce Ducatus Franconiæ partem constituisse, adserere non ausim: potius crederem, diuersas iure allodii ab ipsis fuisse possessas.

****** Patet hoc ex WITTICHINDO, qui Ann. lib. III. p. 636. de Conrado I. *sepeliturque in* CIVITATE SVA *Wilinaburg.* Sequitur eundem CONRADVS VRSPERGENSIS. Eandem ciuitatem definit DITMARVS lib. I. p. 325. dicens: *Conrado Limburgi peractas fuisse exequias.* Plerique Scriptores cum MEIBOMIO faciunt, qui *de Irmensula* c. I. Weilburgum, Nassouiorum castrum fuisse dicit, quem sequitur TOLNERVS *Hist. Palatina c. II. p. 21. & c. VII. p. 187. 196.* LVDEWIG *de Conrado I. c. II.*

§. IX.

Francia Carolingorum temporibus sub fisco regio fuit constituta, per Cameræ nuntios procurata. * Ex his binæ potissimum efflorescebant Familiæ, Bambergensis Alberti & Wetterauiensis Conradi, ex quorum numero Cameræ potissimum nuncii sumebantur, sibi alias infestissimæ. ** Ex Bambergensium Comitum stirpe erat Henricus, sine dubio Franconiæ Dux, cuius filiis, Alberto & Adelhardo, ex minimis caussis, potissimum vero ex æmulatione, subortæ fuerunt controuersiæ cum Rudolpho, Antistite Würtzburgensi, homine turbulento. *** Albertus autem, dum Würtzburgensem Episcopum

pum ditione sua exuisset, artibus Hattonis, Moguntini Antistitis, in potestatem Ludouici Iunioris, Germaniæ Regis, fuit traditus, atque a. 905. suæ familiæ vltimus, capite truncatus. ****

* EKKEHARDVS Iunior, *de Cas. S. Galli cap. I.* apud GOLDASTVM *Rer. Alemann. Tom. I. p. 15. nondum adhuc illo tempore Sueuia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia. Procurabant ambas Cameræ, quos sic vocabant, nuncii: Franciam ad Alpes tum Werinhere, Sueuiam autem Pertolt & Erchinger fratres.* Loquitur autem de temporibus Ludouici Iunioris, quod de primis illius temporibus est intelligendum, cum ipsius iamdum ætate Henricus Dux memoretur.

** Vtriusque Familiæ Genealogiam ex REGINONE & HERMANNO CONTRACTO nectit HENRICVS MEIBOMIVS *notis in Wittichindum lib. I. p. 674.*

*** De eo REGINO ad a. 897. *Ea tempestate inter Rudolphum Episcopum Würtzeburgensem, & filios Henrici ducis Adalbardum & Heinricum, magna discordiarum lis & implacabilis odiorum controuersia ex paucis minimisque rebus oritur, & velut ex permodica scintilla ingens incendium excitatur, ita de die in diem succrescens immensum dilatatur. Et dum de nobilitate carnis, de parentum numerosa multitudine, de magnitudine terrenæ potestatis, vltra quam decet, se extollunt, in mutuis cædibus prorumpunt, innumerabiles ex vtraque parte gladio pereunt, truncationes manuum ac pedum fiunt, regiones illis subiectæ, rapinis & incendiis solotenus deuastantur.* De eadem discordia agit WITTICHINDVS *Ann. Sax. lib. I. p. 635.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XV.*

**** OTTO FRISINGENSIS *Lib. VI. c. XV.* WITTICHINDVS *L. I. Annal. p. 635.*

§. X.

Memoratur igitur apud Francos iam Ludouici Iunioris tempore Henricus Dux.* Memoratur Conradus, Franconiæ Comes, quem Albertus Bambergensis occiderat,** qui ex Glismuda coniuge genuit Conradum Iuniorem, Franconiæ Ducem, Eberhardum etiam Ducem factum, & Wernerum,

dictum

dictum Gorblingensem. *** Primus ex hisce Conradus Iunior, suadente Ottone, Saxonum Duce potentissimo, communi consensu electus fuit Rex Germanorum. **** Hic, postquam Rex factus, Franconiam Eberhardo, fratri suo, sub Comitis titulo primum regendam concessit, ***** qui tamen postea Ducis dignitate fuit vsus, atque in coronatione Ottonis M. Dapiferi Officium gessit, quod Ducum saltim dignitati conueniebat. ****** Et licet ab Ottone M. eo quod arma contra ipsum ceperat, fuisset deiectus, Ducis tamen titulum ad mortem vsque retinuit. *******

* REGINO enim ad a. 897. nominat filios Henrici Ducis, Adalbertum & Henricum, quibus cum Rudolpho Herbipolitano fuerit contentio.

** OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. XVI. *Anno ab incarnatione Domini DCCCCXIII. Conradus, Conradi (quem Albertus occiderat,) filius.* CONT. REGINONIS *a. 911.* De huius morte plenius REGINO *ad a. 905.*

*** HENRICVS MEIBOMIVS *notis ad Wittichindum Tomo I. Script. Rerum Germanicarum p. 674. & notis ad Hroswitham p. 729.* TOLNERVS *Historia Palatina p. 204.* & nuper demum Cl. SIMON HENRICVS HAHN in erudita sua oratione auspicali *de genuino ac Salico Conradi II. ortu p. 63.*

**** Scriptores enim disertis verbis dicunt, hunc Conradum ex Duce Francorum factum fuisse Regem Franciæ Orientalis siue Germaniæ. Sic WITTICHINDVS *lib. I. Annalium p. 634.* DITMARVS *lib. I. p. 325.* LVITPRANDVS *lib. III. c. VII.* Plenius de eo IO. PETRVS LVDEWIG & NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLING *de Conrado I. Rege.*

***** LVITPRANDVS lib. II. c. VII. *Sub quo* (Conrado) *potentissimi Principes, Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Euerhardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia erant.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS vero *ad a. 938.* eum vocat Comitem Palatii, ex quo habet ALBERICVS ad h. a. Exinde crederem, Euerhardum istum a Conrado quidem Rege, fratre suo, factum primum fuisse Palatii Comitem, inde Ducis titulo ornatum, de quo TOLNERVS *Hist. Palatina c. VII. p. 179.*

****** Sic enim WITTICHINDVS *lib. II. ineunte. Euerhardus Comes Palatinus mensæ praerat.* AVCTOR VITÆ S. IOHANNIS ABBATIS GORZIENSIS apud MABILLONIVM *Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti sec. V. p. 410.* ait: *quod Giselbertus Ducatum regni Lotharii, Eberhardus Franciæ Austrasiæ & quorundam trans Rhenum tenuerit locorum.* Hinc REGINONI *ad a. 937.* vocatur Dux Francorum, & WITTICHINDO *lib. II. p. 648.*

******* DITMARVS *lib. II. p. 338.*

§. XI.

Post Euerhardi mortem, Franconiæ Ducatus ad ipsius ex fratre nepotem, Conradum peruenit. Erat iste Werneri, siue Görblingensis, siue Rotenburgensis, * qui tertius erat inter Conradi Regis fratres, atque illustris stirpis propagator, filius, dictus alias Ruffus atque Sapiens. Hic, Wormatiensium Dux dictus, ab Ottone M. gener fuerat adlectus, a fortitudine satis commendatus, qui a. 955. in prœlio isto ad Augustam famosissimo cum Vngaris fuit occisus. ** Huic in eodem Ducatu successerunt filius Otto, *** atque nepos Henricus, **** quem excepit pronepos Conradus Salicus. *****

* MEIBOMIVS *notis ad Hroswitham p. 729.* TOLNERVS *in Historia Palatina c. VIII. p. 204.*

** WITTICHINDVS *lib. I. p. 640 lib. II. exeunte.* DITMARVS *lib. II. p. 333 339.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XX.* GOTFRIDVS VITERBIENSIS *p. XVII. p. 476.*

*** DITMARVS lib. V. p. 370. *Hic igitur* (Otto) *a Conrado Duce & Luitgarda filia Ottonis primi Cæsaris maximi procreatus, morum grauitate actuumque probitate parentelam suam decorabat.* ALBERICVS *ad a. 1024.* ADELBOLDVS *vita S. Henrici c. XVI.* Ex his facile patet, quam recte se ea habeant, quæ DAVID BLONDELLVS *in Genealogia Francica pleniore adsertione p. 169.* tradit, Conradum Sapientem *a. 955.* decessisse sine liberis, quem tamen ideo notauit ANTONIVS PAGIVS *Critica Baroniana Tomo IV. ad a. 1005. n. 3. p. 94.*

**** Au-

**** Auctor coæuus Chronici MSCti, quod reperitur in Bibliotheca Cæsarea apud LAMBECIVM lib. II. c. V. p. 394. *Conradus Dux* (Sapiens) *qui fuit ex progenie Conradi I. Regis, accepit filiam Ottonis I. Imp. ex qua natus est Otto Dux. Otto hic habuit duos filios Cono & Hezil. Ex isto Hezil natus est Cono* (seu Conradus Salicus) *qui modo Rex est.*

***** WIPPO *vita Conradi Salici p. 425.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XXVIII.* ALBERICVS *ad a. 1024.* Sigillatim hæc exposuit FRANCISCVS GVILLIMANNVS *de vera origine & stemmate Conradi.* Licet ex mascula potius Ottonis M. stirpe, ab eiusdemque filio, Ludolpho Conradi II. stirpem ducat. Vberius singula atque verum stemma Ducum Franconiæ declarauit SIMON FRIDERICVS HAHNIVS *in oratione sua auspicali de genuino ac Salico Conradi II. Imperatoris ortu.*

§. XII.

Conrado Salico successerunt Henricus III. Henricus IV. Henricus V. qui secundum prosapiam Duces Francorum facti, etiam Imperatores.* Henricus V. a. 1116. Conrado, Friderici Hohenstauffii ex sorore Agnete, filio, concessit Ducatum Franconiæ.** Contendunt equidem Herbipolitani Scriptores ablatum fuisse Ducatum Erlongo Episcopo Herbipolitano, cui tamen iudiciaria saltim potestas in terris Episcopatus sui, fuerat adempta,*** quæ postea ab Henrico V. Imp. a. 1125. fuit restituta.**** Hanc iudiciariam potestatem confirmauit Heroldo Episcopo a. 1168. Fridericus Barbarossa, id quidem sub nomine Ducatus Würtzburgensis.***** Non igitur Franconiæ Ducatus fuit, prout contendit Trithemius, cum Heroldo sub Ducatus Würtzburgensis saltim titulo fuerit concessus,****** ideoque vltra Territorium Herbipolitanum se haut extendebat, atque secularem saltim potestatem in terras Episcopatus Würtzburgensis comprehendebat, pro more illis temporibus recepto, dum Episcopi in terris Episcopatus sui secularem potestatem sub Ducis vel Comitis titulo adipiscerен-

rentur. † Hinc titulo Ducis saltim fuerunt usi, usque dum seculo decimo quinto Iohannes II. Episcopus Ducis Franconiae titulum primus adsumeret, quem secutus fuit Godofredus Limburgensis, †† contra quem tamen Moguntinus, Bambergensis, Saxoniae Duces atque Marchiones Brandenburgici fuerunt protestati, quorum etiam iuribus singulari Diplomate Caroli V. fuit cautum. †††

* Horum Historia patet ex SYNT. HIST. GERM. *diss. XIV. XV. XVI.*

** CONRADUS URSPERGENSIS *p. 287.* MUTIUS *lib. XVI. p. 132.* TRITHEMIUS *Chron. Hirs. ad a. 1116.* MARTINUS CRUSIUS *Ann. Sueu. p. II. f. 322.*

*** Confirmant hoc Herbipolitani ex CONRADO URSPERGENSI ad a. 1116. ubi dicitur: *qua etiam commotione succensus Imperator, ducatum Orientalis Franciae, qui Wirziburgensi Episcopio, antiqua regum successione competebat, Chunrado sororis suae filio commisit*, quem sequuntur Scriptores modo adlegati. LAURENTIUS FRISIUS vero *in Chronico suo ad a. 1120. p. 493.* non ipsas Terras, verum potestatem iudicandi in Franconiae quibusdam Comitatibus fuisse sublatam, censet. Scilicet, prout a temporibus Ottonis M. inualuit, ut secularem potestatem adfectarent Episcopi, ex diuersorum Impp. concessione diuersos Comitatus cum iurisdictione obtinuerunt Episcopi Herbipolitani. Sic Otto III. Imp. concessisse dicitur Ereberto Episcopo cum omni iurisdictione, Comitatum Waldsachsen & Rangai, FRIESE *Chron. p. 450.* Henricus II. Comitatum Bessingen eodem iure, FRIESE *p. 457.* Inde Episcopi Herbipolitani sensim sibi iura sumserunt & potestatem secularem in omnem Prouinciam. Patet hoc ex ADAMO BREMENSI *lib. IV. c. V.* dum de Archiepiscopo Bremensi dicit: *voluit efficere, Episcopo Würtzburgico similem se esse, qui in Episcopatu suo neminem dicitur habere consortem, quia ipse tenet omnes Comitatus suae Parochiae, & Ducatum quoque Prouinciae gubernat. Ita & Episcopus Brem. statuebat, omnes Comitatus sui Episcopatus iurisdictionem habentes, in Ecclesiae potestatem redigere.*

**** Exhibet Diploma restitutionis vernaculo sermone LAURENTIUS FRIESE *p. 493.* Latinum vero extat apud LEUCKFELDUM *Antiquit. Pald.*

Pæld. p. 253. Et licet IO. TRITHEMIVS *Ann. Hirsaug. ad a. 1128.* de Embrichone Episcopo tradat: *Huic pontifici Rex Lotharius Ducatum Francorum, quem Henricus Imperator V. nepoti suo Conrado Sueuorum Duci contulerat, sicut supra diximus, restituit: & Herbipolensi Ecclesiæ in perpetuum confirmauit.* Cantrarium tamen adserit LAVRENTIVS FRIESE *Würtzburg. Chronic. p. 500.*

***** Extat Diploma apud LEVCKFELDVM *Antiquit. Pæld. p. 254.* in quo: *vt omnem iurisdictionem quam Antecessores sui & Ecclesia & Ducatus Würtzburgens. a Carolo M. & omnibus successoribus suis vsque ad præsens tempus iusta & quieta possessione sine diminutione tenuerunt & possederunt, sibi & Ecclesiæ & Ducatui imperiali autoritate & priuilegii nostri imminutione confirmare dignaremur.* Et paucis interiectis: *damus & concedimus & præsentis priuilegii munimine confirmamus omnem Iurisdictionem, seu plenam potestatem faciendi iustitiam per totum Episcopatum & Ducatum Wirtzburgensem & per omnes Cometias, in eodem Episcopatu vel Ducatu sitas, de rapinis & incendiis, de Allodiis & beneficiis, de hominibus, & de vindicta sanguinis.*

****** *c. l.*

† Prout infra dicemus Cap. XIX. vbi de Principibus Ecclesiasticis sermo erit.

†† Primus, qui titulo Francorum Ducis in nummis & diplomatibus vsus fuisse dicitur, erat Gothofredus ex gente Limburgica, qui sedit a. 1450. idque, vt contendit CASPAR BRVSCHIVS *Catal. Episc. Herbipol. n. LVI. non arrogantiæ studio faciebat, sed quod Albertus Brandenburgensis Marchio ac Nornburgensis Burggrauius, is qui Germanicus Achilles cognominatus est, istum titulum vsurpare ausus fuisset, quod aliqua oppida in Francia Orientali haberet.* In Diplomate enim, quod exhibet LAVRENTIVS FRIESE *p. 802.* initium fit: *Wir Gottfried von GOttes Gnaden, Bischoff zu VVirtzburg und Hertzog zu Francken.* Extant tamen Iohannis II. Episcopi litteræ Falckenbergiis a. 1426. concessæ apud LAVR. FRIESEN *p. 542.* in quibus: *VVir Iohannes von GOttes Gnaden Bischoff zu VVirtzburg und Hertzog zu Francken.* Ante hunc ne Ducis quidem titulum animaduerti in Diplomatibus vel Epitaphiis Episcoporum Würtzburgensium, quorum tamen perplura adduxit LAVRENTIVS FRIESE. In litteris Michae-

lis Stenonis Ducis Veneti de a. 1409. Iohannes iste dicitur Dux apud FRIESEN *p. 686.* In Litteris Capituli VVürtzburgensis apud LAVRENTIVM FRIESEN *p. 748.* dicuntur: *alle Prælaten, Geistliche Graven und Ritterschafft des Hertzogthumbs zu Francken*, & paucis interiectis: *Prælaten, Graven, Herren, Ritter und Knechte des obgenanten unsers Stiffts.* & p. 751. dicuntur: *die Ritterschafft zum Stifft VVirtzburg und Hertzogthumb Francken gehærig* p. 755. vero: *Graven, Herrn, Ritter und Knechte des Landes zu Francken zu dem Stifft VVirtzburg gehærend.*

††† Inde, cum in Comitiis VVormatiensibus anni 1521. Conradus de Thungen, Episcopus de Franconiæ Ducatu inuestiri desideraret, desuper fuerunt protestati reliqui Franconiæ Status, quorum iuribus per litteras Caroli V. tali modo fuit cautum: *das wir unserm Fürsten von VVürtzburg leihen wolien, was vormahls unsere Vorfahren seinen Vorfahren geliehen haben, und diese unsere Belehnung soll ihren liebden sæmtlich und sonderlich an ihren inhabenden und hergebrachten Fürstenthumben, Oberkeiten, Gerichtbarkeiten und Gerechtigkeiten im Land zu Francken unabbrüchlich und unschædlich seyn.* IO. LIMNÆVS *Addit. ad lib. III. cap. III. p. 325.* Dnus CASPAR ACHATIVS BECK *de Ducatu Franconiæ.*

§. XIII.

ALEMANNI ex turba collectitia * Gallorum Sueuorumque, qui a mari Balthico huc delati, ** orti videntur. Primas sedes inter Danubium, Rhenum & Mœnum occuparunt, licet postea Rhenum transgressi, partem quoque Helvetiæ atque Alsatiæ sub se comprehenderint. *** Sub Regum erant Imperio, qui suos sub se Comites. ****

* Primus horum facit mentionem SPARTIANVS *in vita Caracallæ cap. X.* OTTO FRISINGENSIS quidem *lib. I. de gestis Friderici I. c. VII.* illos a Lemanno fluuio ducit, sed AGATHIAS *lib. I. p. 7.* illos vocat conuenas & vndique mixtos, quem sequuntur CLVVERVS *Germ. Ant. lib. III. cap. IV.* VORBVRG *Tom. I. p. 477.* GVLERI *Rhætia p. 40.* HERTIVS *not. Vet. Germ. Pop. p. III. cap. I.* §. 2. WERLHOF *not. Imp. enucl. spec. prim. §. 55. 56.* Plenius S. H. G. *diss. I. §. XXI. seqq.*

** Pa-

** Patet hoc ex eo, quod Tacitus mare Balthicum vocauit Sueuicum & Viader Sueuus dicitur antiquis. CELLARIVS *not. orb. ant. lib. II. cap. V.* HACHENBERG *Germ. med. differt. I. §. 15.* Hinc Sueui iidem ac Alemanni apud PAVLVM WARNEFRIDVM *lib. III. de Gest. Longob. c. XVIII. & lib. II. c. XV.*

*** WALAFRIDVS STRABVS *de vita B. Galli* in prologo, apud GOLDASTVM Rer. Alemann. Tom. I. p. 143. *igitur quia mixti Alemannis Sueui partem Germaniæ vltra Danubium, partem Retiæ inter Alpes & Histriam, partemque Galliæ circa Ararim obsederunt, antiquorum vocabulorum veritate seruata, ab incolis nomen patriæ deriuemus, & Alamanniam vel Sueuiam nominemus. Nam cum duo sint vocabula, vnam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpositæ gentes, quæ latinum habent sermonem, sequenti vsus nos runcupat Barbarorum.* Hoc ipso innuit Alemannos dictos fuisse latino sermone Sueuos a barbaris, & quidem forsan a voce SCHWEBEN diuagari, quia hinc inde diuagentur. In ANNALIBVS FRANCORVM FVLDENSIBVS *ad a. 852.* occurrunt SCHAWI. Vid. & IORNANDES *rer. Get. cap. XV.* & IO. BOEMI *Sueuia.*

**** AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XIV. c. X.* mentionem facit Guadonadi & Vadomarii & *lib. XXVII. c. X.* Vithicabii, Regum.

§. XIV.

Hi autem Alemanni primum a Constantino, Iuliano & Valentiniano victi, * inde, post cladem a Clodouæo, Francorum Rege a. 496. ad Tolbiacum acceptam, ** Francis fuerunt subiecti, ita, vt propriis quidem Ducibus vterentur, qui tamen Francorum Imperium adgnoscerent, & annuum tributum penderent, *** vsque dum Carolus Martellus deuicto Lantfrido, Alemannorum Duce, qui rebellauerat, eosdem sibi plene subiiceret, **** licet ab isto tempore Alsatia ab Alemannia fuerit separata, † & Sueuia per Cameræ nuntios recta. ††

* AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XVI. c. XII. & seqq.* VRSTISII *Chron. Basil. lib. II. c. II.* S. H. G. *diss. I. §. XXV.*

** ex-

** GESTA FRANC. EPIT. *c. XV.* GREGORIVS TVRONENSIS *lib. II. c. XXX.* AIMOINVS *lib. I. c. XV.*

*** AIMOINVS *&* GESTA FRANC. *c. II.*

**** SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 725.* OTTO FRISING. *lib. V. c. XVI.*

‡ Quare in ANN. BERTINIANIS ad a. 839. *Ducatus Helisatiæ & Ducatus Alemanniæ* separatim memorantur & in diuisione filiorum Ludouici Pii, Elisatia Lothario, Alemannia Ludouico Germanico obuenit. Apud DITMARVM *lib. V. ineunte* occurrit Hermannus Alemanniæ & Alsatiæ Dux & p. 367. dicitur: *caput Ducatus sui Argentinam, quæ Strasburg dicitur.*

†† EKKEHARDVS Iun. *de Cas. S. Galli cap. I.* CRVSIVS *Ann. Suev. p. I. lib. VIII. c. IX.* OBRECHT *prodrom. rer. Alsat. cap. XIII.*

§. XV.

Continuatus hic Sueuiæ Status sub Carolo M. Ludouico Pio, Ludouico Germanico & Carolo Crasso, vsque ad tempora Conradi I. quibus, cum Bertholdus & Erchingerus, Cameræ nuntii, Abbatem S. Galli & vicinos nimium infestassent, principum adsensu statuitur Alemannis Dux Burcardus. † Neque tamen Sueuiæ Duces adhuc hæreditarii, sed ab Impp. dependebant arbitrio, vsque dum post Rudolphi Suevi mortem, Henricus IV. Imp. eandem Friderico Hohenstauffio concederet, contranitente licet Rudolpho genero, Bertoldo. †† Hic Fridericus Sueuiæ Ducatum in gentem suam intulit, in qua vsque ad Conradinum, qui a. 1269. Neapoli capite plexus, fuit continuatus. †††

† EKKARDVS Iun. *de Cas. S. Galli cap. I.* LVITPRANDVS *lib. II. c. VII.*

†† OTTO FRISING. *de gest. Frid. I. lib. I. cap. VII. & VIII.* BERTOLDVS CONSTANTIENSIS *ad a. 1092.* FRAGMENTVM HISTOR. *apud* VRSTISIVM *Tomo II. p. 83. ad a. 1092.*

††† PANDVLPHVS COLLENVTIVS *Hist. Neapol. lib. IV. p. 220. cum Conradino simul finem habuit nobilissima Sueuorum familia.* THOMAS FAZELLVS *de reb. Siculis Dec. II. lib. III. cap. VIII.* GERARDVS a ROO *Hist.*

Hist. Austr. lib. I. p. 19. ADAM REISNER *Historie der lezten Hertzogen in Schwaben.* NIC. CISNERI *oratio de Conrado Iuniore.* PFEFFINGERI *Vitriarius illustratus lib. I. tit. XVI. n. 4.* S. H. G. *diss. XXI. §. VIII.*

§. XVI.

Post Conradini mortem, quæ in fatalia ista Interregni tempora incidebat, varie dissipabatur Alemannia. Plures vrbes & nobiles Imperio se subiiciebant, cui iam Philippus Suevus, postquam Imp. factus, occasionem præbuerat, * vel per Comites distrahebatur. ** Partem etiam terrarum Ludouicus Seuerus Palatinus a Conradino venditionis iure obtinuerat. *** Rhætia ad Episcopum Curiensem & diversos Comites deferebatur **** Alsatia per Habsburgicos regebatur. Quidquid reliquum erat, filio suo secundo genito a. 1282. in Comitiis Augustanis concessisse dicitur Rudolphus Habsburgicus. ***** Verum, licet Rudolphus Sueuiæ reliquias sibi vindicauerit, non tamen sub Ducatus titulo Rudolpho filio concessa esse videntur, qui titulum Ducis Sueuiæ nunquam gessit, quin potius Alberto & Rudolpho Austriæ saltim Ducatus fuerit concessus, in quorum titulo nulla fit mentis Sueuiæ, ****** sed crederem Sueuiæ reliquias Austriacis terris fuisse nexas. Henricus VII. equidem Imperator Leopoldo Austriæ Duci Ioannis Parricidæ proscripti, hæreditatem contulit, nulla vero Sueuiæ fit mentio. ******* Maximilianus Sueuiam in titulis suis primus gessit, † Carolus V. Imperator, post Comitum tamen Titulos, vsus fuit illo *des Heil. Rœm. Reichs Fürst zu Schwaben.* ††

* CONRADVS VRSPERGENSIS *p. m. 311. Hic* (Philippus) *cum non haberet pecunias, quibus salaria siue solda præberet militibus, primus cœpit distrahere prædia, quæ pater suus Fridericus Imperator late acquisierat in Alemannia: ita, vt cuilibet baroni siue ministeriali villas, seu prædia rusticana, vel ecclesias sibi contiguas obligaret. Sicque fa-*

ctum

ctum est, vt nihil sibi remaneret praeter inane nomen dominii terrae, & ciuitates seu villas, in quibus fora habentur & pauca castella terrae. S. H. G. *diss XIX. §. IV.*

** MART. CRVSIVS Ann. Sueu. lib. II. p. III. c. XX. p. 123. *Venerunt etiam dominia, quae Duces Sueuiae in Turgouia & Zurichgouia, alibique in Heluetia habuerunt, in potestatem Habsburgensium comitum: nihilominus tamen insecutis temporibus, ea foederatis Heluetiis cesserunt. Vide 4. Stumpf. 51. Sic Pfortzheimum & Zella, quae pertinuerunt ad Ducatum Sueuicum: post mortem Conradini pertinuerunt ad Marchiones Badenses. Quibus etiam Fridericus II. deficiente comitatu Kraichgoiensi, & feudalibus locis ad Imperium redeuntibus, Durlachum & Haidelshaimum donauerat. Sed Haidelsheimum, postea Palatinorum factum est. 3 Münst. 275. Eberhardum autem Comitem Wirtembergensem (cum haec familia facultatibus, & gloria rerum gestarum, iam pridem haud mediocriter creuisset, primum creauit Ducem Wirtembergiae, non totius veteris Sueuiae Maximilianus I. Rex Rom. anno 1495.*

*** AVENTINVS ANN. BOIIC. *lib. VII. c. VIII. Conradus Dei gratia Hierusalem & Siciliae rex, dux Sueuiae, castrum ciuitatem Verdunum in Sueuia, Laugingen, Hochstadium, Morinos, Pittengam, Schongiam, Schwabeck, Ambrones, Fauces, quae Ottoni regulo Boiorum, auo suo materno, Conradus genitor millibus vnciarum auri sexdecim quod est nostratis pecuniae aureoli mille centies duodetricies oppignerarat, Ludouico Boio auunculo suo vendit.* TOLNER. *Hist. Palat. c. XIX. p. 405.* Sic etiam Palatinatum Superiorem per Conradinum Palatinis accessisse, auctor est FREHERVS *Origg. Palat. p. II. p. 15.*

**** GVLERI *Rhaetia lib. V. f. 64. & lib. IX. f. 110.* ZEILLERI *Chron. parv. Sueu. p. 40.*

***** CHRON. AVSTRALE ad a. 1283. *Rudolphus Rex Augustae celebrauit curiam, vbi Albertum filium suum Ducem Austriae & Stiriae constituit, & Rudolphum filium Ducem Sueuiae creauit.* GERH. DE ROO Hist. Austr. lib. I. p. 31. *Rudolphus etiam alter Caesaris filius Sueuiae dux, Alsatiae Landgrauius, & Ergouiae Comes declaratur.* Idem tradit FVGGER *lib. I. c. XIII. p. 113.* VRSTISII *Basler Chronic lib. III. c. I. f. 159.*

****** HEN-

****** HENRICVS STERO ad a. 1281 *Rex exiuit terra Austriæ, & ipsum Ducatum Alberto, filio suo primogenito commendauit; sed postmodum eundem Ducatum eidem Domino Alberto & Rudolfo, filiis suis, in feudum contulit, coram Principibus suis, super hoc Augustæ in Curia congregatis.* Idem dicit EBERHARDVS ALTAHENSIS *ad d. a* ALBERTVS ARGENTORATENSIS p. 101. *Ducatum autem Austriæ, quem occupauit Ottocharus Rex Bohemiæ, contulit Alberto, & Rudolfo, filiis suis, & veniens cum Exercitu, est in Vienna, Ciuitate Austriæ capitali receptus.* CVSPINIANVS *p. 353.* In Litteris Rudolphi Habsburgici datis Rheinfeldæ 1283. apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. spec. Cont. II. Vierdten Absatz p. 19. quod venientes ad nos ingenui Principes, dilecti nostri filii, Albertus & Rudolphus, Duces Austriæ & Stiriæ, Domini Carniolæ, Marchiæ & Portus Naonis, Comites in Habsburg & in Kiburg ac Landgrauii Alsatiæ.* In his igitur litteris nulla plane fit mentio Sueuiæ Ducatus.

******* GERH. a ROO lib. II. p. 76. *in hac expeditione Cæsari magno vsui fuit Leopoldus, Mediolani enim cum mille quadringentis Germanis relictus a Turrianorum molitionibus vrbem tutatus est, & post egregie nauatam operam, Ioannis patruelis sui parricidæ hereditatem Cæsaris beneficio obtinuit.*

† Plerique Recessus Comitiales Maximiliani titulos comprehendentes, Principis Sueuiæ non habent, GOLDASTVS *Constitut. Imp. Tomo III. p. 482.* exhibet Constitutionem de honoribus & priuilegiis Poetarum de a. 1501. in qua *Princeps Sueuiæ*, occurrit post titulum Landgrauii Alsatiæ. Idem titulus occurrit in Constitutione de Notariis de a 1512. *Constit. Tomo I. no p. 430.*

†† In Titulis Caroli V. frequentius hoc fit, & quidem statim in Ordinatione Regimonti VVormatiæ de a. 1521. atque passim. Vid. *Schwæbischer Ritterschafft Gegen-Bedencken de a. 1702. p. 57.*

§. XVII.

BOII, alias Boioarii dicti, gens origine Germana videtur, quæ in Boiohæmia & apud Nariscos primarias habuerunt sedes, exinde a Marcomannis pulsi, in Italiam cesserunt, † sed denuo in Germaniam migrantes, vltra Danubium

consederunt, ita, vt ad Pannoniam vsque fines suos extenderent, atque Austriacas etiam terras & Noricum sub se comprehenderent. †† Hi primum Reges habuerunt, post victoriam Francorum Tolbiacensem vero iisdem se subdiderunt, ††† ita tamen, vt Duces semper ex familia acciperent Agilolfingica. ††††

† IO. AVENTINVS, IO. ADLZREITERVS, ANDREAS BRVNNERVS, MARCVS VELSERVS *in Annalibus Boiicis.* COCCEIVS *prud. I. P. cap. III.* HERTIVS *not. vet. Germ. populorum p. III. cap. II.* Licet HADR. VALESIVS *lib. XXIV. Rer. Francic. ad a. 725.* eosdem inter Gallos referat.

†† Optime horum fines describit PAVLVS DIACONVS *de gest. Longobard. lib. III. c. XXIX.* dum ait: *Noricorum prouincia, quam Baiuariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, a meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Sic etiam Licus Baioarios ab Alemannis diuidebat EGINHARDVS *in vita Caroli M. c. XI.* Idem, Hunnos Baioariis facit ab Oriente conterraneos & Anisus certus inter Baioariorum atque Hunnorum terminos limes. ANN. FRANC. *ad a. 792.*

††† S. H. G. *diss. VI.* §. *VI.*

†††† LL. BAIOAR. Tit. II. cap. XX. *Dux vero qui praeest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit & debet esse, quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, vt qui de genere illorum fidelis Regi erat & prudens, ipsum constituerent Ducem ad regendum populum illum.* Hinc DITMARVS lib. V. p. 368. Bauaros dicit ab initio Ducem eligendi liberam habuisse potestatem. Paruisse autem Duces Francis, patet ex LL. BAIOAR. Tit. II. cap. IV. *Si quis autem Dux de prouincia illa, quem Rex ordinauerit, tam audax aut contumax, aut leuitate stimulatus, seu proteruus & elatus, vel superbus atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contempserit, donatu dignitatis ipsius ducati careat.* Iurauerunt etiam regibus Vasalli & sui effecti REGINO *ad a. 756.* CONTIN. AIMOIN. *ad a. 757.* AVENTINVS *Ann. lib. III.*

§. XVIII.

Dum vero Boiorum nimia esset potestas, varie rebellarunt,

larunt, vsque dum primum a Carolo Martello, post a Pipino, & demum Thassilo a Carolo M. in ordinem redigeretur. † Hic cum denuo rebellis, Ducatu priuatus, & Bauaria Comitibus regenda est concessa. †† Mansit itaque Bauaria sub Carolingorum potestate, ita, vt Ludouicus Pius Imp. constitueret duos filios suos Pipinum & Lotharium, Reges in Baioaria. ††† Circa vltima vero Carolingorum tempora Bauaria Duces accepit, quorum primus Luitbaldus †††† memoratur. Hic Arnolphi Mali pater erat, qui primus propriam potestatem in Baioaria ab Henrico Aucupe adeptus & regalem. ††††† Licet nec dum hæreditariam fuisse apud Boios potestatem, ex eo pateat, quod Otto M. præteritis Arnulphi filiis, eiusdem fratri germano Bertoldo Bauariam concesserit. ††††††

† HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 722. Carolus Alemanniam & Baioariam subiecit.* SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 724. 727. *Odilonem Bauariæ Ducem in ordinem redegerunt huius filii, Pipinus & Carolomannus.* ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 743.* REGINO *ad a. 743.*

†† REGINO. ANN. FRANC. FVLD. HERMANNVS CONTRACTVS, SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 788.* MARIANVS SCOTVS *ad a. 789.* EGINHARDVS vita Caroli M. *c. XI. Tassilo postmodum ad Regem euocatus, neque redire permisso, neque Prouinciæ, quam tenebat, vlterius praeesse, sed Comitibus ad regendum commissa est.* Inter hos memoratur Geroltus, Baioariæ præfectus, ANN. FRANC. FVLD. REGINO, HERM. CONTRACTVS *ad a. 799.* S. H. G. *diss. VII. §. XXVIII.*

††† CHRON. MOISSIACENSE *ad a. 815.*

†††† OTTO FRISING. *lib. VI. c. XV.* REGINO *ad a. 907.* HERM. CONTRACTVS *ad a. 968.*

††††† S. H. G. *diss. XI. §. XIV.*

†††††† WITTICHINDVS *lib. II. Ann. p. 649.* REGINO *ad a. 938.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 939.* ADLZREITER *Ann. Boi. p. I. lib. XIV. ineunte.* S. H. G. *diss. XII. §. VI.*

§. XIX.

Dependebat igitur Bauaria ab Impp. arbitrio, vsque ad tempora Guelphi, qui Henrici IV. beneficio eundem Ducatum obtinuit. * Mansit in eadem familia vsque ad Henrici Superbi tempora, quo a Conrado III. proscripto, Bauaria cessit Leopoldo Largo, Austriæ Marchioni. ** Et licet Superbi filius, Henricus Leo, Austria relicta, in eandem restitueretur, ipse tamen a Friderico Barbarossa proscriptus, & Ducatibus fuit priuatus. *** Inde Otto Wittelsbachius Bauariæ Ducatum obtinuit, in cuius familia adhuc hodie continuatur.

* LAMBERTVS SCHAFNABVRG. *ad a. 1071.* HELMOLDVS *lib. I. Chron. Slav. c. XXVII.* ALBERTVS STAD. HERM. CONTRACTVS *ad a. 1071.* HISTORIA de GVELFIS *apud* LEIBNITIVM *p. 803.* ADLZREITER *p. I. lib. XVIII. n. 4.* S. H. G. *diss. XV. §. XIII.*

** OTTO FRISING *de gest. Frider. I. lib. II. c. VII.* ANDR. PRESBYTER *Chron. Bauar. p. 25.* S. H. G. *diss. XVII. §. V.*

*** OTTO de S. BLASIO *cap. XXIV.* CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1175.* ALB. STAD. *ad a. 1180.* CHRON. MONTIS SERENI *p. 44.* ANDR. PRESBYTER *Chron. Bauar. p. 29.* ADLZREITER *p. I. lib. XXIII.* S. H. G. *diss. XVII. §. XXLIII.*

§. XX.

THVRINGORVM antiquissima natio, olim sub Regibus fuit, quorum diuersi memorantur, * vsque dum Clodouæus eosdem tributarios redderet, ** quo tempore partem constituerunt regni Austrasiæ. *** Dum autem pleræque Germaniæ prouinciæ suos haberent præfectos atque Duces, primus apud Thuringos fuisse videtur Thachulphus, Dux Sorabici limitis sub Ludouico Germanico. Inde memorantur Poppo, Conradus, Burcardus. **** Post mortem Burcardi, Thuringia varie dissipata, & per diuersos Comites fuit recta, qui partim Marchiones dicti. Exeunte seculo Millesimo, Eccardus Misniæ Marchio super omnem Thuringiam communi totius

tius populi electione ducatum promeruit, ***** qui etiam post Ottonis III. mortem ad Germaniæ regnum adspirabat, sed a. 1002. Poledæ fuit occisus. ****** Ab huius morte Thuringia iterum ab Imperatorum dependisse videtur arbitrio, vsque dum Conradus Salicus a. 1115. Ludouicum fratrem suum, cum barba dictum, Vicarium faceret per totam Thuringiam, ipsi etiam multa conferret beneficia. † Lotharius vero Imp. Ludouicum III. a. 1130. Principem & Landgrauium Thuringiæ constituit, indeque restitutus fuit Thuringiæ Principatus. †† Huius posteri etiam Thuringiam tenuerunt, inde factum, quod in electione Philippi Thuringi, inter alios Germaniæ populos electionis participes memorantur. ††† Extincto autem a. 1248. sine hæredibus Henrico Raspone, Hassia ad Ottonem Brabantinum, Thuringia ad Henricum illustrem Misniæ Marchionem fuit delata, †††† ex cuius stirpe Saxoniæ Duces fuerunt oriundi. Isti Henrico etiam se a. 1249. subiecerunt Comites Thuringiæ. †††††

* Vid. CASP. SAGITTARII *epistola de antiquo Statu Thuringiæ*. Ei. *Antiquitates Regni Thuringici*. HERTII *not. Vet. Germ. Pop. p. III. cap. IV.*

** GREGORIVS TVRONENSIS *Hist. Franc. lib. II. c. XXVIII.* GESTA REGVM FRANCORVM *cap. X.*

*** SAGITTARIVS *antiquit. Duc. Thuring. lib. I. c. I.*

**** Singulos recenset SAGITTARIVS dicto Libro & PFEFFINGER *in Vitriario illustrato lib. I. tit. XVI. n. 2.*

***** Verba sunt DITMARI *lib. V. p. 366.* haut equidem antiquum Thuringiæ Ducatum hoc ipso restitutum fuisse crederem. Sed Thuringiæ Marchio fuisse videtur, quare in diplomate Ottonis III. Numburgensi, cuius verba exhibet SAGITTARIVS in Historia Eccardi I. sect. VIII. §. II. *Otto Rex ob petitionem & interuentum VViligisi Moguntinæ Sedis Archiepiscopi - - nec non Bernhardi Ducis - - dedi sex mansos regales in villa Holzhusen dicta sitos, & in Comitatu Ekkihardi Comitis in Thuringia.* Patet hoc tanto magis ex ADELBOLDI *Vita Henrici Sancti c. V.* qui ait: *Tunc temporis post Heinricum Ducem magnifi-*

gnificum, maiores erant in regno, Benno Dux in Saxonia, Herimannus Dux in Alemannia, Theodoricus in Lotarienſi regno, Ekehardus Marchio in Toringia. Partem itaque ſaltim antiqui Thuringiæ Ducatus tenebat Eckardus, ſed, dum præcipuæ auctoritatis eſſet, Thuringi, in plura Territoria diuiſi, communi conſenſu ipſum tanquam Ducem ſummum militarem atque Aduocatum ſumſerunt, prout etiam adſeruit SAGITTARIVS *ſect. XIII. §. II. III.* IO. GEORGIVS REINHARDVS *Antiquit. Marchion. Thuringici.*

****** DITMARVS *lib. V. p. 366.* SAGITTARIVS *§. XIII. Hiſt. Eccardi* S. H. G. *diſſ. XIII. §. XVIII.*

† HIST. LANDGR. c. XI. vbi etiam diploma inſeruit, beneficia comprehendens Ludouico a Conrado collata.

†† DEDECHINVS *ad a. 1130.* HIST. LANDGRAV. THVR. c. XVIII. *Imperator, videns Ludouicum, Generum ſuum, eſſe militem ſtrenuum & potentem in Thuringia & Haſſia, de conſilio Principum, ipſum cum vexillorum feſtiua exhibitione, vt moris eſt, Imperatoria Legatione, ſolenniter extulit, & cum magno præconio ei nomen Principis impoſuit, & Landgrauium Thuringiæ ipſum proclamari ab omnibus fecit.* Hunc ſequitur AVCTOR appendicis MARTINI POLONI *ad a. 1130.* ENGELHVSIVS *Chron. p. 1099.* de Lothario: *ipſe etiam fecit primum Lantgrauium Thuringiæ Lodewicum, cuius pater conſtruxit cœnobium Reynsborne. Nam antea terra Thuringiæ fuit ſub Comite de VVinzingeborg.* ALBERTVS STADENSIS ad a. 1144. *altera Adelheidis nupſit Lodewico & genuit ſecundum Lodewicum, qui a Lothario Rege impetrauit prouincialem Comitatum in Turingia, cum eo per ſententiam priuatus eſſet Hermannus de VVincenburg.* Vid. etiam SAGITTARIVS *de antiquo Statu Thuringiæ p. 59.* Gener hic Imp. a quibusdam dicitur ex Hedwige, licet potius adfinis ſaltem fuiſſe videatur, prout etiam IOACHIMVS FRIDERICVS FELLER *Monum. ineditis Trim. IX. adfirmat.*

††† ARNOLDVS LVBECENSIS lib. VI. c. III. *totum robur Imperii Philippo adhærebat. Coadunata igitur multitudine Prælatorum & Principum de Franconia, Saxonia, Suenia, Bauaria, Turingia apud Moguntiam, conſenſu & fauore omnium in regem eſt electus.*

†††† Immo Fridericus II. Imp. ipſi iamdum a. 1242. ſuper Thuringiæ

giæ Landgrauiatu & Comitia Palatinatus Saxonici concesserat expectatiuam, quæ extat apud WECKIVM *Chron. Dresd. p. 153.* Vid. S. H. G. *diss. XXII.* §. *VIII.*

†††† Extant hæ Litteræ Reuersales apud WECKIVM *p. 155.*

§. XXI.

SAXONES originis Germanæ, primas sine dubio sedes * circa Albis ostia in Holsatia habuerunt, postea Francis in Gallias secedentibus, post cruentum potissimum cum Clothario certamen, ** & deuictis Thuringis, *** latius fines suos extenderunt. Diuidebantur autem in Ostphalos, Westphalos & Angriuarios, † quorum singuli suos supra se Satrapas habuerunt, qui belli tempore supra se Ducem †† communem legebant, qualis Caroli M. tempore erat Wittikindus. †††

* PTOLEMÆVS Saxones supra collum Cimbricæ Chersonesi collocat, & STEPHANVS de situ vrbium, Saxones priscos prope Cimbriæ peninsulas ponit. PAVLVS OROSIVS *lib. VII. c. XXXII.* Saxones gentem vocat *in Oceani littoribus & inuiis paludibus sitam.* Fines eorum ita describit ADAMVS BREMENSIS *lib. I. Hist. Eccles. c. IV. Saxones a meridie Francos habere, & partem Thuringorum, quos praecedens hostilis turbo non tetigerit, alueoque fluminis Vnstrute dirimi, a Septentrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas, ab ortu Solis Obotritos & ab occasu Frisios.* WITTICHINDVS *Ann. lib. I.* REINERVS REINECCIVS *de Saxonum origine.* FERDINANDI FÜRSTENBERGII *Monumenta Paderbornensia.* NIC. SCHATENII *hist. Westphaliæ.* HENR. MEIBOMII *introduct. in Saxoniæ infer. historiam.* HERTII *not. Vet. Germ. pop. p. III. cap. III.* SCHVRZFLEISCH *not. ad Vitam Alberti p. 651.*

** GREGORIVS TVRONENSIS *lib. IV. c. XIV.*

*** WITTICHINDVS *Ann. lib. I. ineunte,* ADAMVS BREMENSIS *c. l.* SAGITTARIVS *de antiquo Statu Thuringiæ & Antiquitatibus Regni Thuringici lib. II. cap. XII.* §. *21. 22.* vbi potissimum ex Historia Landgrau. Thur. c. V. Spangenbergio & aliis demonstrauit, in confiniis Saxenburgum & Sondershusam, quasi dicerent domum separationis a Sa-

xonibus fuisse extracta, cum ex altera Thuringiæ parte Franci excitarent Franckenhusam.

† WITTICHINDVS Ann. lib. I. p. 634. *Saxones suis locis ac vocabulis novimus signatos. in Orientales scilicet, populos, Angarios atque Westvalos.* CAPIT. CAROLI M. Aquisgr. a. 797. dicuntur *conuenisse Aquisgrani congregati Saxones ex diuersis pagis, tam de Westfalabis & Angariis, quam de Oestfalabis.* Memorantur etiam Angri in ANNALIBVS FVLDENSIBVS *ad a. 852.* Vid. SPENERI *Notitia Germaniæ Mediæ p. 410.*

†† BEDA *Hist. Eccles. Gent. Angl. lib. V. c. XI. antiqui Saxones Regem non habent, sed Satrapas plurimos genti suæ præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, & quemcunque sors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, & huic obtemperant: Peracto autem bello, rursus æqualis potentiæ omnes Satrapæ fiunt.* WITTICHINDVS c. l. ait *a tribus principibus totius gentis Ducatus administrabatur.* Talis Dux memoratur Bertoldus, quem Clotharius, Francorum Rex occidit. AIMOINVS *lib. IV. c. XVIII.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 630.*

††† Nullibi enim antiquis dicitur Rex, sed ANN. FRANC. *ad a. 777. vnus ex primoribus Westphalorum.* Vid. SCHVRZFLEISCHII & IAC. ANDR. CRVSII Wittikindus M. NIC. SCHATEN *lib. X. Hist. Westphal.* Erat autem Wittikindus Dux Westphalorum, dum Hassino Saxonibus Orientalibus, Bruno Angariis præesset, REGINO *ad a. 775.* S. H. G. *diss. VII.* §. XX.

§. XXII.

Libera itaque gens olim, post Francis tributaria, * a Carolo M. demum subacta, ita tamen, vt coalescerent in gentem vnam cum Francis. ** Regebatur Saxonia isto tempore per Comites, Missos atque Aduocatos regios, *** post etiam per Duces, dum Wittikindus Dux saltim esset honorarius, solum possidens patrimonium. † Ex Ducibus autem Henricus Auceps primus libera potestate regnauit apud Saxones, †† cuius filius Otto M. Hermanno Billingo nobili apud Saxones viro, quem antea militiæ Ducem constituerat, Saxoniæ Ducatum

tum commisit. ††† Et licet omnem Saxoniam vice Regis administraret, ipsam tamen prouinciam sibi seruasse Imperatores ex Henrici IV. Imp. Historia patet, †††† ita, vt Saxoniam saltim orientalem, siue terram Luneburgensem, quam loco salarii obtinuisse videtur, ad posteros, vna cum Ducali dignitate transmitteret. †††††

* Saxones ipsi fatentur, se iam Clotharii, Francorum Regum fratribus ac nepotibus tributa pependisse, apud GREGORIVM TVRONENSEM *lib. IV. Hist. Franc. c. XIV.* Postea a tributo vaccarum inferendalium ipsos absoluit Dagobertus. FREDEGARIVS *Chron. c. LXXIV.* Denuo eosdem tributarios fecit Carolus Martellus ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 737.* Pipinus Saxonibus tributum imposuit, vt trecentos equos sibi singulis annis soluerent ANN. FRANC. *ad a. 775.*

** EGINHARDVS *in vita Caroli M. c. VII.* ADAMVS BREM. *lib. I. c. VII.* S. H. G. *diss. VII. §. XXVI.*

*** Docet illud CHRON. MOISSIACENSE ad a. 782. *habuit Karolus Rex Conuentum magnum exercitus sui in Saxonia, ad Lippebrunem. Et constituit super eam Comites ex nobilissimo Saxonum genere.* AVCTOR ANONYMVS ANN. CAROLI M. *ad a. 803.* in SCHILTERI collectione, dum canit:

Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis
Legatisque suis, permissi legibus vti
Saxones patriis, & libertatis honore.

Talis erat Trutmannus Comes, ad quem Praeceptum de anno 789. extat apud BALVZIVM *Tomo I. p. 250.* Sic etiam ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 798.* mentionem faciunt legatorum regiorum, qui ad iustitiam faciendam apud Saxones versabantur. Immo ex eo, quod vna gens cum Francis facti, patet, Duces eos proprios non habuisse. Quare etiam ADAMVS BREM. *Hist. Eccles. lib. II. cap. IV.* ait: *nondum post tempora Caroli, propter veteres illius gentis seditiones Saxonia Ducem accepit nisi Caesarem.* Hunc iisdem verbis sequitur HELMOLDVS *Chron. Slau. lib. I. c. X.* ALBERTVS STAD. *ad a. 961.*

† Plenius de eodem egi in dissert. *de Allodiis Imperii §. X.* Vid. etiam infra *diss. XIX. §. VII.*

N 2 ††WIT-

†† WITTICHINDVS *Ann. lib. I. p. 634.*

††† ADAMVS BREM. *lib. II. c. IV.* KRANZIVS *Sax. lib. IV. c. XV.* MEIBOMII *Vindiciæ Billinganæ.* S. H. G. *diss. XII. §. XXVIII.*

†††† LAMBERTVS SCHAFNABVRG. p. 236. *solus adhuc Otto dux quondam Baioariæ, in castello Hartesburg residebat. Huic rex per totam Saxoniam vices suas & publicarum rerum procurationem delegaverat.* De eodem p. 237. *a rege totius Saxoniæ principatum accepit.*

††††† ALB. KRANTZIVS *Saxoniæ IV. c. XVI. Hermannus interim Germaniæ nouus dux quum eas teneret partes commendatas, quæ Wandalis obiacent, & Albi flumini, pene omnia possedit quæ nunc tenet dux Luneburgensis & Dux inferioris Saxoniæ.* Idem, paucis interiectis: *Hunc ego nouum Ducem Saxoniam quoque Transalbianam tenuisse crediderim, quod limitaneus esset, ad vicinas Danorum Wandalorumque nationes arcendas ab incursionibus.* Et paullo post: *Terram vero Brunswikcensem, quæ postea in ducatum erigitur, & rursus Göttingensem, & quæ Transsyluana dicitur, cum terra VVittenbergensi, quæ nunc superior dicitur Saxonia, & omnem Misniam Thuringiamque tum Saxonici iuris pro se ac posteris seruauere Imperatores. Alioqui stultum fuerit dotare extraneum & suos exhæredes facere.* Vid. etiam MEIBOMII *Introduct. ad Historiam Saxon. Infer. p. 32.*

§. XXIII.

Postquam autem Magnus, vltimus ex Billinganis, a. 1106. sine hæredibus masculis esset extinctus, eiusdem filiæ quidem Eilicke Ottoni Ascanio nupta, ex qua natus postmodum fuit Albertus Vrsus; & Wulfildis, Henrico Catulo nupta, ex qua natus postmodum fuit Henricus Superbus, eundem Ducatum prætendebant, quibus tamen exclusis, Henricus V. Imp. eundem Lothario contulit, * qui, postquam Imp. factus, generum suum HenricumSuperbum de Saxonia inuestiuit, ** quam, postquam a Conrado III. Imp. a. 1138. proscriptus fuisset Henricus, Albertus Vrsus Ascanius obtinuit. *** Restitutus tamen a. 1142. Superbi filius, Henricus Leo, **** a. 1180. iterum deie-

deiectus, & Saxonia Superior a Friderico I. Bernhardo Ascanio fuit concessa. Licet Holsatia, pars olim Saxoniæ, proprios Comites acciperet, Westphaliæ Ducatus Coloniensi Archi-Episcopatui adiiceretur. Lauenburgum separatas rationes acciperet, Ascaniis singularis lineæ adsignata, Brunsuicense vero & Luneburgense Territorium tanquam patrimonium Guelphis relinqueretur. † Mansit igitur Saxonia in Ascaniorum familia vsque ad Albertum III. quo a. 1423. sine masculis defuncto, ex beneficio Sigismundi Imp. Saxoniam Fridericus Bellicosus Misniæ Marchio atque Thuringiæ Landgrauius, obtinuit, qui fundator est hodiernæ Domus Saxonicæ Serenissimæ. ††

* S. H. G. *diss. XVI. §. XII.*
** S. H. G. *diss. XVI. §. XXIX.*
*** S H. G. *diss. XVII. §. III.*
**** S. H. G. *diss. XVII. §. V.*
† S. H. G. *diss. XVII. §. XLVIII.*
†† S. H. G. *diss. XXIX. §. XXIX.*

§. XXIV.

Lotharingia Francorum olim paruit imperio, nomen adepta, postquam in diuisione filiorum Ludouici Pii Veroduni a. 842. facta, illa terra Lothario obueniret. * Hoc autem in monasterium Prumiense se recipiente, obuenit filio eius natu minori, sub nomine regni Lothariensis. ** Hoc a. 869. defuncto, controuersia de successione suborta inter ipsius patruos Ludouicum Germaniæ, & Carolum Caluum, Galliæ Regem, quæ ad Marsanam transactione finita, ita, vt Lotharingiam æquis partibus inter se diuiderent. *** Filio Ludouici cognomini a. 880. omnem concesserunt Lotharingiam Ludouici Balbi filii. **** Inde Arnulphus eandem concessit filio suo notho, Zuendipoldo, qui, cum proceribus minus gratus esset,

in bello perimitur, succedente ipsi ex procerum consensu Carolo Simplice, Rege Gallorum, qui, contranitente licet Conrado, Germanorum rege, hanc prouinciam obtinuit. † Henricus Auceps vero eandem singulari transactione, Bonnæ cum Gallorum Rege Carolo inita, Imperio iterum vindicauit. ††

* REGINO ad a. 842. *Lotharius, qui & maior natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter vtrosque incedens, regnum sortitus est, quod hactenus ex eius vocabulo Lotharingia nuncupatur.* S. H. G. *diss. VIII. §. XX.*

** REGINO ad a. 870. *Ludouicus & Carolus vna cum optimatibus & proceribus suis ad Marsanam venientes, regnum quondam Lotharii æquis partibus inter se diuiserunt.* Ipsa diuisio prout facta, exhibetur in ANNAL. PITHOEANIS *p. 488.* & inter Capitularia Caroli Calui *Tit. XLIII.* RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. I. p. 11.* S. H. G. *diss. VIII. §. XXV.*

*** REGINO *ad a. 869.* S. H. G. *diss. IX. §. III.*

**** REGINO *ad a. 879.* S. H. G. *diss. X. §. XV.*

† SIGEB. GEMBLAC. ad a. 916. *Carolus Rex Francorum, Regnum Lotharingiæ recepit.* S. H. G. *diss. XI. §. VI.*

†† SIGEB. GEMB. *ad a. 923.* CONT. REGINONIS *a. 924. Carolus & Heinricus reges apud Bonnam castellum conueniunt, & pacem inter se facientes, fœdus ineunt & Carolus nunquam sibi amplius Lothariense regnum vsurpaturum promittens, regreditur.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XVIII. itaque dum, secundum quod vtrosque Scriptores concordare diximus Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo disceptaret, ex voluntate amborum, ad huius litis scrupulum decidendum, die in oppido Bunna constituta, Belgica Henrico cessit, ac Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunensis, Burgundia Regem per se habente, remansit & sic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Gallicam cum palatio Aquis & maiore parte Franciæ perdidit.* Idemque VLR. OBRECHTVS in *Prodromo Rer. Alsaticarum cap. VII. p. 117. seqq.* vberius persequitur. Extat pactum illud Bonnense apud du CHESNE *Tomo II. p. 587.* AVBERTVM MIRÆVM *Donationum piarum c. XXIII.* BALVZIVM *Tomo II. p. 299.*

p. 299. Contrarium equidem cum BLONDELLO adſerit GVNDLINGIVS de *Henrico Aucupe p. 105.* idemque magis adhuc firmare conatur in GVNDLINGIANIS *p. XIX. p. 377.* putans, Pactum illud ſola Sirmondi auctoritate niti, Carolum, ſuperiorem Lotharingiam, quæ agrum Wormatienſem, Alſatiam, aliosque Rheni pagos complexa, quam hoſtili impetu inuaſerat, reddidiſſe, inferiorem vero ſub Caroli clientela manſiſſe. Verum, dum Iac. Sirmondus ſua ex MSCtis hauſerit, Scriptores dicant, omne regnum Lotharienſe fuiſſe ceſſum, Otto Friſingenſis Lotharingiam inferiorem vna cum palatio Aquis deſignet, dubium haut ſubeſſe crederem. Nec WITTICHINDVS nos mouet dum *lib. I. p. 637.* de Giſelberto ait: *quem rex ſatis letus ſuſcepit, quia per ipſum ſolum totum Lotharii regnum ſe habiturum arbitratus eſt.* Huius hæc erat ratio, renuntiauerat equidem Gallorum Rex Carolus, iuri ſuo in Lotharingiam per pactum Bonnenſe, ſed opponebat ſe Giſelbertus Dux Lotharingiæ, vt per huius demum ſubiectionem Henricus Lotharienſi regno cum pace frueretur. Vid. S. H. G. *diſſ. XI. §. XV.*

§. XXV.

Henricus Auceps Lotharingis Giſelbertum, deſponſata ipſi filia Gerberga, ducem præficiebat, a proceribus iam ante electum,* qui etiam inter Duces, Officiales Imperii, Ottonis M. coronationi aderat.** Dependebat tamen Lotharingia ab Impp. arbitrio, vsque dum Brunoni fratri ſuo, Archi-Epiſcopo Colonienſi, eandem concederet Otto M. *** Poſt ipſius mortem Lotharienſis regni negotia diſpoſuit † ipſe Otto M. idemque ſine dubio per Comites rexit, poſt Otto II. Carolo Lotharii Gallorum Regis fratri conceſſit, qui primus Dux Hæreditarius fuiſſe videtur, & licet ipſe Lotharius Lotharingiam adpeteret, eandem tamen abiurare fuit coactus. ††

* WITTICHINDVS *Ann. lib. I. p. 637.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 927.* S. H. G. *diſſ. XI. §. XV.*

** WITTICHINDVS *Ann. lib. II. p. 643. Lothariorum Dux Giſlebertus omnia*

omnia procurabat. Hoc tamen rebellante, atque in transitu Rheni submerso, Otto *Belgicam ingreditur, totamque in deditionem accepit, & exhinc Prouincia illa a Regibus Teutonicorum absque contradictione possidetur*, teste OTTONE FRISING. *lib. VI. c. XIV.* S. H. G. *diss. XII. §. IV.*

*** WITTICHINDVS *lib. I. p. 638.* LEVOLDVS NORTHOFIVS *Cat. Archiep. Colon. apud* MEIBOMIVM *Tom. II. p. 5.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 957.* AVCTOR VITÆ BRVNONIS apud LEIBNITIVM. S. H. G. *diss. XII. §. XXIX.*

† REGINO ad a. 966. *Imperator Coloniæ Natalem Domini celebrauit, cunctaque Lotharienſis regni negotia, prout ſibi videbatur, diſpoſuit.*

†† SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 977. & ad a. 980. Otto Imperator, Lotharius, & rex conuenientes ſuper Carum fluuium pacificantur, datis inuicem ſacramentis, & rex Lotharius Lotharingiam abiurat.* Vid. FRANC. DE ROSIERES *Stemmat. Lothar. f. 194.* S. H. G. *diss. XIII. §. IV. IX.*

§. XXVI.

Carolo ſucceſſit filius, Otto II. poſt cuius fata diuidi cœpit Ducatus Lotharingiæ in Inferiorem atque Superiorem. Iſta Belgii partem ſub ſe comprehendebat, præcipue Brabantiam, quæ in varios Ducatus & Comitatus diuiſa, ſub Burgundiæ nomine Imperio denuo acceſſerunt. Hæc vero Lotharingiam vna cum Alſatiæ parte, quæ etiam dicta Lotharingia Moſellanica.* In hac continua ſerie ſucceſſerunt ſibi inuicem Duces, qui etiam ab Imperatore fuerunt inueſtiti.** vsque ad Antonium, qui transactione a. 1542. Noribergæ cum Ferdinando I. concluſa, illud obtinuit, vt libere poſſideret Lotharingiæ Ducatum, ita tamen, vt ratione quarundam terrarum adhuc vaſallus ſit, & ratione collectarum atque Imperii onerum ſubſit Imperio.*** Nec etiam negandum, plures Lotharingiæ terras excidiſſe Imperio, cum Galli belli iure occupauerint, Epiſcopatus Metenſem, Tulenſem & Verdunenſem, qui per pacem Monaſterienſem**** Gallis fuerunt ceſſi.

* FRANC.

* FRANC. de ROSIERES *Stemmat. Lothar. Tom. IV. p. 194. & seqq.* PFEFFINGERI *Vitriarius illustratus lib. I. Tit. XVI. p. 403.*

** Extant in LEIBNITII *prodromo I. Gentium p. IV. n. XIII. p. 18.* Litteræ inuestituræ Alfonsi, Electi Regis Romanorum de a. 1258. quibus Fridericum Lotharingiæ Ducem de Lotharingiæ Ducatu, Romarici Comitatu & quibusdam regalibus inuestit.

*** Extant tabulæ integræ apud CONRINGIVM *de Fin. Imp. c. XXVII.* & IO. IACOBVM CHIFLETIVM *Comment. Lothariensi cap. IX.* & gallico idiomate in RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tomo II. p. 674.* Feuda vero quæ adhuc ab Imperio tenet, memorantur in litteris Inuestituræ Rudolphi II. atque sunt Marchionatus Pontis Montensis, Comitatus de Blanckenberg, siue Albimontis, Bellisthein, & Clarimontis, Marchionatus Hattonis Castri. Vid. & ITTERVS *de Feudis Imp. cap. VI. §. 13.*

**** *Art. LXX.* Vid. CONRING *de Fin. Imp. c. XXVI.* Iura Gallorum in Lotharingiam hanc Episcopalem pluribus euincere conatur THVANVS *lib. XI. p. 337.* Examinat hanc quæstionem CANTERELLI FABRI *Question Historique si les Provinces de l'ancien Royaume de Lorraine doivent estre appellées Terres de l'Empire à Paris 1644. 8.* Dum vero Galli feuda Metensia plurimum extenderent, varia desuper exorta fuerunt Grauamina in Comitiis, de quibus AHASVERVS FRITSCHIVS *im Bericht was wegen der Metz-Tull und Verdunischen Lehen-Sachen bishero vorgangen.*

§. XXVII.

Barrum Lotharingiæ pars, in solo Imperii a Friderico, Lotharingiæ Duce extructum est castrum, * primum Imperii allodium, quod tamen Rainaldus postea ab Henrico V. in feudum recepit. ** Postquam autem Henricus Barri Comes contra Franciæ Regem arma tulisset, captus est, eoque adactus, vt Philippo Pulcro se vasallum subiiceret, & ab eodem in fide & hominio acciperet vrbem & castrum Barri, situm inter Regnum Franciæ & Imperium. *** Inde Carolus IV. ex Comitatu Barrensi Marchionatum fecit, qui exinde in Ducatum fuit euectus. † Post hæc Henricus II. Barrum occupans, domi-

nii directi iura in eundem Ducatum sibi vindicauit, quo factum, vt Pace inter Ludouicum XIII. & Carolum III. Lotharingum a. 1642. conclusa, fidem & recognitionem de eodem Ducatu Regi promitteret, licet de eodem & ipse, & Nicolaus Franciscus Dux postea protestarentur. †† Inde vero per Pacem Pyrenæam Barrensis Ducatus dominio directo Regis Gallorum fuit relictus ††† atque hodiernus Dux, postquam in eundem, conclusa pace Ryswicensi †††† fuisset restitutus, a Gallorum Rege inuestitus.

* CHIFFLETIVS *Commentario Lothariensi cap. I.* quo integro Tractatu iura Imperii in Ducatum Lothariensem demonstrare conatur, licet eidem opposuerit DAVID BLONDELLVS *Barrum Campano-Francicum.*

** ALBERICVS ad a. 1113. *interuenientibus pro Comite Barri de toto Regno nobilissimis consanguineis. Imperator eum custodia soluit cum omnibus suis, & vt sibi cognatum ad propria remisit, tantummodo sibi hominium ab eo suscepit.*

*** CHIFFLETIVS *cap. II.*

† CHIFFLETIVS *cap. III.*

†† Comprehenditur Tractatus apud CHIFFLETIVM *cap. XIX.* in cuius articulo I. hæc habentur: *consentit sua Maiestas, vt Dux de nouo redeat in possessionem Ducatus Lotharingiæ, nec non & Ducatus Barrensis a Corona dependentis, de quo fidem & recognitionem Regi de præsenti exhibebit, nec non etiam omnium aliorum Statuum, quos ante possidebat, exceptis iis quæ sequuntur.* Subiicit tamen protestationem CHIFFLETIVS cap. XX.

††† *Art. LXIII. & LXIV.*

†††† In tractatibus Pacis Ryswicensis de eodem quidem quæstio mouebatur, vti Acta testantur Pacis Ryswicensis Tomo II. p. 487. Ast cum art. XLI. conclusum: *seruentur in pristino suo vigore & robore concordata illæsa inter Christianissimos Reges & Duces Lotharingiæ inita*, sine dubio respicitur ad Pactum a. 1642. initum.

§. XXVIII.

Sub Lotharingia comprehendebatur etiam potissima Bel-

Belgii pars, quare ſub Belgicæ Gallicæ * nomine Henrico Aucupi concedebatur. Nec tamen vniuerſum ab initio Belgium Imperii Maieſtatem adgnouit, quin potius Batavi ** accederent, Hannonii & Gröningenſes, quibus poſtea adiecta prouincia Tranſiſalana.

* OTTO FRISING. *lib. VI. c. XIX. & XXX.*

** Batauos plane nulli Imperio obnoxios fuiſſe, contendit GROTIVS *de antiquitate Reip. Batauicæ cap. V.* Teſtatur tamen de Wilhelmo Comite IO. BEKA *Hiſt. Vltraiectina* vita Theoderici II. quod Wilhelmus Comes poſt obitum Adæ, neptis ſuæ, Comitatum Hollandiæ de manu Friderici Cæſaris in feudum acceperit. Vid. CONRING *de Fin. Imp. c. XXVIII.*

§. XXIX.

Senſim autem Belgium matrimonii & hæreditatis potiſſimum iure peruenit ad Burgundiæ Duces, & ab his, ducta Maria, Caroli Audacis filia vnica, ad Maximilianum I. Imperatorem. Hic, reliquis Germaniæ regionibus Burgundiam denuo iunxit, & peculiarem Circulum conſtituit. * Huius nepos Carolus V. ſingulari conuentione, Auguſtæ d. 16. Iunii 1548. inita, ** ſingulas haſce prouincias, quibus Vltraiectum, Tranſiſalanam & Gröningenſem iunxerat, Imperio denuo ſubiecit, vt eius priuilegiis, immunitatibus, legibus & iuribus fruantur, ad conuentus Imperiales euocentur, ſuffragii ius ipſis concedatur, atque ad Imperii onera tantum, quantum duo Electores contribuant. Manſit itaque Circulus Burgundicus membrum Imperii indubium, *** niſi quod Fœderati Belgæ per pacem Monaſterienſem cum Philippo IV. concluſam, liberi & ſui plane iuris declarati. † Et licet Imperatoris atque Ordinum Imperii conſenſum promiſerit Philippus IV. hi tamen nunquam expreſſis verbis conſenſerunt. ††

* Per Rec. I. Coloniæ de a. 1512. §. XI. *Nemlich ſollen wir mit unſern*

Erb-Landen zu Oesterreich und Tyrol als einen, und Burgund mit seinen Landen auch einen Circkel haben.

** Reperitur ista apud CONRINGIVM *de Fin. Imperii cap. XXVIII. p. 750.* RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. II. p. 244.* LVNIG *teutschen Reichs-Archiv Tom. II. p. 37.* Vid. & *R. I. Augustæ de anno 1548. §. 67.*

*** Expressum hoc etiam in pace Monasteriensi inter Imperatorem & Gallos conclusa §. 111. *Circulus Burgundicus sit, maneatque membrum Imperii*, de quo tamen protestatus fuit legatus Circuli Burgundici, vti testantur Acta apud LONDORPIVM *Tomo VI. lib. III. c. VIII. & Tomo IX. lib. X. c. CLIX.*

† Extant Tractatus Pacis inter Philippum IV. & Fœderatos Belgas d. 30. Ianuarii 1648. conclusæ, apud LEONEM ab AITZEMA *Hist. Pacis p. 687.* RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. III. p. 516.*

†† Promiserat Philippus IV. art. LIII. consensum Imp. & Imperii. Extant etiam Ferdinandi II. Litteræ de eodem apud LONDORPIVM *Tomo VI. c. CCXIX.* de Imperii vero consensu non constat.

§. XXX.

Sub his quinque populis omnis constabat Germania, quorum tamen fines isto tempore latius se extendebant, quo factum, vt plures sub se comprehenderent terras, quæ postea separatas acceperunt rationes. Austriæ quippe pleraque pars sub Boiorum olim stabat Imperio, & Norici pars fuit, nisi quod post Henrici Leonis exauctorationem plane separata, & a Friderico Barbarossa Ducali dignitate fuit ornata. * Saxonia sub se comprehendebat Westphaliam, terras allodiales, quæ Guelphis fuerunt relictæ, per Ottonem Lüneburgicum Friderico II. a. 1235. in feudum oblatæ, ab eodemque in Ducatum erectæ. ** Lotharingia sub se comprehendebat Belgium.

* Extat de eodem diploma Friderici Barbarossæ apud FVGGERVM *Spiegel der Ehren lib. II. cap. II. p. 169.* in quo *prædictus Dux Saxoniæ* (Henricus Leo) *cessit & renuntiauit omni iuri & actioni, quas ha-* *bebat*

bebat ad dictam Marchiam, cum omnibus suis iuribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio & iudicio principum, illustri Vladislao Duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam ceteri Principes approbabant, Marchionatum Austriæ, & dictam Marchiam supra Anasum, commutauimus in Ducatum.

** Vid. MEIBOMII *erectionis Ducatus Brunsuicensis Historia*, *Tom. III. p. 201.*

§. XXXI.

Accesserunt quoque Germaniæ Territorio quædam SLAVORVM terræ. Hi ex Sarmatia oriundi, Morauorum atque Vandalorum sedes relictas, Morauiam, Bohemiam, Silesiam, Poloniam occuparunt, qui *Orientales*, dicti.* Alii Vandaliam, qui *Boreales.* Pars etiam Sueuorum oras ad mare Balthicum occupauit, qui postea Pomerani adpellati.**

* HELMOLDVS *lib. I. Chron. Slau. c. I. & VII.* COCCEIVS *Prud. I. P. c. III. sect. IV.*

** IORNANDES *de Sueuis.* LAZIVS *de migrat. Gent. lib. VII.* CLVVERVS *lib. III. Germ. Ant. c. XXIV.* HARTKNOCH *Origin. Pomeranicis p. 6.* CELLARIVS *Not. orb. ant. lib. II. §. IV.*

§. XXXII.

Orientales Slaui cum Territorio Germanico nunquam accesserint, de iis sequenti capite dicemus. BOREALES autem SLAVI tenuerunt oram maritimam inter Vistulam & Albim, quæ illos a Saxonibus distinguebat.* Hi non a Carolo M. solum armis perdomiti, sed etiam ab Henrico Aucupe, capta illorum vrbe præcipua, Brennaburgo, deuicti,** qui illis demum Marchionem, sub Ducis potestate imposuit, qui, licet iuris Germanici fuerit, & de proprio Ducatu inuestitus,*** attamen, dum Slaui, vt supra dictum, Germaniæ populum singularem non constituerent, sub Saxones

relatus, partem facit Circuli Saxoniæ Superioris. Slaui vero apud Pomeranos habitantes, gens olim libera, sub Friderico Barbarossa a. 1181. Imperii Maiestatem adgnouerunt, inque ciuitatem & Territorium Germanicum fuerunt recepti. †

* KRANTZIVS *Vandalia lib. II. c. XXI.*

** ADAMVS BREM. *lib. II. c. IV.* KRANTZIVS *Vandalia lib. II. c. XXIII.* WITTICHINDVS *Ann. lib. I. circa finem.* HELMOLDVS *lib. I. c. IX.* S. H. G. *diss. XI. §. XXI.*

*** Hoc primum demonstrauit COCCEIVS *cap. III. sect. V.* §. 72. & singulari dissertatione IO. PETRVS LVDEWIG *de formula Ducatus Brandenburgici.*

† *Datis solenniter vexillis duces Slauiæ* fuerunt adpellati, de quo mirum in modum inuehitur SAXO GRAMMATTICVS *Hist. Dan. lib. XVII. p. 371.* quod libertatem variis & fucosis dignitatum nominibus venditauerint, cui tamen respondet CONRING *de Fin. Imp. c. XVI. p. 264.*

§. XXXIII.

Memorantur tamen inter Germaniæ populos etiam FRISII, quorum clarum olim inter Germanos nomen. * Hi Francis in Galliam secedentibus, Saxonibus se coniunxisse, cum iisdemque in Britanniam abiisse videntur. ** Inde propriam constituerunt Rempublicam, vsque dum a Carolo Martello deuicti, in Francorum venerunt potestatem. *** Frisiam postea adpetebat Godofredus, Rex Danorum, quem deuicit Carolus M. † Partem inde Germaniæ factam patet ex eo, quod in diuisione filiorum Ludouici Germanici, Ludouicus iunior orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam & partem regni Lotharii acceperit. †† Hinc etiam Otto Frisingensis inter Teutonici regni partes Frisiam quoque refert. ††† Licet autem Germaniæ partem fecerint, non tamen iuris Germanici facti, ideo ad Comitia non admittebantur, vsque dum Fridericus III. a. 1464. missis legatis, Vlricum in vrbe Emda-

Emdana, vbi totius populi Comitia conuocata fuerant, in possessionem feudi & honoris solenni cæremonia per ensem & vexillum immitteret, omnemque Frisiam Orientalem vsque ad Visurgim pro Imperatore curandam ipsi traderet. †††† Ferdinandus III. demum Ennonem Ludouicum a. 1654. inter Principes Imperii euexit. ††††† Hoc vero sine liberis extincto, eandem dignitatem Leopoldus Imp. a. 1662. ad fratrem ipsius, Georgium Christianum, eiusdemque hæredes extendit. ††††††

* TACITVS IV. Ann. c. LXXIV. & de M. Germ. c. XXXIV. *Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est, ex modo virium. Vtraque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus & Romanis classibus nauigatos.*

** Quare PROCOPIVS *lib. IV. Goth.* inter gentes, quæ Britanniam incolunt, refert *Angilos, Frisones & Britones.* Vid. & HERTIVS *Not. Vet. Germ. Pop. p. III. cap. V. §. 3.*

*** ANN. FRANC. *ad a. 729.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS vero *ad a. 734.* refert.

† EGINHARDVS in vita Caroli de Gothofredo c. XIV. *Frisiam & Saxoniam, haut aliter atque suas prouincias æstimabat.* MONACHVS EGOLISMENSIS *vita Caroli M. p. 63.*

†† REGINO *ad a. 876.*

††† *Chron. lib. VI. c. XI.* & Frisii inter Germaniæ populos memorantur lib. VI. c. VIII. *Carolus assumptis Longobardis, Baioariis, Saxonibus, Frisonibus, Alemannis, Thuringis, aliisque compluribus, contra Nortmannos mouebat.*

†††† VBBO EMMIVS *rer. Fris. lib. XXV.*

††††† IMHOF *Not. Proc. lib. V. c. VIII. §. 10.*

†††††† Litteræ desuper concessæ extant apud LVNIGIVM *im Reichs Archiv p. spec. II. Contin. III. Forts. p. 783.*

§. XXXIV.

Restat nunc, vt dicamus etiam de TERRA RHENENSI. Hanc Germanici iuris fuisse factam, patet statim ex diuisione filiorum

rum Ludouici Pii, dum medio ex filiis Ludouico Germanico omnis Germania vsque Rheni fluenta, & nonnullæ ciuitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam concederentur. * Hæc autem dum plures contineret terras immediatas, atque vrbes Palatinas, Ducibus haut paruit, sed soli Imperatori, qui per Comites Palatinos in iisdem iurisdictionem exercebat. ** In varia autem dominia erat diuisa pro arbitrio Impp. qui per diuersos Comites atque Cameræ nuntios eandem regebant, ita tamen, vt Comites Palatini supremi Aulæ præfecti, iudiciorum Palatinorum curam haberent. Postea modo Francis, modo Boiis ad regendum fuit commissa. *** Dum autem propria bona sibi adquisiuerint Palatini Comites atque patrimonialia, certos quidem Comitatus, hi in familia sua continuarunt, vsque ad Ludouici Seueri tempora, cuius filii ita inter se pacti, vt Senior natu Rudolphus, terras Palatinas, iunior Ludouicus Bauaricas obtinerent & totidem lineas fundarent. ****

* REGINO *ad a. 842.*

** Patet hoc tanto magis exemplo quorundam pagorum in terra Rhenensi, qui ab omni exactione seruili & iurisdictione eximuntur, ita tamen, vt Comitem Palatinum iudicem adgnoscerent, prout ex CASPARE A LERCH *de ordine equestri f. 25.* patet.

*** COCCEIVS *Prud. I. P. cap. III. sect. VI. & VII.* TOLNERI *Historia Palatina.*

**** ADLZREITER *Ann. Boi. p. I. lib. XXV. p. 661.*

§. XXXV.

Extabant in hac Terra Rhenensi præcipuæ regni Curiæ *Aquisgranum*, Regale palatium, *Wormatia*, *Spira*, *Moguntia*, *Augusta Treuirorum* sedes Comitis Palatini potissima. Erat in eadem prouincia *Rheinsé*, villa Rheni, Coloniensis nunc ditionis, inter Confluentiam & Hassiæ oppidum Braubacum sita.

ſita. Prope eandem ad Rheni ripam ſitus eſt Thronus Regalis *der Kœnigſtuhl*, * in quo Imperator atque Electores ſuper negotiis Imperii tractaturi conueniebant.** Ibidem a.1308. electus fuit Henricus VII. Imp. *** & depoſito e regione Renſæ a.1400. Wenceslao, **** Rupertus. ***** Alias Impp. nouiter electi ad eundem ducti iuramentum præſtabant, priuilegia Statibus confirmabant atque equites creabant. ****** Hunc regalem thronum Ciuitas conſeruare tenetur, quæ ideo ſingularibus gaudet priuilegiis, ipſi adhuc a. 1521. confirmatis.† Reperitur tamen in Campis Lici prope Auguſtam locus, qui etiamnum adpellatur *Kayſerſtuhl*. ††

* Locum hunc optime deſcribit IO. IVSTVS WINCKELMANNVS *Chron. Haſſiæ p. II. c. III. p. 121. Deren eigentliche Raths- und Wahlſtatt ungefehr 2. Mußqueten-Schuß am Geſtade des Rheins von gemelter Statt Rhenſe annoch der Kœnigſtul (Thronus Imperialis) genant, unter verſchiedenen hohen und dicken Nuß-Baumen befindlich, iſt gebauet in die Runde von Quaterſteinen mit ſieben Schwibbœgen, ſteht auf neun ſteinern Seulen, deren eine in der Mitten, iſt ſonſten gantz offen, und darüber gewœlbet, hinauf ſteiget man 18. Staffeln, Treppen oder Steigen, iſt mit 2. ſtarcken Thüren, vermittels deren man ihn feſt verſchlieſſen kan, verſehen. Seine gantze Runde und Vmkreiß erſtrecket ſich bey die 40. Ehlen weniger $1\frac{1}{2}$ Virtel, die Breite 13. Ehlen weniger $1\frac{1}{2}$ Virtel; die Hœhe 8. Ehlen und 1. Virtel nach Rhenſer oder Boppärter Ehlen zu rechnen; iſt mit ſieben Vmſitzen vor die damahlige ſieben Churfürſten gemacht, und haben dero Zeit die Rheiniſche Churfürſten zu nechſt hierbey ihre Schlœſſer und Feſtungen gehabt, worauf ſie zu Nachts ſicher geruhet, und wann man in die Trompete geſtoſſen, hat ein ieder Churfürſt auf ſeinem Schloß ſolches hœren kœnnen, nemlich Chur-Maynz zu Lönſtein, Chur-Cœlln zu Renſe, Chur-Trier zu Cappel, Chur-Pfaltz zu Braubach auf der Feſtung Marxburg, welche nunmehr auſſer dieſer mehrentheils verheeret und zerfallen ſind; der Kœnigs-Stuhl muß von der Statt unterhalten werden, deswegen ſie von den Rœm. Kayſern abſonderliche Frey-*

heit erlanget. Sic *in der Churfürsten Ordnung* apud MELCH. GOLDASTVM *Reichs-Satzungen* p. II. p. 34. *Alß man zehlet nach Christi Geburt 1338. am sechsten Tag des Heumonats, umb die sechste, im sechsten Iahr der Keyserlichen Stewrung, im vierdten Iahr des Babstums Benedicti des zwœlfften, im Baumgarten zu Renß in der Pfaltz, bey eilff Meylen unter Meintz, an den Gestaden des Rheins, allda der Keyserstul ist, und die sieben Churfürsten offt zusammen kommen, und des Reichs Sachen gemeiniglich zu handeln pflegen.*

** ALBERTVS ARGENT. ad a. 1337. *interim conuenientes in villa Rens supra Rhenum Imperator & Principes Electores.* In litteris Principum Imperii ad Benedictum XII. apud GOLDASTVM *Constit. Imp. Tom. I. p. 100.* & FREHERVM *Tom. I. Script. Rer. Germ. p. 427. XV. die mensis Iulii anni XXXVIII. in Reinse super alueo Rheni, vbi Principes Electores super negotiis Imperii tractandis conuenire consueuerunt ab antiquo, cum aliis omnibus Principibus Electoribus Imperii in vnum fuimus congregati.* LEHMANN *Chron. Spir. lib. VII. c. XVII.* Hinc FREHERVS *Origg. Palat. lib. II. c. II. Principes electores super casibus Imperii conuentus agere olim frequenter ad Rense oppidum Rheni solitos, Annales notarunt: vbi sedes regni Germanici & thronus Imperialis adhuc visitur, cui electus Rex more maiorum primo imponitur, & voce praeconis (cuius tuba ibi a quatuor Electoribus Rhenensibus in singulorum propriis castellis exaudiri potest) publice pronuntiatur.*

*** GESTA BALDVINI lib. III. c. I. *regalis dignitatis celsitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam Alberti Regis non modicum disturbata, Dominus Baldewinus aliique sex coëlectores villam Rense inter Confluentiam & Boperdiam sitam, vbi ex antiqua consuetudine ad tractatum de electione habendum consueuerunt conuenire, concorditer diuerterunt, vbi anno Domini millesimo tricentesimo octauo gratia summi spiraminis cooperante, & Domino Baldewino id procurante, in ipsius fratrem Dominum Henricum Comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum Regem eligendum suis exigentibus meritis concordarunt.* Idem dicit M. CHRON. BELG. p. 286. IO. TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug. ad a. 1308.* NAVCLERVS *vol. II. Gen. XLIV. p. 988.*

**** §. II. §.

**** S. H. G. *diss. XXVIII. §. XIV.*

***** Extant litteræ Electorum, quibus factam Ruperti electionem Spirensibus nuntiant, apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXXIV.* cum hac subscriptione: *Datum in Campis prope Rensee, sabbatho proximo post festum Assumptionis Beatæ Mariæ virginis gloriosæ, Anno Domini millesimo quadringentesimo.*

****** Historia Coronationis Maximiliani I. apud FREHERVM Tomo III. p. 24. *ipsis venientibus in ciuitatem Reins, erat ibi dominus Archiepiscopus Moguntinus, qui præcessit. Ibidem Rom. Rege exeunte nauem, dominus Archiepiscopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ eum duxerunt supra cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur sedes Regis, situata in campis extra muros ciuitatis Reinsensis prope Rhenum, supra quam sedebat Rex Romano Imperio præstans iuramentum. Quendam de domo Sigismundi creauit militem: facta quoque per Archiepiscopum Moguntinum relatione iterum se in naues receperunt, venientes illo sero Andernacum.* HARTMANNVS MAVRVS *in Historia coronationis Caroli V. in* SCHARDII *Tomo II. p. 22.* ait: quod *coronandi Reges, olim Rhenum a Francofordia deuecti, super saxeam sedem Regiam sub diuo, inter crebras nuces, in amœnissimo Rheni littore prope oppidulum Reensz positum, facere consueuere.*

† PHIL. KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imper. lib. IV. c. I. n. 120.*

†† CAROLVS STENGELIVS Rer. August. p. II. c. XXXIX. p. 181. *cæterum ad Kissingam, pagum in campis Lyci ad duo milliaria ab Augusta, est etiamnum locus quidam, qui dicitur* Kaysers-Stuel, *quasi sedes Imperatoria, vt verosimile sit, Imperatores Germanos, aut horum præfectos Sueuiæ Duces in his regionibus, seu in campis Lyci habitasse.*

CAPVT QVARTVM
DE
REGNO ARELATENSI ET ACCESSORIIS REGNI GERMANICI.

§. I.

PRæter Germanici Regni Territorium Principale, considerandа sunt ipsius Accessoria, quæ Germaniæ quidem nexa, non tamen, nisi speciali ex privilegio iuris, & Ciuitatis Germanicæ facta, partim a Germaniæ regno iterum auulsa.

§. II.

Primum inter hæc locum occupat REGNVM ARELATENSE, quod olim sub Prouinciæ nomine veniebat, post, ab Arelatensi vrbe, sede primaria, sic adpellatum. Lothariensis primum Regni pars erat, dein ad Carolum Caluum peruenit, qui illud regnum Bosoni, vxoris Iudithæ fratri reliquit. Prouinciæ Regnum primum saltim adeptus fuit Boso, * qui post Ludouici Balbi mortem a. 879. etiam Burgundiam occupauit, ** idque obtinuit, vt in Conuentu Mantalensi dicti anni, Proceres in regno Burgundiæ ipsum Regem suum declararent. *** Sed fugatus inde a Ludouici Balbi filiis, **** Carolo Crasso Wormatiam ad conuentus agendos profecto, deditionem facere est coactus. ***** Idem vero Carolus mortuo Bosone, Ludouicum ipsius filium sibi adoptauit. ****** Hic Arnolpho in locum Crassi substituto, Prouinciam prout Rex rexit † atque Arnolpho Curiam in Forcheim celebrante, eo se contulit, & cum filio Ludouico Galliam Narbonen-

bonensem in fidem accepit, Hugone, qui e Francia oriundus, Arelatensibus praefecto, †† qui etiam in conuentu apud Vangionas Burgundiae quasdam vrbes a Caesare impetrauit. ††† Hoc defuncto, Rudolphus, filius Conradi, minoris Burgundiae Comitis, Hugonis Abbatis nepos, Prouinciam inter Iuram & Alpes Peninas occupauit, Regemque se adpellari voluit, quem post varia bella demum in ordinem redegit Arnulphus. ††††

* REGINO ad a. 877. *dedit eidem Bosoni Prouinciam, & corona in vertice capitis imposita, eum regem adpellari iussit.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 878.* MARIANVS SCOTVS *ad a. 876.* NIC. VIGNIERII *Chron. Burgund. p. 65.*

** REGINO ad a. 879. *Anno Dominicae incarnationis DCCCLXXIX. Boso, audita morte Ludouici, a Prouincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur.* GOTFRIDVS VITERB. p. XVII. p. 467. *Anno secundo, Ludouicus, filius Caroli iunioris, qui dicebatur Balbus, obiit, relictis duobus filiis, scilicet Ludouico, & Carolomanno: quoniam tertium eorum fratrem, qui postea dictus est Carolus, mater eius tunc in vtero gestabat. Cuius regnum Prouinciam, quam pater eius Carolus, filius Imperatoris Lotharii, in diuisione regni pro parte acceperat, Boso, cui Carolus Imperator Gallis illam nuper tradiderat, inuadit & primo loco Lugdunum venit: ibique a Lugdunensi archiepiscopo in Regem Burgundiae & Prouinciae vngitur: qui a dictis adolescentibus Ludouico & Carlomanno arcetur.* Idem dicit OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. VI.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 880.* AIMOINVS *lib. V. c. IV.*

*** Acta Conuentus Mantalensis ex Paradino habet du CHESNE *Tomo II. p. 480.*

**** GOTFRIDVS VITERBIENSIS, OTTO FRISINGENSIS c. l. Potissimum vero REGINO ad a. 879. *Boso audita morte Ludouici, a Prouincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur. Denique nonnullos episcopos partim minis, partim suasionibus in societatis foedera colligit, & Lugdunum ingressus, ab Aureliano eiusdem vrbis metropolitano, & aliis pontificibus in regem super praefatum Burgundiae re-*

gnum inungitur pro nihilo ducens adolescentes filios Ludouici, & velut degeneres despiciens, eo quod iussu Caroli eorum genetrix spreta atque repudiata fuerit. Quæ res obtulit illi magis continuum clam odium ac periculorum dispendium, quam gloriæ & dignitatis emolumentum. Siquidem iam dicti adolescentes Ludouicus & Carolomannus, industria ac studir Hugonis abbatis & aliorum procerum in regnum sublimatorum, & eundem Bosonem diebus vitæ suæ omni instantia sunt persecuti.

***** AVENTINVS *Ann. Boiic. lib. IV. c. XIX. n. 9.*

****** ANN. FRANC. FVLDENSES ad a. 887. *Mortuo Bosone, paruulus erat ei filius de filia Hludouici Italici regis: quem Imperator ad Rhenum villa Chiricheim veniens obuiam: honorifice suscepit, ad hominem sibique adoptiuum filium eum iniunxit.* AVENTINVS Ann. Boi. *lib. IV. c. XIX. n. 33.*

† ANN. FRANC. FVLD. ad a. 888. *Inde itaque Hludouuicus filius Buosoni & Wito filius Lamberti Galliam Belgicam nec non prouinciam, prout reges habere proposuerunt.*

†† AVENTINVS *lib. IV. c. XX. n. 15.*

††† AVENTINVS *lib. IV. c. XX. n. 35.*

†††† ANN. METENSES *ad a. 888.* ANN. FRANC. *ad a. 888.* REGINO. HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 888.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 890.* LVITPRANDVS *lib. II. cap. XVI. XVIII.* AVENTINVS *lib. IV. c. XX. n. 7.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. II. p. 233.*

§. III.

Licet autem Burgundi post Arnulphi mortem Imperio se subducere conarentur, Otto M. tamen Conradum, Rudolphi nepotem, cum regno iterum in suam accepit potestatem.* Huius filius Rudolphus III. regni sui hæredem primum scripsit Henricum II. & hoc defuncto, Conradum Salicum, quod etiam post Rudolphi mortem contra Ottonem Campanum vindicauit Conradus, atque Imperio Germanico adiecit. **

* WITTICHINDVS lib. II. Ann. p. 649. *Otto abiit Burgundiam, regem cum regno in suam accepit potestatem.* ALBERTVS STAD. *ad a. 841.* FRODOARDVS *ad a. 840.*

** WIP-

** WIPPO de vita Conradi p. 435. *confirmata inter eos* (Conradum & Rudolphum) *pace, Gisela Imperatrice hac omnia mediante, regnoque Burgundiæ Imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius antecessori suo Henrico Imp. datum fuerat* & p. 424. 431. SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 1034. *Rex Rodulphus regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradidit, quod a tempore Arnulphi Imperatoris per annos plus quam centum triginta gentis suæ reges tenuerant, sicque Burgundia iterum redacta est in prouinciam.* DITMARVS *lib. VII. p.* 407. *& lib. VIII. p.* 420. OTTO FRISING. *lib. VI. c. XXX.* HVGO FLAVINIACENSIS *Chron. p.* 185. PAVLVS AEMYLIVS, *lib. III. Hist. Gall.* S. H. G. *diss. XIV.* §. *VIII.*

§. IV.

Diuidebatur ista ætate Burgundia a Iura monte, qui inter Heluetos atque Sequanos erat medius, * in Transiuranam, quæ etiam Superior ** dicitur, atque inter Alpes erat & Iuram, atque Cisiuranam. *** Initium capiebat regnum illud a Basilea, **** ita, vt per Basileensem, Solodurensem, Friburgensem & Bernensem pagos, vsque ad Vrsam flumen per ipsam Vallesiam atque inde ad Rhodanum fluuium se extenderet, atque Prouinciam, Galliæ Lugdunensis partem, Delphinatum, Sabaudiæ Ducatum, Comitatum Burgundiæ, Mompelgartensem, sub se comprehenderet, ***** ita tamen, vt minor Burgundia pro more gentis per sequiores natu, tanquam Comites regeretur. ******

* Adseruit hoc iamdum CÆSAR *de B. G. lib. I. c. I.* post eum HVGO de S. MARIA *lib. III. Hist. Eccles.* & ROBERTVS AVTISSIODORENSIS apud du CHESNE *Tomo I. Script. Rer. Franc. p.* 16. 17.

** ANN. FRANC. *ad a.* 888. HADR. VALESII *not. Galliarum.* SCHVRZFLEISCHII *Historia Burgundionum.* GVIL. PARADINI *Chron. Burgundiæ.*

*** Inualuit hæc distinctio iamdum seculo VII. Quippe FREDEGARIVS *Chron. ad a.* 610. iamdum dicit: *His diebus & Alamanni in pago Auenticensi Vltraiurano hostiliter ingressi sunt, ipsumque pagum prædan-*

dantes. Et paucis interiectis: *Alamanni Transiuranos superant.* Vid. VALESIVS *Notit. Gall. voce Iura.* LEHMANN. *Chron. Spir. lib. VII. c. XI.* IO. STRAVCH. *Controu. illustr. diss. II.* §. *IX.* HAHN. *de Regno Burgund. cap. I. p. 10.*

**** GÜNTHERVS *Ligurino, lib. V. v. 261.* de Terra Burgundica sic loquitur;

hac adeo tellus a sedibus incipit illis,
qua Basilea suos vicino flumine muros
alluit, & Rhenum venientem læta salutat.

Et WIPPO in vita Cunradi Salici p. 431. *Basilea ciuitas est sita in quodam triuiali confinio, id est, Burgundiæ, Alemanniæ & Franciæ, ipsa vero Ciuitas ad Burgundiam pertinet.*

***** OTTO FRISINGENSIS *de gestis Friderici lib. II. c. XXIX.* fines regni tali modo describit: *Protenditur etenim hæc Prouincia pene a Basilea, id est, a castro quod Mons Biliardi vocatur, vsque ad Isaram fluuium, de quo Lucanus hi vada liquemus Isaræ, iunctam habens dominatui suo eam terram, quæ proprie Prouincia vocatur, & ab eo flumine porrigitur vsque ad ea loca, qua Rodanus mari recipitur, & Arelarum ciuitas sita est.* GERVASIVS TILBERIENSIS Otiis Imperialibus, cap. X. *Narbonensis Prouincia pars Galliarum, habet ab Oriente Alpes Cottias, inter quas, & mare, sunt hæ Prouinciæ: Arelatensis, quæ caput est Regni, Viennensis, quæ Cancellaria Regni gaudet; Tarentasiensis, Ebredunensis & Aquensis, & pro aliqua sui parte, Lugdunensis & Bisuntina.* Idem repetit c. XII. Fines hosce plenius adhuc designat GVIL. PARADINVS *de Statu Prouinciæ c. LIII.* Hocce HAHNIVS de Regno Burgundiæ vberius demonstrauit *cap. II.* Non desunt equidem, qui Burgundiam Galliæ Ducatum partem faciant Regni Burgundici, contrarium tamen demonstratur in GVNDLINGIANIS *p. VIII. n. 4.*

****** OTTO FRISING lib. II. c. XXIX. *Reinaldus iste de antiqua & illustri Burgundionum prosapia originem trahens, illius Burgundiæ Comes dicebatur, quæ olim a Rudolfo Rege Imperatori Henrico, Conradi filio, cum testamento relicta, regnum erat. Hæc eadem Prouincia est,*

est, a qua Conradus Dux, eiusque filius Bertolfus Duces vocari consueuerunt. Quae vero huius disceptationis causa fuerit, paucis absoluam. Mos in illa, qui pene in omnibus Galliae Prouinciis seruatur, remansit, quod semper seniori fratri, eiusque liberis, seu maribus, seu feminis, paternae hereditatis cedat auctoritas, ceteris ad illum tanquam ad Dominum respicientibus. Ex qua consuetudine factum est, vt Guilielmus qui dicebatur puer, huius ex parte patris consanguineus, Conradi vero Ducis sororis filius, rerum summam, dum adhuc viueret, illa in Prouincia haberet. Quod, fraude suorum rebus humanis exempto, Reinhaldo Comiti iure hereditario Dominium cessit. Quare etiam Wilhelmus minoris Burgundiae Comes dicitur DITMARO *lib. VII p. 407.*

§. V.

Germanici igitur iuris facta Burgundia, in diuersas prouincias diuisa, quae Ducibus & Comitibus ad regendum concessae. Isti vero partim Imperio se subducere fuerunt conati. Hinc, cum Reinaldus Curias principis adire neglexisset, Lotharius II. Conradum Zeringensem Burgundiae Ducem constituit, contranitente licet Wilhelmo.* Fridericus I. vero Imp. ducta Beatrice, Reinaldi Burgundiae Comitis filia, non solum Burgundiam, sed etiam Prouinciam ab Imperio iam dudum alienatas, sub vxoris titulo denuo possidere coepit.** Licet autem Rudolphus Habsburgicus Burgundiam ad Imperii obedientiam reduceret, ita, vt ipse Dux Burgundiae Robertus, vna cum Proceribus a. 1288. Imp. tanquam vasalli se subiicerent.*** Scissa tamen fuit in varios Ducatus atque Comitatus, quorum Rectores se iuribus Imperii subducere conati.**** Ex his, Prouinciae Comitatum mortuo Raimundo Berengario socero, Ludouicus IX. Galliae Rex obtinuit, iure tamen fiduciario ab Imperio, † quem etiam Adolphus Imp. †† repetebat. Delphinatus ab Vmberto Gallis cessus, saluo tamen Iure Imperii.†††

* DODECHINVS ad a. 1127. *Conradus de Zeringa coram plerisque Burgundionum optimatibus principatu Burgundiæ apud Spiram ciuitatem sublimatur.*

** Totum negotium exponit OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici lib. II. c. XXIX. Idem confirmat OTTO DE S. BLASIO c. XXI. S. H. G. *diss. XVII.* §. *XXIV.* Quare etiam de Friderico Barbarossa THEODORICVS ENGELHVSIVS *Chron. p. 65. ed. Maderi* narrat, quod filium primogenitum Henricum, antequam in Palæstinam iuerit, prius in regem Teutonicorum, Arelatensium & Lombardorum creauerit.

*** ALBERTVS ARGENTORATENSIS p. 104. *Dux & maiores Burgundiæ se Basileam corporaliter præsentarunt, ibi de concordia tractantes, Vasalli Imperii quoque præstita fidelitate, sunt de regalibus inuestiti.* Plenius vero hæc iura Imperii in Burgundiam a Rudolpho Habsburgico, adserta declarauit TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug. ad a. 1289. Anno Crafftonis Abbatis Hirsaugiensis decimo, Indictione Romanorum secunda, Rudolphus Rex contractis copiis denuo in Burgundiam mouit exercitum, contra inobedientem Comitem atque periurum. Et in primis quidem Paterniacum oppidum post obsidionem breuem expugnauit & cepit. Deinde ipsum Comitem Burgundiæ iterum cepit, eumque sibi & Romano Imperio cum multis ac necessariis cautelis in perpetuam securitatem subiecit. De priore autem transgressione & periurio pœnas illam dare compulit, & grauiter puniuit. In eadem expeditione Burgundiana cepit etiam memoratus Rex Rudolphus Comitem Sabaudiæ. Comitem quoque montis Bellicardi, & plures alios: qui venerant in auxilium Burgundionibus; quos omnes fortissima congressione superatos, imperio subdidit, & fidelitatis iurare homagium singulos coëgit.* GERHARDVS a ROO *Ann. Austr. lib. I. p. 39.* FVGGER *Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich lib. I. c. XV.* IO. IAC. CHIFFLETII *Vesontio p. I. c. LIX.* S. H. G. *diss. XXIII.* §. *XXV.* Nuper demum Clar. SIMON FRIDERICVS HAHNIVS in Historica sua Dissertatione *de iustis Burgundici noui vel Arelatensis Regni limitibus, Halæ 1716. 4.* Rudolphum etiam defendit, quod illud minime reliquerit. Hinc etiam THVANVS *Histor. lib. II. pr.* dicit: *Regnum Arelatense, antequam in potestatem Regum nostrorum veniret, sub Imperio fuit.*

**** Con-

*** Conqueritur de eo admodum THEODORICVS a NIEM de Vita & fatis Constantiensibus Iohannis *XXIII. cap. XXXIII. in Tomo II. Hist. Conc. Const.* HERMANNI *von der* HARDT *p. 450. Vnde passim tam in Italia, quam in Regno Arelatensi prædictis, quod dolendum est, quod vix aliquis reperiatur ibidem, qui publice audeat dicere, quod sit Imperialis aut fidelis Imperio, propter multitudinem tyrannorum sibi vsurpantium continuo iura Imperialia in iisdem partibus.*

† Huc facit CHRON. COLMARIENSE apud VRSTISIVM *Tom. II. p 54.* quod dictum Comitem male vocat Regem Arelatensem. Hunc autem fiduciario Iure Prouinciam tenuisse, ex litteris Nicolai III. Papæ confirmat CONRINGIVS *de Fin. Imperii cap. XXIV. p. 579.* Vid. etiam IO. STRAVCHIVS *de Regno Arelatensi.* S. H. G. *diss. XXIII. §. XXV.*

†† EBERHARDVS RATISBON. in Chron. ad a. 1194. *orta est controuersia inter Regem Franciæ* (Philippum Pulcrum) *ex vna parte, & Eduardum Regem Angliæ ex altera. Et Adolfus Romanorum Rex plus fauens Regi Angliæ, repetiuit a Rege Franciæ Regnum Arelatense, & quasdam alias terras, quas dicebat esse Imperii, easque quod in manu forti vellet requirere demandauit.*

††† Hoc ex VILLANO atque IOVIO probare contendit CONRINGIVS *p. 592.*

§. VI.

Dum autem Galli potiorem nunc Regni Arelatensis partem possideant, prouocant vel ad cessionem ab Alberto Imp. factam, vel ad donationem Henrici VII. * vtrasque tamen satis explosit Conringius. Carolus IV. quidem Carolum Delphinum constituit locum tenentem & Vicarium suum Generalem, ** sed ex hoc titulo statim patebit, ipsum ideo tanquam Vicarium, Imperatoris subiici potestati, maxime, cum non perpetuus, sed ad vitæ saltim tempus fuerit concessus. *** Ipse etiam Carolus eiusdem regni coronam suscepit, & Archiepiscopum Treuirensem Archi-Cancellarium regni Arelatensis constituit, qui titulus adhuc continuatur. † Immo, Rupertus Imp. filium suum Ludouicum adhuc constituit Vi-

carium per Regnum Arelatenſe. †† Maximilianus quoque illud ad Imperium plane reducere conatus. †††

* NIC. VIGNIERIVS *Bibl. Hiſtor. p. III. p. 423.* prouocat ad donationem Albertinam, adlegante LIMNÆO *addit. prior. ad lib. I. cap. IX.* 10. BODINVS vero *lib. I. de Republica cap. IX.* prouocat ad donationem Henrici VII. Verum, in Clementis V. Papæ Bulla ad Philippum Pulcrum Gallorum Regem de a. 1309. apud LEIBNITIVM *in Mantiſſa Cod. Iur. Gent. dipl. p. II. §. XLIV.* Regnum Arelatenſe & Viennenſe vocantur Imperii membra.

** Criminatur de eo Carolum IV. THEODORICVS a NIEM *de ſchiſmate lib. II. c. XXV.* dum ait: *Carolus huius nominis quartus Auguſtus, imo verius diſſipator iniuſtus tempore Vrbani Papæ V. regnum Arelatenſe, quod ſimiliter eſt iuris & proprietatis Imperii; & quod etiam dictus Otto Magnus Imperator adiecit Imperio, ſumpto magno prandio apud Villam nouam prope Auinionem per eundem ducem ipſi Carolo præparato, tranſtulit in præfatum ducem, poſtea in regno Siciliæ vita functum: nec his contentus idem Carolus nobilem principatum Delphinatum vulgariter nuncupatum, qui eſt vna de ſeptem prouinciis dicti regni Arelatenſis, quod etiam Burgundiæ nuncupatur, tranſtulit in Regem Francorum, ſub colore, quod primogenitus regis Franciæ dictum principatum, tanquam vaſallus Imperii teneret in feudum, & inde Delphinus vocaretur.* Hunc ſequitur AVENTINVS *Ann. Boi. lib. VII.*

*** NIC. VIGNIER *c. l. p. 547.* apud LIMNÆVM: *Il fit preſent particulierement au Duc d' Aniou de quelques pieces, que les Empereurs avoient encore au Daulphiné, comme Pompe & Chamaux le faiſant quant & quant vicaire irrevocable de ſa Maieſté,* SA VIE DVRANT *en ce qu' il tenoit au royaume d' Arles.* CHIFFLETIVS *Vindic. Hiſpan. cap. XIII. p. 119. ſeqq.* S. H. G. *diſſ. XXVII. §. XXIV.*

† Ex his potiſſimum SCHVRZFLEISCHIVS ſingulari diſſertatione probare contendit, quod Carolus IV. non diſſipauerit bona Imperii quoad regnum Arelatenſe. Licet negandum non ſit, conceſſionem factam a. 1379. cum Carolus coronam Arelatenſem adeptus a. 1365. quod ex Beneſſio ipſe SCHVRZFLEISCHIVS §. XX. demonſtrat. S. H. G. *c. l.* PFEFFINGER *lib. I. Tit. II. p. 253.*

†† In-

†† Integrum Diploma extat apud MARQVARDVM FREHERVM *Origg. Palat. lib. I. cap. XVI.* in quo hæc verba: *dilectum filium nostrum Ludouicum, facimus, constituimus, & ordinamus nostrum & sacri Romani Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatensi Vicarium generalem.* Concludit ideo THEODORICVS a NIEM Iur. & priu. Imperii *p. 261. Regnum Arelatense ex tunc remansit & remanet in æternum, & vsque in hodiernum diem iuris & proprietatis Imperii.* Nec plane diffitetur Iura Imperii THVANVS *lib. II. Histor. p. 41.* dum ait: *regnum Arelatense, antequam in potestatem regum nostrorum veniret, sub Imperio fuit. Cuius rei memoria post sublatam Imperii iurisdictionem aboleri minime potuit. Nam & hodie in sermone vulgi interior Rhodani ripa Imperii, citerior Regni nomine indigitatur.* Iura hæc Imperii ex diplomatibus demonstrasse PETRVM SAXIVM in *Pontificio Arelatensi*, præter GASSENDVM *lib. IV. vita Peirescii* tradit CHRISTIANVS MATTHIAS KNESEBECK *in prodromo iuris publici vniuersalis.*

††† Maximilianus *im Entwurff der Regiments-Ordnung auf dem Reichs-Tag zu Worms 1495.* apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Staat lib. I. p. 6. das Italien, Arelat, die Eidgenossen, Frislender und ander zum Reich gehœrig, so ein zeitlang davon gewesen, wieder mit den besten Fugen bewegt werden, sich andern im Reich gleichmessig zu halten.*

§. VII.

In aliis regni Arelatensis partibus, Principes atque Rectores propriam ac hæreditariam sibi sumserunt potestatem. COMITATVM quidem AVENIONENSEM & VENATSINVM Raymundus iunior sedi papali cessit. * Partem olim Regni Burgundici constituerunt HELVETII, qui Friderico III. imperante, in Comitiis Ratisbonensibus anni 1471. ad onera Imperii simul sunt adacti. ** Immo ipsi se profitentur membra Imperii, *** Sigismundus Imp. Basileensibus a. 1433. singularem exemptionem concessit a Iurisdictione Iudicii aulici atque aliorum Imperii, quam etiam Fridericus III. Imp. confirmavit. **** Maximilianus I. Imp. Heluetos a. 1498. armis ad Imperii obsequium reducere conabatur, sed parum proficiens

cum ipsis insequenti anno pacem facere fuit coactus. ***** Postquam autem Basileenses a. 1501. Imperio se subduxissent, † Camera tamen nihilominus Processus contra istos decernebat, de quo saltim in Congressu Pacis Westphalicæ conquerebantur atque ad dicta priuilegia prouocantes intercedentibus reliquis Heluetis exemptionem saltim petebant a iurisdictione Camerali, †† quæ etiam per pacem Westphalicam fuit confirmata, qua non Basileenses solum, sed omnes etiam Helueti ab omni iurisdictione Imperii eximuntur. ††† BVRGVNDIA olim feudum Imperii indubium, per pacem Nouiomagensem plenario iure Gallis cessit. †††† Sic etiam PRINCIPATVS NOVI CASTRI pars olim Regni Burgundici, ††††† nunc iuris est supremi. PRINCIPATVS ARAVSIONENSIS Conringio pars dicitur Regni Arelatensis, quem tamen ante Arelatensis regni initia, supremo iuri vindicare conatur Io. Petrus Ludewig. ††††††

* CONRINGIVS *cap. XXIX.* hæc ex ABR. BZOVIO *ad a. 1309.* confirmat.

** Adducit CONRINGIVS decretum Comitiorum: *So sollen die Eidgenossen von Bern, Lucern, Zürch, Solothurn, Freyburg im Uchtland und andere, so in Ainung mit in seyn, haben 1. hundert zu Rosse, neunhundert zu Fusse.* MVLLERVS hocce *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich dem V. p. 489.* melius adhuc declarat.

*** In litteris fecialibus, quibus bellum indicant Carolo Burgundo, ita scribunt: *quod nos ad grandes exhortationes & requisitiones inuictissimi & Serenissimi Herois nostri gratiosissimi, cui tanquam S. Imperii Membra non iniuria obedientes paremus.*

**** Extant ista Priuilegia apud LONDORPIVM *Tomo VI. p. 138.* prout in ipso Conuentu pacis Westphalicæ fuerunt exhibita. Olim tamen Heluetos Imperii Iurisdictionem adgnouisse, docet LIMNÆVS *lib. I. c. IX. n. 35.*

***** Hoc bellum BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS speciatim describere adgressus est, quem secuti fuimus in S. H. G. *diss. XXXI. §. XII.*

† De hoc MVLLERVS *im Reichs-Tags-Staat lib. I. c. XV.* qui etiam *lib. IV.*

IV. c. X. docet, quod de reducendis ad obsequium Heluetis in Comitiis Constantiensibus a. 1507. fuerit gestum. Clar. PFEFFINGERVS *in Vitriarium lib. II. c. IV. p. 998.* hanc Heluetorum caussam plenius exposuit, vbi etiam de controuersia Toggenburgensi vberius agit.

†† Extant hæc Acta apud LONDORPIVM *Tomo VI. lib. III. c. LXIX.*

††† INSTR. PACIS OSNABRVG. art. VI. *Ciuitatem Basileam, ceterosque Heluetiorum Cantones in possessione vel quasi plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio esse, ac nullatenus eiusdem Imperii dicasteriis & iudiciis subiectos.* Hoc etiam reperitur in INSTR. PACIS MONASTERIENSI *art. LXI.* Licet ex hisce verbis non plenaria exemptio, sed a iurisdictione saltim Imperii concludatur. Vid. FRANC. GVILLIMANNI *Helvetia* & BVRGOLDENSIS *disc. ad Instr. Pacis p. II. disc. XXI.* Miratur ideo FVRSTENERIVS de Suprem. c. XXXII. *plus illis Westphalica pace sine vlla necessitate datum, quam forte exigebant, cum illis a Cameris iurisdictione eximi satis esset, salua Imperii Maiestate.*

†††† Quod Burgundiæ Comitatus Imperii Maiestatem adgnouerit, patet ex Tabulis Caroli V. a CHIFFLETIO *Vindiciis Hispanicis c. XIII.* insertis. Ast, Pace Nouiomagensi inter Ludouicum XIV. & Carolum II. conclusa *art. XI. XII.* Gallis cessus.

††††† Vid. IO. PETRI LVDEWIG *Preussisches Neuburg cap. I.*

†††††† In Dissertatione: *Arausio supremo Imperio vindicata, Halæ 1702. 4.* Vid. etiam *Preeminences, prerogatiues & dignites des Serenissimes Princes d' Orange, à la Haye 1661, 8.*

§. VIII.

Habet autem adhuc iura sua Imperium in SABAVDIÆ DVCATVM. Beroldus quidem primum Officialis fuit Regum Arelatensium, quem, vt officia ipsi compensaret, Rudolphus, Rex Arelatensium, anno 1000. Comitem fecit Sabaudiæ & Mauriennensem, * Henricus V. vero Amadeum III. Comitem creauit Imperii. ** Sigismundus Imperator Amadeum VIII. a. 1416. dum ex Concilio Constantiensi in Italiam veniret, Ducem creauit, eiusdem terras singulas sub feudi lege in Duci-

catum erexit, eundemque de eodem inuestiuit. *** Iuris itaque Germanici factus, sessionem & votum in Comitiis obtinuit, nulli tamen Circulo est adscriptus, quia terræ ipsius ad regnum Arelatense spectant, non vero Germanicum. Reputatur itaque adhuc hodie inter Status & Vasallos Imperii, quod nec ipsi Duces abnuunt. †

* GVICHENON *Hist. Geneal. de Savoye lib. II. cap. I. p. 184.*

** GVICHENON lib. II. c. VII. *L' Empereur Henry IV. du nom, où V. s' estant mis en chemin pour s' aller faire couronner à Rome par le Pape Paschal II. Amé III. l' accompagna en ce voyage, qui est d' autant plus remarquable, que l' Empereur se sentant obligé de favoriser ce Prince, non tant par la consideration de leur proximité (ils estoient Cousins germains) que par les merites d' Amé le crea Comte de l' Empire & non pas Comte de Savoye, comme tous nos Historien l' ont creû; car Berold où Berthold estoit desia Comte de Savoye & de Maurienne, & ainsi ce ne pourroit estre en tout cas qu' vne confirmation de la dignité, & non pas la premiere concession; quelques vns ont rapporté cela à l' an. MCVII. d' autres à l' an. MCXXXVII.*

*** Sunt quidem, qui vel a Friderico III. vel in Concilio Constantiensi factum dicant, vtrosque tamen satis refellit GVICHENON *lib. II. cap. XXV.* qui ex Tabulis erectionis, quas *Tomo sexto p. 252.* inseruit integras, verum annum definit.

† THVANVS lib. II. p. 40. *Sabaudi & Allobroges Imperio & legibus parent.* Hinc etiam Leopoldus Imp. eo quod Gallis accesserat Sabaudiæ Ducem citabat ad audiendum & videndum, omnia bona sua feudalia & allodialia Fisco Cæsareo esse delata. ANT. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VI. p. 631.*

§. IX.

Inter reliquias regni Arelatensis æque referendus est COMITATVS MOMPELGARTENSIS, qui extincto sine masculis Theodorico, matrimonii iure peruenit ad Reginaldum, Burgundiæ Comitem. Hic, cum suarum ditionum iura Gallorum potius quam Imperii beneficio accepta ferre videretur, a

Ru-

Rudolpho bello petitus, atque eo adactus, vt mulctæ nomine octies mille argenti marchas exſolueret, & ditiones ſuas nouo iterum beneficio a Cæſare acciperet. * Eadem lege hic Comitatus venit ad Falckenſteinios, atque his 1395. extinctis, vxorio iure ad Henricum Würtenbergicum. ** Paret igitur Germaniæ, ſeſſionem & votum habet in Comitiis, nec tamen vlli Circulo eſt adſcriptus, *** cum pars ſit regni Arelatenſis.

* GERARDVS a ROO *Ann. Auſtr. lib. I. p. 38. 39.* CRVSIVS *Ann. Sueu. p. III. lib. II. c. XV.*

** WALTZ *Würtenberg. Stamm-und Nahmens-Vrſprung lib. III. cap. VIII.*

*** Licet enim Eberhardo illuſtri omnes terræ in Sueuia ſitæ in Ducatum fuerint erectæ, ipſe tamen Vlricus in litteris ad Io. Fridericum Stutgardiæ die 8. Aprilis 1537. ſcriptis, teſtatur, Comitatum Mompelgardiæ, vtpote extra Sueuiam ſitum, cum Ducatu Würtembergico ita iunctum & vnitum non eſſe, vt nequeat ab eo diuidi, atque alium, quam primogenitum & ſeniorem ſolum habere Dominum. Vid. HORTLEDER *de C. B. G. Tom. I. lib. III. c. I. n. 6.*

§. X.

Acceſſerunt quoque Germaniæ ORIENTALES SLAVI, qui primum propriis Ducibus vtebantur, poſt, a Carolo M. tributarii facti, * quod perſecutus eſt filius ipſius Ludouicus Pius. Inde duo potiſſimum regna conſtituerunt Slauorum Bohemenſium & Marahenſium, quæ vtraque in diuiſione filiorum Ludouici Germanici, vna cum Pannonia & Baioaria, Carolomanno Seniori obuenerunt. ** Marahenſes ſe ſenſim ſubduxerunt, vsque dum Arnulphus Zuendiboldo, Marahenſium Regi Ducatum Bohemiæ concederet. *** Magna Slauorum prouincia erat POLONIA, quæ proprios Duces nacta, qui varia inter ſe, & cum Imperio bella gesserunt, perdomiti tamen, atque Polonia Imperii facta fuit tributaria. **** Bolesſlaum

laum regium nomen adfectantem, eiusdemque filium Misiconem a. 1032. in ordinem redegit Conradus II. Imp. eundemque sub tributi lege Poloniæ constituit Tetrarcham. ***** Sub Henrico IV. rebellabat Boleslaus, Dux Polonorum, † exinde varii motus, vsque dum Lothario Imp. denuo se subiiceret Vladislaus. †† Fridericus I. Boleslaum Crispum rebellantem certis conditionibus in fidem recepit. ††† Licet Interregni temporibus plane se subduxerint Poloni. ††††

* EGINHARDVS vita Caroli M. cap. XII. dicens: *Slauos ille vnica tantum, & quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, vt vlterius imperata facere minime renuendum iudicarent.* Nec abnuit HELMOLDVS *lib. I. Chron. Slau. cap. III.* De Ludouico Pio REGINO *ad a. 860.*

** REGINO ad a. 876. *Carolomannus sortitus est Baioariam, Pannoniam & Carnutum, quod corrupte Carantanum dicitur, nec non & regna Sclauorum, Boheimensium & Marahensium.*

*** OTTO FRISINGENSIS *lib. VI. c. XI.*

**** HELMOLDVS *Chron. Slau. lib. I. c. I. Polonia, magna Slauorum prouincia, cuius terminum in Ruziæ regnum dicunt connecti. Et diuiditur in octo Episcopatus. Quondam habuit regem, nunc autem ducibus gubernatur. Seruit & ipsa, sicut Boemia sub tributo Imperatoriæ Maiestati.* ÆNEAS SYLVIVS Hist. Bohem. c. XIII. *Hungari, Bohemi, Russani, Polonique Morauorum Principi paruerunt.*

***** WIPPO *vita Conradi Salici p. 438.* OTTO FRISING. VI. c. XXVIII. *At Misico a Rege exul factus, ad Imperatorem supplex venit, interuentuque Reginæ diuisa in tres partes Prouincia, tertiam partem ipse obtinuit. Exhinc prouincia illa Regibus nostris sub tributo seruire cognoscitur.* S. H. C. *diss. XIV. §. IV.*

† ADAMVS BREM. *lib. II. c. XXX.* KRANTZIVS *Vandalia lib. VI. c. VI.* HELMOLDVS, DVBRAVIVS. LAMB. SCHAFNABVRG. ad a. 1077. *Dux Polonorum, qui per multos iam annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cuiusque regnum iam olim Teutonicorum virtute subactum, atque in prouinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod principes*

pes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiumque nomen suum vsurpauit, diadema imposuit. Hinc Henricus IV. anno MLXXXVI. *apud Moguntiam in concilio principum Vratislaum ducem Bohemiæ regem fecit; Morauorum regno pridem extincto, in Bohemiam translato, Poloniam, Silesiam, Lusatiam imperio adiiciens*, vt auctor est PAVLVS LANGIVS *Chron. Citic. ad a. 1086.* ÆNEAS SYLVIVS *Hist. Bohem. c. XXXI.* KRANTZIVS *Vandalia lib. III. c. XI.* neque tamen Poloniam obtinere potuit Vladislaus. S. H. G. *diss. XV. §. XIV.*

†† OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. cap. XIX.* de Lothario: *Inde in Saxoniam diuertens, Polonorum Ducem cum multis muneribus obuiam habuit, quem tamen non ante dignatus est suo conspectui præsentari, quam tributum XII. annorum, hoc est, D. libras ad singulos annos persolueret, & de Pomeranis & Rugis homagium sibi faceret, subiectionemque perpetuam sacramento confirmaret.* Albericus *ad a. 1135.*

††† Late hoc narrat RADEVICVS *lib. I. c. III. IV. V.* Ex dictis ergo patet, quid sentiendum de SCHVLZII Tractatu Historico-Politico *de Polonia nunquam tributaria, Gedani 1684.* edito. Vid. FIBIGER *ad Henelii Silesiographiam cap. I. §. 31. 32.*

†††† CONRING *de Fin. Imp. c. XVIII.*

§. XI.

BOHEMIÆ vero Ducem Vladislaum, eiusdemque successores Fridericus I. Reges creauit.* Adgnoscit itaque Bohemia adhuc Imperii Maiestatem atque dominium directum, nec iuris Slauici est, sed Germanici, eo quod in Ciuitatem Germanicam est recepta,** licet Territorio Germanico non plane incorporata, ideoque nulli Circulo adscripta.

* OTTO de S. BLASIO cap. XXVIII. *Ducem Bohemiæ in dignitatem Regiam extollens, ius nomenque Regium corona imposita ei contulit.* ÆN. SYLVIVS *Hist. Bohem. c. XXVIII.*

** COCCEIVS quidem *Prud. I. P. lib. I. §. 24.* ex SPECVLO SVEVICO *lib. I. c. XXIX. §. 2.* & SAXONICO *lib. III. art. LVII. §. 2.* contendit,

dit, quod ius Teutonicum non fuerit adeptus, quia dictis locis dicitur *das er nicht deutsch ist.* Verum, licet Bohemia Germaniae territorio non incorporata, prout Slauorum Borealium Terrae, de quibus Capite anteriori, ius tamen Ciuitatis Germanicae adepti fuerunt Reges Bohemiae, Comitiis olim interfuerunt, ad quae nouiter demum restituti, & quod maximum est, ius eligendi Imperatorem fuerunt adepti. Quare etiam Carolus IV. in constitutione de iure Electoratus in Romano Imperio Regibus Bohemiae competente, Bohemiam vocat *Romanorum regni nobilius membrum*, apud GOLDASTVM *Tomo II. Constit. Imper. f. 94.*

§. XII.

MASOVIA proprios olim Duces habuit, qui sub Conrado II. Imperio subiecti, * vsque dum Iohannes, Bohemiae Rex, Wenceslaum gentis Ducem in sua verba iurare adigeret. Inde sub Casimiro Poloniae Regibus subiecta, & extincta plane Ducum familia, cum omni dominio eidem Reipublicae nexa. ** SILESIA olim Poloniae pars, sub Henrico IV. primum, dein sub Friderico II. clientelari nexu Bohemiae cessit. *** Accessit, quod plerique Silesiae Duces & nobiles, terras suas allodiales, Iohanni Regi in feudum offerrent, † vt ideo Carolus IV. Silesiam, Electoribus Imperii consentientibus, Bohemiae in perpetuum iungeret. †† Dum autem ista feudum & membrum Imperii, Silesia quoque eiusdem Maiestatem colere tenetur. †††

* Sub Conrado II. Polonia diuisa in tres partes OTTO FRISING. *lib. VI. c. XXVIII.* quae videntur fuisse Polonia, Masouia, Silesia, e quibus Masouia proprios Duces nacta. Vid. CONRING. *de Fin. Imp. c. XVIII.* S. H. G. *diss. XIV. §. IV.*

** MARTINVS CROMERVS *lib. II. p. 586. seqq.* NEVGEBAVER *lib. VII. Hist. Polon.* IOACHIMVS CVRAEVS *Ann. Siles. p. 95.* HARTKNOCH *de Rep. Polonica lib. I. c. X.*

*** LANGIVS *Chron. Citic. ad a. 1086.* COSMAS PRAGENSIS *Hist. Bohem. lib.*

lib. II. ad a. 1086. MELCH. GOLDASTVS *lib. II. de R. Bohemiæ cap. XII.* & *lib. III. cap. X.* NIC. HENELII *Silesiographia cap. IX. §. 3.*

† BALBINVS *Miscell. Hist. Bohem. Dec. I. lib. VII. sect. II. c. I.* HENELIVS *c. l.* HARTKNOCH *de Rep. Polon. lib. I. c. III.*

†† Extat Diploma apud GOLDASTVM *de Regno Bohemiæ in App. Docum. f. 66. 70.* BALBINVM *Miscell. Hist. Bohem. p. I. f. 55.* FIBIGERVM *not. ad Henelii Silesiographiam cap. IX. §. 39.* CONRINGIVM *de Fin. Imp. c. XXIX.*

††† Non diffitetur hocce HENELIVS *Silesiographia cap. I. §. 32.* & *cap. IX. §. 40.*

§. XIII.

DANIA etiam ad tempus Romani Imperii respexit Maiestatem. Henricus Auceps enim Eidoram, veterem Germaniæ terminum transgressus, ad Slesuicum vsque terminum promouit, ibidemque Marchionem constituit. * Henrico autem defuncto, cum Dani legatos Ottonis & Marchionem trucidassent, Otto M. Haraldum, Danorum Regem eo adegit, vt Christianam religionem & regnum suum in feudum recipere cogeretur. ** Post ipsius tempora, non per Daniam solum, sed Angliam etiam potentiores facti Danorum reges, illud a Conrado II. Imp. obtinuerunt, vt ducta Henrico filio suo, Canuti filia in vxorem, ipsi Marchiam Slesuicensem trans Eidoram in fœdus amicitiæ traderet. *** Vindicauit iura Imperii Lotharius, qui Magnum, Daniæ Regem, in vindictam, ob occisum Canutum Slesuicensium Ducem, eo adegit, vt Romani Imperii militem ageret. **** A Friderico I. Imp. Petrus, Danorum Rex hominio ac fidelitate ipsi facta, coronam Regni de manu ipsius suscepit. † Ipsius successor Sueno & huius Waldemarus I. †† inuestituram de regno suo ab eodem Friderico acceperunt. A Canuto idem Imperator hominium exigebat, id quod ei rex denegabat, ††† a quo tempore Dania, cum Germania variis turbis satis agitata, nullam eius-

dem curam haberet, liberum sibi ius atque supremum semper vindicauit, eodem etiam iure Slesuicensem Ducatum retinuit. ††††

* ADAMVS BREM. lib. I. c. XLVIII. *Heinricus victor apud Sliaswich, quae nunc Heidaba dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem statuit, & Saxoniam coloniam habitare praecepit.* LVITPRANDVS *lib. III. cap. XIII.* nulli antea subiectos fuisse dicit DITMARVS *lib. I. p. 327.* WITTICHINDVS *lib. I. Ann. p. 641.* S. H. G. *diss. XI.* §. *XXII.*

** ADAMVS BREM. *lib. II. cap. II.* HELMOLDVS *lib. I. c. IX.* ALB. STAD. *ad a. 948.* S. H. G. *diss. XII.* §. *XVIII.*

*** ADAMVS BREM. *lib. II. c. XXXIX. cum Rege etiam Danorum siue Anglorum, mediante Archi-Episcopo pacem fecit, cuius & filiam filio suo deposcens vxorem, dedit ei ciuitatem Sliaswig cum Marchia, quae trans Egdoram est, in foedus amicitiae. Et ex eo tempore fuit Regum Daniae.*

**** SAXO GRAMMATICVS *lib. XIV. p. 244.* HELMOLDVS *lib. I. c. L.* ALBERTVS STAD. *ad a. 1133.*

† OTTO FRISING. *lib. II. de Gest. Friderici I. c. V. Petrus accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligatur.* & c. XXI. *experta est hoc Dania, nuper subacta Romanoque reddita Orbi, & fortasse plures prouinciae, pluraque sensissent Regna, si praesens negotium non impedisset.* Patet hoc etiam ex epistola a Friderico I. ad OTTONEM FRISINGENSEM scripta, quae ipsius Chronico est praemissa. GVNTHERVS *lib. I. Ligurini.* ALBERTVS STAD. *ad a. 1152.* HELMOLDVS *lib. I. c. L.* S. H. G. *diss. XII.* §. *XXIX.*

†† RADEVICVS *lib. I. c. XXIV.* GÜNTHERVS Ligurino *lib. VII.* ALBERTVS STAD. *ad a. 1163.* S. G. H. *diss. XVII.* §. *XXX.*

††† ARNOLDVS LVBECENSIS lib. III. cap. II. *Inter Imperatorem & ipsum discordia erat, quia Imperator ab ipso hominium exigebat, quod ei rex negabat.* Nec abnuit ipse SAXO GRAMMATICVS, licet alias in Daniae Reges nimium pronus *Hist. Dan. lib. XVI. p. 375.*

†††† CONRING. *de Fin. Imp. c. XIV. & XV.*

§. XIV.

HVNGARIA primum sub Henrico II. Imp. per Giselam ipsius

ipsius sororem Stephano Regi nuptam, ad fidem Christianam a. 1010. fuit redacta, ipsa etiam Pannonia Imperio Romano subiecta. * Sub Henrico III. vero tributaria facta Germanis, ** post etiam per Petrum regem plane subiecta, *** nec a subiectione alienus ipsius successor Andreas. **** Sub Henrico IV. autem inter fatales Germaniæ turbas Hungari rebellantes imperio se subduxerunt, † quos equidem ad Imperii apicem reducere voluit Fridericus I. ob deficientem vero Principum consensum ad effectum deducere haut valuit, vt sui adhuc iuris sit, Austriacis imperantibus, Hungaria. †† Petierunt equidem Imperii Status in Comitiis Augustanis 1566. vt Hungaria, quæ Germanorum armis a Turcarum iniuriis vindicata, ad Imperii auxilia atque onera se obligaret, nihil tamen obtinuerunt, quam vt Imp. se eo esse adlaboraturum promitteret, vt Hungari Germanis æque in auxilio essent. †††

* Hungarici equidem Scriptores hoc denegant. Sic enim PETRVS de REWA Corona Hungarica p. 2. *Regnum Hungariæ semper liberum extitit, & nihil vnquam cum Imperio commune habuit: quamuis ratione dignitatis, superiorem esse Cæsarem censeamus, ratione tamen dominii, pares nos illi arbitramur.* Ast AVCTOR VITÆ HENRICI *apud* CANISIVM p. 390. disertis verbis hoc adserit, dicens: *Pannoniam quoque Catholicæ fidei & Romano Imperio coadunauit: victor autem aliarum nationum, Apostolus fit Vngarorum.* S. H. G. *diss. XIII. §. XXV.*

** WIPPO Vita Conradi Salici p. 424. *Vngaria autem quam idem Rex Heinricus tertius nobili atque admirabili victoria domuit, & post victoriam sapientissimo consilio sibi & successoribus suis stabiliuit, prædicto tempore nec audire nos sustinuit.* SIGEB. GEMBLAC. *ad a. 1043.* AVENTINVS *lib. V. Ann. Boi. c. V.*

*** HERM. CONTRACTVS *ad a. 1045. Petrus Rex Henricum Regem in festiuitate Pentecostes ad se inuitatum, magno paratu suscepit, & maximis muneribus donauit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Hungarorum fidelitatem illi & successoribus eius iuramento firmantibus*

bus reddidit: quod tamen ab eo ipse, dum uiueret, possidendum recepit. MARIANVS SCOTVS ad a. 1045. *Petrum in regnum constituit, subditoque sibi Vngarorum regno honorifice reuertitur.* S. H. G. *diss. XIV. §. XVII.*

**** HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 1047.* de Andrea: *suam Imperatori subiectionem annuum censum & deuotam seruitutem, si regnum se habere permitteret mandans.* AVENTINVS *Lib. V. c. VI.*

† LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad a. 1074. *Hungari contra Imperatorem suum rebellant.* S. H. G. *diss. XV. §. XXII.*

†† Ipsum enim Geisa atque Stephanus fratres arbitrum sibi legerant, in controuersia, quam de regno habebant, de quo S. H. G. *diss. XVII. §. XXIX.* Sed de eo OTTO FRISINGENSIS *de gestis Friderici lib. II. c. VI. Ibi etiam Princeps, eo quod omnibus in proprii Imperii finibus ad eius voluntatem compositis, virtutem animi quam intus gerebat, extra ferri disponeret, Vngaris bellum indicere, ipsosque ad Monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cum assensum super hoc Principum, quibusdam de causis latentibus habere non posset, ad effectum tunc perducere ea quæ voluebat mente, non valens, ad opportuniora tempora distulit.* CONRING. *de Fin. Imperii* §. *XVII.*

††† §. *69. 70.*

§. XV.

Inter accessoria Imperii & regni Germanici referuntur etiam Regnum GALLIÆ, HISPANIÆ, ANGLIÆ, * Franciam quidem Occidentalem post Ludouici Balbi mortem, proceres Ludouici Germanici filio cognomini tradere tentaruut, qui tamen recepta a Ludouici Balbi filiis Lotharingia, abstinuit. ** Extinctis vero Ludouici Balbi filiis, Carolomanno & Ludovico, Occidentales Franci Carolo Crasso se subiiciunt. *** Post Caroli depositionem, proprium quidem Regem habuerunt Franci Odonem, consensu tamen Arnulphi Regis constitutum. **** Henrico Aucupi iterum se subiecit Carolus Simplex. † De Henrico VI. quidem auctor est Rogerius Hovedenus, †† quod super omnia desiderauerit, vt Regnum

Fran-

Franciæ Romanorum Imperio subiiceret, sed fide admodum suspecta. Et licet Bonifacius VIII. Papa, Francorum regnum, excommunicato Philippo Pulcro, iuri ditionique Imperii atque Augustorum adiudicaret, neque tamen ab Alberto Imp. fuit acceptatum, quin potius perpetua amicitia cum Philippo Pulcro pacta. ††† Post ista tempora, nunquam iuris aliquid in Franciam prætenderunt Imperatores. De HISPANIÆ atque ANGLIÆ Regibus nunquam dici poterit, illos vnquam Imperio fuisse subiectos. ††††

* Non desunt, qui hæc regna Maiestati Imperii fuisse subiecta, tradant nunc vero ab eadem exempta. In horum numero habendus est GEORGIVS LVDOVICVS LINDENSPÜR in sua, *de successionibus & mutationibus Imperiorum* dissertatione *cap. XIV. & seqq.* Idem egit IO. ANDREAS GERHARDVS in Discursu suo de *Statibus Imperii exemptis.* Haut denegamus, dicta regna Imperii Maiestatem coluisse, eo quod quartæ Monarchiæ pars haberetur, neque tamen exinde ad subiectionem poterit concludi. Gloriatur de hac reuerentia Conradus III. ipse Imperator, apud OTTONEM FRISINGENSEM *de gestis Friderici lib. I. c. XXIII.* in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum sic scribens: *ad hoc Francia & Hispania, Anglia, Dania, cæteraque Regna Imperio nostro adiacentia, quotidiana legatione sua, cum debita reuerentia & obsequio nos frequentant, ad ea quæ Imperii nostri mandata sunt, se prompta esse, tam obsidibus, quam sacramentis affirmantes.*

** SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 880. *Ludouico mortuo, aliis illud filiis Ludouici Balbi ex concubina deberi iudicantibus: aliis Bosoni Prouinciæ regulo ad illud iniuste inuadendum adsentientibus: aliis vero illud Regno Germaniæ resociare volentibus.* REGINO *ad a. 879.* ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 879.* S. H. G. *diss. IX. §. XIV.*

*** OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. VIII. *Occidentales Franci Principibus amissis, Karolum Imperatorem, qui tunc solus ex stirpe Karolorum superesse videbatur, vltro inuitant, eique venienti subiiciuntur.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 885.* S. H. G. *diss. X. §. XXIV.*

**** OTTO FRISING. *lib. VI. c. X.* ANNALES METENSES & FVLDENSES. HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 888.* WITTICHINDVS *lib. I. Ann. p. 637.*

637. *Huic* (Arnulpho) *Odo diadema & sceptrum & cætera regalia ornamenta obtulit, imperiumque domini sui gratia Imperatoris Arnulfi obtinuit.*

† SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a.* 922. de Carolo: *se & Franciam Henrico Regi submittit.*

†† *Ann. Angl.* sub finem seculi duodecimi: *notum erat Regi Angliæ, quod prædictus Imperator super omnia desiderabat, vt Regnum Franciæ Romanorum Imperio subiiceret.*

††† H. STERO ad a. 1302. *Anno sequenti Papa excommunicauit Philippum regem Franciæ, quod pecuniam extra regnum suum portare non permisit, & Alberti regis Romanorum electionem admisit, subiiciens sibi regnum Franciæ.* CHIFFLETIVS *Vindic. Hispan. cap. XIII. p.* 119. CONRING. *de Fin. Imp. c. VIII.* S. H. G. *diss. XXIV.* §. *XX.*

†††† Adducitur quidem epistola Henrici Anglorum Regis apud RADEVICVM *lib. I. ep. VII.* qua scribit: *Regnum nostrum, & quicquid vbique nostræ subiicitur ditioni, vobis exponimus, & vestræ committimus potestati, vt ad vestrum nutum omnia disponantur, & in omnibus vestri fiat voluntas Imperii.* Sed hæc potius reuerentiæ, quam subiectionis sunt verba.

§. XVI.

De BORVSSIA multa adhuc subest controuersia, an Imperio olim paruerit. Sunt equidem, * qui probare contendunt, nihil plane negotii cum Germania nostra hanc prouinciam olim habuisse, cum sine dominio olim Borussia, immo in Comitiis Imperii Coloniensibus de an. 1512. ** fuerit deliberatum, an tanquam membrum Imperio se iungere vellet Teutonici Ordinis Magister, qui Borussiam isto tempore possidebat. Contrarium adserit Conringius, *** idque ex Tabulis Friderici II. Imp. quibus non terræ Culmensis solum, sed totius etiam Borussiæ, omniumque terrarum, in quas eiectis barbaris, Christianam religionem propagaturi essent Crucigeri, possessionem ac dominium ipsis ac eorum successoribus confirmat, quod dein a diuersis Imperatoribus fuit confirma-

tum

tum. **** Libera itaque olim Borussia, sed Conradus, Masoviæ Dux, Imperio deuotus, dum milites Teutonicos euocaret, eandem Imperio subiecit. Huius confirmationem petierunt postea milites Teutonici, Borussiæ terras Friderico II. Imp. offerentes, ab eodemque earum confirmationem obtinentes, atque hoc ipso se Imperio esse subiectos adgnoscentes. ***** Testatur de hac subiectione Rescriptum Ludouici Bauari Imp. de a. 1338. in quo terræ Borussicæ Militibus Teutonicis collatæ dicuntur, ideoque ipsis mandat Imp. ne alterius potestati se subiiciant ****** Albertus II. Imp. ipsos pro Imperii Membris adgnouit, ******* Fridericus III. vero Imp. non solum Borussiæ vrbibus Priuilegia a. 1452. confirmauit, sed etiam inter Milites Teutonicos & ipsorum Status Prouinciales Iudicem egit. † Et dum Borussiæ Nobiles atque Ciuitates Casimiro, Polonorum Regi se subiicerent, in Comitiis Noribergensibus a. 1453. legatio ad ipsum desuper fuit decreta. †† De eadem subiectione Regimentum Imperii Noribergense de a. 1501. docet. ††† Magister Ordinis Teutonici in Borussia interfuit Comitiis Noribergensibus de an. 1524. †††† Licet negandum non sit, nec feudum vnquam fuisse Imperii Borussiam, nec ad Imperii onera quidquam contribuisse. Inde factum, vt, dum nihil commodi exinde accresceret Imperio, pro derelicto haberetur. Et licet Albertus, primus Dux Borussiæ, ob pactum cum Sigismundo an. 1525. conclusum, a. 1531. per sententiam Cameralem banno notaretur, ista tamen executioni minime fuit mandata, ††††† licet in Comitiis Augustanis 1547. & 1548. eandem Wolfgangus Administrator plurimum vrgeret. †††††† Per pacta demum Velauiensia 1657. sui iuris facta Borussia, & nostra ætate regia. Ineunte equidem hoc Sæculo Magister Ordinis Teutonici, qui in Franconia sedem habet, de Borussia iterum, frustraneo tamen conatu, scrupulum mouit. ††††††† In Proiecto Capitulationis Perpe-

tuæ de bonis Ordini Teutonico ablatis recuperandis Imp. obligatur, salua tamen pace Westphalica & cuiuslibet iuribus, de quo abolendo sollicitus hactenus fuit Rex Borussorum. ††††††††

* IO. PETRVS LVDEWIG *im vertheidigten Preussen wider den Anspruch des teutschen Ritter-Ordens, Mergentheim 1703. 4.* Antiquam illorum libertatem probare contendit ex HELMOLDO *lib. I. c. I.* dum de iisdem ait: *præterea inaccessi paludibus, nullum inter se dominium pati volunt.*

** *§. XXVI.*

*** *De Fin. Imp. c. XXIV.*

**** Primum priuilegium est Friderici II. in quo: *vt nostra sibi & Domui suæ, concederet, & confirmaret Serenitas tam terram, quam prædictus Dux donare debebat, quam totam terram quæ in partibus Prussiæ per eorum instantiam fuerit acquisita, & insuper Domum suam immunitatibus, Libertatibus & aliis concessionibus, quas de dono terræ Ducis præfati, & de Prussiæ conquisitione petebat, nostræ munificentiæ priuilegio muniremus.* Idem priuilegium repetiit atque denuo confirmauit Carolus IV. Inseruntur hæc Priuilegia atque alia scripta Borussiam concernentia, in scripto, cui titulus: *Vnser Wolfgangs von GOttes Genaden Administrators des Hochmeisterthums in Preussen, Meisters Teutschs Ordens in Teutschen und Wellischen Landen, Probsts und Herrens zu Elwangen, Bericht, was unser nechster Vorfahr seliger, und wir, würcklicher Execution halben der Preussischen Acht, bis alher haben gehandelt, 1550. 4.* Exemta autem fuit Borussia ab oneribus Imperii per Constitutionem Friderici II. *eximimus eos a seruitute & iurisdictione Regum, Ducum & Principum, Comitum & cæterorum Magnatum, præsenti sancientes edicto, vt non nisi sacrosanctæ matris Ecclesiæ, ac Romano Imperii quam alii liberi homines Imperii, teneantur.* GOLDASTVS *Constit. Imp. Tom. II. p. 78.*

***** Scriptores equidem Poloni nulla in terram potissimum Culmensem Imperii iura adgnoscunt, vtpote DLVGLOSSVS *Hist. Polon. lib. VI. p. 644.* Idem adserit MARTINVS CROMERVS *Rerum Polonicarum Lib. VII.* ex [illegible] qui integrum negotium vberius exponit, atque extunc Imperii demum Iurisdictionem fuisse exortam arbitratur, dicens: *Per hoc*

tem-

tempus Pruſſis Maſouiam vehementer vexantibus & vaſtantibus, inops conſilii Conradus Dux, habito conuentu ſuorum, tandem Chriſtiano epiſcopo ſuggerente & ſuadente, fratres ſiue ſodales Teuthonicos & ipſos piam contra barbaros militiam ſub titulo S. Mariæ profeſſos, qui paulo ante a Saracenis e Syria eiecti fuerant, per eum ipſum Chriſtianum Roma acciuit: Chelmenſemque tractum, & quicquid terræ eſt inter Viſtulam, Mocram, atque Demanciam flumina, eis tradidit his legibus, vt contra Pruſſos ſedulo & ſummis viribus bellum gererent. Ubi vero eos domuiſſent, Chelmenſem quidem ditionem redderent: cætera vero quæcunque de barbaris capiſſent, arbitrio bonorum virorum ex æquo ſecum, ſeu cum poſteris ſuis partirentur. Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, neue hoſtes eorum receptarent, aut vllo fauore proſequerentur: contra barbaros autem, & a religione Chriſtiana alienos, vt ipſis, cum opus fuerit, præſto eſſent. Si quid horum tranſgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos eſt, ex iure gentium, ſubiacerent, hoc eſt, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum & ſupra memoratos fratres Cruciferos, quorum tunc Hermannus de Salza ſummus magiſter erat (ſic illi ducem ſuum appellant) conuenere, & a Gregorio nono pontifice max. approbata eſt, confirmata ſunt. Quæ nos e libro vetuſto Germanica lingua ſcripto, qui in arce Lubauienſi aſſeruatur, viri pietate iuxta ac doctrina & integritate ſumma prædiți Stanislai Hoſii dudum Culmenſis, nunc iam Varmienſis epiſcopi beneficio eruta & ſubminiſtrata bona fide hic inſeruimus. Nam pacta ipſa publicis literarum monumentis conſignata, partim iniuria temporum & negligentia noſtrorum amiſſa, partim fortaſſis etiam ſtudio Cruciferorum periere. Friderici quidem ſecundi Imperatoris diploma ſub bulla aurea diligentius iidem Cruciferi aſſeruarunt: quo ille confirmauit ipſis poſſeſſionem terræ Culmenſis, & quicquid ii de Pruſſis poſtea cœperint, itemque ditionem quam eis Conradus dux Maſouiæ deinceps adhuc donaturus eſſet, inter Pruſſiam & nouam Marchiam: quaſi vero imperium aliquod atque iurisdictionem Imperator in illis oris haberet, aut habuiſſet vnquam. Ac ditionem quidem illam, quæ eſt inter Pruſſiam & nouam Marchiam, ſiue ea Cuiauia, ſiue Pomerania eſt, Conradus eis non donauit. Cæterum Dobrinum, quod Culmenſem tractum & Maſouiam attingit,

iure hæreditaria eis, filiis & vxore assentientibus concessit. Verum, confundit tempora Cromerus. Binas enim fratribus Teutonicis concessiones fecit Conradus. Primam a. 1226. dum castrum saltim Dobrzin concederet: alteram a. 1230. qua terram Culmensem Teutonicis a Friderico II. Imp. iamdum addictam, pleno iure donaret. Probe eandem distinxit DLVGLOSSVS, dum *Historiæ Polonicæ, lib. VI. p. 644. ad a. 1230.* de Conrado sic loquitur: *in primario quoque eorum aduentu in Castro Dobrzin, a quo fratres Dobrzinenses appellati sunt, ipsos locat. Processu vero temporis, eis castrum & oppidum Nieszow, cum villis Murzynow, Orlow, & cum suis attinentiis donat, largitur, & consignat. Cum autem aliquot secundis præliis vsus adiuuantibus illum Fratribus Cruciferis stragem ingentem in Pruthenos edidisset, precibus assiduis Henrici cum barba Wratislauiensis & Slesiæ Ducis persuasus, de consilio consortis suæ Ducissæ Agasiæ, & filiorum suorum Boleslai, Casimiri, & Semouiti, nec non Prælatorum & Baronum terrarum suarum videlicet Günteri Episcopi Flocensis, Michaelis Episcopi Cuiauiensis, Cristini Episcopi Culmensis, Pacoslai Comitis Dessouiensis, terras Chelmenses & Lubauiæ infra fluuios Ossam, Drwancam, & Wrolam sitas, in quibus barbari Rogow castrum & oppidum, & alias munitiones occupauerant, eis inscribit, & donat, licet de facto, non de iure, cum in præiudicium Regni Poloniæ donationem ipsam Conradus Dux non poterat aliquatenus fecisse.* Confirmant hanc alteram concessionem litteræ donationis Conradi de a. 1230. quæ extant apud LEIBNITIVM *Cod. Iur. Gent. diplom. p. 7.* in quibus: *vxore mea Agasia, filiisque meis Boleslao, Casimiro, Zemouito, expresse de bona & spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio & consensu Episcoporum, Magnatum & Maiorum Terræ meæ dedi & contuli Hospitali S. Mariæ Domus Teutonie & fratribus eiusdem Domus totum & ex integro Culmense territorium, cum omnibus suis attinentiis, ab eo loco, vbi Druuenca egreditur terminos Prussiæ, & per decessum eiusdem fluminis vsque in Vislam, & in decessu Vislæ vsque ad Ossam, & per ascensum Ossæ vsque ad terminos Prussiæ, in veram ac perpetuam proprietatem possidendum, pleno iure, cum omni libertate.* Ex litteris etiam Friderici II. Imp. super concessione terræ Culmensis iam antea a. 1226. datis, satis patebit

tebit, antiqua iura Imperii in eandem terram iam deducere Imperatorem. Sic enim iste: *Nos igitur attendentes promtam & expositam deuotionem eiusdem Magistri, qua pro terra ipsa sua Domui acquirenda, feruenter in Domino æstuabat, & quod* TERRA IPSA SVB MONARCHIA IMPERII *est contenta.* Et paucis interiectis: *autoritatem eidem Magistro concessimus, terram Prussiæ cum viribus domus & totis conatibus inuadendi, concedentes & confirmantes eidem Magistro, successoribus eius & Domui suæ in perpetuum, tam prædictam terram, quam a præscripto Duce recipiet, vt promisit, & quamcunque aliam dabit, nec non totam terram, quam in partibus Prussiæ conquiret, Domino fauente,* VELVT VETVS ET DEBITVM IVS IMPERII, *in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus, & in mari, vt eam liberam ab omni seruitio & exactione teneant & immunem, & nulli respondere proinde teneantur.* Confirmat hæc ÆNEAS SYLVIVS, dum de *Statu Europæ c. XXII.* sic loquitur: *Barbara hæc gens* (Prussorum) *& Idolorum cultrix vsque ad Fridericum Imperatorem eius nominis secundum fuit. Sub eius vero imperio, cum amisissent Christiani Ptolomaidem Syriæ ciuitatem, fratres Teutones (quos sanctæ Mariæ diximus appellari) inde fugati in Germaniam rediere, viri nobiles, & rei militaris periti: qui ne per ocium marcerent, Fridericum accedentes Prussiam Germaniæ conterminam Christi cultum spernere dixerunt, sæpe illius gentis homines in Saxones cæterosque vicinos excurrere; ingentem vim pecorum atque hominum abigere; esse in animo sibi compescere barbaram gentem, annuat tantum Imperator, prouinciamque Fratribus perpetuo iure possidendam tradat, si eam armis acquirant. Iam enim Masouiæ Duces, qui eius se terræ dominos affirmabant, ius suum fratribus concesserant. Grata oblatio Friderico fuit: qui collaudato proposito, quas voluere fratres, sub aurea bulla, literas concessit.* An igitur iura Imperii ante Friderici II. tempora satis firma fuerint, adserere non ausim, an potius ex Iure Monarchiæ Romanæ petita, prout autumat CHRISTOPHORVS HARTKNOCH *Chron. Borussiæ p. II. c. I. §. XV.*

****** Extat Rescriptum illud apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Theatro p. II. c. III. p. 444.* in quo: *Graui ad nos sæpe querela deduxistis, quod Kazimirus, qui se nominat Regem Poloniæ, cum auxilio Archiepisco-*

episcopi Gnetznensis, & quorundam Episcoporum Suffraganeorum ipsius terras, quas a nobis & Imperio vobis collatas, & ab infidelibus proprii vestri sanguinis effusione euictas, absque quaestione cuiuslibet, per longiora tempora pacifice possedistis, - - - & quod specialiter nominatus Kazimirus, super terris vobis & ordini vestro ab Imperatoribus & Regibus, praedecessoribus nostris collatis & donatis, & auctoritate summorum Pontificum ac Imperatorum & Regum legitime confirmatis, & per tempora longiora per vos possessis, pacifice. - - Verum cum Ordo vester sit a dictis Principibus, Imperatoribus & Regibus Romanorum, praedecessoribus nostris fundatus, institutus & dotatus, pro defensione Imperii & fidei Christianae, & nos, & Imperium principaliter quaestiones vobis motae per praedictum Kazimirum super terris Ordinis vestri, ac vos tanquam membra nostra & Imperii, tangere videantur, vos attente requirimus & monemus nostrae gratiae sub obtentu, ei nihilominus sub poena amissionis & priuationis omnium terrarum, iurium, priuilegiorum, gratiarum & libertatum, quae a nobis & praedecessoribus nostris Imperatoribus & Regibus, vobis & Ordini vestro concessae sunt hactenus & indultae, ne terras, possessiones ac iurisdictiones, sic vobis donatas & concessas, ad cuiuspiam praeceptum ac mandatum extra potestatem vestram aliqualiter permittatis, aut ad citationem cuiuspiam Iudicis Ecclesiastici vel secularis super ipsis de vobis conquerentibus & causam mouentibus, seu mouere volentibus compareatis sine nostro consensu, aut iuri aliqualiter pareatis, cum principaliter defensio earundem terrarum nobis competere dignoscitur.

******* Sic enim ipsius Legati ad milites Teutonicos missi, apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Theatro Friderici V. p. II. c. III. p. 447. und wann auch der Orden des heiligen Reichs merckliches Glied were, und von den Teutschen gestifftet worden, und allezeit in seinen Nœthen von dem heiligen Reich, und den Teutschen grosse Hülffe und Schützung empfangen.*

† Hoc negotium plenius exposuit MVLLERVS *Reichs-Tags-Theatro p. II. c. III. p. 458. sqq.* vbi etiam Priuilegia Borussiae Ciuitatibus concessa inseruntur.

†† Acta huius Legationis apud eundem MVLLERVM vberius exponuntur.

††† Ex-

††† Exhibet DATTIVS *vol. nouo Rerum Germanicarum* hunc Recessum *lib. II. cap. I. p. 222.* in quo: *Zum Fünfften. Nachdem der Hochmeister teutschen Ordens in Prewsen, so bisher mit seinen zugehærigen Landen und Leuten, das heilig Ræmisch Reich erkennt, und demselben angehangen hat; durch sein Bottschafft auff diesen Reichs-Tag zu erkennen geben lassen hat - - - darinn er sich aber aus Vrsachen, daß der den Freyheiten seins Ordens, abbrüchlich were, und von der Gehorsam des heiligen Reichs in Dienstparkeit des gemelten Künigs zu Polen, erwelt wird - - Sey er erpüttig, sich wie sein Vorvare bisher getan haben getrewlichen zu dem heiligen Reich zu halten.* Facit huc SLEIDANVS *lib. XX. p. 613.* qui verbis Legati Borussici Magistri sic loquitur: *Et Prussia quidem in Imperii clientela permansit ad Fridericum vsque Saxonem & Albertum Brandeburgicum, ordinis Magistros: nam ii fidem Poloniæ regibus dare noluerunt, eo quod neque pontifex neque Cæsar transactionem illam Casimiri comprobassent, & quod anno MD. Maximilianus Cæsar in Comitiis Augustæ, facto decreto, iusserat fidem Imperio tantum præstari.*

†††† Memoratur enim in subscriptione Albertus, Magister Ordinis Teutonici. SLEIDANVS lib. VI. exeunte: *Interea subinde solicitat Cæsarem Albertus & Ordines Imperii, de auxiliis, & ad Comitia Noribergæ, de quibus ante diximus, ipse venit, & vt Imperii princeps locum suum habuit, in consessu.* Idem repetit *lib. XX. p. 613.*

††††† SLEIDANVS *lib. VI. exeunte.* CHYTRÆVS *lib. XIII. p. 340.* S. H. G. *diss. XXXII. §. XLVIII.*

†††††† Extant hæc Acta apud GOLDASTVM *Reichs-Handlungen p. 1491.* Egit de hac caussa SLEIDANVS *lib. XX. p. 611. seqq.* & in scripto Wolfgangi Magistri Ordinis Teutonici antea adlegato.

††††††† Protestabatur enim contra coronationem Borussicam, exhibito a. 1702. in Comitiis Grauamine, cui tamen respondet IO. PETRVS LVDEWIG, *im vertheidigten Preussen wider den Anspruch des Teutschen Ritter-Ordens. Mergentheim 1703. 4.*

†††††††† Art. X. *da auch dem Ritterlichen Teutschen oder Iohanniter-Orden in oder ausserhalb des Reichs ansehnliche Güter entzogen, und bishero vorenthalten worden, so soll und will Er solche Restitution zu befærdern, sich sorgfæltig angelegen seyn lassen, iedoch dem Westphælischen*

lischen Friedens-Schluß unabbrüchig, und einen jeden an seinen Rechten ohne Praiuditz. De hoc articulo abolendo in Comitiis egit Legatus Magdeburgicus, vel eo modo restringendo, ne ad Borussiæ regnum adplicari possit, cui tamen Legatus Magistri Ordinis Teutonici contradixit, prout Acta testantur apud ANTONIVM FABRVM *Staats-Cantzelley Tomo XXIV. c. VI.*

§. XVII.

LIVONIA Bremensis nauigationis occasione ad Christi fidem conuersa, suos accepit Episcopos.* Ex his Albertus ordinem Ensiferorum ab Innocentio III. a. 1204. confirmatum, in societatem adsciuit eo fine, vt reliquos prouinciæ gentiles ad Christum ducerent. Hi postea in Corpus Equitum Teutonicorum fuerunt cooptati, & Liuonia eidem Ordini subiecta. Wilhelmus vero Plettenbergius, soluta certa pecuniæ summa, a. 1513. se suosque Ordini Teutonico subtraxit, atque inter Imperii Principes fuit cooptatus. Postea vero, cum Liuoni partim a Polonis, partim a Russis diuexarentur, pars Liuoniæ Lettica, Sigismundo Augusto Poloniæ Regi a. 1561. se dedit, ea conditione, vt Gotthardus Kettlerus Magister Ordinis Curlandiam & Semgalliam tanquam Poloniæ feudum, sub Ducatus titulo, hæreditario iure retineret, Estonia vero se Erico, Sueciæ Regi commisit. Hoc ita remansit, vsque dum pace Oliuensi 1660. omnis Liuonia trans Dunam Suecis concederetur, minime renitente Imperio.**

* Prolixe hoc exponit ARNOLDVS LVBECENSIS *Chron. Slau. lib. VII. c. VIII. IX.*

** Vid. CHYTRÆVS *Saxonia lib. XXII.* ALBERTVS WIIVCK KOIALOWIZ *lib. VIII. Hist. Lithuan.* IO. LOCCENIVS *lib. VII. Hist. Suec.* CONRING *de Fin. Imperii cap. XXIX.* HARTKNOCH *de Rep. Polon. lib. I. c. VIII.* Conferri omnino meretur HENRICI LEONHARDI SCHVRZFLEISCHII *Historia Ensiferorum Ordinis Teutonici Liuonorum, Vitembergæ 1701. 8.* & potissimum IO. HENRICI BOECLERI *de acquisito & amisso Imperii Romano-Germanici in Liuoniam Iure Diatriba; Argentorati 1711. 4.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Licet autem pleræque istæ prouinciæ, quæ Germaniæ accesserunt, ab eiusdem Finibus iterum fuerint auulsæ, sæpius tamen deliberatum fuit, qua ratione sub Imperii apicem istæ possint reduci atque Imperium redintegrari, *daß das Reich ergæntzet werde.* Factum id in Comitiis Wormatiensibus de a. 1521.* sub Maximiliano II. in Comitiis Augustanis de an. 1566.** & Ratisbonensibus de a. 1576.*** Sub Rudolpho II. in Comitiis Augustanis de a. 1582.**** atque in Capitulationibus***** hactenus fuit repetitum. Inter Exemtas autem aliæ sunt, quæ ab exteris vel Statibus etiam eximuntur, atque ab immediata Imperii subiectione abstrahuntur,****** *die von andern vertreten werden oder ausgezogen.* Quod si enim prouinciæ Germanicæ, quæ olim proprios habuerunt Duces, & propria iura, aliis, vel ratione Dominii eminentis saltim, vel ratione vtriusque dominii cedant, dicuntur ab iisdem eximi. Oritur autem hæc exemptio vel per familias emortuas, si harum terræ aliis cedant, quali ratione Pomerania a Brandenburgicis eximitur, vel ex pacto speciali, quo faciunt prouinciæ Imperii Coronæ Suecicæ & Statibus Imperii per pacem Westphalicam cessæ, vel ex Reformatione, dum Status Imperii Protestantes varios Episcopatus atque Prælaturas olim immediatas seculo addictas nunc eximant, prout Episcopatus Misnensis, Numburgensis, Merseburgensis ab Electore Saxoniæ; Brandenburgensis, Hauelbergensis ab Electore Brandenburgico eximuntur,******* vel ex præscriptione † & subiectione, †† quo faciunt pleræque aliæ, de quo sæpius conquestum fuit, quod Status a potentioribus eximantur. ††† Hinc diuersimode, †††† potissimum per Recessum Imperii Augustanum de a. 1548. fuit decretum, vt in singulis Circulis super exemptionibus, iis maxime, quæ sine onere, inquisitio fie-

ret, & contra eximentes Fiscalis Cæsareus procederet. ††††† Facta igitur designatione eodem adhuc anno Fiscalis Cæsareus contra eximentes sine onere in Camera Imperiali Processum instituit, qui tamen postea cessauit. †††††† Licet multa adhuc supersit controuersia, num solum Ius Territorii vel Dominii directi argumentum faciat ad exemptionem. †††††††

* *§. XXX. XXXI.*

** *§. CXXIV.*

*** *§. CVII.*

**** *§. II.*

***** Caroli V. *art. IX.* Ferdinandi I. *art. VIII.* Maximiliani II. *art. IX.* Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. *art. VIII.* Ferdinandi III. & IV. *art. IX.* Leopoldi & Iosephi *art. XII.* Caroli VI. *art. V. & XI.*

****** *R. I. Augustanus de a. 1548. §. 52.* In Comitiis Augustanis a. 1568. Catalogus Statuum exemptorum fuit exhibitus, quem videmus apud LIMNÆVM *Tom. I. lib. I. c. VII. n. 73. Addit. lib. I. Tit. VII.* SPRENGERVM *Lucerna Imperii p. 443.* VITRIARIVM *lib. II. Tit. V. §. IV.* Pleniorem tamen exhibent Auctor *des Europæischen Herolds Tomo I. p. 992.* ADAMVS CORTREIVS *Tomo I. p. V. Corporis Iuris Publici S. R. I. p. 136.* LVNIG *im Reichs-Archiv p. Gener. p. 772.* & PFEFFINGERVS *in Vitriario illustrato lib. II. Tit. V. §. III.*

******* Eiusmodi Exemtiones per *R. I. Augustæ de a. 1555. §. XIX.* confirmantur.

† Patet hoc ex R. I. Augustæ 1548. §. LIV. *Vnd soll unser Kayserl. Cammer-Gericht nicht allein in Sachen, ob ein Stand billich oder unbillich ausgezogen sey, sondern auch ob einer des Reichs Anschlæg befreyet, darwieder wie in solchen Fællen recht ist, præscribirt.* & §. LVI. *und dagegen wider ihn nicht darbracht werden mœcht, daß er ie in Menschen Gedæchtnüß, in des Reichs Gemeinen, und nicht privilegirten Hülffen, contribuiret.*

†† R. I. Augustæ de a. 1548. §. LII. verbis: *Bevorab so die ausgezogne Stænde, solchs Ausziehens und Vertrettens zu frieden sind.*

††† *R. I. Spiræ de a. 1570.* §. CVIII. *Zu dem würden die Exemptiones*

zu

zu gar gemein, und vielmalen die geringere Stande durch andere mit der That eximirt, und doch nicht vertretten.

†††† R. I. Spiræ 1544. §. *XIII.* R. I. Auguſtæ 1548. §. *LI. LII.* R. I. Auguſtæ 1551. §. *LIII. LXVIII.* R. I. Auguſtæ 1566. §. *CXXVII.* R. *Deputations-Abſchied Francofurti 1571.* §. *III.* R. I. Ratisbonæ 1576. §. *LXXXIII. LXXXIX. XC.* R. I. Auguſtæ 1582. §. *LII. LIII.* R. I. Ratisbonæ 1594. §. *CVII. ſqq.*

††††† R. I. Auguſtanus de a. 1548. §. LII. *Doch mit dieſer Erklerung, daß in ſolchem Fall, da des Ausgezogenen Anlage nicht erlegt würde, durch unſern Kayſerl. Fiſcal wider den Ausgezogenen, dieweil er in des Reichs Anſchlegen begriffen, procedirt werde, welchen ſo er zu Schaden kommt, der Ausziehend zu entgehen, und ſchadlos zu halten ſchuldig ſeyn ſolle.*

†††††† Patet hoc ex Actis Saxonicis in cauſſa Exemtionis Glichenſis.

††††††† Ex hoc fundamento enim Saxoniæ Elector eximit Comitatus Mansfeldenſis & Stolbergenſis partem, Comitatum Beichlingenſem Dynaſtiam Tautenburgenſem & Wildenfelſenſem, nec minus Epiſcopatum Miſhenſem, Merſeburgenſem atque Numburgenſem. Brandenburgicus Elector Comitatus Barby, Mühlingen, Dynaſtias Lohra & Klettenberg, Abbatiam Werden. Auſtriæ Archiduces Epiſcopatum Tridentinum & Brixienſem. Huc ſpectat Exemptio Comitatus Glichenſis, quam ſine onere ſibi vindicat Sereniſſima domus Saxonica, de quo *Gründliche Ausführung, warumb das Fürſtl. Sambt-Hauß Sachſen zur Reaſſumtion der Gleichiſchen Exemtion-Sache nicht gehalten*, quod ſcriptum L. B. de LYNCKER adgnoſcit auctorem; ZACHARIAS VIETOR ſingulari Tractatu de Exemptionibus Imperii, quem in fauorem Waldecenſium conſcripſit, ne iidem tanquam Haſſiæ Landgrauiorum Vaſalli, ab hiſce eximantur, potiſſimum *concl. XXVIII.* demonſtrare conatus fuit, a Dominio directo ad exemptionem argumentum peti non poſſe. Idem vero *concl. XXXVI. & XXXVII.* ex ratione parendi & comparendi in Comitiis Prouincialibus ad Exemptionem concludi demonſtrat. Vietorem ſecutus fuit MYLERVS ab EHRENBACH *de Principibus & Statibus Imperii p. IV. c. XCIX.*

§. XIX.

Effectus exemtionis eſt, vt tales prouinciæ exemptæ

Landsassiatus quidem iura plerumque * saltim obtineant, ita tamen, vt possessores iisdem Imperii iuribus in terris exemtis vtantur, quibus priores Domini. Tenentur autem possessores ad istas præstationes, quæ ante exemitionem de terra exemta ** veniebant, nisi vel ex singulari priuilegio, vel etiam præscriptione exemtionem sine onere obtinuerint. ***

* Exemplum in Electore Saxonico, a quo eximuntur Comites Beichlingenses, Brandensteinii dynastæ in Ranis, qui ideo sunt Landsassii. Licet de aliis multa adhuc sit controuersia. Eximit enim Elector Saxoniæ æque Episcopatus Merseburgensem & Numburgensem, qui tamen inter Landsassios reputari nolunt. Vid. CASSANDRI THVCELII *Electa I. Publ. Tom. I. cap. VII.* Demonstrat hoc plenius ZACHARIAS VIETOR *de Exemptionibus Imperii concl. XXXVI. XXXVII.*

** R. I. Augustæ 1548. §. *LII. das gleichwohl etliche Stænde ausgezogen, aber durch die ausziehenden werden die Reichs-Anschlæge der ausgezogenen erlegt und entricht.* R. I. Augustæ 1566. §. *XV. Wir setzen, ordnen und wollen auch, das die Stænde so durch andere ausgezogen und nicht in possessione vel quasi libertatis sind, ein ieder neben andern Stænden sein gebühren Anlag, vermæg des Reichs Anschlæg in dieser Vnterhaltung selbst entrichten, oder aber die ausziehende Stænde für sie die ausgezogene, unabbrüchig zu bezahlen schuldig seyn sollen.* Idem repetitur §. *XLVIII.* R. I. Spiræ 1570. §. *XXX.*

*** *Per R. I. Ratisbonæ de a. 1541. §. 48. & R. I. Augustæ de a. 1548.* §. *LII.* Pluribus de exemitionibus videri potest VIETOR *de caussis exemtionum.* MAVRITIVS *de Matricula §. 44. & seqq.* PFEFFINGER *Vitriario illustrato lib. II. Tit. V.*

CAPVT

CAPVT QVINTVM
DE
DIVISIONE REGNI GERMANICI.

§. I.

Post territorium progredimur ad Diuisionem regni Germanici, quæ est diuersa. Primis temporibus Germania diuisa fuit in FRANCOS & SAXONES. Diuisio hæc ex eo suborta videtur, dum Franci ante Caroli M. tempora omnem sibi subiugarent Germaniam, solis Saxonum Terris exceptis, ex quo Germania vel Francici vel Saxonici iuris facta. Et licet Saxonia deinde æque Caroli M. Imperium adgnosceret, mansit tamen hæc ipsa distinctio, * dum Saxones legibus, moribus, lingua adhuc a Francis distincti, cum iis saltim in commune Regimen coaluerant. **

* WITTICHINDVS Ann. lib. I. p. 634. *Regi Ludowico non erat filius, omnisque populus* FRANCORVM *atque* SAXONVM *quærebat Ottoni diadema imponere regni* & lib. II. ineunte: *defuncto patre patriæ, & regum optimo maximo Henrico, omnis populus* FRANCORVM *atque* SAXONVM *iam olim designatum regem a patre filium eius Oddonem elegit sibi in principem.* Quæ verba descripsit CONRADVS VRSP. *ad a. 912.* Sub his autem omnem comprehendi Germaniam, patet ex OTTONE FRISING. qui *lib. VI. Chron. c. XV.* dicit, quod Otto ab omnibus fuerit expetitus & LVITPRANDVS *lib. II. c. VII. Conradus Rex cunctis a populis ordinatur.* S. H. G. *diss. XI.* §. III.

** POETA SAXO ad a. 803.

Tum

Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatisque suis, permissi Legibus vti
Saxones patriis, & Libertatis honore
Hoc sunt postremo sociati Fœdere Francis,
Vt Gens & populus fieret concorditer vnus,
Ac semper Regi pareat æqualiter vni.

S. H. G. *diss. VII. §. XXII.*

§. II.

Ex hac, altera fluit diuisio in Germaniam SVPERIOREM atque INFERIOREM, * siue, vt in Aurea Bulla ** exprimitur, in *Ius Franconicum* atque *Saxonicum.* ** Sub ista comprehendebantur Terra Rhenensis, Sueuia, Bauaria, Franconia, quæ in ludis equestribus Germanorum dicuntur *die vier Lande*, quarum quælibet proprium Regem ludi *den Thurniér-Kœnig* habuit. *** Hæ Iuris Franconici. Inferior autem comprehendebat vniuersam Saxoniam, quæ Iuris Saxonici. Ex quo ratio patet duplicis in Imperio nostro Vicariatus. ****

* COCCEIVS *cap. IX. §. 7. & cap. XVI. §. 9.*
** *Tit. V.* Vid. & SCHWABEN-SPIEGEL *lib. I. c. VIII.*
*** Vid. Dissertatio *de Ludis equestribus*, sub præsidio GEORGII SCHVBARTI habita *cap. IV. §. 6. & 9.* Demonstrauit illud DATT Vol. nouo Rer. German. lib. I. c. VII. n. 26. dicens de Sodalitatibus Seculi XV. *Societates istæ, pro situ Regionum quatuor der vier Land, scilicet, das ReinLand, das Land zu Francken, das Land zu Beyern, und das Land zu Schwaben, in quatuor partes principales diuisa olim sunt, & dicebantur, die Thurnier-Gesellschafften der vier Land. Quarum quæque iterum certis legibus regebatur.*
**** Vid. GOLDASTVS *Vorrede über die Reichs-Satzungen.*

§. III.

Tertio Germaniæ Regnum distinguitur in Terras mediatas atque immediatas. Differentiæ Ratio latet in Imperii administratione. * Primi enim Impp. Germanici ab Ottonis

nis M. temporibus Ducibus regendas concedebant Germaniæ Prouincias, quales ex quinque magnis Germaniæ populis constituebantur Bauaria, Saxonia, Francia, Sueuia, Lotharingia. ** Duces igitur dicti, domaniis vtebantur eiusdem Prouinciæ, cui præfecti erant, quæ ipsis loco salarii erant adsignata. *** Ex his Ducatibus atque terris Ducibus subiectis, ortæ fuerunt Terræ Mediatæ. Reliquas Terras iuri suo, fisco atque Cameræ reseruauerunt Imperatores, quæ dicebantur Immediatæ, ex quibus reditus ipsi capiebant ad sustinendam aulam Imperialem. Has per Missos regios, Comitesque Palatii gubernabant, vel etiam per Cameræ nuntios regebant, eædemque vel Ducum postmodum potestati fuerunt subiectæ, vtpote Francia atque Sueuia, prout iamdum diximus, **** vel, nunquam Ducem prouinciæ singularem fuerunt expertæ. Qualis Terra Immediata fuit Rhenensis, ob diuersa Imperii Palatia, quæ in eadem sunt sita, atque a prima ætate ad nostra vsque tempora sine Duce fuit proprio. ***** Eodem referendæ sunt Terræ Palatinæ in Prouinciis, vna cum vrbibus Palatinis, harumque districtu, in quibus sedes suas capiebant Imperatores Germaniam transmigrantes, atque ex curtibus Dominicis & fiscis regiis capiebant, quæ ipsis erant necessaria, Episcopi, Abbates atque Principes vicini officia præstabant ad Imperialis aulæ splendorem. ******

* COCCEIVS equidem Iuris Publici Prudentia cap. IX. hanc materiam persequitur, atque differentiam hanc a lege, qua primum terræ regno Franciæ Orientalis fuerint vnitæ, fluxisse putat. In Exemplum ducit Saxoniam, Bauariam, Terras Vandalicas, Marchiam, quæ Duci suo fuerint relictæ. Verum, si tempora Francorum spectemus, minime hæc putem procedere, dum Saxonia potius per Carolum M. sine Duce fuerit relicta, ipsi sine medio subiecta. Quare ADAMVS BREMENSIS, ipse Saxo, *Hist. Eccl. lib. II. c. IV.* ita loquitur: *nondum post tempora Caroli, propter veteres illius gentis seditiones, Saxonia*

 Ducem

Ducem accepit, nisi Cæsarem. Qua necessitate Rex (Otto M.) *persuasus, Hermanno primum tutelæ vicem in Saxonia commisit.* S. H. G. *diss. VII. §. XX.* Nec Bauaria, eiecto Thassilone, sub Duce fuit. Potius Caroli M. ætate, sublatis sensim Ducibus, omnes Germanicæ Prouinciæ solius Cæsaris suberant potestati. Nec de primis Germaniæ Imperatoribus dici hoc poterit, quod ex lege, qua unitæ Germaniæ regno prouinciæ, factæ fuerint vel mediatæ, vel immediatæ, cum dictæ prouinciæ a Ludouici Germanici temporibus iamdum iuris facti fuerint Germanici. Potius igitur ratione earum administrationis hanc differentiam ortam esse putarem, vt prouinciæ, quas Ducibus relinquerent administrandas Imperatores, dicerentur mediatæ, reliquæ, quas fisco suo reseruarent, atque per Missos, Cameræ nuntios, vel Palatii Comites regerent, mediatæ.

** Prout diximus *Cap. III. §. II.*

*** Quod demonstrauimus in HISTORIA IVRIS *cap. VIII. §. VIII.*

**** *Cap. III. §. IX.*

***** *Cap. III. §. vlt.*

****** De his infra Capite Nono.

§. IV.

Locum hæc distinctio in eo habet, quod in Terris mediatis nulla reperiantur iudicia immediata, nulli nobiles immediati, rariores Comites immediati, cum plerique sint Landsassii, rariores vrbes immediatæ, nisi quæ ex Palatinatibus adhuc superstites. Postquam enim Duces hæreditariam sibi potestatem sumserunt atque propriam, Comites atque Nobiles sibi fecerunt Landsassios, vrbes municipales. In Terra Rhenensi, Francica & Sueuica vero tot iudicia Cæsarea, Hagenouiense, Rotwilense, Onoldinum, Würtzburgense, Sueuica varia, tot Prælati, tot Comites, tot nobiles, tot vrbes immediatæ, cum isti a prima sua origine Impp. subiecti, nullius Ducis vnquam, solius Imp. potestatem adgnouerunt. Francia atque Sueuia licet Duces habuerint, extinctis tamen horum familiis, occasio subnata plurimis nobilibus atque

vrbi-

vrbibus immediata Imperii iura ſibi vindicandi. Licet in hiſce terris Francicis Iudicia olim Cæſarea in Principum venerint poteſtatem, prout Iudicium Onoldinum in Sereniſſimorum Marchionum Brandenburgicorum ceſſit poteſtatem, Würtzburgenſe in poteſtatem Epiſcopi.

§. V.

Ex iſta tamen diuiſione diſtinctionem inter *Territoria clauſa* & *non clauſa* fuiſſe enatam, * omnino dubitarem, quæ ſaltim recentiori tempore in fauorem eorum facta, ** qui ſe iurisdictioni atque Iuri Territorii ſubducere fuerunt conati, quales ſunt Prælati in Ciuitatibus quibusdam Imperialibus, atque Nobiles Immediati in Franconia atque Sueuia. Differentiæ rationem in eo latere putant, quod omnes Vaſalli in Territoriis clauſis ſimul ſint ſubditi: ſecus de Territoriis non clauſis. *** In Circulo igitur Auſtriaco, vtroque Saxonico, Bauarico, reperiri Territoria clauſa, in quibus nulli dantur Immediati, dum e contrario vterque Rhenenſis, Francicus, partim etiam Weſtphalicus in Territoriis non clauſis conſiſtat. Hinc diſtingui debere inter *eſſe in Territorio* & *de Territorio*, **** cum in Territoriis non clauſis a iure rei ſitæ ad ſubiectionem argumentum ſumere haut liceat. Verum, ex dicta diuiſione in Terras Immediatas atque Mediatas hanc, de qua agimus, diſtinctionem, minime profluere, patet ex eo, quod non deſint terræ, quæ olim immediatæ penitus, quæ tamen hodie ad immediata Territoria haut referantur. Exemplo ſint Germaniæ Palatinatus Prouinciales, hos enim Territorii olim fuiſſe immediati nemo forſan ambiget, cum Palatinatuum natura aliud non poſtularit, quam quod ſine Duce Imperatorum iuri ſine medio fuerint ſubiecti. De terris autem Palatinatus Saxonici, atque Bauarici ſatis conſtat, eas hodie

die a Saxoniæ, Bauariæque Ducibus possessas, inter clausa Territoria extra vllam controuersiam referri. ***** Immo, patet hoc exemplo Ciuitatum Imperialium, quæ, licet in Territoriis, non clausis dictis, in Terra, potissimum Rhenensi sitæ, clausum tamen Territorium, clausam Iurisdictionem habent, ita, vt Nobiles etiam immediati in iisdem habitantur, Magistratus Iurisdictionem adgnoscere habeant necessum. ****** Hæc etiam Regula in tantum obtinet, nisi quod Prælati quidam ob Ecclesiasticorum prætensam immunitatem & Religionis fauorem harum Iurisdictioni se subduxerint. Ex dictis ergo facile sequitur, quam incerta sit hæc distinctio in Territoria clausa & non clausa, atque inanis, potius omnia clausa præsumi, donec exemptio demonstretur. †

* MART. MAGERVS a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata cap. VI. n. 675. seqq.* distinguit Territoria in illa, vbi *Landsasserey* viget, atque illa, vbi ista non viget. Sequitur eum WILHELMVS LYSERVS *de Landsassis §. XXIII.* GEORGIVS LVDOVICVS LINDENSPVR *de Imperiorum & Famil. Orig. & mutat. cap. XXX. n. 96.* Recentiores tamen distinguunt in Territoria clausa & non clausa, vtpote MYLERVS ab EHRENBACH *de Principibus & Statibus Imperii p. II. c. LXXXIX. n. 2.* Eandemque in Altdorfina Academia potissimum firmare conatus fuit HENRICVS HILDEBRANDVS singulari dissertatione *de Territorio clauso & non clauso 1715.* habita.

** Adgnouit illud WILHELMVS LEYSERVS *de Landsassiis §. XXIII.* & potissimum personatus GERMANVS PHILOPARCHVS *im Klugen Beamten p. I. Tit. XIII. §. XXXI. n. 9. p. 219. Die distinction unter ein geschlossen und ungeschlossen territorium ist weder in denen Reichs-Constitutionibus, noch in sana ratione fundiret, sondern ein blosses inventum eines Fauoriten von dem unmittelbahren Reichs-Adel, der seine Güter vor exemt wissen will, denn wo die exemtion eines oder des andern, simpliciter vel secundum quod immediati, so gleich ein ungeschlossenes territorium macht, wird kaum ein Stand im heiligen Römischen Reich zu finden seyn, der nach diesen Lehrsatz nicht auch ein*

ein ungeschlossen territorium haben müste. Adsentitur CHRISTOPHORVS IACOBVS PELLERVS in Dissertatione sua inaugurali, *de libertate siue exemtione a iurisdictione principis & domini territorialis ordinarii*, qua demonstrat, dominos territorii ratione nobilium fundatam habere intentionem, eo quod omnes Nobiles olim Ducibus subfuerint atque Comitibus; & CHRISTIANVS THOMASIVS singulari dissertatione: *de inutilitate Brocardici vulgaris, quæ sunt in Territorio, præsumuntur etiam esse de Territorio, Halæ 1709. 4.* qua quidem a situ atque Territorio iurisdictionis fundamentum peti plane denegat, distinctionem tamen in Territoria clausa & non clausa penitus reiicit. Sequitur hosce nouiter IO. ERNESTVS OLYMPIVS de HEIN in *Iure Publico Romano-Germanico p. 519.*

*** LUDERVS MENCKENIVS in Dissert. *de vi Superioritatis Territorialis §. VIII.* Clausum Territorium describit, quod sit: *Vniuersitas Domino Territorii, salua Imperatoris & Imperii potestate, subiecta, propriis limitibus ita conclusa, vt intra eos plenissimus Landsassiatus obtineat, omnesque Vasalli regulariter sint simul Subditi.* Non Clausum, quod sit *Vniuersitas Domino Territorii subiecta, propriis limitibus ita non conclusa, vt intra eos plenissimus Landsassiatus obseruetur, nec Vasallagium cum subditi conditione regulariter cohæreat.* Eadem habet IO. FRIDERICVS PFEFFINGERVS *notis ad Vitriarium lib. III. Tit. XIX. §. IV.* HENRICVS HILDEBRAND dicta *diss. cap. II. §. I.* Nouiter AVCTOR EXAMINIS DISSERTATIONVM IVRIS PVBLICI *cap. VII. § X.* Territoriorum clausorum originem & genuinum esse fundamentum statuit, si veteres Ducatus aut Principatus in illo statu & qualitate ad nostra etiam tempora permanserint, in quo antea fuerunt. Aliter vero se rem habere, cum mortuis veteribus cuiusdam Regionis Ducibus, alii non successerint, sed Ducatus Imperio immediate fuerit subiectus. Licet neque hæc Thesis procedat, cum plerique Germaniæ Ducatus qui inter Territoria clausa sine dubio habentur, permultas passæ fuerint mutationes.

**** Firmat hoc CHRISTOPHORVS BESOLDVS in *Documentis Würtenbergensibus Tomo I. p. 231.* dum ait: *Castra vel loca, licet in alterius consistant Territorio, non tamen sunt de territorio. Surdus dec. 129. n. 17. Pari namque incedunt gressu, locum esse extra territorium & ex-*

& exemptum seu non subiectum Surd. d. dec. n. 17. Wesembec. cons. 33. n. 30. Damhoud. in enchirid. partium lit. T. Verb. territorium. Kopp. d. qu. 48. n. 48. Schrad. 2. p. 9. sect. 4. n. 157. f. 554. Tom. I. Sic etiam loca exemta sunt in Dioecesi, non tamen de Dioecesi. Ita illustrissimus Episcopus Ratisbonensis, ita Abbas S. Emeranni, vt & Abbas Ysnensis in territorio, imo in ipsa ciuitate Ratisponâ & Isnæ sunt, nec tamen de eorundem territorio existunt. Similiter in meditullio Würtenbergici Ducatus aliquot Imperiales ciuitates, vt & innumera fere nobilium prædia.

***** De his infra dicemus *Cap. XX.*

****** Ipse BESOLDVS, licet adsertor alias libertatis Nobilitatis Immediatæ *de Ordine Equestri §. V.* ait: *Ac sane Nobiles, si sint incolæ Ciuitatum, oppidorum, vel alia non immunia possideant bona, vt plurimum Iurisdictionem atque onera, quibus non singulari pacto sunt exempti, coguntur pati arg. traditor. a Dn. Bidenbach qu. 18. & seqq.* Sequitur PHILIPPVS KNIPSCHILD *de Iure Ciuitatum Imperialium lib. II. c. XXIX. §. XXXVII.* Immo Ciuitates publicis Mandatis hoc iusserunt prout exemplo Argentinæ Ciuitatis patet, de qua MICHAEL KLEINBLAVEL *in Strasburg. Chronic. f. 90.* & IACOB VON KÖNIGSHOVEN *in Elsass. Chronic. c. V. §. CXIV. p. 328.*

† Commune hoc Dd. adsertum, quod late defendit ANDR. GAILIVS *lib. I. obs. XXI. n. 5.* THEODORVS REINCKINGIVS *de Regim. secul. & eccles. lib. I. concl. V. n. 22. seqq.* ANDR. KNICHEN *de Iure Territorii cap. II.* CHRISTOPH. MINGIVS *de Super. Territoriali cap. I. §. XV.* IO. SCHILTERVS *Exerc. ad π. XIII. §. XXVI.* PHIL. KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imper. lib. II. c. V. n. 77.* Nouiter CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHILLING Dissertatione inaugurali Præs. IO. BALTH. WERNHER egit *de probatione Landsassiatus ex situ Terrarum, Witteberga 1717.* qui ad Thomasii argumenta, hoc negantis respondet, licet illud ad Territoria clausa saltim adplicare conetur.

§. VI.

Potissima vero Germaniæ diuisio in CIRCVLOS est. Germ. *Krayse.** Hanc primum ** tentauit Albertus II. in Comitiis Noribergæ 1438. habitis, Germaniam, excepta Bohemia atque Austria, in quatuor Circulos diuidens, quorum primus

mus Bauariam atque Franconiam, alter Terram Rhenensem atque Alemanniam, tertius Westphaliam vna cum Belgio, Quartus Saxoniam sub se comprehenderet. *** Noua Norібergæ diuisio facta fuit in die S. Galli in Sex Circulos, eosdem quidem, quos postea Maximilianus I. Imp. constituit. **** Licet hæc diuisio ob inopinatam Alberti mortem minime executioni mandata. De eadem re temporibus Friderici III. Imp. in Comitiis Noribergensibus a. 1467. fuit deliberatum, vt Germania in sex partes diuideretur, idque ad firmandam magis pacem publicam, quod tamen ad effectum minime est deductum. †

* Vocantur etiam Germanice *Circkel* ORD. REGIM. WORMAT. *de a. 1521. §. 21. 22.*

** GOLDASTVS *de Regno Bohem. lib. IV. c. V.* quidem ex fœdere Mergentheimensi anno 1387. sub Wenceslao Imp. quo socii in certas classes, *gewisse Partheyen* fuerunt diuisi, primam ducit originem, de quo etiam LEHMANNVS *lib. VII. c. LXVIII.* quem tamen ideo reprehendit ARVMÆVS *de Comitiis cap. II. n. 42.* DATT *Vol. nou. rer. Germ. lib. I. cap. VIII. & c. XXVII.* dicens, illud fœdus nihil aliud quam prolongationem fœderis antiquioris fuisse inter Principes atque Ciuitates Rhenanas & Sueuicas conclusi. Vid. S. H. G. *diss. XXVIII. §. IV.*

*** Hanc Alberti II. constitutionem ex Archiuo Reip. Argentoratensis primum produxit SCHILTERVS *Instit. I. P. Tom. II. tit. XIX. p. 339.* Quem secutus DATT *Vol. Nou. Rer. Germ. differt. I. c. XXVI. n. 12.* MVLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich p. I. c. VII. §. IX.* Fallitur itaque FVGGER *im Spiegel der Ehren lib. IV. c. XIII.* dum scribit: *K. Albrecht hielte im October dis Jahrs, einen Reichs-Tag zu Nürnberg: da er das Ræmische Reich in VI. Kræyse, als den Oesterreichischen, Rheinischen, Sachsischen, Bayrischen, Fræanckischen und Schwæbischen eingetheilet.* Noribergæ autem Comitia habita, non Lincii, prout Rubrica Archiui Argentoratensis testatur, DATTIVS confirmauit.

**** Extat apud WENCKERVM *Apparatu Archiu. p. 340. Extract aus der Nottel und Begriff eins Land-Friedens, welchen die Kæniglichen* Her-

Herren Rathe zu Nürnberg auff Galli gemacht, und den Standen helffen zu besiegeln übergeben. Anno 1438. Besagend die Abtheilung der Lande in sechs Kreys.

† Extat de eodem Consultatio Electorum Imperii & Principum, quam sub Rubrica Recessus Imperii Noribergensis 1467. publicauit GOLDASTVS *Tomo I. der Reichs-Satzungen f. 184.* SCHILTERVS *Instit. Iuris Publici Tom. II. p. 179.* DATT *lib. I. c. XXVIII. n. 67. 68.* qui tamen potius placitum hoc fuisse Collegii Electoralis & Principum ibidem & *lib. IV. n. 33.* demonstrat. Sequitur MVLLERVS *p. IV. c. XL.* in hoc autem verba sunt: *also, das dieselben teutschen Land in sechs Teil getheilt.*

§. VII.

Hoc demum, quod antecessores cœperunt, in effectum deduxit Maximilianus I. Prudentissimus enim Imp. dum Publicam in Germania Pacem firmare conaretur, pro tuenda eadem nullum certius remedium esse iudicauit, quam totius Regni Germanici diuisionem in certas partes, vt per easdem Pacis Executio eo facilius expediretur. Primum quidem in Comitiis Wormatiensibus anni 1495. de hac diuisione varie consultabatur, & de ordinando Regimento Imperii.* Postea, cum in Comitiis Augustanis an. 1500. Regimentum Imperii ordinaret Maximilianus, Imperii quoque Status in sex Circulos distinguit, vt ex singulis Assessor Regimenti constitueretur, *Franconicum* scilicet, *Bauaricum, Sueuicum, Rhenanum, Westphalicum, Saxonicum.***

* Primum quidem præter Electoratus, diuersæ distinguebantur prouinciæ, id quod ex Proiecto *der Regiments-Ordnung zu Worms de an. 1495.* apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Staat lib. I. cap. I. p. 4.* patet, vbi dicitur: *und darzu sechzehen aus den sechs Chur-Fürstenthumen auch Prouincien Magdeburg, Saltzburg, Aquilegia, Pisantz, Foyssen, Bremen, Westphalen, auch aus den Niederlanden, Francken, Bayern, Schwaben, den freyen Stetten und Reich-Stetten verordnet.* Vid. etiam DATT *lib. I. c. XXVII. n. 51.*

** Patet

** Patet illud ex ipsa Ordinatione Regimenti, facta Augustæ 1500. apud MULLERUM *Reichs-Tags-Staat lib. I. cap. V.* & *Cammer-Gerichts-Ordnung zu Costnitz de a. 1507. art. XX.*

§. VIII.

Præluſiſſe Maximiliano videtur priſtina Germaniæ diuiſio in quinque iſtos populos, quorum quemlibet ſingulari Circulo comprehendit. Lotharingis cum vicinis Rheno populis Rhenanum conſtituentibus, & addito ſexto, Weſtphalico, quod Weſtphalia poſt Henrici Leonis exauctorationem, ſeparatas plane a Saxonia acceperat rationes.

§. IX.

Dum autem dicti Circuli vel nimis ampli eſſent, nec omnia complecterentur, quæ ſub iſtis quinque populis olim fuerunt poſſeſſa, quatuor alios anno 1512. adiecit Maximilianus I. * *Auſtriacum* ſcilicet, *Burgundicum*, *Saxoniæ Superioris* & *Rhenanum Inferiorem.* Auſtriacus quidem terras, quæ vel ſub Boiis olim comprehendebantur, vel ex Slauorum terris acceſſerunt, continet. Burgundicus vero Belgii prouincias, quæ ſub Lotharingis olim partim continebantur. Saxonicus vero & Rhenanus ſaltim fuerunt diuiſi.

* R. I. Colon. de a. 1512. §. 11. 12. *Darauf haben wir ſambt denen Stænden zehen Circkel geordnet, wie hernach folget: Nemlich ſollen wir mit unſern Erb-Landen zu Oeſterreich und Tyrol &c. einen, und Burgund mit ſeinen Landen, auch einen Circkel haben. Item, ſollen die vier Chur-Fürſten am Rhein einen, und die Chur-Fürſten von Sachſen und Brandenburg, mit ſamt Hertzog Georgen von Sachſen, und den Biſchœffen, ſo in den Landen und Gezircken daſelbſt geſeſſen, auch einen Circkel haben. Und ſöllen die ſechs Circkel hievor auf dem Reichs-Tag zu Augſpurg verordnet bleiben, und ſolches ſonſt einem ieden Stand an ſeinen Obrigkeiten, Herrlichkeiten, und Rechten unſchædlich ſeyn.* Facit huc etiam SLEIDANUS *lib. X. p. 272.* dum ait: *Germania eſt enim omnis in ſex deſcripta prouincias, in Franconiam, Ba-*

uariam, Sueuiam, Saxoniam, Rheni tractum & Burgundiam. His finibus omnes vtique principes ac ciuitates, in Imperii Comitiis, antiquo more censentur: hodie vero Saxonia diuiditur in superiorem ac inferiorem. THVANVS etiam *lib. II. p. 36.* hanc diuisionem in Circulos describit, nec tamen satis accurate. Vid. GEORGII ALBERTI STVBNERI *dissertatio de Sacri Imperii Romano-Germanici Diuisione in decem Circulos, Wittebergæ 1699. 4.*

§. X.

Agebantur postmodum in iisdem Comitiis de a. 1512.* consilia de augendo Circulorum numero, & adiiciendo circulo Bohemico & Borussico, irrito tamen cum successu, cum & Borussi & Bohemi de eo protestarentur, metuentes, ne forsan ad onera etiam Imperii adigerentur.

* GOLDASTVS *de Regno Bohem. lib. II. cap. XVI. n. 2.* ARVMÆVS *de Comitiis cap. II. n. 41. seqq.* LIMNÆVS *lib. I. c. VII. n. 37.* De Bohemia equidem testatur in Grauaminibus, quæ in Comitiis Augustanis a. 1548. exhibuit Ferdinandus I. *Dieweil die Reichs-Steur bishero allein auf die Stende in den zehen Kraysen bestimmet, geschlagen worden, und aber die Kron Bœhmen in keinen Krays befunden wird.*

§. XI.

Comprehendit igitur ista diuisio in Circulos omne Territorium Regni Germanici.* Hinc mirari amplius non licet, prout consuetum est Iuris Publici Doctoribus, cur Prouinciæ Italicæ sub hac diuisione non comprehendantur, vtpote quæ adhuc iuris sunt Longobardici. Nec Bohemia atque Borussia, licet iuris sint Germanici, Territorii Germanici vnquam fuerunt. Sabaudiæ Dux & Comites Mompelgartenses nulli Circulo adscripti, quia partem constituunt Regni Burgundici quod nunquam Territorio Regni Germanici coaluit.

* *Erklærung des Land-Friedens zu Nürnberg a. 1522. art. II. Hernach fol-*

folgen die zehen Creys, wie und auf welche Ort die in das gantze Reich ausgetheilt worden.

§. XII.

Ordo Circulorum pro Conuentuum diuersitate variat. In Recessu Imperii Noribergensi de a. 1522.* ita collocantur: Austriacus, Burgundicus, Rhenanus inferior, Saxonicus Superior, Franconicus, Bauaricus, Sueuicus, Rhenanus Superior, Westphalicus, Saxonicus inferior. In Recessu Spirensi de a. 1542.** talis Ordo occurrit: Circulus Rhenanus Electoralis, Franconicus, Bauaricus, Austriacus, Sueuicus, Rhenanus Superior, Westphalicus, Saxonicus Superior, Burgundicus. Aliter iterum ordinantur in Ferdinandi I. *Probier-Ordnung**** de a. 1559. In Conuentu tamen Circulorum Erfurtensi de anno 1567. primo loco ponitur Circulus Rhenanus inferior, quem sequuntur reliqui. Nos ordinem Noribergensem sequemur.

* *Erklærung des Land-Friedens art. II. lib. I. Tit. VII. n. 29.*
** §. *XXV.*
*** Apud LIMNÆVM *Lib. I. Tit. VII. n. 29. Addit. Tom. II. ad Lib. I. c. VII.* GOLDASTVM *Reichs-Satzungen Tomo II. p. 279.*

§. XIII.

AVSTRIACVS Circulus comprehendit Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Comitatum Tyrolensem, Episcopatum Tridentinum, Brixiensem. BVRGVNDICVS Belgii prouincias continet, a quibus tamen Septem prouinciæ Fœderatæ & quæ a Gallis occupatæ, vel per Traiectensem atque Badensem pacem Borussorum Regi cessæ, fuerunt auulsæ.* RHENANVS INFERIOR, dictus etiam *Electoralis ad Rhenum, der Chur-Rheinische*, comprehendit Tres Electoratus Ecclesiasticorum, Moguntinum, Treuirensem, Coloniensem vna cum Palatino, Prælatis, Comitibus & Dynastis qui in eorun-

dem terris. SAXONICVS SVPERIOR continet Saxoniam Superiorem vna cum terris Thuringicis & Misnensibus atque Episcopatibus Misnensi, Merseburgensi, Numburgensi, Ducatum Coburgensem, terras Brandenburgicas vna cum Episcopatibus, Brandenburgensi, Hauelbergensi & Lebusensi, atque Pomeraniam, principatum Anhaltinum, Comites Ruthenos & Schwarzburgicos. FRANCONICVS continet Episcopatus, Herbipolensem, Bambergensem, Aichstetensem, terras Ordinis Teutonici, Terras Marchionum Brandenburgensium, Principatum Hennebergicum, Schwartzenbergensem, Lœwensteinensem, Comitatus Castellensem, Wertheimensem, Hohenloensem, Erpacensem. Inter Ciuitates Imperiales Noribergam, Rotenburgum ad Tubarim, Suinfurtum, Winsheimum, Weissenburgum Nortgouiæ. BAVARICVS præter Bauariæ Ducatum continet Archiepiscopatum Salisburgensem, Episcopatum Frisingensem, Ratisbonensem, Passauiensem, Prælaturam Berchtolsgadensem, in vrbe Ratisbonensi Abbatiam S. Emerani, & bina Collegia Canonissarum. Inter Comitatus & Dynastias huc spectant Comitatus Ortenburgensis, Hohenwaldeccensis, dynastia Machselrainiana & Breiteneccensis vna cum vrbe Imperiali Ratisbonensi.

** Quænam prouinciæ terræque a Circulo Burgundico, & qua occasione fuerint decerptæ, ad longum recensentur a PFEFFINGERO *in Vitriarium lib. II. Tit. VI. §. VII.* Eodem facit IMM. WEBERI dissertatio *de turbatis S. R. Imperii Circulis, Gießæ 1717. 4.* qua potissimum Circuli Burgundici turbationem per Gallorum, Belgarumque arma & varias Pacificationes demonstrat.

§. XIV.

CIRCVLVS SVEVICVS comprehendit Episcopatum Constantiensem, Curiensem & Augustanum, Ducatum Würtenbergicum, Marchionatum Badensem, Principatum Hohenzolle-

zolleranum, Oettingensem & Mindelheimensem; plures Prælatos, inter eosdemque Abbatem Campidonensem, Elwangensem præcipuos, Comites & ciuitates permultas, inter quas Augusta Vindelicorum, Vlma, Lindauia præcipuæ. * RHENANVS SVPERIOR continet Archi-Episcopatum Vesontinum, Episcopatum Wormatiensem, Spirensem, Magistrum Ordinis Iohannitici, Abbatem Fuldensem, Ducem Lotharingiæ, Landgrauios Hassiæ, Comites quosdam, Nassouienses, Hanouienses, Rheni & Syluestres, plures quoque alios Prælatos & Comites, vna cum ciuitatibus Imperialibus inter quas eminet Francofurtum ad Mœnum. Exciderunt hoc circulo Lotharingiæ Episcopatus, Metensis, Tulensis atque Verdunensis, vna cum Alsatia, Sundgouia & Brisgouia, quæ per pacem Westphalicam Gallis cessa, ** quibus adiunxerunt decem Alsatiæ Ciuitates, *** Argentoratensi **** vrbe & Episcopatu per pacem Ryswicensem cessa, Brisgouia tamen per eandem restituta. WESTPHALICVS siue *der Nieder-Rheinisch-Westphälische*, continet Episcopatus, Monasteriensem, Osnabrugensem, Paderbornensem & Leodiensem, Abbatias, Stabloensem & Corbeiensem, Ducatus, Iuliacensem, Cliuensem & Bergensem, Principatum Frisiæ Orientalis, vna cum Comitatu Oldenburgensi. Inter reliquos Comites sunt Nassouienses quidam, Lippienses, Benthemenses, Prælati aliquot, Colonia & Tremonia Ciuitates Imperiales. Accessit huic Circulo a. 1708. Comitatus Hallermund. ***** De Leodiensi vero Episcopatu qua ratione plene accedere debeat, res nondum penitus confecta est, cum iste ratione iurium & commodorum Imperii Circuli membrum sese adgnoscat, oneribus vero subducat. Sic etiam Comes de Marck ratione Immediati Comitatus Schleiden quem possidet, ex iure postliminii huic Circulo iterum adscribi petit; quem Galli occupato Luxenburgo exemerant, cuius caussam etiam ipse Circulus postquam per pacem Badensem

Badensem Luxenburgensis Ducatus Imperatori fuisset restitutus, egit, hoc tamen eundem Comitatum tanquam Luxenburgensis Ducatus partem sibi vindicante. ****** CIRCVLVS SAXONICVS INFERIOR Ducatum Magdeburgensem & Bremensem continet, Electoratum & terras Brunsuico-Luneburgenses, Ducatum Megapolitanum, Saxo-Lauenburgicum & Holsatiæ, Principatum Halberstadiensem, Mindensem, Episcopatum Lübecensem & Hildesiensem, Bremam, Hamburgum, Lubecam, vrbes Hanseaticas, † Muhlhusam & Northusam.

* De *Circulo Sueuico* specialis extat Tractatus ERNESTI GOCKELII *Augustæ Vindelicorum 1672. 4.*

** Pace Monasteriensi *art. LXX. LXXIII.*

*** Circa Pacis Westphalicæ Tractatus iamdum exhibebatur *Summarische iedoch gründliche Ausführung des Heil. Rœm. Reichs Landvogtey Hagenau 1647. 4.* qua demonstratur, decem istas Ciuitates Imperiali Præfecto nunquam fuisse subiectas. Plenius vero singula declarantur in Tractatu cui Titulus: *Nullitas iniquitasque Reunionis Alsaticæ, 1708. 4.* Ex hoc Cl. PFEFFINGERVS *in Vitriario illustrato lib. II. Tit. VI. §. X. lit. d.* pleraque inseruit. Summam rei contraximus in S. H. G. *diss. XXXVII. §. XLIX.*

**** Vid. *Libertas Argentoratensium stylo Ryswicensium non expuncta, 1707. 4.* qua auctor Anonymus probare contendit, iura Libertatis Argentoratensium adhuc esse integra.

***** Acta de hac Receptione extant *in* ANTONII FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVI. cap. IV. p. 222. seqq.*

****** Extant scripta in hac caussa in ANTONII FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XXVI. cap. II, Tomo XXVIII. c. II.* ELECTIS IVR. PVBLICI *Tom. VI. p. 875. Tom. VII. p. 524. 812. 902. Tom. VIII. p. 569. Tom. IX. p. 329. 927.*

† Vid. LIMNÆVS *lib. I. Tit. VII. n. 29.* MARTIN ZEILLER *von denen zehen Kraysen des teutschen Reichs*, quod scriptum auctius atque emendatius prodiit, sub titulo HIERONYMI DICELII *Reichs-Geographie.* Separatim prodiit *Circuli Bauarici & Sueuici succincta descriptio, Noriber-*

ribergæ 1703. 12. & *Circuli Franconici 1704. 12.* quæ tamen ex ZEILLERI scriptis potissimum fuerunt deprompta & sæpe parum accuratæ.

§. XV.

Quantum ad Statum Circulorum, eorundemque Iura. Olim quidem sex Circuli antiquiores præsentabant suos Adsessores ad Regimentum Imperii. * Secundo tuentur Pacem publicam, iuxta modum in Ordinatione Executionis præscriptum ** in quo potissima huius diuisionis latet vtilitas, cum vicinarum prouinciarum exinde arctior facta coniunctio. Tertio exequuntur Summorum Tribunalium iudicata, si a Magistratu Ordinario hoc fieri nequeat. *** Quarto inquirunt in Vectigalia noua vel contra morem aucta, & de iisdem ad Imperium referunt. † Quinto curam habent redintegrandæ Imperii Matriculæ. †† Sexto singuli Circuli contribuunt pro rata ad communem militem & Onera Imperii, atque facilius ex singulis Circulis milites atque Onera Imperii colliguntur, quam ex vniuerso Imperio. Septimo in monetas inquirunt, ne reproba introducatur. ††† Octauo in Conuentibus Circularibus præconsultationes instituuntur de iis, quæ in Comitiis generalibus pertractantur, vt eo felicius procedant negotia Comitiorum.

* *Ord. Regimenti de a. 1500. tit. V.*

** *R. I. Augustæ de a. 1555. §. 54. 62. & seqq.*

*** *Erklæhrung Landfrieden de a. 1522. tit. I.*

† *R. I. Ratisbonæ de a. 1576. §. 120.*

†† *R. I. Ratisbonæ 1564. §. 107. Instr. Pacis Osnabr. art. XVII. §. 8.*

††† Ferdinandi I. *neue Müntz-Ordnung zu Augspurg a. 1559. §. 31. 32.* 157. R. I. Augustæ 1566. §. *156. 157. 158.* R. I. Spiræ 1570. §. *126.* Ratisbonæ 1594. §. *101.*

§. XVI.

Licet autem in plerisque negotiis hodie præsertim, decem

cem Circuli concurrant, sunt tamen quædam, in quibus sex Circuli antiquiores saltim locum habent, vtpote in præsentandis Cameræ Adsessoribus, dum Austriaci Archi-Duces ex singulari priuilegio hoc iure primum vtantur. * Postea petierunt Circulus Austriacus atque Burgundicus, vt ipsis idem ex Circuli iure liceret, quod etiam per Recessum Imperii Spirensem ** fuit concessum. Circulus Saxonicus Superior autem per pacem Osnabrugensem *** hoc ius obtinuit, cum Circulus Rhenanus inferior hoc iure plane non vtatur. Sic etiam in caussis Monetæ olim sex saltim Circulorum fuit ratio habita.

* Patet hoc ex Ordinatione Camerali Wormatiensi de a. 1521. tit. IV. vbi saltim sex Circulorum fit mentio, & Cæsari tribuuntur quatuor Adsessores *zwo als Ræmischer Kayser und zwo wegen unser Erblande*, non ergo ex iure Circuli. Sic etiam Ordin. Camerali *p. I. Tit. II.* mentio saltim fit sex Circulorum.

** R. I. Spiræ de a. 1570. §. 53. *wann aber künfftiglich sich zutrüge, das die Zahl der Beysitzer umb zwo oder mehr Personen zu mehren, soll Oesterreich und Burgund alsdenn in præsentando vor andern bedacht werden.*

*** *Art. V. §. LVII.*

† Patet hoc ex R. I. Augustæ de a. 1530. quo in caussa Collectarum decem Circulorum fit mentio, dum in caussa Monetæ §. 134. §. 139. sex saltim Circuli memorentur & *R. I. Ratisbonæ d. a. 1541. §. 63.*

§. XVII.

In ipsa autem Circulorum Politia, considerandi sunt horum Directores, Duces & Officiales, Conuentus, Leges & Apparatus. DIRECTOREM in singulis Circulis reperimus vnum, vel duos, inter quos vnus ecclesiasticus est, alter secularis. * Bene tamen ab inuicem distinguendi sunt *die Crays-ausschreibenden Fürsten* ** vnd *Crays-Directores.* Isti quidem sunt, qui Status ad Conuentus Circulares conuocant: *** hi vero

vero in Conuentibus proponunt & reliqua Directorum munia obeunt, eademque peragunt, quæ Præsidi alias in Collegio competunt. In plerisque Circulis conueniunt, in aliis distinguuntur. In nouis equidem quatuor Circulis conueniunt. In Circulo *Austriaco* Director est Archi-Dux Austriæ, in *Burgundico* Rex Hispaniæ, in *Rhenano inferiori* Elector Moguntinus, in *Saxonico Superiori* Elector Saxoniæ, qui singuli quoque iure gaudent Status conuocandi. In Circulo *Franconico* sunt *Craysausschreibende Fürsten* Episcopus Bambergensis atque vnus ex Marchionibus Brandenburgensibus, qui hactenus per triennium inuicem alternarunt, **** dum in ipsis Conuentibus solus dirigat Episcopus Bambergensis, idque ex speciali conuentione inter vtrosque inita. ***** In Circulo *Bauarico* vtrumque officium insimul gerunt Archi-Episcopus Salisburgensis & Dux Bauariæ.

* *Ferdinandi I. Müntz-Ordnung de a. 1559. §. 158.*

** Vocantur *die ausschreibenden Crays-Fürsten R. I. Augustæ a. 1551. §. 40. a. 1555. §. 75. die das Ausschreiben der Crays haben.*

*** R. I. Spiræ 1544. §. 13. *ein ieder Creys-Fürst (dem solches zu thun von Rechts-oder Gewohnheit wegen gebührt) die Creys-Stände in seinem Creys zum fürderlichsten an ein gelegene Malstatt erfordern und beschreiben soll.* Hæc Directorum Circuli munia ad longum recenset Cl. PFEFFINGERVS *lib. II. Tit. VI. §. XII. p. 1094.* Facit etiam huc IO. IOACHIMI FVNCKII, Ratisbonensis, Dissertatio Inauguralis *de Imperii Circulis, eorumque conuentibus, & officio, quod vocant Directorio, Altdorfi 1670. 4.*

**** Per Pactum enim 27. Octobris 1712. Güntzenhusæ inter Christianum Ernestum Marchionem Baruthinum atque Wilhelmum Fridericum Onoldinum erectum placuit perpetua alternatio in dicto Iure a triennio ad triennium. Et licet Baruthini scrupulum mouerent, eo quod pactum istud deficiente libero consensu fuerit conclusum, illud tamen per sententiam Iudicii Aulici fuit confirmatum, atque dicta alternatio hactenus obtinuit, licet de nouo nunc pacto ineundo agatur.

 ***** Mul-

***** Multæ de hoc controuersiæ, quæ demum per Transactionem Augustæ Vindelicorum XI. Augusti 1559. initam, fuerunt sopitæ, quam integram debemus LVNIGIO p. spec. f. IV. p. 312. præcipua ex eadem exhibentur apud LIMNÆVM *Addit. Tom. I. ad lib. I. c. VII p. 47. & ad lib. IX. cap. I. p. 424. & 425.* qui etiam addit, quod, vbi pro negotii qualitate soli Status Ecclesiastici conueniant, solus Episcopus Bambergensis vna cum conuocandi iure Directorium exerceat. Idem Ius habet Marchio Brandenburgicus, quando soli Seculares conueniunt.

§. XVIII.

In Circulo *Sueuico* Episcopus Constantiensis vna cum Würtenbergiæ Duce Status conuocat, dum solus Directorii iura exerceat Dux Würtenbergicus. * In *Rhenano Superiori* Status simul conuocant Episcopus Wormatiensis atque Elector Palatinus ratione Simmern, licet Directorium, communicato tamen cum Simmerensi consilio, solus gerat Wormatiensis, prout Weinheimi a. 1690. inter vtrosque conuenit. ** Bello tricennali Palatini vices obiit Landgrauius Hasso-Darmstadtinus. In Circulo *Westphalico* vtrumque simul olim gerebant Episcopus Monasteriensis & Dux Iuliacensis. Dum autem controuersia esset de successione in huius terras, inter Brandenburgicos præsertim & Neoburgicos, tandem d. 14. Febr. 1665. transactione res fuit composita, vt vna cum Episcopo Monasteriensi Con-Directorium alternatim gerant Elector Brandenburgicus & Palatinus, primum semper suffragium atque locum occupante Monasteriensi. *** In *Saxonico Inferiori* vtrumque Officium simul gerunt Dux Magdeburgensis & Dux Bremensis † per alternationem, prout per Recessum Lüneburgensem VI. Nouembris 1652. conuenit, †† atque hæc alternatio nouiter ad triennium fuit redacta, condirigente semper Domo Brunsuico-Lüneburgica, in qua iura Senii obtinent.

* Recru-

* Recruduit de eodem controuersia a. 1704. Constantiensi Episcopo Condirectorium prætendente, ita vt scriptis inuicem agerent, Würtenbergico ab antiquo demonstrante, sibi soli semper fuisse Directorium. Tandem a. 1707. ita fuit compositum, vt obseruantia Circuli retineretur & penes Würtenbergicum maneret Directorium, ita tamen, vt communicato consilio ageret cum Episcopo Constantiensi. Vid. etiam GOCKELIVS *de Circulo Sueuiæ cap. VIII.* Nouiter Episcopus Constantiensis petiit, vt Legati ad Circuli Conuentus adventantes ipsi etiam legitimationes suas exhiberent, in quo tamen Dux Würtenbergensis contradixit.

** Prodiit de eo *Pfaltz-Simmerische kurtze doch gründliche Information 1668.* cui respondet Wormatiensis singulari scripto, sub titulo: *Wohlgegründete kurtze Wiederlegung der Pfaltz-Simmerischen Information*, quæ continetur DIARIO EVROPÆO *Contin. XVIII. Append. p. 137.* LONDORP. *Tom. IV. lib. III. c. CI. p. 691. Tom. IX. lib. X. c. XXIX. p. 295. Tom. X. lib. XI. c. CX. p. 174.* AHASV. FRITSCHIVS *Annot. ad Instr. Pacis Westphal. art. XVII. p. 591.*

*** Acta de eodem extant apud LONDORPIVM *Tomo IX. lib. X. c. CX.* & apud PFEFFINGERVM *Vitriario illustrato lib. II. Tit. VI. §. 11.*

† INSTRVM. PACIS *art. X. §. 4.*

†† LONDORP. *Tomo VI. lib. IV. c. CLXXXVIII. p. 681. Tom. IX. lib. X. c. XXVII. §. LX. p. 285.*

§. XIX.

Definiti fuerunt Directores, dicti & *Craysausschreibende Fürsten* non tam lege certa,* cum nulla illorum per Leges Maximiliani I. facta fuerit mentio.** Carolus V. vero cuiuslibet Circuli binis Superioribus per singulare Edictum de a. 1522. commisit, vt pacem publicam Noribergensem ab ipso constitutam in singulis Circulis publicarent.*** Hi igitur in variis Recessibus sub titulo *der Obersten ieden Crayses* **** atq; postea *der Craysausschreibenden Fürsten*, ***** Iura Directorii sensim sibi vindicarunt, & quidem in Circulis istis, in quibus Episcopi vna cum Principibus auctoritatem obtinent, ecclesiasticus

atque fecularis, ****** pro more in negotiis publicis tractandis locum inuenit: in Circulo Auftriaco vero, Burgundico & Saxonico Superiori, vbi Epifcopi fub clientela Ducum degunt, non nifi fecularium Directorum habita fuit ratio. In Rhenano inferiori hoc officium ob eximiam, qua pollet auctoritatem, folus obtinuit Elector Moguntinus. In Weftphalico Circulo Monafterienfis fupremum locum haut obtinet fed Paderbornenfis. Dum vero tempore Caroli V. atque a. 1522. vtrumque Epifcopatum teneret Ericus Brunfuicenfis, poft huius mortem Paderbornenfes Epifcopi Euangelicis partim fauerent, vt variæ exinde in hoc Epifcopatu exorirentur turbæ, Monafterienfis hæc iura fibi vindicaffe videtur, tanquam reliquis potentior. Vfu itaque hoc officium potius inualuit quam lege, ******* exinde etiam qui ratione Directorii in Circulo Franconico atque Sueuico exorti fuerunt fcrupuli, ex confuetudine potius funt decidendi, quam lege. Noua a. 1698. inualuit controuerfia in Circulo Rhenano Superiori, poftquam extincto cum Carolo a. 1685. linea Simmerenfi Proteftantium, Palatinatus ad lineam Neoburgenfem Catholicam fuiffet delatus, tunc enim Euangelici Status petierunt, quod, dum Status dicti Circuli mixtæ fint Religionis, ex vtraque effe debeant, qui Circulum conuocarent, ideoque hoc Officium Euangelico effe deferendum, maxime, quod anni decretorii tempore illud ab Euangelico fuiffet geftum †, & dum I. P. numerum Deputatorum ex vtriusque Religionis Proceribus adæquare iubeat, idem facile ad Circulorum Directores poffit adplicari. †† Immo, in Commiffionibus Imperii Religionis paritatem effe obferuandam. ††† Licet Palatinus Elector hucusque cum Wormatienfi Epifcopo in dicto Circulo adhuc concurrat. Nec minoris difficultatis effe videtur circa Directorem Circuli puræ Religionis, fi Religionem mutauerit.

* Ple-

* Plenius hoc persecutus fuit HENNINGES, auctor Meditationum ad Instrum. Pacis, Mantissa I. Specim. VIII.

** Putat quidem d. Auctor p. 1332. conuocationem Circulorum Maximiliani I. tempore factam fuisse ab Imp. vel Imperii Regimento, prouocans ad *Cammer-Gerichts-Ordnung zu Worms a. 1521. Tit. XXXI.* §. *X.* vbi decernitur: *So ist deswegen für gut angesehen, das unser Stadthalter und Regiment in solchen ersucht werde, und zu des Reichs Rath ermessen und gefallen, nach gestalt der Sachen, stehen soll, einen oder mehr Kreys, soviel die Nothdurfft erfordert, zu der Execution zu verordnen und zu gebrauchen.* Verum ibi nulla plane fit mentio Circuli conuocandi, sed executionis Circuli demandandae, quod hodie adhuc fit ab Imperii Tribunalibus.

*** Huic enim Paci Noribergensi in Corpore Recessuum *p. 191.* subiunctum videmus: *Hernach folget ein Brieff, wie allwegen zweyen Fürsten oder Obrigkeiten, eines ieglichen Krays, geschrieben wird, mit Zuschickung dieser Executions-Ordnung und Befelch, wie sie darauff, zwischen ihren des Krays Mitverwandten fürnehmen und handeln sollen.* In ipso mandato dicitur: *das ihr von Stund an, solch unser Ordnung und Mandat durch œffentliche Anschlagung, vvie sich sonst solches zu thun gebührt, allen anderen Stænden euers Gezircks verkündet.*

**** In R. I. Ratisbonae 1532. *cap. V.* §. *2.* *Es soll auch der Oberst eines ieden Creys,* alioque *1541.* §. *74.* Hi enim in R.I. Augustano 1530. §. 103. a Ducibus Circuli distinguuntur. *Deshalben sollen alsbald nach Endung dieses Reichs-Tags die Obern eines ieden Kreys, die andern Fürsten, Prælaten, Graffen und Stædt desselben Kreys zusammen erfordern, sich obgemeldtes Haupts vergleichen.*

***** R. I. Spirae 1542. §. *19.* R. I. Noribergae 1543. §. *17.* vocantur *die Fürsten, so bisher die Creis-Tæge ausgeschrieben haben.* R. I. Spirae 1544. §. *15.* R. I. Augustae 1548. §. *78.* R. I. Augustae 1551. §. *40.* *Vnd sollen derovvegen die zehen des Heil. Reichs-Creys-Fürsten, so das Ausschreiben der Creys-Rath im Brauch haben.* In R. I. Augustano 1555. §. *57.* occurrit *Craysausschreibender Fürst.*

****** De hoc late Auctor Meditationum *p. 1333.*

******* Adgnouit illud etiam IO. LIMNÆVS *Addit. Tom. I. lib. IX. c. I. n. 242.* ſcribens: *Credibile fit, poſt inſtitutionem Circulorum eumqui in quolibet eorum dirigendi, conuocandi denunciandiue poteſtatem præ cœteris eiusdem membris haberet, lege Imperii in ſpecie determinatum non fuiſſe. Inde factum, vt maior authoritate, dignitate, vel potentia hanc licentiam ſibi adſcripſerit, vel adſcribere attentauerit. Fortaſſis etiam ab Imperatore literis vni vel alteri, qui inter Circuli Status excellebat, quandoque mandatum, vt cæteros Collegas conuocaret, quod poſtea in ius conferri cœptum.*

† Extat hac de controuerſia in Meditationibus ad Inſtrum. Pacis Mantiſſa II. Specim. VIII. in qua pro Euangelicis deciditur.

†† *art. V. §. XVIII.*

††† *c. l. vbi extraordinariis Commiſſionibus negotia in Imperio expedienda occurrunt, ſi res inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur, vtriusque Religionis pari numero Commiſſarii denominentur & ordinentur.*

§. XX.

Secundo quilibet Circulus ſuum habet DVCEM, ſiue Præfectum militiæ Circularis, qui olim *Crays-Hauptmann*, nunc *Crays-Obriſter* * dicitur. Hi non ſtatim vna cum ipſis Circulis fuerunt enati, ** ſed per Receſſum demum Treuirenſem atque Colonienſem de a. 1512. horum electio fuit decreta *** per Declarationem Noribergenſem a. 1522. denuo confirmata **** Iſti perpetui non ſunt, ſed in conuentibus Circularibus eliguntur. Eligi in Ducem poteſt, vel ipſe Circuli Director, atque *ausſchreibender Fürſt*, ***** quod plerumque fit, vel Status ex iſto, vel alieno etiam Circulo, Comes, Baro, vel perſona alia idonea, ****** licet ſecularis potiſſimum requiratur. *******

* Ita vocantur *Inſt. Pacis art. XVI. §. 2.*

** Quare in R. I. Auguſtano de a. 1500. *Tit. XXXIX.* Executio contra Arnoldum a Roſenberg Mareſchallo de Pappenheim demandatur.

*** P. II. §. 16. *Vnd als hiebevor, in vnſer und des Reichs-Ordnung be-*

begriffen, Vnter Hauptleut in den Circkeln zu verordnen, haben sich die Stænde demselben nach bevvilliget, das sich ein ieglicher unterstehen soll und vvill, eines Hauptmanns in seinem Circkel, hiezvvischen und S. Martins-Tag schier kommend, zu vereinigen, und uns den zu verkündigen. Subiungitur, quod si Status Circuli circa hanc electionem conuenire haut possent, ipsum Cæsarem de eodem esse prospecturum.

**** In Declaratione Noribergensi in Corpore Recessuum *p. 191. und dievveil solche Ordnung und Mandat, neben andern vermag, das ein Hauptmann und vier Rath fienderlich durch ein ieden der zehen Craysen ervvehlt vverden sollen.*

***** Prout 5. Ianuarii 1713. in Circuli Franconici Ducem electus fuit ipse Serenissimus Marchio hodiernus, Georgius Guilielmus eidemque in sessione Circuli 13. Martii titulus *General Feld-Marschall* fuit attributus, ELECTA I. P. *T. V. p. 123. 333.*

****** *Erklærung des Landfriedens zu Nürnberg 1522. n. 3. R. I. Augustæ 1555. §. 56.*

******* Controuersia de eodem anno 1551. fuit in Circulo Franconico, Bambergensem, Ecclesiasticis eligentibus, ea vsi ratione, quod fieri possint Adiuncti, cur non etiam Duces, obtinuerunt tamen Seculares, prouocantes ad R. I. Noribergensem 1522. *art. III.* in quo: *und soll darauff ein ieder der ietztgemeldten Creys, insonderheit, alsbald einen Hauptmann, der ein Fürst, Freyherr, oder sonst in treffentlichen und vveltlichem Stand, auch zu solchem geschickt und fertig sey, ervvæhlen.* Vid. LIMNÆVS *Addit. Tom. I. lib. I. c. VII. p. 49.* PFEFFINGER *lib. II. Tit. VI §. XIV. N. c.*

§. XXI.

Sed de eo disceptatur, an alius quam Germanus in Circuli Ducem possit eligi. Oriebatur Quæstio tempore belli tricennalis, dum Status Circuli Saxoniæ Inferioris a. 1625. in Ducem sibi eligerent Christianum IV. Danorum Regem, contradicente Ferdinando II. Imperatore, eo quod Leges Imperii tales requirant, qui soli Imperio obnoxii. * Respondit tamen Christianus, prouocans ad exemplum Christiani III. aui sui,

ſui, qui an. 1566. nemine contradicente, in Ducem Circuli Saxoniæ Inferioris electus: Electoris Brandenburgici, qui olim Poloniæ æque obligatus, neque ſe exterum debere conſiderari, cum ipſe ſit tanquam Holſatiæ Dux, Status atque Vaſallus Imperii. **

* R. I. Auguſtæ de a. 1559. §. 59. *Zuvor und ehe ſie obgeſetzte Pflicht den Creyſen thun, aller ander Pflichten, Eyden, Verbündniſſen, Verſprechnüſſen, und Obligationen, vvie die genennt vverden, oder ſich erhalten mœchten, gegen vvem das vvære, kein andere vveder allein die Pflicht, damit ſie der Rœmiſchen Kayſerl. Maieſtat und H. Reich zugethan und vervvandt ſind, hierinn ausgenommen und vorbehalten.*

** LONDORP. *Tom. I. Act. Publ. lib. VIII. c. XII. XXXIII. LI. LII.* STRAVCH. *Diſſert. Exot. I. §. 5.* LIMNÆVS *Tom. I. Iur. Publ. lib. I. c. VII. §. XXXIV.*

§. XXII.

Officium Ducis Circuli in eo conſiſtit, vt curam gerat militiæ Circuli, prouideat, ne tumultus oriantur in Circulo, pacem publicam tueatur, * colligat a Statibus ſingulis debitum militem, ** atque de Adparatu Circulari ſit ſollicitus, prouideat etiam, ne in Circulo ſuo Delectus ab exteris inſtituantur, *** conuocet Circuli Status, vbi de Adparatu Circulari vel moderatione agendum. **** Potiſſimum vero, ſi quæ turbæ oriantur in Imperio, vna cum milite Circuli ad easdem componendas adlaboret, prout in Ordinatione Executionis præſcriptum eſt, ***** atque exequatur ſententiam banni, vel alias in iudiciis Imperii latas. Demandatur igitur ab Imp. talis Executio Circulo, ſub quo Status eſt ſitus, qui per Ducem ſuum eandem ſecundum Leges Imperii perficit. Iſta vero Ducum Circuli in tantum propria eſt, vt nec per Imp. nec per alium fieri poſſit. Et licet ab Imp. nonnunquam talis Executio fuerit tentata, Circuli Status tamen ſe

ſem-

ſemper oppoſuerunt. ***** Eandem Executionem vero promouere tenentur *die Crayſausſchreibende Fürſten*, † qui eandem etiam, vbi munus Ducis in Circulo vacet, perficiunt. †† Immo ſi ipſorum, vel Ducum Circuli cauſſa agatur, alterius quoque Circuli Ducibus demandari poterit Executio. ††† Decerni etiam poteſt Executio ab Imp. ſine Statuum conſenſu. Quod ſi tamen exinde motus præſumantur, res etiam ad Comitia poterit deferri, prout 17. Nou. 1717. in cauſſa Mecklenburgica fuit factum.

* R. I. Treuir. & Colon. a. 1512. §. 16. Landfriede zu Worms a. 1521. *Tit. IV. §. 4. alsdann ſoll der Hauptmann in dem Becirck da die Thæter, ihre Helffer und Anhænger wohnen oder ſind, mit ſamt ſeinen Zugeordneten zuſammen kommen rathſchlagen und fürnehmen, damit der Landfried gehandhabt, und die Beſchædiger geſtrafft werden.* Idem repetitur in Erklærung des Landfriedens zu Nürnberg de a. 1522. *Tit. III. & VIII.*

** R. I. Auguſtæ a. 1569. §. 28. R. I. Spiræ 1570. §. 22. R. I. Auguſtæ 1555. §. 60.

*** R. I. Ratisbonæ a. 1576. §. 37. 40. a. 1594. §. 36. R. I. Auguſtæ a. 1582. §. 40.

**** R. I. Auguſtæ a. 1530. §. 103. *Derſelbig Hauptmann des Kreys ſoll auch obangezeigter maſſen, die andern Fürſten, Prælaten, Grafſen und Stadt zu erfordern Macht haben.* Idem repetitur in R. I. Ratisbonæ a. 1532. *Tit. VI. §. 2.* a. 1541. §. 74.

***** R. I. Treuir. & Colon. 1512. §. 9. Erklærung des Land-Friedens zu Nürnberg a. 1522. *Tit. XIV. Alsdann ſollen abermahls, in allen ietzt-gemeldten Fællen, eines ieglichen Creys oder Circkels Hauptleut, oder die zugeordnete Rath, zu ſtattlicher Vollnziehung des alles auch unſers Regiments Cammer-Gerichts, oder unſern wo wir im Reich ſeynd, oder in unſerm Abweſen, auf unſers Verwalters im Reich, immaſſen, wie oben gemeldt, Befehl und Beſcheid, ſonderlich nach Vermüg unſerer und des Reichs-Cammer-Gerichts-Ordnung, ſolcher Execution halben, am iungſten auffgericht furnehmen, helffen und handeln, damit ſolch erkandte Acht, Vrtheil, Executorial, und andere*

dere rechtmaßige Mandat und Gebot, mit allen ihren Inhaltungen, wie sich gebuhrt, auch vollstreckt werden. Confirmatur hoc potissimum per R. I. Augustanum de a. 1555. §. *58. 59. 60. 70. 71.* Per Ordin. Cameralem Augustanam *p. III. Tit. XLVIII. p. 8.* executio demandatur *den Obersten des Creys nach ihren tragenden Aembtern.* Tit. XLIX. §. I. *Vnd nichts destoweniger dem Obersten und ihm zugeordneten des Kreys, unter welchem der Vngehorsam Churfurst, Furst oder Stand gesessen die Execution alsbald befehlen und gebieten.* Idem confirmatur per R. I. nouissimum §. *160. 178. 179.*

****** Agebatur hæc controuersia sub initium superioris seculi, dum Rudolphus II. Imp. banni executionem contra Donawerdam, Sueuiæ ciuitatem demandaret Duci Bauariæ. Prodibat de eodem *Relatio Donawerdensis*, cuius auctor creditur WILHELMVS IOCHERVS, qui probare contendit, liberum esse Imp. aut Circuli Duci executionem demandare, aut alium certum Ducem ad eandem ordinare. Contra quod publicabatur *Informatio Iuris & facti in causa Donawerdensi*, cuius auctor creditur SEBASTIANVS FABER. Instrumentum Pacis *art. XVI.* §. *2.* tunc demum alium admittit, si Directores aut præfecti in caussa propria minus idonei ad executionem esse censeantur. Executionis Iura æque Imp. tribuit AVGVSTVS HOFMANNVS *in supplem. Comm. Friderici Nitschii ad Capit. art. XLI. §. LXX. p. 671.* Occasione controuersiæ Güstrouiensis prodiit Anonymi (quem IACOBVM BERNHARDVM MVLTZIVM esse coniectantur) Schediasma *de Officio Directorum & Ducum Circularium in executione sententiarum, 1697.* qui eorundem iura deprimere atque demonstrare conatur, Executionem Circuli Ducibus non ita fuisse demandatam, vt Imp. huic se plane abdicauerit, idque ex R. I. Augustano a. 1555. §. *65.* confirmare nititur, vbi tamen non tam de ipsa Executione, quam de modo eandem perficiendi agitur, vbi Imp. omnino concurrere debet. Deinde putat, Executionem etiam per certos Commissarios fieri posse, prouocans ad R. I. nouissimum §. *160.* qui tamen potius eandem *denen Ausschreibenden Fürsten* demandat. Nec *Cammer-Gerichts-Ordnung zu Worms* Imp. quidpiam Iuris tribuit vbi §. *7. & 10.* dicitur, quod Executio impetrari debeat *von Stadthalter und Regiment,*

ment, exerceri tamen per Circulos, prout §. *10.* præscribitur. Alia argumenta ab eo desumpta quod Imp. Caput sit Imperii & Maiestatem habeant, nos non mouent, cum Imp. per Capitulationem ad Leges Imperii potissimum *art. II.* Capitulationis Leopoldinæ, Iosephinæ & Carolinæ ad Ordinem Executionis de a. 1555. sit adstrictus. Insertum illud scriptum est vernaculo sermone ANT. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. III. p. 81.* Sigillatim hanc Dissertationem examinauit CHRIST. THOMASIVS, cuius *Theses Iuris Publici opposita Dissertationi de Officio Directorum & Ducum Circularium* prodierunt *Halæ 1697. 4.* Aliud postea Scriptum prodiit *de Iure exequendi sententias Imperiales Directoribus Circulorum competente 1698. 4.* quod æque in vernaculum translatum fuit sermonem, in quo tamen iura Directorum atque Ducum Circuli circa executionem sæpius distinguuntur. Quid vero in caussa Megapolitana actum fuerit, qua ratione iura sua ratione executionis prosecuti fuerint Circuli Saxoniæ Inferioris Directores, demonstratum fuit in S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XCII.* & prolixius a Cl. PFEFFINGERO *in Vitriario illustrato lib. II. Tit. VI.* §. *XVI. n.* Idem etiam *p. 1108.* litteras Augustissimi Imperatoris exhibet ad Magnæ Britanniæ atque Borussiæ Reges directas, quibus ipsos hortatur, *vt Krafft ihres im Nieder-Sächsischen Creys obhabenden Directorial-Ampts* medelam adferant Russorum exactionibus in Circulo Saxoniæ Inferioris.

† I. P. art. XVI. §. II. vbi de executione restituendorum ex pace dicitur, additur: *iniungendo tam Directoribus Ausschreibenden Fürsten, quam Præfectis militiæ Circularis Creys-Obristen, vt ad requisitionem restituendorum, iuxta ordinem executionis, & hæc pacta, restitutionem cuiusque promoueant & perficiant.* Directoribus igitur conuenit promouere Executionem, Ducibus vero eandem perficere, ita etiam §. VI. dicti Articuli est explicandus. Idem repetitur in Ferdinandi III. Executions-Edict sub dato Wien 7. Nou. 1648. verbis *befœrdern und vollbringen.* Obiicitur equidem in Capitulatione Ferdinandi III. Art. XXIX. vltima vice mentionem fieri *der Crays-Obristen auch mit Durchzugen, Einquartierungen, ohne hœchste unumbgængliche Noth, und auch alsdann nicht als mit Vorbewust der Crais-Obristen, - - zu beschweren.* Quæ verba in subsequentibus Capitulatio-

lationibus, vtpote Ferdinandi IV. *art. XII.* Leopoldi *art. XV.* Iosephi *art. XIV.* Caroli VI. *art. XXI.* fuerunt omissa. Factum id ideo esse videtur, quod in R. I. Ratisbonensi a. 1641. §. 43. vbi de transitu militari agitur, decernatur, quod iste aliter non, nisi facta prius *den Craysausschreibenden Fürsten* significatione, fieri debeat. Prouocatur equidem ad *Friedens-Executions-Haupt-Recess zu Nürnberg* §. 3. & 6. ad *Craysausschreibende Fürsten oder Executoren.* In R. I. nouissimo §. 15. dicitur, *das die Craysausschreibende Fürsten die Execution vornehmen sollen.* Idem repetitur §. *86. 160. 162.* Verum factum id ideo, quod *die ausschreibenden Fürsten* nomine Circuli Executionem demandare soleant Ducibus Circuli, dum in singulis Capitulationibus, etiam Carolina *art. XII.* decretum, Imp. eo esse annisurum, vt in singulis secundum Executionis ordinem procedatur, in quo Ducibus Circuli illa demandatur.

†† Prout hactenus in Circulo Saxoniæ Superioris atque Inferioris fuit factum.

††† R. I. nouissimus §. 160. *oder wann dieselben bey der Sachen interessirt, auch sonst erhebliche Vrsachen vorhanden, nach Gutbefinden des Richters, den ausschreibenden Fürsten eines oder mehr benachbarter Creysen von vnserm Kayserl. Cammer-Gericht aufgetragen und anbefohlen werden.*

§. XXIII.

Si in Ducem electus fuerit talis, qui Principis dignitate præfulgeat, fidem promittit *bey Fürstlichen Würden und wahren Worten.** Si princeps non sit, præstat Circulo *einen leiblichen Eyd.*** Vterque tamen inter cætera promittit, *das er keinen Stand, weder Geistlichen noch Weltlichen, vor dem andern ansehen, sondern sich gegen alle gleichmæssig halten, auch des Craysses Hülff nicht in eigenen, sondern des Craysses und desselben Standen gemeinen Sachen, darzu sie von dem Crays bewilliget und erstattet, gebrauchen wolle.* Princeps etiam per Substitutum officium exercere potest, dum alius propriam industriam adhibere teneatur. *** Nullus tamen vltra annum potest obligari. ****

* In

* In sessione Circuli Franconici 21. Ianuarii 1713. decretum fuit: *weilen aber Creysüblich, das ein Creys-Obrister die vorgeschriebene Pflicht bey seinen Fürstlichen Ehren und Worten unterschreibet. Als hat man auch Convents vvegen vor nœthig befunden, in einem Wiederantvvort-Schreiben an Hochged. S. Hochfurstl. Durchl. solches decenter zu gesinnen.*

** R. I. Augustæ de a. 1555. §. 58.

*** Omnia hæc continentur in dicto §. 58.

**** §. 74. Hinc Christianus Brunsuicensis huic muneri ipse renuntiauit, prout Acta testantur apud LONDORPIUM *Tom. III. lib. VIII. c. LXXXIX.*

§. XXIV.

Habet Dux Circuli suos Adiunctos, *Zugeordnete*, inter quos præcipuus dicitur *der Nachgeordnete.** Horum officium potissimum in eo consistit, vt Ducem adminiculentur, & si Officium facere vel negligat, vel etiam impediatur, ipsi eius vices obeant.** Adiuncti autem esse possunt omnes Circuli Status, Ecclesiastici & seculares, immo etiam Ciuitates, ita tamen, vt Electores atque Duces sine salario hoc officium gerant, & fidem suam eadem ratione ac Duces *** promittant, reliqui de salario paciscantur. Numerus Adiunctorum determinatus non est, cum vel octo eligantur, vel numero etiam minori, pro cuiuslibet Circuli arbitrio.

* R. I. Augustæ de a. 1555. §. 56.

** R. I. Ratisbonæ de a. 1576. §. 47. 48. 120.

*** R. I. Augustæ de a. 1555. §. 57.

§. XXV.

Officiales Circulorum sunt *die Creys-Einnehmer*,* qui ærario Circulari *der Crays-Casse* præsunt; *Crays-Cassirer*, qui pecuniam ad Cameræ sustentationem a Statibus collectam recipiunt atque ad locum destinatum remittunt; *Crays-Secretarii,*

tarii, qui Directorium semper sequuntur; *Müntz-Guardeine*, qui monetas examinant & Ministri minores *die Auswærter*, exceptis iis, qui ad Statum militarem pertinent. **

* R. I. Spiræ de a. 1542. §. 88.

** LOCKELIVS *de Circulo Sueuiæ* §. V.

§. XXVI.

De CONVENTIBVS Circulorum, horumque DECRETIS & Legibus infra erit dicendum, vbi de Comitiis sermo erit, paucis itaque dicendum saltim de APPARATV Circulorum. Huc spectat *die Crays-Verfassung und Crays-Bereitschafft, wie ein ieder Crays sein Geschütz, Artillery, Munition, und was darzu gehœrig, in guter gewisser Bereitschafft halten soll* * Huc spectat *Ærarium Circulare*, quare in Legibus Imperii mentio fit *der Crays-Cassen, der Crays-Truhen* & similium. ** *Archiuum* Circuli suum semper sequitur Directorem.

* R. I. Spiræ 1570. §. 22. qualis adparatus in Circulo Westphalico a. 1715. factus, docent ELECTA I. P. *Tom. VIII. p. 156.*

** R. I. Spiræ 1542. §. 47. R. I. Ratisbonæ de a. 1576. §. 49.

XXVII.

Communis est traditio, quemlibet Imperii Circulum compositum esse ex quatuor Ordinibus, Ecclesiasticis videlicet & secularibus Principibus, Prælatis & Comitibus atque Ciuitatibus Imperialibus, quod de sex antiquioribus circulis omnino certum est, secus de quatuor istis, qui accesserunt. Circulus Austriacus quippe nullas habet Ciuitates Imperiales: Circulus Burgundicus nullos plane comprehendit Ordines, sed a solo Rege Hispaniæ præsentatur: in Circulo Saxonico nullæ reperiuntur vrbes Imperiales. *

* Vid. LIMNÆVS *addit. p. I. lib. I. c. VII. p. 42.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Diuersimode autem vires opesque Circulorum fuerunt debilitatæ, variæ controuersiæ inter ipsos Circulos de vno vel altero Statu fuerunt subortæ. * Directores atque Duces Circulorum sæpius se oneribus subducere fuerunt conati, Leges & Statuta in desuetudinem fere venerunt, desiit plane antiqua Circulorum correspondentia. Inde in conuentu Pacis Osnabrugensi de redintegrandis restaurandisque Circulis fuit actum, sed, cum negotium in iisdem perfici haut potuisset, ad proxima demum Comitia fuit reiectum. ** In iisdem deliberatum quidem fuit, qua ratione Ordinationes de a. 1555. & 1570. huc facientes, in vsum effectumque possint deduci, quidue in iis vel emendandum vel supplendum, sed cum nondum conuenire potuissent, Deputationi Imperii Ordinariæ hæc pertractanda fuerunt commissa. *** Vrserunt postea Status Imperii in monitis suis ad Capitulationem † *das der Kayser die Ergæntzung der Reichs-Crayse befödere*, idem etiam in Capitulatione Carolina †† promittitur. Desperata tamen emendatione, nouum consilium proponi cœpit *von einer neuen Crays-Verfassung.* †††

* LIMNÆVS *addit. pr. ad lib. I. c. VII. p. 42. ad lib. IX. c. I. p. 424.*

** Instrum. Pacis art. VIII. §. 3. verb *redintegrandis Circulis.* BVRGOLDENSIS *disc. ad Instrum. Pacis p. III. c. IV.*

*** HERDENS *Grundveste p. III. disc. VII.*

† *ad* art. IX. n. 3. & art. XI. *das der Kayser daran sey, das die Crayse, nach Inhalt der Reichs-Constitutionen in Verfassung gestellt, darwieder weder directe, weder indirecte gehandelt.*

†† *Art. XII.*

††† Vid. L. B. de LYNCKER *de Redintegratione Circulorum, Ienæ 1686. 4.*

§. XXIX.

Commune commentum est, Imperii Status diuisos olim in QVATERNIONES. Fuisse scilicet Quatuor Duces, Sueuiæ, Saxoniæ,

xoniæ, Bauariæ, Lotharingiæ. Quatuor Marchiones, Misniæ, Brandenburgicos, Morauiæ & Badenses. Quatuor Landgrauios, Thuringiæ, Hassiæ, Leuchtenburgicos, Alsatiæ. Quatuor Burggrauios, Magdeburgi, Noribergæ, Reineccios, Stromburgi. Quatuor Comites, Cliuiæ, Schwartzburgicos, Cillenses, Sabaudiæ. Quatuor Barones, Limburgenses, de Dous, Westerburgenses & Aldewaldenses. Quatuor Equites de Andlo, Strandeck, Meldingen, Frauenberg. Quatuor vrbes, Augustam, Aquisgranum, Metas, Lubecam. Quatuor pagos, Bambergam, Vlmam, Hagenouiam, Sletstadtum. Quatuor rusticos, Coloniam, Ratisbonam, Constantiam, Salisburgum. Hos Quaterniones originem suam debere dicunt Ottoni III.* Plurimum autem in eodem variant, alii etiam mirum quantum eosdem extendunt.** Ast, quis non videt, commentum hoc esse hominis otiosi, qui ex eo, quod viderit, quatuor Duces præcipuos memorari, idem de aliis posse prædicari periculum fecit. Nititur autem fide Chronici Coloniensis cuiusdam haut adeo antiqui,*** admodum suspecta, cum integra diuisio contra fidem sit antiquitatis, & temporibus Ottonis III. nec Thuringiæ, Hassiæ, Leuchtenburgi Landgrauii, nec Marchiones Badenses, nec Comites Sabaudiæ fuerint.**** Ahasuerus Fritschius † quidem, hanc posteriorem tabulam extensam pro commento habet hominis otiosi, priorem vero istam quam recensuimus, veritate omnino niti putat, idque partim ex titulo Principum Schwartzburgicorum, qui S. R. I. Quatuoruiri dicantur, probare contendit, partim, quod Stromburgensis Burggrauiatus, cuius titulum Episcopus Monasteriensis gerit, inter quatuor Burggrauiatus referatur, partim, quod Maximilianus I. Imp. in Comitiis Augustanis, postquam Militum de Meldingen, qui ex IV. Imperii Militibus fuerint, mascula stirps extincta fuisset, Wolfgangum

gangum de Wittelsbach in eius locum surrogauerit. Immo, Nobiles de Frauenberg Equitis Imperii titulo adhuc gaudere. Addimus, quod Minister Consulem Coloniensem in publico, habitu rustico, sequi & baculum ferre teneatur, hoc inde fieri dicitur, quod Colonienses inter Imperii rusticos locum habuerint. Verum, Schwartzburgici hoc titulo primum in subscriptione Recessus Erfurtensis a. 1567. fuerunt vsi. †† Reliqui tituli æque sunt recentiores: Colonienses hunc ritum a Romanorum temporibus seruant. ††† Mihi potius sic videtur, exemplo quatuor Germaniæ Ducum, ex communi præiudicio ortam fuisse hanc de Quatuoruiratu sententiam, ita, vt Comites quidam & Nobiles sibi honori duxerint, in hunc numerum recipi. ††††

* GOLDASTVS *Reichs-Handlungen p. 17. sqq.* LIMNÆVS *lib. I. c. VII.*

** Paulo aliter collocat PETRVS de ANDLO *de Rom. Imp. lib. I. c. XVI.* ONVPHRIVS PANVINIVS *de Comitiis Imperii c. XIII.* GOLDASTVS *Constit. Tom. I. p. 34. 35. 36.* LIMNÆVS *lib. I. c. VII. n. 48.* Scilicet, Quatuor Electores Ecclesiastici, Totidem Laici Reges, *die vier hohen Kœnigreiche*, Patriarchæ, Primates, Cancellarii, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, *die vier hohen Hertzogthumb*, Archipalatini, Vicarii, Landgrauii, Marchiones, Burggrauii, Heergrauii, Comites, Panerherri, Pfaltzgrauii, Liberi Domini, Strenui Comites, *die vier Ritterliche Graffen*, Domini Prouinciales, *die vier Landherren*, Abbates, Domus, Equites, Marescalci, Ambacti, Aduocati, Venatores, *die vier Oberiæger*, Venatores inferiores, Officiales hæreditarii, Serui vel Ministeriales, Dapiferi hæreditarii, Coquinarii, *vier Erb-Küchenmeister*, Ciuitates inaugurales, *vier Cron-Stædte*, Ciuitates Imperiales, Ciuitates Regales, Ciuitates Electorales, Emporia, Burgi, Pagi, Vici, Villæ, Montes, Rustici.

*** Quod typis excudit Io. KOELHOF 1499. *f. 135. seqq.*

**** Plures næuos monstrarunt CONRINGIVS *de Ciu. Imp. §. 40. 41.* EYBEN *de Stylo Curiæ*, BENIAMIN LEVBER *im Magdeburgischen Stapel Vnfug §. 817.* PFEFFINGER *Vitriario illustrato lib. II. Tit. VI. §. 30.*

† *Supplem. Speidelio-Besoldianis tit. Quatuoruiratus Imperii.*

†† Prout ipse non diffitetur Fritschius. Licet iam antea Maximilianus I. Imp. per Diploma de a. 1518. concesserit, *das gedachte Grafen zu Schwartzburg, ihre Erben und Nachkommen, zu ewigen Zeiten auf allen Reichs-Tagen und Versammlungen des Heil. Reichs, Ihren Stand der vier Graven haben, und dafür gehalten, und Ihnen daran kein Eintrag, Irrung noch Verhinderung gethan werden.*

††† KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imper. lib. III. c. X. n. 17. 18.*

†††† Adducit LAVRENTIVS PECKENSTEIN *Theatro Saxonico p. 266.* Diploma Sigismundi Imp. de a. 1426. Henrico Rutheno concessum, in quo: *als haben wir ihn und seine leibliche Erben, dann auch seines Geblüts verwandte Agnaten, mit Consens und Vollwort dero bey uns versamleten Reichs-Fürsten, zum Glied und Fürsten, auch Gevierden Burggraffen des Heil. Rœmis. Reichs auff und angenommen.* Licet Diploma Sigismundi, quod integrum exhibet PETRVS BECKLER Stemmate Ruthenico *p. 62.* nihil dicat *vom Gevierdten*, sed *von Gefürsten Burggrafen.* Idem PECKENSTEINIVS tamen p. 267. ita loquitur: *Diese Wort auch in Marggraffen Alberti zu Brandenburg, als damals Keyserlichen Stadthalters und Locumtenentis, sub interregno an. 1480. mit mehrer Ausführunge und diesen Documentis wiederholet. Weil vor etlichen viel hundert Jahren das Heil. Rœmische Reich ursprünglichen gesetzt ist, unter andern auf zehen* (leg. Sechzehen) *Fürstenthumb, als vier Hertzogen, vier Marggraffen, vier Landgraffen, und vier Burggraffen, da das Burggraffthum zu Meissen eines ist, und nu der von Plauen zu solcher Wirdigkeit kommet.* Vid. etiam TENZEL *Supplem. Hist. Goth. secundo §. CCVIII. p. 449.* Eadem ratione PIGHIVS *in Hercule Prodicio p. 6.* dicit: *In simili quatuoruiratu Comitum Imperii, Conradum Comitem Cliuiæ, in noua Germanici Imperii, constitutione, modo autoritate Gregorii V. Pontificis summi, apud Vangiones, conuentu totius Christiani Orbis Principum habito, inter quatuor Imperii Comites hereditarios, secundum omnium ordinum calculos fuisse electum, ob operam Italico bello bene nauatam contra Ecclesiæ Rom. & Imperii rebelles.*

§. XXX.

§. XXX.

Tandem etiam Imperium Corpori comparatur atque dicitur *ein Christliches Corpus.* * Diuiditur itaque in Caput & Membra. Illud constituit Imperator, qui ideo dicitur S. Romani Imperii Summum Caput, *das Oberhaupt.* ** Membra sunt Status, *** licet in speciali significatu membra adhuc a Statibus distinguantur. **** Plures quidem supersunt diuisiones, quæ tamen Status saltim tangunt, non vniuersum Imperium, vt ideo de iisdem infra sub Statibus dicendum.

* R. I. de a. 1512. *proœm.* LIMNÆVS *lib. I. Tit. VII. n. 50.*

** Ita vocatur A. B. c. II. §. 4. *temporale caput populi Christiani,* R. I. Augustæ de a. 1530. §. *68.* R. I. Wormatiæ de a. 1545. §. *8.* R. I. Augustæ de a. 1566. §. *8.* L. B. de LYNCKER *de Capitulatione Cæsar.* §. *VI.*

*** R. I. Augustæ de a. 1541. *proœm.* R. I. Spiræ de a. 1541. §. *16.*

**** De quibus in Capite vltimo, quales sunt Nobiles Immediati.

CAPVT SEXTVM
DE
LEGIBVS, CONSVETVDINIBVS ET FORMA IMPERII.

§. I.

POst Territorium atque diuisionem Imperii, dicendum nunc de fundamentis, quibus vniuersum innititur Ius Publicum, ex quorum tenore demum de Forma Imperii erit iudicandum. Hæc autem Iuris Publici fundamenta vel in *Obseruantia* consistunt, vel *Legibus Imperii*.

§. II.

Antiquior quidem est *Imperii Obseruantia*, cum Legibus fundamentalibus olim fere destituta Germania. Et licet non defuerint Leges Impp. Palatinæ * & placita Comitiorum, ** ista tamen vel temporaria erant, & cum Impp. mutabantur, vel plane venerunt in desuetudinem, dum ipsa forma atque Status Politicus diuersimode mutaretur. Legum tamen fundamentalium prioribus temporibus vim obtinuerunt pacta cum exteris conclusa, ni aliter quid statutum. Est autem OBSERVANTIA IMPERII *regula, per traditionem inducta, quam in rebus, iure scripto non determinatis, decidendis expediendisque vel in modo expeditionis, in Imperio Germanico sequimur.* *** Germ. dicitur *des Reichs-Herkommen.* ****

* Ita vocantur apud LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM *p. 217. 240.*

** Eiusmodi Leges secundum Imp. successionem ad longum recenset PFEFFINGERVS *lib. I. Tit. II. p. 50. sqq.*

*** Ita definit KVLPIS *de Obseruantia Imperii* §. *X.*

**** Capit. Leopoldi *art. XXVII.* Rec. Imp. de a. 1542. §. 127. de a. 1654. §. 137.

§. III.

Originem hæc Imperii Obseruantia habet ex diuersis actibus iteratis, tacito consensu Imp. atque Statuum introductis & longissimi temporis cursu confirmatis. * Hac ratione multa Iuris Publici capita vsu, consuetudine atque obseruantia fuisse constituta, patet. Inter obseruantiæ exempla referendum, quod non nisi Germanus & illustris quidem persona in Imp. possit eligi. Ius Primariarum precum Imp. antiquo iure exercet. Tales sunt Electorum prærogatiuæ, pleraque Statuum iura, Idioma Imperii, Cæremoniæ Comitiales, Ius Territorii, Postarum, recipiendi Iudæos & quæ sunt reliqua. Licet negandum non sit, multa ex iis, quæ recenset Kulpisius, quæ olim sola constabant consuetudine, per Auream Bullam, aliasque Imperii Leges fuisse post modum confirmata. **

* Ita describitur A. B. Tit. IX. fin. *quodque progenitores nostri Reges Bohemiæ felicis memoriæ, ipsique Principes Electores, ac progenitores & prædecessores eorum legitime potuerint vsque in præsens, sicut hac, antiqua, laudabili & approbata consuetudine, diuturnique ac longissimi temporis præscripta noscitur obseruatum.*

** Vid. etiam GEORGIVS HENRICVS BRÜCKNERVS *Curiosis I. P.* §. *VIII.*

§. IV.

Probanda autem hæc Imperii Obseruantia potissimum ex Historiis atque Actis Publicis. Neque enim hic sufficit FRIDERICI LINDENBROGII *Codex Legum Antiquarum*, cum istæ Leges plerumque saltim agant de statu priuatorum, nec vniuersam Germaniam, sed particulares saltim concernant nationes, immo per vsum contrarium plerumque fuerint abroga-

tæ. Nec ſufficiens erit SPECVLVM SAXONICVM atque SVEVICVM, cum iisdem multa adducantur, quæ admodum ſuſpecta, dum ab eiusmodi hominibus collecta, qui iuris publici potiſſimum fuerunt ignari. Proficuæ tamen erunt *Conſtitutiones Imperiales* a MELCHIORE GOLDASTO collectæ. His enim plures continentur Conſtitutiones temporariæ, quibus iura non ſolum, ſed etiam conſuetudines variæ poterunt confirmari, licet inter easdem æque reperiantur, quæ fidei admodum ſunt ſuſpectæ. *Acta* vero *Publica*, qualia a LONDORPIO olim collecta, atque hodie quotidie eduntur, ad demonſtrandam Imperii Obſeruantiam plurimum conducunt. Haud tamen diffitemur, quidquid adhuc eſt Obſeruantiæ Imperii, a Maximiliani I. temporibus potiſſimum oriri, cum reliqua plerumque Legibus confirmata deſinant eſſe Obſeruantiæ. *

* Vid. WERLHOF *Notitia Imperii, tit. I. cap. I. §. XXXIII. p. 10.*

§. V.

Legum Imperii binæ ſunt ſpecies. Aliæ concernunt Iura ſaltim Imperii Romani, aliæ vniuerſum Imperium. Inter illas referenda eſt *Sanctio* iſta *Pragmatica, inter Ottonem M. atque Romanos, interprete Leone VIII. inita,** qua iura Imperii Romani Ottoni, eiusdemque ſucceſſoribus confirmantur, vt Reges ſint atque Patricii Romanorum. Altera, quæ huc facit, *Lex* eſt, quæ *in Comitiis Renſenſibus a. 1338.* fuit lata. Dum enim Ioannes XXII. eiusdemque ſucceſſor Benedictus XII. Ludouicum Bauarum Imp. haut adprobarent, hic Renſæ Comitia menſe Iulii 1338. inſtituit, ad quæ præter Electores multi comparuerunt Principes, in iisdemque ſacta inuicem de vindicandis Imperii Iuribus ** confœderatione, acta Iohannis XXII. annullantur. Decretum etiam fuit de Imperatoris Maieſtate, & quod ſit Imperator, qui ab Electoribus electus, etiamſi a Papa non fuerit coronatus. *** Idem

poſtea

postea mense Augusto 1338. in Comitiis Francofurtensibus, communi consensu fuit adprobatum, & per Electorum litteras Papæ significatum. ****

* Dictum de eadem *Cap. I. §. 3.*

** ALBERTVS ARGENTORATENSIS p. 129. *interim conuenientes in villa Rens super Rhenum Imperator & Principes electores, confectis desuper literis & iuramentis præstitis, quo imperium & eius iura contra omnes, nullo excepto, manu tenerent, & ad ipsum omnes quos possent, arctarent, nulla absolutione vel quauis occasione obstante, firmarunt.* NIC. BVRGVNDVS *Hist. Ludouici Bauari p. 155. 156.* AVENTINVS *lib. VII. c. XVIII.*

*** Reperitur Decretum apud GOLDASTVM *Constit. Imper. Tom. III. p. 409.* & SCHILTERVM *Inst. I. P. Tom. II. p. 122.* in quo n. 2. hæc verba: *a curiatis igitur Heptarchis rebus impositus, continuo more maiorum, atque iure Gentium, Rex est & vocatur. Ipsum contra Maiestatem Reip. decus Imperii, Legatos ad Sacerdotem Roman. vt author fiat, copiam administrandi concedat, mittere, eidem iureiurando fidem adstringere, atque petere ab eo vsum Regii diadematis religio est:* (nefas est) *nullum harum rerum ius omnino est Pastori, qui seruus ouium est, & in consecrando Domino gregi seruit. Quippe iure suffragiorum, beneficio Electorum, atque populi, quisque imperat.* Tandem hoc decretum his verbis concluditur: *perpetuo sancimus edicto, nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potestatem Imperiumque proficisci, nec vllo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, authoritate, consensu opus esse. Quicunque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ Maiestatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus esto, capite pœnas soluito, bona eius publica sunto, prædia infiscentur.* Idem fere repetitur insecuto Ludouici Bauari edicto, quo se *diuino duntaxat munere Cæsarem Augustum* vocat.

**** De singulis plenius MVLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friderichen p. I. c. XXIII. p. 285.* S. H. G. *diss. XXVI. §. XXIV.*

§. VI.

Inter Leges autem Fundamentales hodiernas Imperium

potis-

potiſſimum Germanicum regnum concernentes, prima lata eſt eademque in perpetuum valitura * AVREA BVLLA. Hæc autem Sanctio Pragmatica eſt a Carolo IV. in Comitiis vniuerſalibus Noribergenſibus, atque Metenſibus a. 1356. Statuum vniuerſorum conſenſu ** publicata, qua Electio & Coronatio Imp. definitur, iura eiusdem atque Imperii adhuc reliqua declarantur, Electorum iura ſenſim introducta ſtabiliuntur.

* A. B. Tit. I. pr. *decernimus, & præſenti Edicto Imperiali perpetuo valituro ſancimus*, & Tit. VIII. §. 2. Tit. IX. pr. & Tit. VII. fin. *volumus, immo ipſa decernimus, nunc & perpetuis futuris temporibus in omni ſuo tenore, & forma indubiam tenere roboris firmitatem.*

** Patet hoc ex cap. XII. §. 2. *habita cum eisdem Principibus Electoribus deliberatione de ipſorum conſilio.* Cap. XVI. §. 1. *Omnium Principum Electorum, Eccleſiaſticorum & Secularium ſano accedente conſilio.*

§. VII.

Plura ſunt, quæ Carolo IV. anſam dediſſe videntur. Partim enim decreto Renſenſi atque Francofurtenſi proluſiſſe videtur Ludouicus Bauarus, cum iisdem aliqua ſtatuta, quæ per A. B. plenius definiuntur, partim vero controuerſiæ Electorum de præcedentia, partim etiam Ludouici Bauari, & quam ipſe experiebatur, diſſidioſa electio, vt eidem modum præſcriberet, eandemque redderet certiorem, * publicandæ A. B. dederunt occaſionem, partim etiam, vt iura Imp. adhuc reliqua conſeruaret. Accedunt diffidationes, quas per eandem abolere voluit Carolus IV.

* Patet hoc ex procemio A. B. in quo: *infra ſcriptas Leges, ad vnitatem inter Electores fouendam, electionem vnanimem inducendam, ac deteſtandæ diuiſioni prædictæ, variisque periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum in ſolenni Curia Nurenbergenſi ſtatuimus.*

§. VIII.

Dicitur hæc Aurea Bulla a ſigillo aureo adpenſo, cum mo-

moris & olim fuerit & etiam nunc sit, diplomata maioris momenti tali sigillo aureo corroborare.* Sigillum hoc ex solido auro est, crassitie duplicem Ioachimicum thalerum adæquans. Vno latere refert Caroli IV. effigiem, Imperatorio ornatu conspicui, coronam Imperialem gestantis, dextra sceptrum, sinistra pomum cum infixa cruce tenentis, cui ex latere dextro figura aquilæ vnicipitis, ex altero leonis cum cauda bifurca est adposita. Circumscriptum caracteribus istius æui maiusculis KAROLVS QVARTVS DIVINA FAVENTE CLEMENCIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS ET BOEMIE REX. Altero sigilli latere exhibetur castrum magnum, quo alii Capitolium, alii Romam designari putant, cum tribus turribus, quæ habent in medio portam apertam, cui inscriptum AVREA ROMA. In margine legitur ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI.**

* Varia olim in Bullis metalla. Prouocat enim LEO OSTIENSIS *lib. IV. c. CIX. ad præcepta Imperatorum cera, plumbo, aureisque sigillis signata, quæ Casinensi Monasterio fecerant.* Aurea Bulla iam Byzantinis Impp. in vsu erat, qui eadem in negotiis maioris momenti vtebantur, quod Græcis vocatur χρυσόβολον s. χρυσοβοῦλιον, prout du FRESNE voce Βοῦλλα vberius adnotauit. A Byzantinis hic mos traductus est ad Francos, ab his ad Germanos. Licet enim FRANC. de ROSIERES *Stemmat. Lotharing.* plura adducat Diplomata Dagobertina aureo sigillo munita, dubiæ tamen ista omnia sunt fidei. Carolum M. iam bulla aurea fuisse vsum, testatur MABILLONIVS *lib. II. c. XVI. de Re Diplomatica.* Testatur de eo etiam Chron. Farfense apud du CHESNE Tom. III. p. 670. *sigilla duo de auro, quæ miserunt Carolus & Pipinus filius eius in vno Præcepto. Alia sigilla duo de auro, quæ Guido & Lambertus miserunt, in alio Præcepto fecerunt.* IO. RHODE Excerpta ex Chron. Brem. apud LEIBNITIVM Tomo II. p. 262. Anno Domini DCCLXXVIII. *piissimus Karolus Imperator & Francorum Rex Insignem Ecclesiam Bremensem fundauit & eandem large & pie dotauit, vt patet in literis & priuilegiis sigillis aureis sigillatis, in armario & thesaurario ecclesiæ præfatæ repositis & recon-*

ditis. Carolum Caluum Imp. Monasterio Sandionysiano chartas auro bullatas concessisse, docet SVGERIVS Abbas apud DOVBLETVM *p. 173.* De Henrico III. Capuæ commorante ait LEO OSTIENSIS lib. II. c. LXXX. *ibi etiam præceptum aurea bulla signatum Abbati Richerio, iuxta Imperialem consuetudinem fecit.* In donatione Henrici III. Ecclesiæ Traiectensi concessa, apud HEDAM *Chron. Vltraiect.* p. 122: *aurea nostræ imaginis bulla iussimus insigniri.* Apud MATTHÆVM PARISIENSEM *p. 354* exhibetur diploma Friderici II. Imp. cum tali subscriptione: *præsens scriptum aurea bulla topazio nostræ Maiestatis impressa iussimus communire*, vbi sine dubio legendum prout in aliis, *typario.* Idem ad a. 1237. *Hostium suorum triumphator Imperator Romanorum Fridericus auro sigillatas vt moris habet, Richardo Comiti Cornubiæ, direxit.* Talis est Aurea Bulla Friderici II Romanis data apud GOLDASTVM Constit. Imp. *Tom. I. f. 73:* Aliud diploma Ecclesiæ Traiectensi a. 1220. concessum cum adnexa A. B. extat apud HEDAM *p. 202.* Idem Fridericus II. cum legatos mitteret ad Concilium Lugdunense 1245. dedit illis litteras per A. B. consignatas MVTIVS *Chron. Germ. lib. XX. p. 188.* Aliud eiusdem Imp. diploma extat apud FVGGERVM *Spiegel der Ehren lib. II. c. III. p. 181.* in cuius fine *bulla aurea typario nostræ Maiestatis impressa iussimus communiri.* Huc facit Sigismundi Imp *güldene Bull zu Nürnberg de a. 1431.* apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 166* Maximiliani I. Imp. Bulla Aurea Basilio Iwanowitz a. 1514. concessa exhibetur in ELECTIS I. P. *Tomo XII. p. 911.* Neque hodie Eiusdem vsus desiit, dum Fridbergensium priuilegium A. B. fuerit communitum a Ferdinando III. Leopoldus Albertum Ernestum, Comitem Oettingensem per diploma A.B. ornatum d. 14. Oct. 1674. in principale fastigium euexit. IMHOF *Not. Proc. lib. V. c. XI. §. 9.* Idem Leopoldus a. 1677. Principi Seniori domus Anhaltinæ Titulum Serenissimi concessit, vbi in fine hæc verba habentur: *mit Vrkund dieses Briefs, besiegelt mit unser Kayserl. auch abhangenden güldenen Bull*, BECMANN *Anhalt. Historie p. IV. c. II. §. X.* & exhibetur *p. IV. c. III. §. X.* Diploma etiam Iosephi Marlborugio super principali dignitate concessum. A. B. est corroboratum. Plenius de his, atque Bullis argenteis, plumbeis, cereis egit du FRESNE *Glossario Græcitatis & Latinitatis.* THVLEMARIVS *de Bulla aurea, argentea, plumbea & cerea.* IO. MICH. HEINECCIVS

de

de Sigillis p. I. cap. IV. PFEFFINGER ad Vitriarium *lib. I. Tit. II. §. XIII.*

** Fridericus II. Imp. iamdum eiusmodi Inscriptione fuit vsus. Talem eiusdem Bullam describit MABILLONIVS *lib. II. c. XVI p. 141. Sed longe amplior est bulla aurea Friderici secundi pro cœnobio sancti Apri Tullensi; quæ bulla appendet ex serico rubeo, præfertque in antica parte effigiem Imperatoris sedentis in throno, duobus liliis superne ornato, in dextra virgam cruce insignitam, in sinistra globum cum cruce gestantis, adiecta in orbem hac inscriptione; ✝ Fridericus Di grā Romanor' Rex & semp. Augustus & Rex Siciliæ. in postica, vrbs Roma exhibetur cum his verbis: Aurea Roma & in circulo ✝ Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.* Diuersimode autem vrbs Roma in Friderici II. Bullis occurrit, vel in circuitu vrbs posita cum muris & turribus, quale exhibet FVGGERVS *lib. II. c. III. p. 185.* Talis etiam fuisse videtur quam describit MATTHÆVS PARISIENSIS ad a. 1229. p. 301. *forma Bullæ Imperatoris aureæ erat talis: ex vna parte erat imago Regis & scriptum in circuitu. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Ex vna parte vero Regalis imaginis, scilicet super sinistrum humerum scriptum est: Rex Siciliæ. Ex alia autem parte, Bullæ inscribitur quædam ciuitas, scilicet Roma, & scribitur in circuitu: Roma caput mundi regit orbis frena rotundi. Erat autem Bulla aliquantulum maior Bulla Papali.* In eiusdem Imp. vero Sigillo apud HEDAM p. 202. reperitur vrbs cum tribus turribus. In Archiuo Plassenburgensi adseruatur Diploma Rudolphi Habsburgici super Comitia Burggrauiatus a. 1273. concessum, in quo Rudolphus in throno sedens cum globo in sinistra, sceptro in dextra & corona aperta. Altera Bullæ pars vrbem Romam cum tribus turribus & valuis apertis, cum eadem inscriptione repræsentat. In alio vero Ludouici Bauari a. 1328. sistitur Ludouicus throno insidens inter duos leones, cum corona clausa, sceptro & pomo. Altera pars vrbem repræsentat in circuitu, cum dicta inscriptione. Eiusdem tenoris est Bulla diplomati adnexa, per quod Ludouicus Bauarus a. 1328. Burggrauiis Curiensem vrbem concessit, alioque diplomati super Mineris eodem anno concesso. Caroli IV. vero Bulla super metallis a. 1355. concessa, huic nostræ conuenit. Talis etiam in Archiuo Vinariensi reperitur, Diplomati de successione

ne Saxonica adnexa. Singularis est A. B. Friderici III. Imp. Serenissimæ Domui Brandenburgicæ super Iuribus a. 1359. concessa, quæ eximiæ est magnitudinis, atque Imperatorem repræsentat cum corona Imperiali, sceptro & globo, a dextra capitis repositus est Leo Bohemicus a sinistra fascia Austriaca. In margine exteriori FRIDERICVS DEI GRA ROMANO. I. PAT. SEMP. AVGVSTVS. AVSTRIE. STIRIE. CARINTHIE ET A. E. I. O. V. in margine interiori: COMES TIROLIS CARNIOLE DVX. In altera parte est vrbs cum tribus turribus quibus inscriptum: A. E. I. O. V. & porta aperta cui inscriptum: AVREA ROMA. In margine exteriori ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. Ad imitationem etiam Impp. Romani sæpe in nummis suis hac inscriptione fuerunt vsi, quales exhibet Auctor scripti *Difesa seconda del Dominio Temporale p. 75. 78.*

§. IX.

Conscripta est autem lingua latina, partim, quod illa isto tempore adhuc Idioma Imperii, partim, quod ad notitiam Papæ etiam atque Italorum esset scripta, vt iura Imperii magis firmaret. Constat ista duabus Constitutionibus. Prima in solenni, eademque vniuersali curia Noribergensi a. 1356. fuit publicata, * vbi & domus *am Ponersberg zum güldenen Schild* ** & conclaue, in quo publicatio facta, adhuc monstratur. Altera vero pars a Titulo XXIV. ad finem vsque in solenni Curia Metensi. *** Vtræque communi Statuum consensu sunt ordinatæ publicatæque. **** Hinc etiam, dum Aurea Bulla plures contineret constitutiones, diuersa decreta, Liber adpellatur. *****

* Patet hoc ex procemio A. B. §. VII. *in solempni curia nostra Nurenbergensi, duximus sanciendas. Sub anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, indictione nona, quarto idus Ianuarii: regnorum nostrorum anno decimo, imperii vero primo.*

** HERMANNVS HERMES equidem in *Fasciculo I. P. c. I. n. 13.* putat in ædibus *zum güldenen Löwen* fuisse factam, sed refutat eum THV-

LEMA-

LEMARIVS c. VI. §. XI. Spectat hodie hæc domus ad Familiam, *der Grundherren de Wegerhaus*, Patriciorum Noribergensium.

*** Patet hoc ex procemio A. B. vbi dicitur: *in solempni curia nostra Nurenbergensi*, & sub initium Titulo XXIV. *infra scripte leges promulgate sunt in Curia Metensi per Dominum Karolum IV. Imperatorem Rom. & Boemie Regem Augustum. Anno Domini MCCCLVI. assistentibus sibi omnibus Sac. Rom. Imperii Electoribus, Principibus & presentibus Dominis, venerabili in Christo Patre, Domino Theodorico Episcopo Albanensi, Sancte Romane Ecclesie Cardinali, ac Carolo Regis Francie primogenito, Normandie Duce Illustri ac Delfino Viennensi, in die Natiuitatis Christi.* Scilicet Ianuario mense Comitia Noribergensia, Decembri Metensia habita, vti bene distinguit LEHMANNVS *lib. VII. c. XXXV.* Maiori tamen solennitate celebrata fuit hæc Metensis Curia, quare istius solummodo faciunt mentionem Scriptores, de quo ALBERTVS ARGENTORATENSIS ad a. 1356. *eodem anno venit Carolus Imperator ad ciuitatem Metensem in aduentu Domini, celebrans ibidem natalem Domini: fueruntque ibi Principes Electores, & Officiales seu Ministrales Imperii, quorum quilibet ministrabat Imperatori sedenti in mensa, in officio seu ministerio suo proprio. Quilibet autem veniebat super equo, vsque ad mensam. Descendente vero de equo coram mensa, histrionibus & mimis dabatur equus: & aliæ plures solennitates fiebant ibi, de quibus longum esset scribere. Erat enim solennior curia, quam de aliquo Imperatore scribitur temporibus retroactis multis.*

**** Sunt equidem, qui LAMBECIVM secuti *Comment. de Bibl. Cæsarea lib. II. c. VIII. p. 816.* tradunt, primam saltim partem Noribergensem solo Electorum consensu fuisse conscriptam, eo quod in A. B. cap. XII. §. 1. dicatur: *habita cum eisdem Principibus Electoribus deliberatione, & de ipsorum consilio,* & Cap. XVI. §. I. *omnium Principum Electorum Ecclesiasticorum & secularium sano accedente consilio.* Verum, sit ita, Imperatorem forsan de quibusdam capitibus cum solis Electoribus consultasse, cum id, quod Capite XII. statutum, solos concerneret Electores, vtrasque tamen & Noribergensem & Metensem constitutionem communi suffragio fuisse publicatam docet nos procemium §. VII. *assidentibus nobis omnibus principibus*

 pibus

pibus ecclesiasticis & secularibus ac aliorum principum, comitum, Baronum, procerum, nobilium, & ciuitatum multitudine numerosa in solio maiestatis Cæsareæ imperialibus infulis, insigniis & diademate ornati, matura deliberatione præuia, de imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus & duximus sanciendas. Quare etiam TRITHEMIVS Chron. Hirsaug. ad a. 1356. *Bullam, dictam Auream, quia sigillo sit aureo roborata, de Imperatorum Romanorum delegendo idem Carolus in dicta conuentione principum ad vtilitatem reip. de consensu omnium principum electorum & regni conscribi fecit & confirmauit.* Confirmatur hoc etiam litteris Deputatorum Argentoratensium ex dictis Comitiis Noribergensibus, scriptis apud WENCKERVM *in Apparatu Archiuorum p. 208.* in quibus, *were es, das er abegienge, das man einen Künig kiesende wurde, wen das mere Teil der Fürsten küse, das den die Herren und Stette vur einen Kunig hetten, durch das nit me Krieg umb das Rich wurde, als vor Ime gewesen ist, das wil er alles* ZV RATE WENDEN MIT FÜRSTEN, MIT HERREN, VND MIT STETTEN. In Titulo XXIV. autem & procemio Bullæ Metensis distinguitur inter *assistentes* atque *præsentes.* Isti erant Electores & Principes, hi vero Episcopus Albanensis & Delphinus. Sic in Decreto Rudolphi Habsburgici de a. 1275. apud GOLDASTVM Tomo vno p. 311. *coram nobis, cunctisque Principibus, Prælatis, Baronibus, Militibus, & vniuerso populo, qui eidem Curiæ adsidebant.* Sic etiam in caussis, solos Principes concernentibus, nulla Electorum fit mentio, prout apud GOLDASTVM videmus *Constit. Imper. Tomo vno p. 371.* Diploma Caroli IV. de a. 1363. super Burggrauiorum Noribergensium Principum iure, in quo: *Et ob hoc, animo deliberato Principum, Comitum, Baronum & Procerum sacri Imperii accedente consilio, de certa scientia & de Imperialis potestatis plenitudine sententiamus, declaramus & dicimus.* Vid. LVDEWIG *ad A. B. p. 39.* PFEFFINGER *p. 229.*

***** A. B. Tit. I. §. XX. *ad finem præsentis libri.* Vid. ibidem LVDEWIG. Tit. I. §. I. *vocatur præsens edictum imperiale, perpetuo valiturum.*

§. X.

Vnicum saltim eiusdem est Autographum præcipuum, idque

idque aureo ſigillo corroboratum, quod adſeruatur Francofurti ad Mœnum, loco electioni deſtinato, in Curia, dicto *dem Römer*. Litteris monachalibus eſt exaratum, & conſtat tribus & quadraginta foliis pergameni; quorum vltimum ſeu quadrageſimum tertium glutine compactum eſt inuolucro membranaceo ſatis groſſo & deformi. In Titulos hoc autographum diſtinctum non eſt, elenchum autem generalem capitum pagina ſecunda & tertia, rubricam ante quoduis caput exhibet,* Auctor quidem eſt Thulemarius,** in Archiuis Electorum, præcipue Moguntino, Treuirenſi, Colonienſi, Bohemico, Palatino æque reperiri exemplaria ſigillis aureis corroborata. Aſt, cum iſta numero titulorum, paginarum, ſcriptura, ſæpe etiam textu diſcrepent, illud ſaltim Francofurtenſe, pro vera eademque genuina norma habendum putarem. Egregium eiusdem Codicem, iuſſu Wenceslai conſcriptum adſerunt Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis. ***

* Ex autographo Francofurtenſi illud ita deſcribit THVLEMARIVS *cap. VIII.*

** *Cap. VII.* Aliud Exemplar A. B. corroboratum anno 1379. ſe vidiſſe memorat Pileus Cardinalis, Vrbani VI. Papæ in Germaniam legatus, vt teſtatur MARQVARDVS FREHERVS *ad Petrum de Andlo lib. II. c. V.* Minus itaque probanda eſt ſententia VITRIARII *lib. I. Tit. II. §. 13.* qui tria facit originalia, vnum Heidelbergæ, quod nunc Romæ ſit, alterum Moguntiæ, tertium Francofurti, licet hoc reliquis eſſe præferendum ipſe dicat.

*** De hoc LAMBECIVS Comment. de Bibl. Cæſ. lib. II. c. VIII. n. 138. p. 814. *Volumen membranaceum in folio regali, quo continetur Imp. Caroli Quarti Bulla Aurea, iuſſu filii eius Imp. Wenceslai eodem anno milleſimo quadringenteſimo, quo is ab Electoribus S. Rom. Imperii ignominioſe exauthoratus eſt ſcripta, & multis imaginibus inauratis elegantiſſime exornata. - - Titulus ipſius Aureæ Bullæ & Procemium metricum, quod editionibus impreſſis deeſt, habent ſe in præ- ſtantiſ-*

ſtantiſſimo illo Codice. - - Sequitur deinde Index Capitum primæ partis Aureæ Bullæ, quæ continet Conſtitutionem Imperialem ab Imp. Carolo IV. in Comitiis Noribergenſibus promulgatam A. 1356. Indictione nona, quarto Idus ſiue die decimo Ianuarii, Regnorum ipſius anno decimo, Imperii autem primo. - - - Finita hoc modo prima illa conſtitutione, ſequitur ſubſcriptio hæc cum nouo titulo. Explicit Aurea Bulla Imperialium Conſtitutionum. Incipit Tractatus Imperialium Legum &c. Hinc videlicet incipit Secunda Pars Aureæ Bullæ, quæ continet Conſtitutionem Imperialem ab Imp. Carolo IV. promulgatam in Comitiis Metenſibus. Subiungitur deinde hæc ſubſcriptio: EXPLICIT BVLLA AVREA CONSTITVTIONVM IMPERIALIVM ATQVE LEGVM SEV ILLARVM, QVÆ AD ELECTIONEM ROMANORVM PERTINENT IMPERATORIS SIVE REGIS, ORDINATIONVM DE MANDATO SERENISSIMI PRINCIPIS DOMINI DNI WENCESLAI ROMANORVM ET BOEMIÆ REGIS ANNO DOMINI MILLESIMO QVADRINGENTESIMO.

§. XI.

Translata quoque fuit hæc Aurea Bulla in Germanicum idioma, nulla tamen verſio adhuc publice recepta, vt latinus textus adhuc maneat authenticus.* Aſſeruatur quoque Francofurti, in eadem ciſta, qua latinus codex, Germanicum A. B. exemplar, cum inuolucro ex rubra membrana, literis monachalibus minoribus in quarto, triginta & quinque membranaceis inſcriptum foliis, ſed illud nullo ſigillo eſt roboratum, videtur autem hæc translatio ex Thulemarii coniectura, triginta vel quadraginta annos poſt latinam confecta. Aliæ translationes in publicum fuerunt emiſſæ, ſed diſcrepant plerumque a textu latino.**

* Non deſunt equidem, atque inter hos IO. SCHILTERVS *Inſt. I. P. Tom. II. p. 267.* qui verſionem Germanicam æque habeant pro authentica, verum, contra morem eſt antiquitatis latinum germanico iungere, cuius initium fecit Maximilianus I. Ordinatione ſua de Notariis. Deinde Litteræ intimationis atque aliæ in electione atque coronatione Imp. omnes olim lingua latina vſitatæ, quod

quod sane factum haut fuisset, si textus Germanicus æque authenticus. Tertio, solum latinum exemplar, quod Francofurti adseruatur A. B. est insignitum. Quarto, Wenceslaus nouam translationem fieri haut curasset, si Carolus V. talem iamdum euulgasset. Quinto, Germanicæ versiones cum textu latino authentico parum conueniunt vt ideo prioribus vix adsentiamur.

** Plenius de singulis versionibus egit THVLEMARIVS *cap. IX.* Inter has refert eam, quæ mandato Wenceslai fuerit facta, quam Lambecius in Bibliotheca Cæsarea adseruari dicat. Verum, nihil de versione Germanica, Wenceslai iussu facta, Lambecius, vt potius latinam illam Wenceslai iussu scriptam, cum Germanica versione confudisse Thulemarium crederem. Editio verò prima, quæ typis facta, non Latini sed Germanici fuit textus, vt Auctor est GOLDASTVS *in Rationali Tom. I. p. 96. Germanice*, inquit, *omnium primum excusa fuit, quam editionem repræsentauimus, Venetiis iussu atque mandato Friderici III. Imp. a Ioanne Ienson Gallico, an. 1476. Repetita Augustæ Vindelicorum ab Ioanne Bæmler eodem anno: & Spiræ cum priuilegio Caroli V. Imp. an. 1529.* De reliquis editionibus IO. SCHILTERVS *Inst. I. P. Tom. II. Tit. XIX. §. VI. p. 271.* L. B. de LYNCKER *ad A. B. §. V.*

§. XII.

Licet autem hæc A. B. legem constituat pragmaticam Imperii, perpetuo duraturam: * varie tamen pro temporis ratione fuit immutata, idque vel tacito vel expresso consensu Imp. & Statuum, dum non solum natura Legum fundamentalium admittat in commodum Reip. immutationem ab iis, qui legis ferendæ habent potestatem, ** sed etiam ipsa A. B. aliæque Imperii Leges illud omnino concedant. *** Tacito quidem consensu, locus Electionis atque Coronationis Imperatoriæ varie immutatur, Conductus Electorum & Iudicium Palatini in Imp. hodie cessat, de iure coronandi Imp. inter Moguntinum & Coloniensem Electores aliter fuit conuentum, pleraque vernaculo sermone nunc exprimuntur, cum latinum Idioma ante præscriptum, Electores Pro-

testantes Missæ non amplius intersunt, & quæ sunt alia minora. Expresso consensu A. B. fuit immutata per accessionem octaui & noni Electoratus. ****

* Cap. I. §. I. *decernimus & præsenti edicto imperiali, perpetuo valituro sancimus* c. III. §. II. *perpetuis in antea temporibus*, c. VII. fin. *perpetuis, & futuris temporibus in omni suo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem*, c. IX. pr. *perpetuo extendi volumus* c. XXI. fin. *perpetuo seruaturis.*

** Belle de eodem STRAVCHIVS differt. Exot. IV. §. 14. *Hæc sancita fuit vt lex æterna & perpetuo duratura esset: Quæ tamen immutabilitas & perpetuitas moraliter intelligenda est, rebus nempe eodem modo se habentibus. Hinc ob necessitatem salutis publicæ quin penitus abrogari queat, non est dubium. Deinde hæc perpetuitas obligationis intelligi debet de substantia actus, non vero de circumstantiis, quæ libere variari possunt consensu Ordinum pro statu Reip. præsenti.*

*** Dicitur iam in A. B. Tit. XII. §. 2. *hac nostra ordinatione ad nostrum & ipsorum duntaxat beneplacitum duratura.* Eadem ratione promittit Imperator in Capitulatione Iosephina art. II. *desgleichen sollen und wollen wir auch andere des Heil. Rœm. Reichs Ordnungen und Gesetze, so viel die in dem obgemeldten angenommenen Reichs-Abschied, im 1555ten Iahr zu Augspurg aufgerichtet, und mehrerwehnten Friedenschluß nicht zuwieder seynd, confirmiren, erneuren, und dieselbe mit Rath und Consens unser, und des Heil. Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und anderer Stænde, wie das des Reichs Gelegenheit zu iederzeit erfordern wird, besseren.* Quare Fridericus Guilielmus El. Brandenburgicus, Legatos suos ad Leopoldi Imp. Electionem tali modo instruit apud PVFENDORFIVM lib. VII. §. XXVI. *neque isthæc per angustias temporis, ab Aurea Bulla definiti, eludenda. Nam eam de eiusmodi casibus capiendam, vbi Status Germaniæ tam promtam electionem fert. Nec ita stricte Electores isti constitutioni alligatos, quo minus ob salutem Imperii circa quædam, summam rerum non spectantia communi consilio in diuersa abire queant. Ac incongruum esse, formulis, ac processui electionis ita presse inhæreri, neglecto primario negotio, quod in creatione iusti, idonei & vtilis Imperatoris vertitur.*

**** Vid.

**** Vid. pluribus LIMNÆVS *lib. I. c. XI. n. 101. sqq.* IAC. BRVNNEMANNI *dissert. de A. B. immutatione*, quem secutus est IMMANVEL WEBERVS, qui singulari dissertatione, Capita quædam Chrysobullæ, vel nunquam obseruata, vel immutata, proposuit *Giessæ 1717. 4.* Vid. etiam PFEFFINGERVS *p. 261.* BRÜCKNERVS *Curiosis Iuris Publici §. IX.*

§. XIII.

Vnicum hic ob materiæ adfinitatem monendum de BVLLA BRABANTINA. Hæc anno 1349. per Carolum IV. in fauorem Ioannis Brabantini, ob illius ac Progenitorum Eius erga Romanum Imperium bene merita ipsi, eiusdemque hæredibus fuit concessa, atque ab appenso aureo sigillo æque Aurea Bulla adpellata.* Tenor eiusdem ** erat, ne quis siue Clericus siue Laicus sit, in quibuscunque causis, ciuilibus vel Criminalibus, in subditos, Vasallos atque Ministros Ducis Brabantini aliquam iurisdictionem, vel iudiciariam potestatem, euocando, & proscribendo exercere præsumat, excepto casu denegatæ iustitiæ. Dein, ne quis vasallorum, subditorum, aut seruitorum Ducis, in terris Imperio subiectis, quascunque ob noxas & debita, corporis bonorumque arresto molestetur. Verum, de eadem multa ob diuersas, exinde existentes turbas & repressalia, suborta fuerunt grauamina, inde eiusdem abrogationem in Comitiis Ratisbonensibus anni 1641. potissimum efflagitabant Status, hoc etiam impetrarunt, vt a Rege Hispaniæ sublatio abusuum peteretur. *** Tandem vero per pacem Westphalicam † omnes abusus plane sublati fuerunt Bullæ Brabantinæ, quod insecutis Capitulationibus denuo fuit confirmatum, †† eademque eo declaratur, ne Brabantini ciues extra territorium euocentur, nec Processus ab Arresto incoetur.

* FRITSCHIVS *in Electis I. P. cap. XII.* PFEFFINGER *Vitriario illustrato lib. I. Tit. II. §. 13. not.* BVTKENS *Trophées de Brabant, dans les Preuves p. 185.*

 ** In-

** Integram habet LIMNÆVS *lib. V. c. II. n. 52.* & ex eodem THVLEMARIVS.

*** *R. I. Ratisbonæ de a. 1641. §. 94. 95.* LONDORP. *Tom. V. lib. I. c. CLXIX.* FRITSCHIVS *Elect. I. P. cap. XII.* S. H. G. *diss. XXXVI. §. XV.*

† *Art. IX.*

†† Capit. Ferdinandi IV. *art. VI.* Leopoldi *art. VIII.* Iosephi *art. VIII.*

§. XIV.

Post Auream Bullam considerandæ sunt CAPITVLATIONES, *Kayserliche Wahl-Capitulationen.* Est autem *Capitulatio, conuentio inter Imp. atque Electores, ante factam electionem in Collegio Electorali confecta, post eandem vero inita, qua se ad certas conditiones obligat Imperator, quas in regendo Imperio seruare, atque in rebus maioris momenti Electorum atque Statuum consensum requirere velit.* *

* Paullo aliter definit SAM. RACHELIVS *de Capitulatione Regni Germanici cap. I. §. XI.* quod sit *pactum designati Imperatoris, seu Regis Germanici, cum septem Electoribus nomine omnium Imperii. S. Regni Germanici, Statuum, de administratione eiusdem certis conditionibus initum, salutis communis gratia.*

§. XV.

Dicitur Capitulatio a certis capitulis, * in quæ diuisa, eadem ratione ac Capitularia Regum Francorum, & hodienum adhuc Capitulationes de prouinciis atque vrbibus dedendis ita adpellantur. Male dicitur Lex Regia Germanorum, comparatione facta cum Lege Regia ** Romanorum. Lege Curiata enim, quæ postea Regia dicta fuit, omne Imperium & quidem Monarchicum in Romanos Impp. olim fuit delatum, *** quod de Germanis dici non potest, vt ideo hoc non adeo videatur esse adæquatum. Lex autem fundamentalis æque dici potest Capitulatio, non respectu habito ad Imp. qui ad

ad eandem ex conuentionis iure adligatus, ſed reſpectu ſingulorum, qui Imperio ſubſunt, & Capitulationi tanquam ex lege ſubiiciuntur. **** Conſiliarii etiam aulici atque Adſeſſores Camerales ſecundum eandem decidere obligantur. ***** Rectius dicitur conuentio, id quod ex verbis procemialibus patet, & quidem cum Electoribus inita, qui nomine totius Imperii paciſcuntur. ******

* In H. Vlrichs Ausſchreiben dicuntur *die Capitel, ſo Kayſerl. Mai. in ihrer Weblung verwilliget*, apud HORTLEDERVM *de C. B. G. lib. III. cap. IX. n. 2. p. 864.* Pluribus de nomine Capitulationis egit LIMNÆVS in Prolegomenis ad Capitulationes. NITSCHIVS *ad Capit. Ioſephinam cap. I. §. I. ſqq.*

** SCHILTERVS *lib. I. Tit. XV.* ita adpellat, & CARPZOV de lege Regia Germanorum. STIRNIVS de Conſtit. Principum Tit. IV. L. B. de LYNCKER tamen *de Capitulatione* §. *II.* late hoc refutat.

*** De hac dictum fuit vberius in HISTORIA IVRIS *Capite Secundo §. I.*

**** Quare etiam Electores in Conuentu Ratisbonenſi a. 1623. in Actis *über die Pfaltziſche Exauctoration* apud LONDORPIVM *Tom. II. Lib. VI. Tr. XXIV. Solte damit mit Vorbewuſt der Churfürſten verfahren werden, nach Innhalt Königlicher Capitulation, welche pro Lege Fundamentali Imperii zu halten.* L. B. de LYNCKER *de Capit. Cæſarea p. 48.* PFEFFINGER *lib. I. Tit. VII. §. III. p. 863.* NITSCHIVS *cap. I. §. XXVIII.*

***** CAPIT. CAROL. *art. XXX.*

****** *Daß wir uns demnach aus freyem gnædigen Willen, mit denſelben Vnſern lieben Neſen, Brüdern, Oheimben und Churfürſten vor ſich, und ſæmbtliche Fürſten und Stænde des Heiligen Ræmiſchen Reichs, Geding und Pacts-weiſe, dieſer nachfolgenden Articuln, vereiniget, verglichen, angenommen und zugeſagt haben.* Contradicit equidem L. B. de LYNCKER *de Capitulatione* §. *III.* eo quod Imp. promittat *aus freyem gnædigen Willen.* Verum, hæc verba quamuis coactionem, non vero conuentionem excludunt.

§. XVI.

De prima Capitulatione multum adhuc controuertitur. Non desunt, qui primam Ludouico Pio praescriptam fuisse Capitulationem, * vel easdem Capitulationes cum nostra Republica exortas esse putant, quae incrementa vero, atque aliam faciem variis temporum interuallis acceperint. ** Ast, licet negandum non sit, iuramento obstrictos fuisse Impp. prioris aetatis, de colendo vero Deo, de ecclesia defendenda, de administranda iustitia, de seruandis iuribus regni & Imperii. *** Haec vero nulla pacta conuenta, cum in regnis patrimonialibus atque haereditariis idem obseruemus Iuramentum, **** nec etiam cum Capitulatione hodierni temporis vllo modo conueniunt. Idem iuramentum in electione sua praestitit Ferdinandus I. a. 1531. cum tamen post abdicationem Caroli V. demum Capitulationem cum Electoribus pactus.

* Vtuntur isti auctoritate THEGANI, qui cap. VI. sic loquitur: *Postquam diu orauerunt ipse* (Carolus M.) *& filius eius, locutus est ad filium suum coram omni multitudine pontificum & optimatum suorum, ammonens eum imprimis omnipotentem Deum diligere & timere, eius praecepta seruare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare & defendere a prauis hominibus: Sororibus suis & fratribus qui erant iuniores, & nepotibus & omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere praecepit, deinde sacerdotes honorare vt patres, populum diligere vt filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, coenobiorum consolator & pauperum esse. Fideles ministros & Deum timentes constitueret, qui munera iniusta odio haberent. Nullum ab honore suo sine causa discretionis eiiceret, semetipsum omni tempore coram Deo & omni populo irreprehensibilem demonstraret. Postquam haec verba & alia multa coram multitudine filio suo ostenderat, interrogauit si obediens voluisset esse praeceptis suis. At ille respondit: Libenter obedire, & cum Dei adiutorio omnia praecepta quae mandauerat ei pater, custodire. Tunc iussit*

sit eum pater vt propriis manibus coronam quæ erat super altare eleuaret, & capiti suo imponeret, vt recordationem omnium praeceptorum quæ mandauerat ei pater. At ille iussionem patris impleuit. Verum monita hæc erant paterna, nulla Capitulatio.

** Auctor est GOLDASTVS, qui in dedicatoria, præmissa Tomo tertio Constitutionum Imperialium adserit, Regum Germaniæ potestatem semper legibus fuisse adstrictam. Hunc sequitur LIMNÆVS *prolegom. ad Capit. sect. III. n. 15.* licet ipse non neget, olim iuramento totam rem fuisse peractam. Adsentitur SCHWEDERVS *p. gen. cap. II. §. 14.* Idem probare conatur SCHILTERVS *Instit. I. P. lib. I. Tit. II. §. 2. & lib. I. Tit. XV.* qui Capitulationis saltim extensionem sub Carolo V. factam fuisse putat. Eandem sententiam fouet CONRING. *not. ad Lampadium p. 267.* dum ait: *per igitur est vero simile, si non semper, saltim ordinarie, Reges in obseruantiam duntaxat aliquam communem legum & consuetudinum receptarum creatos esse*, quam sequitur RACHELIVS *de Capitulatione Regni German. cap. II. §. 5.* qui dicit, iuramentum pro Capitulatione fuisse.

*** SPEC. SAX. lib. III. art. LIV. *Als man den Kœnig wehlet, so soll er dem Reich Hulde thun, und schweren, das er die Wahrheit sagen woll, und das er alle Recht stærcken woll, und alles Vnrecht kræncken woll, und das er des Reichs Gerechtigkeit beschirmen wolle, als beste er kœnne und mœge.* SPEC. SVEV. *c. CXLVI.* Plura eiusmodi Iuramentorum exempla adducit PFEFFINGERVS *lib. I. Tit. VII. p. 835.* LEHMANN *lib. IV. c. X.* licet addat, ex hoc iuramento ortas postmodum fuisse Capitulationes.

**** Hoc ipse LIMNÆVS non diffitetur *proleg. sect. III. n. 19. & seqq.* vbi plura adlegat exempla. Plenius L. B. de LYNCKER *de Capitulatione §. V.*

§. XVII.

Arumæus * originem Capitulationis a Conrado I. ducit, eo quod primus iste, quem Germani ex sua gente elegerint. Ast, ne verbum quidem de Capitulatione Scriptores antiqui. Henricus II. postquam Imp. factus, Saxonibus promisit se Legem illorum esse adimpleturum. ** Alii cum Rudolpho

pho Sueuo contra Henricum IV. electo, nouam quandam & hactenus insolitam factam fuisse conuentionem dicunt, ex quo potissimum origo Capitulationis sit petenda. Verum, licet haud negemus, capitula quædam fuisse præscripta Rudolpho, hoc tamen inter turbas Germaniæ aliter fieri non potuit, dum Germaniæ Principes talem vellent Imperatorem, qui ipsis salua relinqueret iura, quæ petebant. *** Neque tamen hoc cum nostris Capitulationibus conuenit.

* *Vol. IV. disc. IV.*

** Sic enim DITMARVS *lib. V. p. 368.* de eo, quod Saxonibus promiserit: *Legem igitur vestram non in aliquo corrumpere, sed vita comite malo clementer in omnibus adimplere, & vestræ rationabili in quantum valeo vbique animum adhibere.*

*** Patet hoc ex BRVNONE *Hist. B. Saxonici apud* FREHERVM *Tomo I. p. 212.* dum ait: *At cum singuli deberent eum Regem laudare, quidam voluerunt aliquas conditiones interponere, vt hac lege eum super se leuarent Regem, quatenus sibi de suis iniuriis specialiter promitteret iustificationem. Otto namque Dux non prius volebat eum sibi Regem constituere, nisi promitteret honorem sibi iniuste ablatum restituere. Sic & alii multi suas singulares caussas interponunt, quas vt ille se correcturum promitteret, volunt. Quod intelligens Apostolici legatus fieri prohibuit, & ostendens eum non singulorum, sed vniuersorum fore Regem, vt vniuersis iustum se promitteret, satis esse perhibuit. Ait etiam, si eo modo, quo cœptum fuerat, promissionibus singillatim præmissis eligeretur, ipsa electio non sincera, sed hæresis simoniacæ veneno polluta videretur. Tamen quædam sint ibi causæ specialiter exceptæ, quas quod iniuste viguerant, deberet emendare, scilicet vt Episcopatus non pro pretio nec pro amicitia daret, sed vnicuique Ecclesiæ de suis electionem (sicut iubent canones) permitteret.* S. H. G. *Diss. XV. §. XXXII.*

§. XVIII.

Reliqui Imperatores non nisi generali quodam iuramento se obligarunt. Fridericus I. quidem prouocat ad leges sanctas Imperatorum * & vsus prædecessorum. Verum, nec ista erat

erat Capitulatio. De Ottone IV. dicitur in epiſtola ad Innocentium III. de ipſius electione ſcripta: ** *propria voluntate iuramento firmauit, in primis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, deinde omnia Eccleſiarum iura bona fide ſeruare & manu tenere, & ſubiectos Imperii, exhæredatos maxime & a ſuis poſſeſſionibus violenter eiectos in ſua iuſtitia pro poſſe iuuare & conſeruare. Prauam illam conſuetudinem inſuper, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebus mobilibus vel ſemouentibus, decedentium Epiſcoporum vel Abbatum Principum hucusque ſeruauerunt, penitus extirpans, nos Eccleſiaſticos Principes ex hac indebitæ vexatione, Regali beneuolentia liberos dimiſit, & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſeruanda liberaliter ſtatuit.* Idem continuatum poſtmodum fuit in Aurea Bulla, *** qua potiſſimum conſtituitur, quod nouus Imperator iura atque priuilegia Statuum teneatur confirmare. Ex quibus ſatis pateſcit, vsque ad iſta tempora non niſi generalem fuiſſe promiſſionem, ſacramento firmatam, nullam adhuc Capitulationem. Nec in ſententia exauctorationis Wenceslai Imp. eiusdem fit mentio, † quod ſine dubio factum fuiſſet, ſi ad eandem ſeſe obligaſſet. Poſt eundem, Rupertum quidem ad articulos aliquot obligarunt Electores, †† qui tamen in eo potiſſimum conſiſtunt, vt pleraque Wenceslai Acta reuocaret, ideo nec cum noſtri temporis Capitulatione, quæ communionem poteſtatis inter Imperatorem & Status comprehendit, atque Regiminis normam præſcribit, conuenit. Goldaſtus equidem Maximiliani I. adducit Capitulationem, quam tamen vel omnes tanquam ſpuriam merito reiiciunt. †††

* Verba ipſius in Reſcripto ad Epiſcopos Germaniæ apud GOLDASTVM Conſtit. Imp. Tom. I. p. 62. hæc ſunt: *duo ſunt, quibus noſtrum regi oportet Imperium, leges ſanctæ Imperatorum, & vſus bonus prædeceſſorum & patrum noſtrorum. Iſtos limites Eccleſiæ nec volumus præterire nec poſſumus, quidquid ab his diſcordat, non recipimus.* LEHMANN *lib. V. c. LVIII.*

** Extat hæc Epiſtola inter GOLDASTI Conſtitutiones Imperiales *Tomo I. p. 72.* & in MEIBOMII *apologia pro Ottone IV. p. 119.*

*** Cap. II. §. 3. *& quia de antiqua, approbata & laudabili conſuetudine in commune quod ſubſcribitur, hactenus extitit obſeruatum: ideoque & nos conſtituimus & de Imperialis decernimus plenitudine poteſtatis, quod is qui modo permiſſo in Regem fuerit Romanum electus, peracta ſtatim electione huiusmodi, priusquam in aliquibus cauſis aliis ſiue negotiis virtute ſacri Imperii adminiſtret vniuerſis & ſingulis Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & Secularibus, qui propinquiora ſacri Imperii membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipſi ab Imperio vsque in diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſederunt, absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per ſuas litteras & ſigilla.*

† Extat ſententia ex archiuo Argentoratenſi in OBRECHTI *apparatu Iuris Publici p. 55.* apud GOLDASTVM *Tomo I. Conſtit. Imper. p. 139.* in qua ſaltim dicitur, *daß er wieder die Würdigkeit ſeines Tituls gethan.*

†† Extant hæc capitula in dicto Apparatu *p. 71.* S. H. G. *diſſ. XXVIII. §. XIX.*

††† Adducit eam *Reichs-Satzungen Tom. I. p. 240.* eandemque *p. 315.* Maximiliano I. atque Carolo V. tribuit, quæ tamen non niſi Summaria ſunt Capitulationis Caroli V.

§. XIX.

Prima itaque Capitulatio tali modo quo nunc habetur, Carolo V. fuit præſcripta, idque ex conſilio Friderici, Saxoniæ Electoris, * vt nimia poteſtas Caroli reſtringeretur, idemque ad conſenſum Electorum atque Statuum obligaretur. A temporibus igitur Caroli V. ad noſtra vsque, Imp. nouiter electo hæc dignitas, non niſi ſub conditione Capitulationis defertur, & quidem ſingulis Imperatoribus noua proponitur Capitulatio, numero & ordine articulorum arbitrario. Inde habemus Capitulationem Caroli V. Ferdinandi I. Maximilia-

ni

ni II. Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. Ferdinandi III. Ferdinandi IV. Leopoldi, & Iosephi, ** denique Augustissimi Imperatoris nostri CAROLI VI. *** quæ, licet in fundamentis conueniant, in quibusdam tamen pro temporis, vel circumstantiarum ratione, ab inuicem discrepant, ita, vt aliqua in quibusdam fuerint vel alterata, vel omissa, vel adiecta.

* SLEIDANVS *lib. I. p. 25.* votum Friderici adfert, in quo inter alia: *placere sibi, vt is renuncietur Cæsar, veruntamen certis legibus, vt & Germaniæ sua libertas constet, & ea, de quibus facta sit mentio, pericula vitentur.* NIC. MAMERANVS *Hist. Elect. Caroli V. in* SCHARDII *Tomo II. p. 12.* S. H. G. *diss. XXXII. §. IV.*

** Singulas Capitulationes in Capitulatione sua harmonica inuicem contulit IOANNES CHRISTIANVS MÜLDENERVS, *Halæ 1697. 4.* Secutus eundem fuit CHRISTOPHORVS ZIEGLERVS, qui æque Capitulationum harmoniam demonstrauit. Et nouiter GABRIEL SCHWEDERVS *in Collatione Succincta Capitulationum Cæsarearum post Westphalicam pacem hucusque publicatarum, Tubingæ 1716. 4.* Iosephinam singulari Commentario illustrauit FRIDERICVS NITSCHIVS *Francofurti 1711. 4.*

*** Huius Capitulatio cum notis atque appendice Documentorum, adiecta etiam Capitulatione Perpetua, prodiit *in gegenwartiger Verfassung der Kayserlichen Regierung in Teutschland, Leipzig 1713. 4.* Eadem Capitulatio cum breuibus IO. CHRISTIANI LVNIGII notis prodiit. Accessit demum *Spicilegium Obseruationum ad Capitulationem Augustissimi Imperatoris Caroli VI. Francofurti 1714. 4.*

§. XX.

Ius concipiendi Capitulationem sibi solis vindicant Electores, tanquam accessorium Electionis, excluso olim Bohemo, cui olim Capitulatio, postquam fuit confecta, biduo * saltim ante electionem ad reuidendum *im Neben-Zimmer* fuit concessa, ita tamen, vt quæ habeat monita, in continenti proponat. Qui fit, quod in Capitulationum procemiis, vbi reliquorum Electorum fit mentio, nihil plane de Bohemo dica-

 tur,

tur, nisi quod prima legati Bohemici mentio fiat in prooemio Capitulationis Iosephinæ. Dum autem a. 1708. denuo in Collegium Electorale introductus fuisset Rex Bohemiæ, pleno iure ad conficiendam Caroli VI. Capitulationem fuit admissus.

* In electione Leopoldi factum hoc triduo ante electionem 5. Iulii, dum electio 8. Iulii 1658. facta, prout testatur DIARIVM EVROPÆVM *Tomo I. p. 862.* In electione Iosephi idem factum biduo ante electionem, sed legatus ad Imp. detulit Proiectum Capitulationis, idemque postera demum die, ad Collegium Electorale retulit. Vid. MÜLDENERI *Præfatio ad Capitulationem Harmonicam.*

§. XXI.

In electione Matthiæ, reliqui Status metuentes, ne forma Imperii sensim in Oligarchiam dilaberetur, ad confectionem Capitulationis admitti petebant, * ea ex ratione, quod Lex sit Imperii, ad Leges autem Imperii requiri omnium Ordinum consensum, nihil tamen obtinuerunt, quam vt primum in prooemio Capitulationis Ferdinandi IV. adiicerentur verba, *vor sich und sämtliche Fürsten und Stände des Heil. R. Reichs*, quæ etiam in Leopoldina atque Iosephina & Carolina reperiuntur.

* Vid. LONDORP *Tom. V. Act. Publ. lib. II. p. 1055.* BVRGOLDENSIS *disc. ad Instrum. P. p. III. d. V. p. 4.*

§. XXII.

In tractatibus Pacis Westphalicæ primum deliberabatur de Capitulatione perpetua. Status enim Protestantes, securitati Religionis, atque Iuribus Statuum in perpetuum prospicere cupientes, inter alia monita proponebant. Ex legum de Cæsarum imperio latarum formulis nullam fere esse, quæ non aliquid mutationis passa, cum ceteris in totum consentiat, magno Reip. incommodo, cuius iura Statumque ambiguis sem-

ſemper perpetuisque fluctibus agitari neceſſum ſit, niſi certo Capitulationis æternoque tenore compeſcantur, ex Imperatoris cunctorumque Procerum conſilio ſanciendæ, ac non niſi vbi ſalus Reip. temporumque conditio monuerit, immutandæ.* Sed nihil obtinuerunt, quam vt materia de certa conſtantique Cæſarea Capitulatione concipienda, in proxima reiiceretur Comitia.**

* PFANNERI *Hiſt. Comitiorum lib. II. §. II. ſqq. Hiſt. Pacis Weſtphalicæ lib. III. p. 289.* BVRGOLDENSIS *p. III. diſc. V. p. 41.* OMINOSA RERVM SERIES *rel. VI. n. 57. ſeqq.* HERDENS *Grund-Feſte lib. III. c. III.* Acta vero in Comitiis reperiuntur apud LONDORPIVM *Tomo V. lib. II. c. CXV.*

** *Art. VIII. §. 3.*

§. XXIII.

Poſtquam ad Comitia Ratisbonenſia a. 1652. Status euocati fuiſſent, inter varios quæ ante Comitiorum initium agebantur motus, de Ferdinandi IV. electione in Regem Romanorum & Capitulatione conficienda agebatur, eademque perficiebatur. * Hæc autem Capitulatio, licet in Comitiis, a ſolis tamen Electoribus fuit confecta, ita, vt Principes de eodem proteſtarentur, & Monita ſua exhiberent, ** ad quæ Capitulatio iſta fuit directa. Agebatur inde hæc cauſſa in dictis Comitiis, atque anno 1653. multum fuit diſceptata, nihil tamen obtinuerunt Principes, niſi quod negotium hocce Capitulationis per R. I. nouiſſimum ad proxima Comitia ſine vlteriori Propoſitione reiiceretur. *** In Comitiis adhuc durantibus inter armorum Turcicorum ſtrepitus recruduit controuerſia anno 1663. dum Principes potiſſimum Euangelici, ſub initium ſtatim Comitiorum, alia negotia decerni nollent, vsque dum hoc de Capitulatione perpetua deciſum, idque contranitentibus licet Electoribus atque Principibus Eccleſia-

clesiasticis, obtinuerunt, vt materia Capitulationis, cum defensione Imperii & caussa belli Turcici alternis vicibus tractaretur. Inde Moguntinus formulam conscripsit, eandemque Principibus d. V. Maii 1664. exhibuit, sed ob nimias animorum contentiones inter Electorale & Principum Collegium, in hoc etiam Ecclesiasticis & Secularibus inter se contendentibus, nihil adhuc profectum. Coloniensis demum & Bauarus vna cum Magdeburgico & Neoburgico, vt medelam adferrent malo desperato, exhibuerunt sub initium anni 1667. nouam formulam, sub titulo *Concordantz-Proiect*, quod vtrisque & Electoribus & Principibus arrisit. Maxima vero controuersia circa Prologum **** atque Epilogum. ***** Firmam quidem, eandemque perpetuam Capitulationem Principum consensu confirmatam haut abnuebant Electores, ita tamen, vt pro temporum atque circumstantiarum diuersitate, ius adcapitulandi sibi seruarent, quod Principes concedere nolebant, nisi ineuitabilis ita requirat necessitas, eademque quae adiecta, in proximis Comitiis fuerint adprobata. ****** Durantibus tamen de Prologo atque Epilogo contentionibus, a. 1671. inter Collegium Electorale atque Principum de certis capitibus conuenit. *******

* Quae in dictis Comitiis de hac materia acta, narrat PFANNERVS *Historia Comitiorum lib. II. p. 102. 224. lib. V. p. 714.* S. H. G. *diss. XXXV. §. XLII.*

** Latius haec persequitur PFANNERVS *Hist. Comitiorum lib. II. §. I. seqq. §. X.* Monita ad hanc Capitulationem extant apud LONDORPIVM *Tomo VI. p. 919.* Hinc etiam eam ad normam Pacis Westphalicae confectam fuisse volunt Electores, ob haec Monita Statuum, quorum etiam in Capitulatione habita fuerit ratio, prout ex PVFENDORFIO *Hist. Friderici Guilielmi lib. VII. §. XXVI.* patebit. Idemque adserere conatur AVCTOR COMIT. RATISBONENS. *p. 304. 325.*

*** *§. CXCII.*

**** Prologus Proiecti Electoralis hic erat: *Demnach auch bey diesen Reichs-*

Reichs-Tag nach Anleitung des Münster- und Osnabrückischen Frieden-Schlusses von einer künfftigen gewissen und beständigen Capitulation Handlung vorgefallen. So ist selbige vom Churfürstlichen Collegio abgefasset, und mit gesamter Fürsten und Stände Einwilligung in diesen Reichs-Abschied gebracht worden.

***** Talis est Epilogus: *Diesemnach hat das Churfürstliche Collegium sich erkläbret, auf obgesetzte gewisse und beständige Kayserliche Capitulation, bey allen künfftigen Wahlen, sie geschehen zu Lebzeiten, oder nach Absterben eines Römischen Kaysers, den eligendum, wie auch auf dasienige zu verpflichten, was alsdenn, wenn die Wahl-Fälle sich zutragen; über das, so in dieser Capitulation enthalten, nach gestalten Sachen, Zeiten, und des Eligendi Zustand, das Churfürstliche Collegium, den Heil. Röm. Reich teutscher Nation, gesamten Churfürsten, Fürsten und Standen, und dem gemeinen Wesen nützlich, also ferner zu practiciren und capituliren nothwendig befinden würde, iedoch der güldenen Bull, dem Friedens-Schluß, denen Iuribus Statuum, gegenwärtiger beständiger Capitulation, und denen ietzigen und künfftigen Reichs-Constitutionen unabbrüchig.* Totum Prologi atque Epilogi negotium eo redibat, quod Electores ad ipsam conficiendam Capitulationem Principum & Statuum concursum admitti nollent, saltim consensum in ea capita, quæ ab ipsis confecta, cum e contrario Principes in eadem tanquam Lege Imperii æque vellent concurrere.

****** Plenius de hac materia egit Auctor Meditationum ad Instrumentum Pacis *Spec. VII. p. 966. seqq.* qui etiam breuiter se hæc ibidem exponere adserit, pleniori cura de hoc negotio integro Tractatu se acturum promittens *p. 988.* interim Acta huius negotii adiecit, & Dnus de MÜNCHHAVSEN in dissertatione sua *de Capitulatione Perpetua*, sub præsidio WILDVOGELII habita, qua ex ipsis Actis publicis hanc materiam probe illustrauit Proiectum etiam perpetuæ Capitulationis adiecit. Vid. & FRITSCHIVS *addit. ad Limnæum lib. I. c. XII.* MONATHLICHER STAATS-SPIEGEL *Septembri 1707.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 798.* MÜLDENER *Capit. Harmonica p. 143.* PFEFFINGER *lib. I. Tit. VII. p. 840.* BALTH. VENATOR *in Ominosa rerum Serie IV. p. 24. V. p. 9. VI. p. 53.* B. de LYNCKER *de Capitulatione §. VI.*

******* Ex-

******* Extat illud Proiectum in MEDITATIONIBVS *ad I.P. Spec. VIII. Mant. XVIII. p. 1165.*

§. XXIV.

Iterum in deliberationem hæc materia venit, postquam anno 1707. Electorem Coloniensem terris & iuribus suis priuasset, Bauarum autem proscripsisset Iosephus Imp. idque solo Electorum consensu. Protestabantur de eodem Principes, sed responsum tulerunt ab Imp. se in Capitulatione ad solum Electorum consensum obligatum, sibi non displicere, si aliud quid definiatur. Ansam hoc dedit redintegrandi an. 1709. deliberationem, & licet de Epilogo conuenerit, Electores etiam per litteras d. 3. Ianuarii 1710. datas, Principum monita adprobarent, vt exinde spes maxima felicis euentus adfulserit, statim tamen iterum in diuersa abierunt. *

* Quid in hoc negotio actum exponitur in ELECTIS I. P. *Tom. II. p. 593. seqq.*

§. XXV.

Durantibus hisce contentionibus, Electores tandem consenserunt, vt Principes monita sua exhiberent, quæ, si Legibus fundamentalibus conformia, attendenda. Acceptarunt hoc Principes, atque ad Capitulationem Ferdinandi III. Ferdinandi IV. & Leopoldi monita quædam in vim suffragii exhibuerunt, ad quæ tamen non semper attenderunt Electores. * Inde in electione Leopoldi anno 1658. interposita protestatione, quæ Directorio Moguntino fuit exhibita, iura sua reseruarunt Principes. ** Idem a plerisque Principibus factum in electione Iosephi, qui per Saltzburgensem Moguntino exhibuerunt protestationem, addito petito, vt eandem Actis Imperii insereret, quæ tamen recepta non fuit. *** Oblata igitur fuit Commissario Cæsareo, cui Electores Reprotestationem opposuerunt. ****

* Vid.

* Vid. HERDENS *Grundveste p. III. cap. IV.* qui etiam Monita hæc ad Capitulationem Leopoldi integra inseruit. Eadem vna cum protestatione exhibuit MÜLDENERVS *Capit. Harm. p. 185.* PFEFFINGER *lib. I. Tit. VII. p. 844.* Facit ad illustrationem Instructio Legatis Brandenburgicis ad electionem Leopoldi concessa, apud PVFENDORFIVM *lib. VII. §. XXVI. Circa Capitulationem iidem cum Saxone, & Palatino consilia conferrent, ne Catholici maiori suffragiorum parte, in fraudem Protestantium abutantur, neu quid in horum fraudem isti inserciant. Sed super seruanda Electorum prærogatiua cum omnibus nullo sacrorum discrimine, consilia operamque conferant; ac si cæteri Ordines circa hanc electionem plus sibi arrogare velint, quam per leges & consuetudinem ipsis competit, cum reliquis Collegis omnia facerent, quæ in commune vtilia iudicanda sint. Quod si Ordines ad articulum octauum Pacis Westphalicæ prouocent, ostenderent; ista iam penitus effectui data, Ferdinandi IV. electione, vbi Capitulatio ab Electoribus inter Comitia concepta fuerit, cuilibet Ordinum tunc plena monendi libertate concessa. Sed quod apud singulas in futurum electiones Ordinibus aliquod ius super Capitulatione satagendi competat, id Tabulis Pacis haut tradi: nec verba certæ, constantisque capitulationis cauillanda esse, velut noua capitulatio quamuis additionem aut mutationem respuat, cum ista vtique temporibus accommodanda sit, mutationi quam maxime obnoxiis. Ast vbi Ordines separatim, vsitataque forma, & citra detrimentum Electoralium Iurium monita sua offerant, par esse, vt circa æqua, & Imperio proficua istorum ratio habeatur.*

** Factum hoc d. 8. Augusti 1658. *daß sie die Capitulation, so weit dieselbe mit ihren Monitis nicht übereinstimme, oder den Inhalt des Instrum. nicht gemäß sey, pro Lege fundamentali nicht wolten gehalten haben.* Vid. HERDEN *p. III. c. III.*

*** Protestatio exhibetur apud MÜLDENERVM *p. 209.* qui etiam in præfatione aperuit, quid circa eandem actum.

**** MÜLDENER *p. 210.*

§. XXVI.

Post Iosephi Imp. mortem redintegrata est hæc de Capitulatione Perpetua Materia, atque pleraque Capita, de

quibus a. 1671. conuenerat, fuerunt retenta, paucis ſaltim immutatis. De articulo XIV. & XXIX. etiam conuenit, qui tunc ſeponebantur. De Prologo proinde atque Epilogo inter vtrumque Collegium atque ſic d. IV. VI. VII. Iulii 1711. de plerisque Capitibus Capitulationis Perpetuæ conuenit, ad quorum normam noui Imperatoris Capitulatio dirigenda. Placuit etiam certa Conſtitutio de eligendo Rege Romanorum viuo Imp. ad art. III. de Ordinatione Iudicii Aulici ad art. XVI. de modo declarandi Statum Imperii in Bannum art. XX. atque decretum, vt iſtæ Conſtitutiones futuro Receſſui infererentur non ſolum, ſed etiam futuræ Capitulationi. Diuerſa tamen Capita adhuc manſerunt ſepoſita. Dum autem ab eiusmodi Deliberationibus Ciuitates Imperiales excluderentur, ægre hoc tulerunt, atque Monita ſua ſeparatim exhibuerunt, quorum etiam ex parte in Capitulatione nouiſſima habita fuit ratio. *

* Extat Proiectum illud in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. III. p. 861.* & apud FABRVM *Staats-Cantzelley Tom. XVII. p. 682.* ſub hoc Titulo: *Proiect der gewiſſen und beſtændigen Kayſerlichen Wahl-Capitulation cum Appendice wie ſolches den 4. 6. und 7. Iulii 1711. von beyden hœheren Reichs-Collegiis verglichen, collationiret und den 8. obgedachten Monats und Iahrs vom Hochlœbl. Churfürſtl. Mayntz. Reichs-Directorio per priuatam Dictaturam communiciret worden iſt.* Prologus talis eſt: *Demnach auch bey dieſem Reichs-Tag zu Folge des Münſter-und Oſnabrückiſchen Friedens-Schluſſes und Reichs-Abſchieds de anno 1654. von einer künfftigen, gewiſſen und beſtændigen Kayſerl. Wahl-Capitulation gehandelt; So iſt ſelbiges vom Chur-Mayntziſchen Reichs-Directorio abgefaſt, und mit geſambter Churfürſten, Fürſten und Stænden Einwilligung in dieſen Reichs-Abſchied gebracht worden.* Extat illud in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. III. p. 861.* atque acceſſit *gegenwærtiger Verfaſſung der Kayſerlichen Regierung in Teutſchland.*

§. XXVII.

Licet autem ad hanc normam dirigenda fuiſſet noui Impe-

Imperatoris Capitulatio ab Electoribus conficienda, eam tamen Electores non adeo stricte fuerunt secuti, & ne Monitis Principum vel protestationi locum darent, Capitulationem Caroli VI. inter arcana habebant, nec ante publicari faciebant quam Carolus VI. Imp. statim ac in Francofurtensem vrbem aduentasset, XIX. Decembris 1711. iuramento ipse confirmasset. Agebatur hæc caussa in Principum Senatu atque per Conclusum eiusdem Collegii 14. Nouembr. 1712. Grauamina contra eandem fuerunt decreta, atq; Directorio Moguntino paullo post fuerunt exhibita. Dum vero Collegium Electorale Grauaminibus medelam haut adferret, redintegratum hoc negotium fuit, dum Senatus Principum d. 18. Nouembris 1715. *im Fürstlichen Neben-Zimmer* conueniret, vbi de exhibendis denuo Directorio Moguntino, vna cum Protestatione Grauaminibus, fuit decretum, idem tamen ob protestationem legati Magistri Ordinis Teutonici fuit intermissum, qui potissimum conquerebatur, quod ea, quæ in art. X. & XII. Capitulationis Perpetuæ in fauorem Ordinis Teutonici decreta, in Carolina fuerint omissa. Sub initium anni 1716. Principibus per Maiora concludentibus, Protestatio ista vna cum Grauaminibus Directorio Moguntino a Salisburgensi fuit exhibita, ab eodem tamen haut accepta, inde Commissario Cæsaris Principali ab eodem fuit exhibita, qui ista ad Aulam Cæsaream se delaturum esse promisit. Consistunt autem Grauamina potissimum in eo, quod in Capitulatione Carolina varia contineantur, quæ & Instrumento Pacis, & dicto, de quo conuenerat, Proiecto, essent contraria, atque in præiudicium vergerent Iurium Statuum reliquorum, Electores etiam Ius adcapitulandi vltra modum extenderint.* Et licet in dicta Capitulatione ** Augustissimus Imp. promiserit se eo esse adlaboraturum vt Capitulatio Perpetua demum conficeretur, idemque per Decretum Commissionis XXVII.

Martii 1712. denuo propoſuerit, *** negotium tamen hocce hactenus manſit in ſuſpenſo.

* Proteſtatio contra Capitulationem vna cum Grauaminibus extat in ELECTIS I. P. *Tom. VIII. p. 773.* Quid vero circa exhibitionem acciderit in *Tom. IX. p. 734. Tom. X. p. 145.* vtraque in FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XXVII. c. V.*

** Art. XXX. *Sodann ſollen und wollen wir, gleich nach angetretener Unſerer Regierung, das Negotium Capitulationis perpetuæ (wobey iedoch die Churfürſten das Ius adcapitulandi vorbehalten haben,) bey dem Reichs-Tag vornehmen, und ſelbiges, ſobald mœglich, zu ſeiner Perfection bringen laſſen.*

*** Extat illud in ELECTIS I. P. *Tom. IV. p. 470.* & in SPICILEGIO OBSERVATIONVM *ad Cap. I. Caroli VI.* art. XXX. vna cum aliis huc facientibus.

§. XXVIII.

Præſcribitur autem Capitulatio non ſolum Imperatori, ſed etiam qui viuo eodem eligitur, Regi Romanorum, ſolo Ferdinando I. excepto, cui demum poſt abdicationem Caroli V. Capitulatio fuit præſcripta. Reliquis, Maximiliano II. Rudolpho II. Ferdinando III. & IV. Ioſepho, ſtatim poſt electionem in Regem Romanorum Capitulationes fuerunt præſcriptæ, quam etiam licet minorennes, iuramento confirmare tenentur.* Statim autem, poſtquam Impp. facti, Reuerſales Electoribus edunt de ſeruanda in ſingulis Capitulatione.

* Vid. Promiſſio iurata apud MÜLDENERVM *p. 136.*

§. XXIX.

Exhibetur autem ab Imp. electo ſingulis Electoribus Exemplum Capitulationis Sigillo ipſius corroboratum. In Capitulatione equidem Caroli V. * vsque ad illam Ferdinandi IV. ſex ſaltim memorantur Exempla, idque ideo quia Bohemus ad conficiendam Capitulationem haut admitteretur, atque iſtius in Prooemio nulla facta fuiſſet mentio.

In

In Capitulatione Ferdinandi IV. ** atque Iosephi septem indicantur exempla, *** eo quod Bauarus accesserat. In Capitulatione Caroli VI. **** saltim sex memorantur exempla, eo quod Bauarus atque Coloniensis deessent, ipse Imp. esset Rex Bohemiæ, reliquis igitur sex Electoribus totidem concedebat Exemplaria Imp. sigillo corroborata.

* Sic enim in Capitulatione Caroli V. art. XXXIV. *Des zu Vrkund, haben wir dieser Brieff Sechs, in gleicher Form und Laut gefertiget, und mit unserm Kæniglichen anhangenden Insiegel bekræfftiget, und ieden obgemeldter Churfürsten einen überantwortet.* Idem tenor in Capitulatione Ferdinandi I. Maximiliani II. Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. & III.

** In Capit. Ferdinandi IV. art. fin. *Dessen zu Vhrkund, haben wir dieser Brieff Sieben in gleichem Lauth gefertiget, und mit unsern anhangenden Insiegel bekræfftiget.*

*** In Capitulatione Leopoldi nulla plane Exemplarium facta fuit mentio. In Capitulatione vero Iosephi in Epilogo: *auch deren sieben gleichfærmige Exemplaria machen und fertigen lassen.*

**** In Epilogo: *Dessen zu Vrkund, haben Wir dieser Brieff Sechs, in gleicher Form und Lauth fertigen, und mit Vnserm Kæniglichen anhangenden grossen Innsiegel bekræfftigen, auch ieden obgemeldter Churfürsten einen überantworten lassen.*

§. XXX.

Finis Capitulationis est, vt Libertate Ordinum temperetur Principatus, Principatu temperetur libertas Ordinum, & exinde salus Reipublicæ promoueatur. * Tenor eiusdem in eo consistit, vt in negotiis maioris momenti non nisi communicato consilio cum Electoribus atque Statibus agat Imperator, horum iura sarta tectaque conseruet, additis quibusdam conditionibus particularibus. **

* Grundveste *p. III. cap. III.*

** Patent hæc ex ipsa Capitulationum perlectione. Breuiter ea descripsit

scripsit SLEIDANVS *lib. I. p. 28.* RACHELIVS de Capitulatione *cap. V. §. 7.*

§. XXXI.

Hinc facile patet, quid sentiendum de illa quæstione, an per Capitulationem derogetur Potestati Imperatoriæ. Monarchistæ quidem negant, * alii contrariantur. Nos distinguimus inter Maiestatem & Potestatem Imperatoris. Illa per Capitulationem non minuitur, sed salua manet: secus de potestate, quæ restringitur omnino, atque modus eidem præscribitur, in tantum, vt quidquid contra Capitulationem agat Imperator, plane sit irritum. ** Immo, dum conuentio sit mutua, Imperatore a pactis conuentis plane recedente, nec ipsi amplius Status ad obsequium tenentur, id quod ex pactorum natura patet, de quo infra pluribus.

* L. B. de LYNCKER de Capitulatione §. *XI. p. 52. sqq.* totus in eo est, vt demonstrare conetur, nihil plane derogari per Capitulationem Cæsaris potestati, Statuum potius consensum adhiberi tanquam caussam sine qua non. Vid. etiam BRÜCKNERI *Curiosa I. P. §. XIII.*

** Capit. Iosephina art. XXXVII. *wie denn alles dasienige, so dieser Capitulation zuwieder erlangt werden oder ausgehen mægte, Krafftlos, todt und nichtig, auch der Kænig denen beschvverten Partheyen hierüber Brieflichen Schein zu ertheilen schuldig seyn soll*, quod vocatur clausula cassatoria. RACHELIVS *de Capitulatione cap. VII. §. 7. & 9.* Capit. Caroli VI. *art. XVI.* In electione Leopoldi consultabatur, annon clausula Commissoria Capitulationi inserenda, de quo PVFENDORFIVS Hist. Frid. Guil. lib. VII. §. XXVI. *denique quia multorum querimoniis agitatur, Capitulationem quantumuis accuratissime conceptam haut seruari, nostri cum aliis consultarent, an non necessarium sit eidem legem commissoriam expressis verbis inseri, vt Cæsar ista non seruata ipso facto Imperio excidisse sit censendus, ac declarationem statim ab Electoribus faciendam: ac vt constet, num Cæsar obligationi suæ satisfaciat, Electoribus ex præscripto Aureæ Bullæ quotannis, aut quoties opus fuerit, per se aut legatos conueniendum,*

de

de hoc & aliis ad salutem Imperii spectantibus, consultaturis. Dura tamen admodum est obligatio quæ in Epilogo Capitulationum habetur, atque in Capitulatione Carolina tali modo se habet: *Solches alles und iedes haben VVir obgedachter Rœmischer Kœnig denen Chur-fürsten des Reichs vor Vns und im Nahmen des Heiligen Rœmischen Reichs geredet, versprochen, und bey Vnseren Kœniglichen Ehren, Würden und Worten, im Nahmen der VVahrheit zugesaget; thun dasselbe auch hiermit und in Krafft dieses Brieffs. Inmassen VVir dann das mit einem leiblichen Eyd zu GOtt und dem heiligen Evangelio beschvvoren, dasselbe stet, fest und unverbrochen zu halten, deme treulich nachzukommen, darvvieder nicht zu seyn, zu thun, noch zu schaffen, das darvvieder gethan vverde, in einige VVeise oder VVege, vvie die mœchten erdacht vverden, Vns auch darvvieder einiger Befehl oder Ausnahm, Dispensationes, Absolutiones, Geist-oder VVeltliche Rechte, vvie das Nahmen haben mag, nicht zu statten kommen sollen.* Hic vero Epilogus satis docet, quid sentiendum de sententia L. B. de LYNCKER qui de Capitulatione §. XII. p. 72. non denegat quidem, quidquid contra Capitulationem commissum, nullum esse, quod si tamen per se non vergeret in Imperii damnum, vel tertii præiudicium, non possit idcirco nullum haberi negotium. Sequitur eum MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich den V. p. I. c. XXIII. §. XLV.*

§. XXXII.

Tertium inter Leges Imperii Fundamentales momentum præbent RECESSVS IMPERII. Hi vel vniuersales sunt, vel particulares, vel prouinciales. *Vniuersales, sunt Leges Imperii, mutuo Imp. & Statuum consensu de negotiis Imperium concernentibus constituta & promulgata.* Dicuntur autem Recessus, *Reichs-Abschiede*, quia circa discessum, vel recessum Statuum a Comitiis concluduntur & promulgantur.* Vocantur alias *Constitutiones*, vel *Ordinationes Imperii.*

* Communis est formula *daß dieses der Abschied, vvomit die Stænde von einander geschieden.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Omnes igitur Imperii Leges in Comitiis vniuersalibus conclusæ, dicuntur Recessus, licet inter eosdem sint, qui a speciali quodam obiecto nomen quoddam speciale fuerint sortiti. Inter hos referenda est Reformatio Friderici III. Francofurti ad Mœnum de a. 1442. qua statum politicum ordinauit, Ordinatio Cameralis Wormatiæ de anno 1495. & plures aliæ. Constitutio Pacis Publicæ Wormatiæ de a. 1495. Ordinatio Regimenti, Augustæ de a. 1500. Ordinatio Maximiliani I. de Notariis, Coloniæ 1512. Ordinatio Criminalis Caroli V. de anno 1532. Declaratio Religionis in Comitiis Augustanis de anno 1548. vulgo dicta Interim, Transactio Passauiensis de anno 1552. Pax Religionis, Augustæ de anno 1555. Ordinationes Monetariæ & Politicæ.

§. XXXIV.

Hi autem sunt Recessus *primarii.* Dantur æque Recessus *secundarii*, qui in Imperii quidem Comitiis concluduntur, ast, primariis Recessibus tanquam Articuli secreti adiiciuntur, atque in Archiuo Moguntino adseruantur, ne in vulgus pateant, dicti ideo *Neben-Abschiede.* Licet posteriori tempore æque cum primariis euulgentur. Talis Recessus secundarius in caussa subsidii Turcici in Comitiis Ratisbonensibus de anno 1541. fuit confectus.* Simile exemplum in Comitiis Augustanis de anno 1559. in causa Metensi contra Gallos, aliisque Imperium concernentibus.**

* Prouocatur ad eundem §. 60. *vvie solches in einer sondern Schrifft, neben diesem Abschied aufgericht, eigentlich begriffen ist.*

** Vocatur *Neben Abschied zu Augspurg, durch die Kayserl. Maiestæt, Churfürsten, Fürsten und Stænde verglichen* 1559. additur *diese hernach geschriebene Articul so durch die Rœm. Kayserliche Maiestæt unserm allergnædigsten Herrn, mit Churfürsten, Fürsten und Stænden des Heiligen Reichs und der abvvesenden Ræthen, Bottschafften und Gesand-*

Gesandten ietzo auf dem Reichs-Tag allhie zu Augspurg abgehandelt, sollen bey der Mayntzischen Cantzley verwahrlich behalten werden, dieweil sie im Abschied ausgelassen worden.

§. XXXV.

Conficiuntur Recessus sermone vernaculo * mutuo Imp. & Statuum consensu, per modum conuentionis. ** Imperator enim materias Imperium concernentes in Comitiis proponit, de iisdem deliberant Status, atque secundum maiora formant Conclusum Trium Collegiorum, quod vocatur *ein Reichs-Gutachten*, de eo cum Imperatore conueniunt, vsque dum ab ipso adprobetur, ex quo in formam Recessus redigitur, publicatur, atque in Archiuis Imperii adseruatur, prout inferius de Statu Comitiorum plenius erit dicendum. Obligatur igitur Imperator, & vniuersum Imperium ad eosdem ex conuentione, singuli autem Status & in Imperio viuentes, ex lege. ***

* Hodie quidem, licet olim sermone latino conscriptæ, de quo infra, vbi de Idiomate Imperii agendum, pluribus.

** In R. I. Treuir. & Colon. de a. 1512. Procem. *uns mit des Heil. Reichs Stenden, und sie mit uns, nachfolgende Artickel und Meynung, als ein Christlich Corpus und Versammlung, gegen und mit einander vereiniget, verpflicht und vertragen.* Clarius adhuc in declaratione Pacis Publicæ Augustæ de a. 1550. in fine Procemii, *mit den obbenannnten Churfürsten, Fürsten und gemeiner Versammlung gegenwärtiges Reichs-Tags dieser nachfolgenden Ordnung, Satzung und Artickeln vereinigt, vertragen, und deshalb mit und gegeneinander in Contracts-weise vereinigt, verpflicht und verschrieben haben, und thun das hiermit in Krafft dieses Briefs.* In quibusdam Recessibus tamen hæc obligatio in fine additur: vtpote in *R. I. Augustæ de a. 1559. §. 85. 86. & R. I. de a. 1654. §. 197. 199.*

*** R. I. Nou. *§. 6. setzen demnach, ordnen, wollen und gebieten allen und ieden, Hohen und Niedrigen, Geistlichen und Weltlichen, Obn und Mittelbahren, sie seyn Stande des Reichs, oder nicht.*

§. XXXVI.

Vltimus Receſſus eſt de anno 1654. quo ſimul Pax Weſtphalica confirmatur, qui ideo dicitur *Receſſus Imperii nouiſſimus.** Multa quidem in Comitiis adhuc durantibus, mutuo Imp. & Statuum conſenſu facta fuerunt concluſa, quæ etiam eo ordine, quo fuerunt adprobata, in Receſſum efformantur, neque tamen adhuc talis communis Receſſus fuit euulgatus.

* Hunc Receſſum Imperii vltimum notis illuſtrarunt IO. WOLFGANG TEXTOR, VLRICVS OBRECHTVS & PAVLVS GAMBSIVS. Ad eiusdem illuſtrationem facit etiam *Comitiologia Ratisbonenſis de a. 1654. Francofurti 1657. 4.* edita.

§. XXXVII.

Particulares Imperii Receſſus ſunt vel Deputatorum Imperii, *Reichs-Deputations-Abſchiede*, qui ſcilicet in Comitiis Deputatorum concluduntur, atque vniuerſalem requirunt obligationem; vel Circulorum, *Crays-Abſchiede*, qui ſecundum conuentus Circulares & annos diſtinguuntur, de vtrisque infra, vbi de Comitiis, plenius erit dicendum. *Receſſus* vero *Prouinciales*, Leges ſunt, quæ mutuo inter Principem atque Ordines Prouinciales conſenſu, de rebus Prouinciam concernentibus conficiuntur, & vocantur *Land-Tags-Abſchiede.*

§. XXXVIII.

Inter Receſſus Imperii referenda eſt CONSTITVTIO PACIS PVBLICÆ, quæ ſingulare nomen & obiectum habet. Eſt autem iſta *Sanctio Pragmatica, vnanimi Imp. Maximiliani I. & Statuum conſenſu in Comitiis Wormatienſibus a. 1495. concluſa, de abolendis diffidationibus & turbis inteſtinis, atque ſecuritate publica in Imperio ſeruanda.*

XXXIX.

§. XXXIX.

Licet autem Maximilianus I. huius Constitutionis perpetuæ Auctor omnino sit habendus, fuerunt tamen ante eiusdem tempora quædam Constitutiones de pace publica, certas saltim prouincias concernentes, & temporariæ. Ansam eiusmodi Constitutionibus dedit ius manuarium, *das Faustrecht*, quod Francicorum Impp. Henricorum potissimum, temporibus magis inualuit, dum Status contra Statum bella gererent, vasalli contra Dominum, vrbes potentiores contra Principes insurgerent, alter alterum infestaret, cæde, incendio & rapinis omnia adimplerentur. * Huic malo obuiam ire conati fuerunt Episcopi, publicata *Treuga & Pace Domini*, quæ nihil aliud erat, quam vt certis temporibus, potissimum festo tempore & quadragesimali ab omnibus duellis, cædibus, vastatione & hostili actu abstinerent. ** Immo non cessarunt Impp. dum Conradus II. talem Constitutionem pacis publicæ in Comitiis Spirensibus anni 1039. publicasset, *** quem secutus Henricus IV. **** Lotharius etiam Imp. in Comitiis Magdeburgensibus a. 1135. pacem Principes ad decennium iurare coegit, ***** & præcipue Fridericus I. cuius binæ de Pace tenenda extant constitutiones, quarum altera edictalis lex in perpetuum valitura dicitur, quæ tamen interregni tempore plane in desuetudinem abiit. ****** Hunc secuti Philippus, Otto IV. Fridericus II. aliique. *******

* Deplorat illud OTTO FRISINGENSIS lib. VII. c. XXXIV. *apud nos vero tam tetra iam videtur confusio, vt non solum reliquo anni circulo præda, & incendio cuncta permisceant: sed & in ipso Quadragesimali & pœnitentiali tempore, contra diuinas & humanas leges desæuire non pertimescant.* Et WIPPO p. 423. *Nam cum Imperator* (Henricus II.) *sine filiis obiisset, quilibet potentissimus secularium Principum vi magis, quam ingenio nitebatur: aut fieri primus, aut quacunque pactione a primo secundus, ex qua re discordia pene totum re-*

gnum inuasit: adeo, vt in plerisque locis cædes, incendia, rapinæ, fierent, si non is impetus illustrium virorum sufflamine impediretur.

** Vid. plenius DATT *Vol. nouo rer. German. lib. I. cap. II.* In Concilio potissimum Claromontano sub Vrbano II. a. 1095. alii dies feriati fuerunt constituti, ab aduentu scilicet Domini, vsque ad octauas Epiphaniæ & a Septuagesima, vsque ad octauas Paschæ, & a prima die Rogationum, vsque ad octauas Pentecostes. Vid. de hac materia vberius M. ANT. DOMINICVS de *Treuga & Pace*, quem Bibliothecæ librorum rariorum, Thecæ primæ, inseruimus. Vid. etiam BOEHMERVS *ad lib. I. Tit. XXXIV.* Decretal. *de Treuga & Pace.*

*** Extat apud GOLDASTVM *Constit. Imp. Tom. III. p. 312.*

**** AVCTOR VITÆ HENRICI IV. sub initium. *prohibuit quoque bella, violentiam & rapinas. Nitebatur pulsam pacem & iustitiam reuocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiam resecare.*

***** ANN. HILDESH. ad a. 1135. *In festo Pentecostes, apud Magadeburgum, primum Principes Regni, coram Imperatore firmissimam pacem domi forisque ad decem annos iurauerant.*

****** Extant hæ Constitutiones *II. F. XXVII. & LIII.* & apud RADEVICVM *lib. II. c. VII.* CONRADVS VRSPERGENSIS ad a. 1187. *Fridericus Imperator, iam cruce signatus, Conuentum Principum apud Nurimberc coadunauit: vbi de Pace Terræ disposuit, & in literas redigi iussit, quas literas Alemanni, vsque in præsens Friedebrief i. e. literas pacis vocant, nec aliis Legibus vtuntur, tanquam Gens agrestis & indomita. Vid.* S. H. G. *diss. XVII.* §. *L.*

******* Plenius de singulis egit DATTIVS *lib. I. cap. III. & IV.* S. H. G. *diss. XVIII.* §. *XV.*

§. XL.

Potissimum vero Paci publicæ argumentum dederunt diffidationes, turbæ, dissidia & bella intestina, quæ Interregni temporibus magis magisque inualuerunt. Huic malo circa fatalia ista tempora medela haut facile potuit adferri. Finito autem per Rudolphi Habsburgici electionem interregno, hic etiam in Comitiis Herbipolitanis anni 1287. singulari

lari constitutione pacem publicam Friderici I. restaurauit, produxitque ad tres annos, quæ deinde Spiræ a. 1291. ad sex annos fuit continuata.* Hanc deinde Adolphus anno 1293. ad tres annos prorogauit.** Huius in Imperio successor, Albertus, hasce antecessorum Leges de pace publica nouis Capitibus auxit.***

* Reperitur hæc constitutio apud LEHMANNVM *lib. V. c. CVIII.* S. H. G. *diss. XXIII. §. XIII. XXVII.*

** LEHMANN *lib. V. c. CXIX.* S. H. G. *diss. XXVII. §. X.*

*** Reperitur apud GOLDASTVM *Tomo II. der Reichs-Satzungen f. 24.* DATT *Vol. nou. Rer. Germ. lib. I. c. V.* S. H. G. *diss. XXIV. §. XVII.*

§. XLI.

Idem institutum secutus Ludouicus Bauarus, qui diuersis temporibus, anno 1316. * 1332. ** demum 1345. generalem Pacem in Alemannia fecit in Sueuia, Bauaria, & circa Rhenum, quam iuramentis suis firmauerunt Principes, Domini & Ciuitates, atq; Iudices speciales huius pacis sunt dati.*** Idem studium Carolo IV. qui a. 1354. in conuentu Moguntino pacem publicam constituit.**** Idem Imp. per A. B. quidem inuasiones aliorum, incendia & rapinas prohibuit, nisi per tres dies naturales diffidatio antecesserit.***** Sub Wenceslao Imp. de pace Imperii Publica sæpius fuit laboratum. Qualis est Constitutio Pacis Publicæ in Comitiis Francofurtensibus a. 1379.****** Subsecuta fuerunt varia fœdera inter Principes ac Ciuitates, & præcipue magnum illud Fœdus inter Rhenanas & Sueuicas Ciuitates, anno 1381. contractum, ad tuendam pacem publicam.******* Nouam Pacem Publicam Wenceslaus in Comitiis Noribergensibus a. 1383. ordinauit, † quam insecuta fuit a. 1387. Principum ac Ciuitatum Sueuiæ, Franconiæ & Bauariæ Confœderatio Mergentheimensis. †† Tandem vero Wenceslaus abolitis omni-

bus confœderationibus a. 1389. Egræ pacem publicam in annos ſex conſtituit, ††† quam in Comitiis Francofurtanis anno 1398. in annos decem prorogauit. †††† Ad tuendam hanc pacem publicam ſæpe in fœdera particularia coibant Status, prout ex re atque vtilitate prouinciarum ſingularum fuit viſum. †††††

* TRITHEMIVS Chron. Hirſaug. ad a. 1316. *Ludouicus Rex Romanorum cum omnibus principibus & ciuitatibus ſibi conſentientibus pacem decreuit in omni regno.*

** LEHMANN *lib. VII. c. XXX.* S. H. G. *diſſ. XXVI. §. XXI.*

*** HENRICVS REBDORFIVS *ad a. 1345.*

**** TRITHEMIVS *Chron. Hirſaug. & Spanheim. ad a. 1354.* S. H. G. *diſſ. XXVII. §. XVII.*

***** Tit. XVII. *& quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, præſenti conſtitutione, in perpetuum valitura ſancimus, diffidationes huiusmodi, quibuscunque dominis aut perſonis, cum quibus aliqui fuerint in ſocietate, familiaritate vel honeſta quauis amicitia conuerſati, ſic factas vel fiendas in poſterum non valere, nec licere prætextu diffidationis cuiuslibet quempiam inuadi per incendia, ſpolia vel rapinas niſi diffidatio per tres dies naturales ipſi diffidando perſonaliter, vel in loco, quo habitare conſueuit, publice fuerit intimata, poſſitque de intimatione huiusmodi per teſtes idoneos fieri plena fides. Quisquis ſecus quempiam diffidare vel inuadere modo præmiſſo præſumpſerit, infamiam eo ipſo incurrat, ac ſi nulla diffidatio facta eſſet; Quem etiam, tanquam proditorem, per quoscunque iudices, pænis legalibus ſtatuimus caſtigari.* Eiusmodi Diffidationes plures collegit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro p. I. c. VII. p. 95.*

****** Extant capita eiusdem apud WENCKERVM *in Appar. Archiuorum p. 230.*

******* De hoc vberius in S. H. G. *diſſ. XXVIII. §. V.*

† Extat apud WENCKERVM *p. 233.*

†† Extat apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXVIII.* DATTIVM *lib. I. c. VIII. n. 34.* WENCKERVM *p. 242.*

††† LEH-

††† LEHMANN *lib. VII. c. LXIV.* DATT *lib. I. c. IX. n. 51.* LVNIGII *Reichs-Archiv p. Gen. Cont. p. 10.* S. H. G. *diss. XXVIII. §. V*
†††† LEHMANN *lib. VII. c. LXIII.* LVNIG *p. 19.*
††††† Exempla refert LEHMANN *lib. VII. c. XXVIII. & XXX.* Plura collegit DATT *Vol. nou. rer. Germ. lib. I. c. V. n. 21. & seqq.*

§. XLII.

Sub Sigismundo Imp. varie fuit deliberatum de Statu Imperii in melius efformando & pace publica Imperii. Factum hoc tempore Concilii Constantiensis vbi etiam Diuisio Imperii in quatuor Circulos in consilium veniebat, * in Comitiis Francofurtensibus a. 1427. ** vsque dum in Comitiis Noribergensibus an. 1431. pax publica ad vnicum saltim annum fuisset constituta. *** Inde in Comitiis Egranis 1437. iterum de pace publica fuit actum, quæ tamen consultatio per mortem Imperatoris fuit abrupta. **** Huius successor Albertus II. Constitutione Imperiali anno 1438. diffidationes omnes abolet, Austregas instituit ***** & Imperium in quatuor Circulos diuidit, quod tamen præpropera Imp. morte ad executionem non fuit deductum. Eodem anno tempore Concilii Basileensis, durantibus motibus ex Schismate Papali ortis, pacem publicam Electores inter se constituerunt. ******

* Extant apud WENCKERVM p. 311. *Punckten eines Landfriedens zu Costentz abgeredt, tempore Concilii.*
** Extant Acta apud WENCKERVM *p. 319.*
*** LEHMANN *lib. VII. c. LXXX.* DATT *lib. I. c. XXII.*
**** LEHMANN *lib. VII. c. XCII.* DATT *lib. I. c. XXVI.*
***** Hanc Alberti II. Constitutionem primus ex archiuo Argentoratensi edidit SCHILTERVS atque inseruit *Instit. I. P. Tom. II. Tit. XIX. p. 339.* & DATT *lib. I. c. XXVI.* MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich den V. p. I. c. VII. p. 90.* S. H. G. *diss. XXIX. §. XXXVIII.*
****** In GOLDASTI *Reichs-Satzungen Tom. II. p. 144.* reperitur *Land-*

Fried

Fried von den 6. Churfürsten zu Zeiten der Zwytracht und Wiederwertigkeit des Basler Concilii aufgericht anno 1438.

§. XLIII.

Plurimum vero publicam pacem promouit Fridericus III. Imp. Hic enim primum in Comitiis Francofurtensibus a. 1442. pacem publicam sub Reformationis titulo promulgauit, in quo tamen Tit. XVII. saltim A. B. de diffidationibus agens, fuit confirmatus. * Postea in plerisque Comitiis sub Friderico III. Imp. habitis de Pace Publica fuit actum vtpote Francofurti 1454.** Neustadti 1455.*** Noribergæ 1460.**** Vlmæ, ***** Nordlingæ ****** Noribergæ 1466. ******* Noribergæ ******** & Neostadti 1467. † Ratisbonæ 1471. †† Augustæ 1474. ††† Tandem vero communi Statuum consensu in Comitiis Francofurtensibus a. 1486. pax publica singulari constitutione ad decennium fuit statuta, eademque communi adplausu recepta, †††† atque per Principes absentes per singulares litteras, *Beybriefe*, confirmata. ††††† Ad hanc etiam pacem Francofurtensem tuendam sancitum illud Fœdus Sueuicum, aliorumque Principum confœderationes fuerunt formatæ. †††††† Actum deinde in Comitiis Noribergensibus 1487. & Francofurtensibus 1489. Noribergensibus etiam 1491. de huius pacis declaratione. †††††††

* Reperitur ista Reformatio apud MÜLLERVM *im Reichs-Tags-Theatro p. I. c. VII.* S. H. G. *diss. XXX.* §. *VII.*

** MÜLLER *p. II. c. IV.*

*** MÜLLER *p. II. c. VII.*

**** MÜLLER *p. III. c. XXIV.*

***** MÜLLER *p. IV. c. CXXXIII.* Ibidem a Friderico Imp. de pace particulari saltim procuranda, fuit deliberatum. Sic enim apud DATTIVM lib. I. c. XIII. n. 36. *und noch dem dos H. Rych gros, wyt, und zu treffenlichen Glidern usgetailet ist: So hat sin K. Gnad wol betrachtet dos die ding alle nicht muglich sin, uff ainmal zu handlen,*

ten, noch schlewniglich in ain Wesen zu bringen: und dorumb nu allerbest fürgenommen. Zum ersten an ainer art Landes mit diesen hernach benanten sinen und des H. Reichs Kurfürsten, Fürsten - - - einen anfang ains gemainen Landfrids zu machen, damit das gantz Rych nach gepurnus und gelegenhait ains yeden landes auch dermassen zu lanndfride, Fride, Sone und aynikait gesatzt und bracht werd.

****** MÜLLER *p. IV. c. XXXIV.*

******* MÜLLER *p. IV. c. XXXVI.*

******** MÜLLER *p. IV. c. XL.*

† MÜLLER *p. IV. c. XLI.* Cum eodem equidem S. H. G. *diss. XXX. §. XL.* posueram Milbenstadti. Verum, WENCKERVS *Apparatu Archiuorum p. 378.* ex Authentico Exemplari, quod Archiuo Argentoratensi continetur potius substituit *Nuwenstadt*, quod Goldastus in Milbenstadt corruperat, prout ipse MULLERVS in Theatro sub Maximiliano I. p. 390. etiam adnotauit.

†† MÜLLER *p. V. c. XV.* De hac Pace ita scribit CAMPANVS legatus Papalis in Germania, *lib. VI. ep. XXI.* scribens: *pacem Germaniae omnibus pronuntiauit, nemini dedit.* S. H. G. *diss. XXX. §. XLII.*

††† MÜLLER *p. V. c. XLIV.*

†††† MÜLLER *p. VI. c. IV.* S. H. G. *diss. XXX. §. LV.*

††††† Tales adducit MÜLLERVS *p. VI. c. XXII. p. 116.*

†††††† S. H. G. *diss. XXX. §. LVIII.* Varia Foedera des S. Georgen-Schilds ad eandem tuendam fuerunt conclusa, quae exhibet LVNIG *im Reichs-Archiv Erst. Cont. andern Forts. p. 75. seqq.* Facit huc etiam *Ainung zwischen Herrn Friderich und Sigismund Marggrafen zu Brandenburg und Graff Eberhard zu Würtemberg, über dem von K. Friderico III. zu Francfurt am Mayn gemachten Landfrieden zu halten de a. 1489.* apud LVNIGIVM *Forts. der andern Contin. p. II.*

††††††† LEHMANN *lib. VIII. c. CXVIII.* MÜLLER *p. VI. c. XL. LI.*

§. XLIV.

His fundamentis ab Antecessoribus, Friderico potissimum III. iactis, vsus Maximilianus, graue hoc de Pace Publica negotium demum perfecit. Viam ad hanc facilius constituendam ipsi praeparauerat pax Egrana atque Francofurtensis, ma-

xime, dum hæc a fœdere Sueuico plurimum promoueretur. Immo, tanto facilius Pacem hancce procurauit Maximilianus, quod media ſimul pro tuenda iſta adhiberet, in quo Anteceſſores ipſius ſolliciti haut fuerant, diuiſionem ſcilicet in Circulos atque conſtituto executionis modo contra fractæ pacis reos. Erectionem inſuper Iudicii Cameralis, coram quo ſinguli Status cauſſas ſuas agerent, eiusdemque deciſionem expectarent, vt neceſſum haut haberent armis experiri. Hic igitur primum anno 1494. pacem publicam Francofurtenſem ſingulari decreto * poſt decennium, in triennium vsque prorogauit. Sed, antequam effluxiſſet adhuc decennium, in Comitiis Wormatienſibus anni 1495. Pacem publicam lege perpetua atque æterna definiuit, ** quæ dicitur *der Königliche Landfriede zu Worms*, atque communi Statuum conſenſu fuit adprobata.

* Inſeruit hoc decretum DATTIVS *lib. I. c. XXIX. n. 36.*

** GERARDVS A ROO *Ann. Auſtr. ad a. 1495.* Integram Hiſtoriam ex ipſis antiquitatum & archiuorum fontibus egregie illuſtrauit DATTIVS *lib. III. IV. & V.* qui in fine libri V. ſubnectit Acta Comitiorum Wormatienſium hactenus inedita. Vid. etiam AD. CORTREII *Obſeruata ad Pacem profanam.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. II. §. XV.*

§. XLV.

Hanc igitur de Pace publica primam Conſtitutionem perpetuam inſecuta fuit *Declaratio Pacis in Comitiis Auguſtæ 1500. facta.* Confirmauit eandem, & quibusdam Capitibus auxit Carolus V. *Ordinatione vom Landfrieden anno 1521.* Inſecuta eſt *Declaratio Pacis Noribergæ 1522.* Confirmatur & illuſtratur iſta *R. I. Auguſtano de a. 1548.* * *& Auguſtano de a. 1551.*** Sic etiam eandem Pacem denuo confirmauit Ferdinandus I. *Auguſtæ 1555.* *** *Ratisbonæ 1557.* **** *Auguſtæ 1559.* ***** Inualeſcentibus de eadem controuerſiis, noua capita

pita adiecit Maximilianus II. *Augustæ 1566. Spiræ 1576.* & Rudolphus II. *Ratisbonæ 1598.* Inde hæc Constitutio Pacis publicæ in singulis Capitulationibus † & pace Westphalica †† denuo fuit confirmata, vt vim ideo adepta fuerit perpetuam, si modo rite semper obseruetur.

* *§. XVII. haben unsern bievor aufgerichteten Landfrieden in etlichen Puncten gebessert, erklehrt und erneuert.*

** §. *XIV.*

*** §. *IV.*

**** §. *LXIX.*

***** §. *V.*

† Caroli VI. *art. XXI.*

†† Art. XVII. §. VIII. *vt etiam pax publica tanto melius conseruari possit, redintegrentur Circuli, & statim ac vndecunque turbarum vel motuum aliqua initia apparent, obseruentur ea, quæ in Constitutionibus Imperii de Pacis publicæ executione & conseruatione disposita sunt.*

§. XLVI.

Consistit autem hæc Pax in publica tranquillitate atque securitate. Prohibentur omnes turbæ, diffidationes, bella intestina. Si quæ autem inter Status controuersiæ, istæ coram Austregis vel Imperii iudiciis determinandæ. Qui contra Pacem publicam egerit, reus fractæ pacis habeatur & banno notetur, de quo infra,* vbi de delictis contra Leges Imperii agendum, pluribus.

* *cap. XXIV.*

§. XLVII.

Proxima erat CONSTITVTIO MAXIMILIANI I. DE NOTARIIS in Comitiis Coloniensibus 1512. publicata, qua definitur, quid ad Officium Notariorum requiratur, quibus instructi esse debeant subsidiis, quid in Instrumentis suis debeant obseruare. †

Eiusdem Maximiliani I. eſt ORDINATIO REGIMENTI, de qua tamen, vbi de Regimento Imperii ſermo erit, †† agendum.

† Repetitur iſta non ſolum in Corpore Receſſuum, ſed etiam apud GOLDASTVM *Tomo I. Conſtit. Imper. f. 222.* LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. Gen. p. 58.*

†† *cap. XXII.*

§. XLVIII.

Maioris momenti eſt PAX RELIGIOSA. Hæc *ſanctio eſt pragmatica Imperii, mutuo Imp. & Statuum conſenſu in Comitiis Auguſtanis anno 1555. concluſa, qua liberum exercitium Sacrorum Statibus æque Pontificiis ac Proteſtantibus conceditur.* Auctorem hæc habet Carolum V. Imp. ita tamen, vt hanc pacem publicam perpetuam aliæ iam dum proceſſerint temporariæ.

§. XLIX.

Prima itaque origo a temporibus Reformationis eſt petenda. Poſtquam enim edictum Comitiorum Wormatienſium a. 1521. contra Lutheri adſeclas nimis durum eſſet, † mitiorem in Comitiis Spirenſibus 1526. acceperunt ſententiam, ſi modo quisque in ſua ſe gerat prouincia, vt Deo & Cæſari reddere poſſit rationem. †† Et licet durius videretur Edictum Comitiorum Spirenſium anni 1529. vt contra illud proteſtarentur Euangelici, qui exinde Proteſtantium nomen fuerunt adepti, ††† ipſi tamen Catholici ſe ad ſeruandam pacem obligarunt. †††† Poſtquam autem Confeſſionem ſuam exhibuiſſent Proteſtantes, negotia Imperii pertractari nolebant, niſi ipſis de religione ſecuritas primum fuiſſet conceſſa. Inde Suinfurti de pace Religioſa menſe Aprili 1532. agi coeptum, ††††† quæ demum d. 23. Iulii 1532. Noribergæ ab Alberto Moguntino & Ludouico Palatino, qui Cæſaris nomine agebant, fuit concluſa, & in Comitiis Ratisbonenſibus adhuc dum durantibus publicata, qua decretum de pace ad Concilium vsque ſer-

ſeruanda. †††††† Hæc poſtmodum varie fuit confirmata, vtpote per *Transactionem Cadamenſem* die lunæ poſt Iohannis 1534. inter Ferdinandum I. & Io. Fridericum, Saxoniæ Electorem concluſam * denuo die 19. Aprilis 1539. Francofurti a Commiſſariis Imperatoriis ** in *R. I. Spirenſi de a. 1541. §. 26. per R. I. Spirenſem* vero de a. 1542. §. *131.* ad quinquennium vsque fuit prorogata. Denuo confirmata per *R. I. Spirenſem de anno 1544. §. 82.* & præcepta per *R. I. Wormatienſem de a. 1545. § 11.* atque ideo vsque ad bellum Smalcaldicum continuata.

† S. H. G. *diſſ. XXXII. §. XV.*

†† S. H. G. *diſſ. XXXII. §. XXXVIII.*

††† S. H. G. *diſſ. XXXII. §. XL.*

†††† R. I. Spiræ de a. 1529. §. 19. *Wir auch Churfürſten, Fürſten, Prælaten, Graffen und Stænde, haben uns einmüthiglich verglichen, und einander in guten Wahren und Treuen zugeſagt und verſprochen, das keiner von Geiſtlichen oder Weltlichen Stand den andern Glaubens halben vergewaltigen dringen oder überziehen ſoll.*

††††† SLEIDANVS *lib. VIII. p. 222.*

†††††† Reperitur iſta Transactio Noribergenſis apud LEHMANNVM *Act. Pac. Rel. lib. I. c. I.* HORTLEDERVM *lib. I. c. X. & XI.* GOLDASTVM *Tom. II. Conſtit. p. 172.* & SCHILTERVM *Hiſt. P. R. lib. I. cap. II. §. 52.* SLEIDANVS lib. VIII. p. 227. *Cæſar pacem publicam totius Germaniæ ſancit, & ne religionis cauſa cuiquam vlla moleſtia creetur, edicit, adusque concilii tempus, aut ſi nullum fiat, tantisper, donec per Ordines Imperii alia fuerit inuenta ratio diſſidium hoc ſanandi.* S. H. G. *diſſ. XXXII. §. XLV.*

* Reperitur iſta apud HORTLEDERVM *lib. III. c. vlt.* GOLDASTVM *Tom. II. p. 177.* SCHILTERVM *cap. II. p. 73.* LVNIGIVM *Reichs-Archiv Cont. p. Gen. p. 635.* S. H. G. *diſſ. XXXII. §. L.*

** HORTLEDER *lib. I. c. XXXII.* SCHILTER *cap. II. §. 25.*

§. L.

Poſtquam igitur per bellum Smalcaldicum Pax iſta plane

ne fuiſſet abolita, atque Proteſtantes, diſſoluto fœdere Smalcaldico, varie ſupprimerentur, Mauritius, nouus Saxoniæ Elector, vt ſibi, atque Proteſtantium proſpiceret ſecuritati, fœdere cum Henrico II. Gallorum Rege, & quibusdam Germaniæ Principibus concluſo, Imperatorem adortus, illud poſtulabat, vt religionis componeret diſſidium. Mediante igitur Ferdinando I. primum Lincii cum Mauritio de pace actum, ſed, cum nondum conueniret, Paſſauii demum a. 1552. fuit transactum, his potiſſimum conditionibus, vt pacem colant omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibeatur moleſtia: quod autem in Comitiis intra ſextum menſem habendis, de pacandæ religionis modo, communi Ordinum conſilio, & interueniente Cæſaris authoritate, decretum fuerit, nimirum, vt placidis & piis & æquis rationibus componatur diſſidium, id firmum ſit atque ratum.* Hæc eſt iſta TRANSACTIO PASSAVIENSIS, der *Paſſauer Vertrag*, ** ad quam toties prouocatur in Actis Publicis. Hæc, licet inter Ferdinandum I. ſaltim atque Mauritium concluſa, ab Imp. tamen atque Statibus ratihabita, in Capitulationibus & Pace Weſtphalica confirmata. Tria eiusdem ſunt Exemplaria authentica: primum pro Imperatore, alterum pro Imperio, tertium pro Mauritio Electore. ***

* SLEIDANVS *lib. XXIV. p. 784.*

** Integram exhibuit LEHMANNVS *Actis P. Rel. lib. I. c. I.* GOLDASTVS *p. II. der Reichs-Satzungen p. 257.* SCHILTERVS *Hiſt. Pacis Rel. cap. II. §. 31.* Extat quoque in corpore Receſſuum Imperii *p. 535.* eandemque cum obſeruationibus exhibuit IO. STRAVCHIVS, ADAMVS CORTREIVS. S. H. G. *diſſ. XXXII. §. XCII.*

*** In fine Transactionis: *der eine Vertrags-Brieff Rœm. Kayſerl. Maieſtæt, der ander gemeinen Stænden, und der dritte bemeldten Churfürſten von Sachſen, und ſeinen Mitverwandten zugeſtellt worden.*

§. LI.

§. LI.

Dum autem de plene componendo religionis dissidio, ad Imperii Comitia esset prouocatum, agebatur de eodem in Comitiis Augustanis anno 1555. quibus Securitas & liberum Exercitium Religionis Protestantibus non solum confirmabatur, sed etiam PAX RELIGIONIS in perpetuum stabiliebatur, & Protestantes à iugo Papali plane eximuntur. Confirmatur eadem Constitutione etiam Pax Profana, & quo securior sit vtraque pax, certus executionis modus præscribitur, qui seruari debeat, vbi quid contra pacem vel publicam, vel profanam fuerit actum.*

* Extat hæc constitutio integra in Corpore Recessuum *p. 543*. Eandem cum Obseruationibus edidit IO. LIMNÆVS *lib. I. c. XIII. n. 16. seqq.* & ADAMVS CORTREIVS, qui separatim de Pace Religiosa & Ordinatione executionis commentatur. Præcipuos articulos qui ad Statum Religionis faciunt, inseruit SCHILTERVS *cap. II. §. 34.* Summam complectitur SLEIDANVS lib. XXVI. p. 856. *propter Augustanæ confessionis doctrinam, religionem atque fidem, Cæsar, Ferdinandus rex, cæterique principes ac ordines, neminem totius Imperii quocunque modo violent, nec ad deserendam religionem suam, ceremonias atque leges, quas in sua ditione vel iam instituerunt vel posthac instituent confessionis Augustanæ socii, mandatis, aut alia quauis ratione cogant, neue contemnant etiam, sed hanc religionem illis liberam permittant, simulque bona, facultates, vectigalia, possessiones atque iura, sic vt pacate possint eis vti frui: dissidium quoque religionis non aliis quam piis, amicis & tranquillis rationibus componatur.* S. H. G. *diss. XXXII. §. XCIX.* Nugatur IO. FRID. BESSELIVS, dum *in Iure Publico Ecclesiastico diss. II. §. I. p. 81.* Protestantes per hanc pacem in foro interno immunes fuisse factos dicit, secus de foro externo. Plures Quæstiones circa pacem hanc Religionis proponit BRÜCKNERVS *Curiosis I. P. §. XII.*

§. LII.

Inserebatur huic Constitutioni Clausula quædam, quæ vul-

vulgo adpellari ſolet, RESERVATVM ECCLESIASTICVM *der geiſtliche Vorbehalt* * qua decretum, vt ſi quis Archi-Epiſcopus, Epiſcopus, Prælatus vel quicunque beneficium quoddam eccleſiaſticum poſſideat, relicta Pontificiorum religione ad Proteſtantes tranſeat, ipſum, ſalua tamen exiſtimatione, priuari debere Archiepiſcopatu, epiſcopatu, prælaturis & quibuscunque beneficiis eccleſiaſticis. Hanc clauſulam, intercedentibus licet Proteſtantibus, ** qui Autonomiam, *die Freyſtellung* vrgebant, ex Imperiali poteſtate decreuit Imperator, eandemque integram Conſtitutionem ſine reſeruato ſubſcribentes Proteſtantes, tacite adprobarunt.

* Continetur hæc clauſula §. XVIII. *wo ein Ertz-Biſchoff, Biſchoff, Prælat, oder ein anderer geiſtlicher Stand, von unſer alten Religion abtreten würde, das derſelbe ſein Ertz-Biſtumb, Biſtumb, Prælatur, und andere Beneficia, auch damit alle Frucht und Einkommen, ſo er davon gehabt, alsbald ohn einige Widerung und Verzug, iedoch ſeinen Ehren unnachtheilig, verlaſſen, auch den Capituln und denen es von gemeinen Rechten, oder der Kirchen und Stifft Gewohnheiten zugehært, ein Perſon der alten Religion verwandt, zu wehlen und zu ordnen zugelaſſen ſeyn.*

** Agitationem hac de re vide apud SLEIDANVM *lib. XXVI. p. 854.* Plenius VLRICVS OBRECHTVS *de Reſeruato Eccleſiaſtico.* CORTREIVS *Obſ. ad Pacem Religioſam p. 99.* LEHMANNI *Acta Pacis Religioſæ c. XIII. ſeqq.* S. H. G. *diſſ. XXXII.* § *XCIX.* LVNIG *im Reichs-Archiv Cont. p. Gen. p. 909.*

§. LIII.

Hæc autem Pax Religionis varie fuit declarata atque in diuerſis Imperii Comitiis diuerſimode adprobata, vtpote in *R. I. Ratisbonenſi de a. 1557.* §. *69. R. I. Auguſtæ de a. 1566.* §. *1. R. I. Ratisbonæ de a. 1641.* §. *15.* * Præcipue vero per Capitulationes & Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ hæc pax Religionis clariſſime confirmatur, ** ita, vt in quibusdam æque

æque declaretur, dum ipſa Pax & ſecuritas Religionis ad Reformatos, Reſeruatum Eccleſiaſticum ad Proteſtantes quoque extenderetur. Non ergo habent quod criminentur Pontificii, extortam eſſe Pacem Religionis, quæ non ſolum libero conſenſu fuit concluſa, ſed etiam tot legibus Imperii confirmata.*** Potius de violata hac Pace ſæpius conqueſti fuerunt Status Euangelici. †

* Extat Declaratio Ferdinandi I. Imp. ad Grauamina Statuum Euangelicorum inter LEHMANNI *Acta Pacis Religioſæ p. II. c. III.*

** Digna ſunt verba art. V. §. I. quæ hic adducantur: *Transactio anno milleſimo quingenteſimo ſecundo, Paſſauii inita, & hanc Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto ſecuta Pax Religionis, prout ea anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto Auguſtæ Vindelicorum & poſt in diuerſis Sacri Romani Imperii Comitiis vniuerſalibus confirmata fuit, in omnibus ſuis Capitulis vnanimi Imperatoris, Electorum, Principum & Statuum vtriusque religionis conſenſu initis ac concluſis rata habeatur, ſancteque & inuiolabiliter ſeruetur.*

*** Iniurii in Pacem Religioſam fuerunt FRANCISCVS BVRCARDVS potiſſimum *de Autonomia*, & ICti Dillingenſes in *compoſitione Pacis*, quibus tamen præter SYRINGIVM ſatis reſpondet SCHILTERVS integro capite tertio de iuſtitia pacis religioſæ. Vid. *Bibl. Iurid. cap. XIV. §. XXXV.*

† Teſtantur de eo CHRISTOPHORI LEHMANNI *Acta Pacis Religioſæ, Francofurti 1707. f.* denuo recuſa, quæ diuerſa Statuum Euangelicorum Grauamina continent. Plura videmus apud LONDORPIVM, FABRVM, THVCELIVM, aliosque Actorum Publicorum Collectores. Diuerſas Iuris Quæſtiones circa Pacem Ciuilem æque ac religioſam expoſuit IO. DECKHERRVS *in Conſultationum Forenſium libris duobus, Francofurti 1691. 4.*

§. LIV.

Huic Paci Religionis inſerta quoque eſt ORDINATIO EXECVTIONIS, *des Heil. Rœmiſchen Reichs Executions-Ordnung.* Dum enim vana eſſet Pacis Conſtitutio, ſine iſtius executio-

ne, Carolus V. Imp. in Comitiis Noribergensibus anno 1522. iamdum talem Ordinationem publicauerat, qua ratione contra publicæ Pacis turbatores procedendum. † Ast, conclusa Pace Religiosa, dicta Ordinatio insimul in iisdem Comitiis sigillatim fuit statuta, atque Recessui Augustano anno 1555. §. XXXIII. ad finem vsque inserta. †† Decernitur in eadem, qua ratione contra istos sit procedendum, qui contra pacem profanam vel religiosam quidpiam attentare fuerint ausi, & qua ratione Executio contra fractæ pacis reos a Duce Circuli, in quo motus fuerint orti, vel si circumstantiæ postulent, vicinorum etiam Circulorum sit suscipienda. Secundum hanc Ordinationem Executio in caussa Monasteriensi contra Anabaptistas ††† & Grimmensteinensi †††† ab Imperio fuit decreta. Vi istius Ordinationis Palladium satis firmum debiliores Status contra potentiores facile inuenirent, omnesque motus compescerentur, si modo rite semper fuerit obseruata. Confirmatur hæc Ordinatio Executionis in R. I. Augustano 1559. Wormatiensi 1564. Augustano 1566. Spirensi 1570. Ratisbonensi 1576. Augustano 1582. Ratisbonensi 1594. atque Capitulationibus. ††††† Immo ipsi Circuli ad tuendam hancce Executionis Ordinationem per singulares Recessus sese obligarunt. Facit eo Recessus Circuli Sueuici Vlmensis d. 22. Nouembris 1563. in quo etiam certus Executionis modus constituitur. †††††† In Comitiis Ratisbonensibus a. 1653. de Ordinatione hacce ad meliorem firmitatem redigenda fuit deliberatum, atque per R. I. nouissimum decretum, vt in singulis Circulis hoc negotium tractaretur, quidquid conclusum Imp. atque Electori Moguntino significaretur, * quo in proximis Comitiis illud denuo proponi, atque commune Conclusum fieri possit. Factum hoc in Conuentu Circuli Saxoniæ Superioris 6. Nouembris 1654. Lipsiæ instituto, atque Lüne-

Lüneburgi in Conuentu Circuli Saxoniæ Inferioris, ** in Comitiis vero nihil vlterius decretum.

† Extat ista in Corpore Recessuum p. 179. & in LVNIGII *Reichs-Archiv p. Gen. Cont. I. p. 161.*

†† In Corpore equidem Recessuum hanc Ordinationem Recessui dicto videmus insertam. Separatim illam primus edidit atque illustrauit ADAMVS CORTREIVS parte quarta Corporis Iuris Publici, & LVNIGIVS *Reichs-Archiv p. Gen. p. 141.*

††† S. H. G. *diss. XXXII. §. LI.*

†††† S. H. G. *diss. XXXIII. §. XXIV.*

††††† Iosephina *art. II.* Carolina *art. XII. XXI.*

†††††† Inseruit cum Corpori Iuris Publici *Tomi I. P. IV.* ADAMVS CORTREIVS.

* *§. CLXXXV.*

** Vtrumque Recessum exhibuit CORTREIVS *p. 116.*

§. LV.

Dantur etiam ORDINATIONES atque REFORMATIONES POLITICÆ. Sigismundus equidem Imp. post tot exorta Statuum Grauamina, per Fridericum a Landskron a. 1440. Reformationem componi fecit atque publicari, quæ tamen in effectum haut fuit deducta. † Nouam Reformationem in Comitiis Francofurtensibus an. 1442. publicauit Fridericus III. Imp. †† In celebratis istis Comitiis Augustanis a. 1530. Reformationem Politiæ publicauit Carolus V. ††† Imperator, in Comitiis Francofurtensibus 1577. Rudolphus II. †††† Postquam in Pace Westphalica negotium illud ad proxima Comitia fuisset reiectum, ††††† in Comitiis a. 1652. & 1653. illud equidem fuit pertractatum, sed per Recessum Imperii nouissimum ad proximum conuentum Deputationis remissum, * ast, ob Statuum contentiones irrito conatu. In Comitiis adhuc durantibus a. 1666. materia ista in Tractationem iterum venit, actum

etiam fuit de caussa duellorum, commerciorum, opificiorum, varia de hisce hinc inde inter Collegia fuerunt agitata,** nihil tamen de Reformatione generali Politica adhuc fuit conclusum.

† S. H. G. *diss. XXIX.* §. *XXX.*
†† S. H. G. *diss. XXX.* §. *VII.*
††† S. H. G. *diss. XXXII.* §. *XLIII.* Extat apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv Cont. p. Gen. p. 566.*
†††† LVNIGS *Reichs-Archiv p. Gen. p. 412.*
††††† *Art VIII.* §. *III.*
* *§. CXCV.*
** Quid in Comitiis adhuc durantibus fuerit actum, exponit Auctor Meditat. ad I. P. p. 1268. potissimum in *Specim. VIII. Mant. III.* sub titulo: *Historischer Bericht, was auff noch fürwæhrendem Reichs-Tag mit Verbesserung der Policey-Ordnung vorgangen 1666.*

§. LVI.

Reperiuntur æque in Imperio nostro ORDINATIONES MONETARIÆ, quibus decernitur, qua lege Status Imperii, quibus condendi Monetam facultas competit, eandem exercere debeant, decernitur etiam de valore monetarum probarum vel reprobarum. Talis est Ordinatio Monetaria Caroli V. in Comitiis Augustanis 1551. * decreto singulis Monetis valore. Ordinatio Monetaria Ferdinandi I. in Comitiis Augustanis 1559. ** Mandatum Maximiliani II. ex decreto Comitiorum Spirensium 1571. *** Licet eiusmodi Ordinationes Monetales hodie potius publicentur Circulares atque Prouinciales, quam Imperiales.

* Extat in LVNIGII *Reichs-Archiv p. Gen. Cont. p. 890.* licet ex Procemio Ordinationis Ferdinandi pateat, illam ad effectum haut fuisse deductam.
** Extat in Corpore Recessuum *p. 699.* & in LVNIGII *p. Gen. p. 334.* neque tamen ista ad effectum fuit deducta, prout ex R. I. Augustano. *a. 1566. §. 148.* patet.
*** Extat in Corpore Recessuum *p. 843.*

§. LVII.

§. LVII.

Reſtat nunc inter Leges Imperii fundamentales PAX WESTPHALICA. Hæc *publica & ſolennis eſt conuentio inter Imp. atque Status Imperii inter ſe & cum Regibus Galliæ & Sueciæ a. 1648. Oſnabrugæ & Monaſterii inita, qua iura Imperii, Statuum atque religionis ſanciuntur, ea, quæ ſenſim introducta, confirmantur, controuerſiæ Statuum inter ſe componuntur & quæ ſint fundamenta iuris inter Germaniam, Galliam, Sueciamque definiuntur, quæ poſtea Receſſu Imperii nouiſſimo confirmata, vniuerſalis Imperii Legis vim obtinuit.* *

* R. I. NOVISSIMVS §. 6. *vor ein gegebenes Fundamental-Geſetz des H. Reichs, und immerwæhrende Richtſchnur und ewige Norma iudicandi ſtæt, veſt, und ohnverbrüchlich gehalten.*

§. LVIII.

Binis autem locis hæc Pax Weſtphalica concludebatur, Oſnabrugæ & Monaſterii, * idque partim ob euitandas colliſiones inter Reges paciſcentes, partim, quod Sueci & Proteſtantes Nuntium Papalem admitti nollent. Oſnabrugæ etiam cum Suecis & Proteſtantibus, Monaſterii cum Gallis atque Catholicis agebatur, ita tamen, ne ſingulatim paciſcerentur, ſed vtrinque pax eſſet communis. Licet autem vtraque pacis Inſtrumenta Oſnabrugenſe atque Monaſterienſe, Receſſu Imperii nouiſſimo fuerint confirmata, præcipuum tamen eſt *Oſnabrugenſe*, ad quod in Actis Publicis ſolet prouocari.

* Integram hiſtoriam ſcripſit TOBIAS PFANNERVS. S. H. G. *diſſ. XXXVI. §. XXXVIII. XXXIX.*

§. LIX.

Hoc autem *Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſe* trina potiſſimum continet. Definit enim controuerſias inter Impe-

rium & Regnum Sueciæ, controuersias inter Imperatorem & Status, controuersias Statuum inter se. Pertractantur eodem præter generalia Pacis, ea quæ ad amnestiam faciunt atque depositionem hostilitatis, definiuntur eodem vel caussa Religionis, vel iura Statuum, vel satisfactio atque restitutio Coronæ Suecicæ & Statuum Imperii.

§. LX.

In caussa Religionis primum considerandum, quod tres Religiones, Lutherana, Catholica atque Reformata, fuerint receptæ, ita quidem, vt nulla alia toleretur. * Secundo, de bonis ecclesiasticis, quæ post transactionem Passauiensem Protestantibus obuenerunt, & restitui volebant Pontificii, statutum, vt Terminus restitutionis sit dies prima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, qui exinde vocatur *annus decretorius*, ipseque *terminus criticus*, vt bona ecclesiastica in eundem statum restituantur, qui fuit isto tempore. ** Tertio Reseruatum ecclesiasticum ad Protestantes æque fuit extensum. *** Quarto Ecclesiis Silesiacis sub certis conditionibus liberum religionis exercitium fuit concessum. ****

* Art. VII. §. 1. *Vnanimi quoque Cæsareæ Maiestatis, omniumque Ordinum Imperii consensu, placuit, vt quicquid iuris aut beneficii, cum omnes aliæ Constitutiones Imperii, tum Pax Religionis & publica hac Transactio, in eaque decisio Grauaminum, cæteris Catholicis & Augustanæ Confessionis addictis Statibus & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.* Et in fine §. 2. *præter Religiones supra nominatas nulla alia in Sacro Romano Imperio recipiatur vel toleretur.* Quid circa receptionem Reformatorum fuerit actum, ex publicis Actis exposuit MÜLLERVS *Staats-Cabinet IV. Eræffnung §. III.*

** Art. V. §. 2. Egit de eodem singulari dissertatione IO. SCHILTERVS, quæ eiusdem Historiæ Pacis religiosæ accessit.

*** *Art. V.* §. 15. Protestantes equidem hanc clausulam Reseruati Ecclesiastici plane aboleri volebant, quod tamen denegabant Pontificii.

Scripta

Scripta inter vtrosque tunc promulgata exhibet LVNIG in *Grundfeste Europ. Potentzen Gerechtsame p. I. c. II. p. 128.* Qua ratione Reseruatum hocce nuper demum obtinuerit, postquam Mauritius Guilielmus mutata Religione, Numburgensi Episcopatu excidisset, vel omnibus constat, prout etiam EL. IVR. PVBL. docent *Tomo VI. p. 209.*
**** *Art. V.* §. 38.

§. LXI.

Iste vero Terminus Restitutionis modum decernit qui ratione Religionis vel bonorum Ecclesiasticorum, inter Catholicos atque Protestantes sit obseruandus, * vt ideo Protestantes inter se ad eundem prouocare nequeant; ** cum ratione Reformatorum per art. VII. fuisset decretum. *** Hinc, nec in terris Euangelicorum religio Pontificia, nec in terris Pontificiorum religio Euangelica contra statum dicti termini potest introduci. Quare etiam Burscheidense Templum Reformatorum prope Aquisgranum, eo quod illud demum a. 1630. fuisset extructum, iussu Caroli VI. Imp. paucos ante annos fuit dirutum. **** Nouiter etiam fuit disputatum, an terminus iste solam religionem atque bona Ecclesiastica concernat, quæ in eo statu remanere debeant, prout in dicto Termino fuerint, an vero circa externa etiam valeat. Quo facit Controuersia Augustana de imaginibus Vdalrici & Afræ restaurato ab Euangelicis templo iterum adpingendis, ***** Controuersia Nördlingensis de Mariæ Statua ****** domui Ordinis Teutonici in eadem vrbe nouiter augustiori forma imposita, dum I.P. præscribat, ne quis alterius Religionis adseclas de cæremoniis vel ritibus suis deturbet. † Licet ex mandato Iudicii Aulici statua ista, quam Magistratus Nördlingensis propria auctoritate deponi fecerat, fuerit restituta, saluo tamen petitorio. Postquam autem hac in caussa Commissio Cæsarea decreta esset, inter vtramque partem ita conuenit, vt statua Mariæ minori forma, nubibus insidens, Ordinis insignibus super porta Domus positis, insereretur.

*Pa-

* Patet hoc ex integro tenore articuli V. §. 1. vbi semper de Statibus vtriusque Religionis fit sermo & §. 2. *fiat itaque restitutio omnium Electorum, Principum & Statuum vtriusque Religionis, comprehensa libera Imperii nobilitate, vt & communitatibus & pagis immediatis plenarie & pure, cassatis omnibus interim in istiusmodi caussis latis, publicatis & institutis sententiis, decretis, transactionibus, pactis seu deditiiis, seu aliis, & executionibus, reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta.* Quare etiam in controuersia Ciuitatis Rauensburgensis contra Carmelitas ad hunc terminum fuit prouocatum prout ELECTA I. P. docent *Tom. VII.* p. *831.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXII.*

** Idem demonstrarunt Theologi Palatini Euangelicæ Religionis contra Reformatos in Palatinatu, *im hellglæntzenden Wahrheits-Spiegel*, cuius contenta recensent ELECTA I. P. *Tomo I. p. 109.* Prouocant ad PVFENDORFIVM *de rebus Suecicis lib. XVIII. §. CVI. lib. XX.* §. *LXXXIX.*

*** Ibidem enim decernitur, quod pacta cum subditis inita, priuilegia, reuersales & dispositiones aliæ obseruari debeant, quod si vero de futuro Status quidam religionem mutet, fieri hoc debere saluo iure Religionis prioris.

**** ELECTA IVR. PVBL. *T. VI. p. 759.*

***** Quid in hac caussa actum exponunt ELECT. I. P. *Tom. IV. p. 525.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XV. c. X.*

****** De hac controuersia FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXXI. c. VII.* ELECTA IVR. PVBL. *Tom. XI. p. 730.*

† Art. X. §. XXIX. *Neutrique partium alteram de Religionis suæ exercitio, Ecclesiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas sit, sed ciues pacifice & comiter inuicem cohabitent, liberumque Religionis suæ & bonorum vsum vltro citroque habeant.*

§. LXII.

Iura Statuum vero, quæ partim ab antiquo, partim etiam sensim introducta, articulo octauo penitus confirmantur, ita, vt plura, quæ olim consuetudine introducta, nunc tanquam ex lege valeant. Concessum autem per §. Gaudeant * Statibus liberum iuris territorialis, tam in ecclesiasticis con-

quam politicis exercitium, iura Comitialia confirmantur, vt nihil in rebus maioris momenti sine Statuum fiat consensu. Reliqua de emendandis Comitiis, electione Regis Romanorum, Capitulatione perpetua, declaratione Status in bannum, redintegrandis circulis, renouanda matricula, reducendis Statibus exemptis, moderatione collectarum, reformatione politica, & similibus, ad proxima Comitia fuerunt reiecta, ** licet nihil adhuc definitum. Agebatur de iisdem etiam in Comitiis a. 1653. sed nihil effectum. In Deputatione Imperii Francofurtensi a. 1655. instituta, eadem pertractabantur, sed omnia erant frustranea, cum dictus Conuentus negotiis istis nondum decisis dissolueretur. ***

* Insignis est iste §. qui Statuum Iuribus plurimum fauet, atque talis est: *Gaudeant sine contradictione iure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim vbi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, noua munimenta intra Statuum ditiones exstruenda, nomine publico, veteraue firmanda præsidiis, nec non vbi Pax aut fœdera facienda, aliaue eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile post hac vnquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu, cumprimis vero ius faciendi inter se & cum cæteris fœdera, pro sua cuiusque conseruatione ac securitate singulis Statibus perpetuo liberum esto, ita tamen, ne eiusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium pacemque eius publicam, vel hanc imprimis Transactionem, fiantque saluo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.*

** *Art. VIII. §. III.*

*** S. H. G. *diss. XXXVI. §. XLV.*

§. LXIII.

Tertio restituebantur Status ex prouinciis suis eiecti, atque inter hosce Elector Palatinus, ita tamen, vt pristinum locum Bauaro cedere necessum haberet, ipseque locum octa-

 uum

vum & vltimum occuparet. Pleræque aliæ illuſtrium controuerſiæ definiebantur, qui fit, quod in Actis publicis ad eandem pacem quam ſæpiſſime prouocetur. Suecis in compenſationem ſumtuum militarium concedebantur Archiepiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis ſeculo addicti, Pomerania citerior vna cum dynaſtia Wiſmarienſi & quinque myriadibus thalerorum. Brandenburgicus Elector præter Pomeraniam vlteriorem, quæ ipſi ex pacto hæreditatis obueniebat, loco citerioris adipiſcebatur Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem, Epiſcopatum Halberſtadienſem, Mindenſem, Caminenſem, vna cum Comitatu Rheinſteinenſi & Hohenſteinenſi. Duces Brunſuico-Luneburgenſes Oſnabrugenſem Epiſcopatum per alternationem adminiſtrandum vna cum Abbatia Walckenriedenſi obtinebant. Megapolitani Duces pro Wiſmarienſi dynaſtia accipiebant Epiſcopatus, Suerinenſem & Ratzeburgenſem, ſeculo addictos. Landgrauius Haſſo-Caſſellanus Abbatiam Hirſchfeldenſem cum Comitatu Schaumburgenſi. Saxoniæ Elector dynaſtiam Querfurtenſem vna cum præfecturis Burggrauiatus Magdeburgenſis. *

* Ad Hiſtoriam Pacis faciunt CHRISTOPHORVS FORSTNERVS in epiſtolis, PVFENDORFIVS in Hiſtoria Suecica, & TOBIAS PFANNERVS. Commentati ad eandem fuerunt PHILIPPVS ANDREAS OLDENBVRGERVS, AHASVERVS FRITSCHIVS, VLRICVS OBRECHTVS, GODOFREDVS FERDINANDVS de BVCKISCH, IACOBVS OTTO, & præcipue HENRICVS HENNIGES. Vid. etiam S. H. G. *diſſ. XXXVI. §. XXXVIII.*

§. LXIV.

Alterum Pacis Inſtrumentum eſt *Monaſterienſe*, quod cum Gallis concluſum, quo eadem Statuum iura in Politicis atque Eccleſiaſticis fuerunt confirmata, de reſtitutione domus Palatinæ, Ducum Würtenbergenſium, Marchionum Badenſium decernitur, Alſatia, ſaluo iure Ciuitatum Imperialium, Gallis ceditur. *

* Acta Pacis Monasteriensis describuntur in scripto, sub hoc titulo edito: *Actes & Memoires touchant la Paix de Münster a Amsterdam 1710. 8.* Licet ista saltim Acta contineant, quæ a parte Gallorum publicata. In FELLERI Monumentis ineditis Trimestri sexto reperitur GEORGII HENRICI LVDOLPHI Opusculum *de Tractatu pacis Monasteriensis.* Durantibus Ryswici Pacis Tractatibus prodibant *Reflexions sur le proiet de Paix dressé par la France*, quibus auctor demonstrare voluit, hanc Alsatiæ cessionem fontem esse malorum atque bellorum insecutorum, ex qua vnionum atque reunionum suarum fundamenta quæsiuerint Galli, atque vlterius in viscera Germaniæ irrumpendi occasionem. S. H. G. *diss. XXXVI.* §. *XXXIX. XL.*

§. LXV.

Neque tamen saltim conclusa fuit pax Westphalica, sed statim etiam executioni mandari cœpta, quæ anno demum 1650. ad finem peruenit, atque primus Recessus Executionis *erster Friedens-Executions-Haupt-Receß* Noribergæ d. 21. Septembris 1649. Alter vero, *anderer Friedens-Executions-Haupt-Receß* publicatus est Noribergæ 16. Iunii 1650. vterque Recessu Imperii nouissimo * atque in Capitulationibus nouissimis ** confirmatus. Intercedere quidem contra hanc pacem conabatur Innocentius X. Bulla d. 26. Nouembris 1648. euulgata, qua pacem Westphalicam infringere conabatur, sed frustraneo successu. ***

* Art. XVII. §. 2. *pro maiori etiam horum omnium & singulorum pactorum firmitudine & securitate, sit hæc Transactio perpetua lex & pragmatica Imperii sanctio, inposterum æque ac aliæ Leges & Constitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii Recessui ipsique Capitulationi Cæsareæ inserenda, obligans non minus absentes, quam præsentes.* Insertio ista facta fuit post §. 5.

** Leopoldi *art. II.* Iosephi *art. II.* Caroli VI. *art. II.*

*** Examinarunt eandem Bullam papalem IO. HORNBECK, AMANDI FLAVIANI sub nomine DAVID BLONDELLVS, atque LVDOVICVS DE

MONTESPERATO siue BENEDICTUS CARPZOVIUS. S. H. G. *diss. XXXVI. §. XXXVIII.*

§. LXVI.

Insecuta est PAX NOVIOMAGENSIS, de anno 1679. cuius iterum bina sunt Instrumenta: alterum cum Gallis, alterum cum Suecis d. V. Februarii conclusum. Hæc tamen non tam Lex fundamentalis est Imperii, quam potius, vt post pacem Westphalicam fundamentum præbeat iuris inter Germanos atque Gallos & Suecos. Firmatur tamen eadem pax Westphalica, sed iure præsidii Galli cedunt in castrum Philipsburg, ita tamen, vt Friburgum Brisgoiæ retineant. * Hæc pax licet primitus sine Statuum consensu fuerit conclusa, ratihabita tamen Concluso trium Collegiorum 23. Martii 1679. ** futuro Recessui inserenda.

* Scripsit historiam pacis Nouiomagensis DIDIER. Sic etiam prodierunt *Actes & negotiations de la Paix de Nimegue.* Nouiter lucem adspexerunt *Lettres & Negociations de Messieurs le Marechal d' Estrades, Colbert, Marquis de Croissy & Comte d' Avaux, a la Haye 1710. 8.* qui legati Gallici erant, sed desunt illorum instructiones, quæ tamen potiorem partem constituere deberent. Ad pacis Tabulas fuerunt commentati AHASVERUS FRITSCHIUS & ADAMUS CORTREIUS.

** Extat Conclusum Actes & Memoires *Tom. III. p. 532.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. XLVI.*

§. LXVII.

Dum autem post pacem Nouiomagensem, Argentoratensem vrbem occuparet Rex Gallorum, de Pace quidem in Conuentu Francofurtensi anno 1682. actum fuit, sed irrito cum successu. Inde vero d. 15. Augusti 1684. ARMISTITIUM vicennale Ratisbonæ fuit conclusum, eodemque Argentoratum cum fortalitiis adiacentibus Gallis fuit relictum, vsque dum aliud quid conuentum. *

* S. H. G. *diss. XXXVII. §. LVI.*

§. XLVIII.

§. LXVIII.

Nondum finitum erat quadriennium, cum nouum bellum PACI RYSWICENSI daret occasionem, quæ d. 30. Octobr. 1697. in palatio Neuburgensi prope Ryswicum fuit conclusa. * Hæc fundamentum præbet iuris publici inter Gallos ac Germanos. Restituuntur omnes Status Imperii, quorum terras, durante bello, occupauerant Galli, abolentur Vniones, Argentoratensis tamen vrbs Gallis plenario iure ceditur. Hæc, licet consensu Statuum conclusa, scrupulum tamen clausula IV. articuli dedit: *religione tamen Catholica Romana in locis sic restitutis, in statu quo nunc est, remanente*, quæ in prælegendo Pacis tractatus, a Gallorum legatis, conniuentibus Imperatoriis fuit inserta, contra quam Euangelicorum Statuum Legati statim fuerunt protestati, qui etiam Würtenbergico, Wetterauicorum Comitum & Francofurtensis Ciuitatis adlegatis exceptis, sine subscriptione discesserunt. ** Licet non desint, qui Catholicis, rupta potissimum a Gallis pace Ryswicensi, nullam exinde actionem esse putent. *** Alii de simultaneo Religionis cultu intelligunt, † saluis ecclesiis, bonis ecclesiasticis atque iuribus Protestantium.

* Ad historiam pacis Ryswicensis faciunt *Les Actes & Memoires des Negotiations de la Paix de Ryswic, à la Haye 1707. 12.* in cuius Tomo II. Avertissement sub initium. *Les Conferences se tiendroient dans vne Maison du Roy d' Angleterre nommée la Maison de Neubourg, parce qu' vn Duc de Neubourg y mit la premiere pierre, lors que le Prince d' Orange Frideric Henri la fit bâtir.* Commentatus est in Tabulas Pacis AHASVERVS FRITSCHIVS & ADAMVS CORTREIVS, vtrique tamen parum felici successu. S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV.*

** ACTES & MEMOIRES *Tom. IV. p. 116.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. III. Tom. IX.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXXXV.*

*** FABER *Tomo IV. p. 541.*

† Obſeru. Halenſ. Tomo V. obſ. V. ELECTA I. P. *Tom. II. p. 477.* Commentatus in hanc clauſulam quarti articuli & ADAMVS CORTREIVS.

§. LXIX.

Sæpius inde de abolenda hacce clauſula ſolliciti fuerunt Status Euangelici, de hoc etiam ſubinde in Comitiis a. 1698. & 1699. fuit actum, * atque decretum, vt per ſex vtriusque Religionis delegatos cauſſa illa examinaretur atque decideretur. Dum autem Catholicos inter & Euangelicos non conueniret, ſecundum quam normam controuerſia iſta ſit decidenda, Proteſtantibus pacem Weſtphalicam pro fundamento haberi volentibus, ita tamen, vt, dum Catholici in dictis locis a Gallis reſtitutis, poſſeſſionem retinuerint, atque Religionis exercitium magis magisque extenderint, Proteſtantibus non niſi Grauamina fuerint relicta. Redintegrabatur hæc cauſſa in Comitiis an. 1702. potiſſimum dum de Pace agi cœptum, atque laborabant Euangelici, vt Clauſula iſta vel aboleretur, vel a Catholicis in melius declararetur. ** In Præliminaribus Hagæ Comitum a. 1709. negotium hocce ad Tractationem Pacis Generalis remittebatur. *** In Capitulatione Carolina contra clauſulam hancce quæuis competentia ſibi reſeruabant Status Euangelici. **** Traiecti Euangelicorum Legati cum Anglis de abolenda hac clauſula plurimum agebant, varii etiam a. 1712. præſente Briſtolienſi Epiſcopo & Sintzendorffio Comite, inſtituti fuerunt deſuper Conuentus, inter poſtulata etiam Anglorum Reginæ atque Belgarum erat, vt clauſula iſta aboleretur, ***** nihil tamen iſto tempore obtineri potuit, quam vt Galli in pace Traiectenſi cum Boruſſorum Rege, Anglis, Belgisque concluſa, ****** hanc ſibi mentem eſſe declararent, vt pax Weſtphalica tam in ſacris quam profanis ſarta tectaque permaneret nulla dictæ clauſulæ facta mentione.

* Quid

* Quid inter Catholicos atque Euangelicos hac de caussa in Comitiis a. 1698. & 1699. fuerit pertractatum, exhibetur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IV. c. X.* Lettres Histor. *Avril 1698. p. 405. May p. 524. Ianv. 99. p. 81. Fevr. p. 162. Avril p. 548. Iuillet p. 48.*

** Acta in Comitiis & qua ratione vtriusque religionis status sese declarauerint, exhibent ELECTA I. P. *Tom. II. p. 508.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XV. c. II. Tom. XXIII. c. X.* THVCELII *Acta Publica Tomo II. c. I.* LVNIG *Reichs-Archiv p. Gen. Cont. II. Forts. p. 329.*

*** Art. XIII. *La Reyne de la Grande Bretagne & les Seigneurs Etats Generaux, soutenant que la clause inserée dans l' article IV. du Traité de Ryswick, touchant la Religion, est contre la teneur de la Paix Westfalie, & que consequemment, elle devoit étre revoquée, il a trouvé bon que cette affaire sera remise à la Negotiation de la Paix generale.*

**** Art. IV. *denen Reichs-Fundamental-Gesetzen und Frieden-Schlüssen, (worunter doch die Augspurgischen Confessions-Verwandten den Ryswickischen Frieden nicht verstanden haben wollen,) die Catholischen aber sothane Reservation an seinen Ort ausgestellet seyn lassen.*

***** Talis Conuentus institutus 3. Martii 1712. & 7. Aprilis, de quibus Diarium Pacis Traiectensis *p. 83. p. 282.* Inter Postulata Anglorum idem erat ACTES ET MEM. DE LA PAIX D' VTRECHT *Tom. I. p. 213.* Belgicorum *p. 234.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIII. c. XI.*

****** Pace Borussica *art. VI. Dominus Rex Christianissimus hanc sibi mentem esse declarat, vt praedicta pax Westphalica tam in sacris quam in profanis sarta tectaque permaneat, perinde ac si hic ad verbum inserta esset.* In pace Anglicana *art. XXI.* Belgica *art. XXIII.* s. II. C. *diss. XXXVIII. §. XLVII.*

§. LXX.

PAX TRAIECTENSIS Germanos plane non tangit, quam isti nunquam acceptarunt. PAX RASTADTIENSIS vero 7. Martii 1714. sine Statuum consultationibus conclusa, * 24. Martii per Commissionis Decretum cum Imperio fuit communicata ab eodemque ratihabita. ** Dum autem ista per pacem Gene-

Generalem, candemque vberiorem esset confirmanda, Status Euangelici per Votum Commune interpretationem Tertii Articuli *** dictæ Pacis petebant: ideoque primum Imperii deputationem ad pacem Badensem plurimum vrgebant, & licet ab hoc postea desisterent, atque, vt negotium Pacis Imp. relinqueretur, consentirent, Mandato primum, legatis Cæsareis concedendo, atque hoc etiam Cæsare denegante, Postscripto inseri voluerunt, vt articulus tertius secundum Pacem Westphalicam, exclusa Ryswicensi declararetur, indeque clausula quarti articuli Ryswicensis Pacis aboleretur **** verum nihil obtinuerunt. Conclusa demum fuit 7. Septembris 1714. PAX BADENSIS, quæ Rastadtiensi Paci in omnibus conuenit, nisi quod latino Idiomate conscripta, & restitutio Coloniensis atque Bauari Electorum plenius adhuc fuerit declarata. Hæc Badensis Pax 9. Octobris 1714. in Comitiis fuit ratihabita, ***** cum hac tamen Euangelicorum protestatione, quod pacem istam, in quantum Westphalicæ sit contraria, adgnoscere nollent, cum ab hac in Ecclesiasticis minime recederent. † Quare etiam re nondum decisa, Euangelici Adsessores in Camera a Corpore Euangelico petierunt, vt ipsis præscriberetur, qua ratione in votis suis ratione huius clausulæ se †† gerere debeant.

* Extat Instrumentum in HIST. RASTADT. FRIEDENS-HANDLVNG p. 140. ELECT. IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 319.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXII. c. XIII.* LA CLEF *Iuin 1714. p. 399.* S. H. G. *diss. XXXVIII. §. L.*

** S. H. G. *diss. XXXVIII. §. LI.*

*** Art. III. *Les Traités de Westphalie, de Niemegue, & de Ryswyck sont consideres comme la base & le fondement du present Traité, & en consequence immediatement apres l' echange des ratifications les dits Traites seront entierement executés à l' egard du spirituel & du temporel, & seront, observés inviolablement à l' avenir, si ce n' est en tant, qu' il y sera expressement derogé par le present Traité, en sorte*

sorte que tout sera retabli generalement dans l' Empire & ses appartenances, ainsi qu' il a' été prêcrit par le susdit Traité de Ryswyck, tant par rapport, au changements qui ont été faits pendant cette guerre, ou avant, qu' à l' egard de ce qui n' a pas été executé s' il se trouve effectivement, que quelque article soit demeuré sans execution, ou que l' execution faite, ait eté changée depuis.

**** Acta in Comitiis desuper exhibentur in *Discours von Reichs-Deputationen zu Frieden-Schlüssen p. 47.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIII. c. XII. XV. Tom. XXIV. c. X.* EL. IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 730. T. VII. p. 484.*

***** Extant Acta Ratihabitionis in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 232.*

† Sic enim in Voto Communi ibidem p. 237. *So müste man, nomine Corporis Evangelici, einmüthig declariren, daß wie man sich von dem Westphalischen Frieden quoad Statum Ecclesiasticum nicht verdringen lassen, also auch an diesen zu Baaden geschlossenen Frieden, in so weit er dem Westphalischen in Ecclesiasticis zuwieder, keinen Theil nehmen, noch sich daran gebunden achten kænte, sondern gegen alles, was deme zuwieder, und was sonst noch mehr als in dem Rastadischen, zu Beschwerde der Evangelischen Stænde, darinnen disponiret worden, wie auch was in diesem gantzen Friedens-Geschæfft in modo agendi contra Iura Statuum vorgegangen, sich protestando bestens verwahren, mithin Statibus Evangelicis dabey habende Befugnüsse, alles mehrern Innhalts gemeinsamen Voti von 21. April bestens reserviren müste.*

†† ELECTA IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 751.*

§. LXXI.

Omnes igitur Leges hæ fundamentales continentur in Corpore Recessuum Imperii, cuius diuersæ sunt editiones. Recentissima *Francofurti 1707. f.* * recusa, reliquis est accuratior. Licet haut male egerint, qui exempla Recessuum, statim post finita Comitia editorum, contulerint. Imperfectum

etiam hunc Recessuum Codicem esse, patet ex eo, quod ab anno 1356. ad annum vsque 1442. nullas Imperii Constitutiones & Recessus contineat, cum tamen plura intermedio tempore celebrata fuerint Comitia, ** ideoque etiam Recessus publicati, quos tamen ex GOLDASTI, SCHILTERI, LVNIGII atque MÜLLERI Collectionibus *** supplere licebit. Optandum quoque, ne quid Actorum Publicorum ederetur, quod non antea a Moguntinis Secretariis fuerit collatum. ****

* Plenius de Recessuum editione egit ERICVS MAVRITIVS erudita dissertatione *de Recessibus Imperii.*

** Plura Comitia enumerat DATTIVS *lib. I. cap. XXII. n. 6. & seqq.*

*** Inter GOLDASTI enim Constitutiones & Rescripta Imperialia, in eiusdem etiam *Reichs-Handlungen*, atque *Reichs-Satzungen*, varii reperiuntur Recessus, qui in dicto Corpore haut comprehenduntur. SCHILTERVS vero Tomo secundo Institutionum Iuris Publici varios inseruit Recessus, quos ex Archiuo Argentoratensi sumsit. LVNIGIVS Archiui sui Imperii Parti Generali, eiusdemque continuationi praeter Recessus in dicto Corpore comprehensos, alios adiecit, vt locupletior longe haec Collectio sit habenda. MÜLLERVS *im Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich den V. & Maximiliano I.* sedulus est in colligendis horum Impp. Recessibus.

**** R. I. Spirensis de a. 1526. *§. XXX.* hoc praescribit.

§. LXXII.

Ex his autem Legibus fundamentalibus FORMA IMPERII erit diiudicanda. Recentiores quidam, Titius * praesertim, & qui eundem sequuntur, hanc materiam sub finem plane tractationis suae subnectunt, quorum viam facile sequeremur, si speciatim de forma nobis esset agendum, quae sane non nisi ex interiori Imperii constitutione poterit demonstrari. Ast, dum systematice agamus, atque hac methodo fundamenta, qui-

quibus omnis innititur notitia, primo loco ponenda, nos in præsenti hac via incedimus.

* *Lib. VII. c. IX. Speciminis Iuris Publici.*

§. LXXIII.

Sub initium autem statim nobis examinanda erit Quæstio, cur tam difformes * de Forma Imperii sint sententiæ, cuius tres potissimum statuendæ sunt rationes. Prima, quod formam Imperii secundum regulas Aristotelicas examinare conemur, quæ ad statum suorum temporum aptæ, vix, ac ne vix quidem ad statum hodiernum adplicantur, vt secundum easdem pleræque formæ oriantur irregulares. Secunda est, quod non probe consideretur relatio, quæ est inter Imp. & Status, & quæ est Statuum inter se. Tertia, quod non considerentur diuersæ, quæ in Imperio nostro acciderunt mutationes, quæque nouam sæpe Reipublicæ Germanicæ faciem induxerunt.** Quarta, quod non desint, qui studio placendi sese in deuia abripi patiantur. Singulis hisce probe consideratis, scopulisque euitatis, facilior erit de Forma Imperii tractatio.

* Diuersorum sententias congessit L. B. de LYNCKER in dissertatione sua *de Forma Status Imperii, Iena 1689.* & post eum IOACHIMVS HENRICVS SIBRAND in dissertatione *de Statu & Forma S. R. Imperii, Rostochii 1695. 4.* BRÜCKNERVS *Curiosis Iuris Publici* §. XXIV.

** Caussas hasce sigillatim examinat SIBRAND capite secundo Dissertationis suæ.

§. LXXIV.

Examinaturi autem diuersas diuersorum sententias, prima est eorum, * qui formam constituunt Monarchiam, his rationibus, quod Imp. sit Caput Imperii, indicet Comitia, Recessus & mandata sub ipsius nomine publicentur, inuestiat

de feudis Imperii. Aſt, ſi conſideremus, quod ſub Monarchia intelligatur, vbi vnus ſolus ſummam exercet poteſtatem, facile patebit, hoc Imperatori noſtro minime conuenire. Ad Monarchiam enim requiritur, vt quis ſolus exerceat Regimen, Imperium & Dominium: ſiue Ius Legum, Belli & Pacis, atque tributorum. In his autem per Capitulationem ** & §. *Gaudeant* in tantum adſtrictus eſt Imp. vt ſine libero & Comitiali conſenſu, nihil plane ex iis valeat exercere, nec Leges aliter quam ex pacto cum Statibus concludit. Nec argumenta iſta ante adducta quidpiam concludunt, cum externa ſint, atque notiſſimum ſit in Politicis brocardicum, in diiudicandis Rerumpublicarum formis omnia externa eſſe remouenda. Nec limitata dici poterit Monarchia, dum nimium reſtringatur Imperatoris poteſtas, nec Proceres Germaniæ ſoli Imp. ad rationes reddendas ſint obligati, quod tamen in Monarchia etiam limitata requiritur. Immo, ſi Monarchia eſſet, nulla plane facta Imp. irrita fieri poſſint, quod tamen de iis, quæ contra leges facta, omnino certum eſt. Et licet diuerſis terminis ſe extricare conentur Monarchiſtæ, quod Imperii Status ſint cauſſa ſine qua non, rem tamen hoc ipſo potius obſcuram reddunt, quam faciliorem.

* Sunt iſti, DOMINICVS ARVMÆVS *diſcurſ. I. P. Vol. I. diſc. I. & II.* THEODORVS REINCKING *de Regim. Seculari & Eccleſ. lib. I. Cl. II. c. II. n. 1. ſqq.* HENRICVS WITZENDORF *in Diſcurſu de Status & Adminiſtrationis Imperii Romani forma hodierna*, cui tamen ſigillatim reſpondit IO. LIMNÆVS *in diſſertatione apologetica de Statu Imperii Romano-Germanici, Onolsbaci 1643.* 4. & plures alii, quos recenſet SIBRAND §. IV. potiſſimum vero L. B. de LYNCKER.

** Carolina art. IV. *In allen Berathſchlagungen über die Reichs-Geſchæffte, inſonderheit dieienigen, welche in dem Inſtrumento Pacis nahmentlich exprimiret, und dergleichen, ſollen und wollen wir die*

Chur-

Churfürsten, Fürsten und Stende des Reichs, Ihres Iuris Suffragii sich gebrauchen lassen, und ohne derselben Reichstagige freye Beystimmung in selbigen Dingen nichts fürnehmen noch gestatten.

§. LXXV.

Altera, huic plane contraria est sententia, quod Imperium nostrum formam constituat aristocraticam, * putantes Imp. non nisi vmbram habere Imperii, illumque in sententia exauctorationis Wenceslai saltim dici administratorem, ** cum potior vis, remoto spendore & signis externis, sit penes Status. Immo in aliis Legibus Imperii Imp. dici Administratorem. *** Deinde prouocant ad verba Alberti Moguntini in electione Caroli V. *nobis in primis Aristocratia retinenda est.* **** Verum, hi iniurii sunt in Maiestatem Imperatoris, partim, quod sine Imp. in rebus Imperii nihil valeant Status, partim, quod iura quaedam sint praecipua atque Reseruata, quae solus exercet Imperator. Nec verba Moguntini quidpiam faciunt, dum demonstrandum esset, an haec ipsius verba sint, quae Sleidanus adduxit, cum Moguntinus potius vernaculo sermone fuerit vsus. Et si ipsa verba, potius in generali significatu intelligenda de conseruanda libertate.

* Auctor sententiae est personatus HIPPOLYTVS A LAPIDE in libello *de ratione Status*, quem sequitur I. W. RELFENDSO, *de summa Principum potestate*, & plures, quos recenset SIBRAND §. *VI.* quos ideo Perillustris B. de LYNCKER dissert. *de forma Imperii* satis refellit.

** Extat haec sententia apud GOLDASTVM *Tomo I. p. 139.*

*** Sic in Handlung der Chur K. Carl des V. apud GOLDASTVM *Reichs-Handlungen p. 97. in Verledigung des hailigen Ræmischen Reichs, so dasselbig seines natürlichen Haupts und Verwesers beraubt.* In R. I. Spirensi a. 1559. procem. dicitur, *die Administration und Verwaltung des Ræm. Reichs ferner nicht behalten*, & paucis interiectis: *uns mit der Bürde der Administration, und Verwaltung des Reichs, auch an-*

hangender Dignitat, Hochheit, Regierung, Titul, Scepter, und Kron des Rœm. Kayserthumbs.

**** Apud SLEIDANVM *lib. I. p. 20.*

§. LXXVI.

Non iam morantur nos aliorum opiniones, qui Formam putant esse Oligarchicam, * eo quod potiora Iura sint Imperatoris & Electorum: quod tamen minime concedimus, dum in potioribus iuribus, Legibus condendis, belli & pacis, tributisque omnes concurrant Principes. Neque multis dicendum de illorum sententia, qui Systema dicunt Ciuitatum fœderatarum. ** In isto omnes Respublicæ extra commune fœdus nihil plane inter se habent commune, & specialem independentemque constituunt Statum atque omnia iura Maiestatis exercent libere, quod sane de nostris Germaniæ prouinciis minime dici potest, quæ præter commune caput, legibus etiam Imperii sunt subiectæ, ideo minime independentes.

* EICHELIVS *de Rep. mixta* §. *XV.*

** RACHELIVS *de Capit. Imper. c. VI.* §. *VII.* PVFENDORF *de Statu Imperii c. V. & VI.* Eandem fouet & defendit TITIVS *lib. VII. c. IX.*

§. LXXVII.

Potior, & a plerisque recepta hucusque opinio fuit, esse Statum ex Monarchico & Aristocratico mixtum. * Verum, si mixturam quandam atque temperamentum admittere velimus, potius dicendum, esse Statum ex Monarchia, ob reseruata Imperatoris, Oligarchia, ob prærogatiuas Electorum, Aristocratia, ob iura Principum, & Democratia, ob priuilegia Ciuitatum Imperialium, mixtum. Quæ Pufendorfii sub Monzambano **

nomi-

nomine fuerit sententia, esse formam irregularem & plane monstrosam constat. Quod si autem formam Imperii sine habita ratione ad regulas Aristotelis, examinemus, regularis sane est, tot probis institutis & legibus ordinata, quae si omnes adseruentur, felicissima esset Respublica.

* Hanc etiam fouet IO. LIMNAEVS *lib. I. c. X. n. 38.* ita tamen, vt Aristocratia praeponderet. Plures sententiae adseclas recenset SIBRAND *§. VII. VIII.*

** De hoc, eiusdemque aduersariis egimus in Bibliotheca Iuris cap. XIV, §. XLII.

§. LXXVIII.

Vt autem dicamus, quid nobis videatur, Status Imperii Germanici a temporibus Carolingicis erat Monarchicus, ita tamen, vt comiter Germanos haberent Francorum Reges. Comitia agebantur ad consultandum, non ad decidendum. Regni ius erat haereditarium, ita, vt per Testamentum disponerent reges de regno. * Extincta apud Germanos Carolingorum linea, electionis ius sibi vindicabat omnis Germaniae populus, per Duces tamen suos, Proceres & Magistratus. Inde incrementa capiebat Statuum potestas, quae officia sua in dignitates haereditarias, & terras, quas administrationis iure tenebant, in proprias mutari volebant. Decrescente vero, post Ottonum tempora Imperatorum auctoritate, idque vel per Imperatorum socordiam, vel Principum ambitionem & Episcoporum artes, tantum accessit potestati Statuum, quantum decesserat Imperatori, ita, vt pro diuerso temporum statu in varias formas mutaretur Germaniae Imperium. Concidit fere cum Friderico II. potissima Impp. potestas, cum fatali Interregni tempore, superioritatem territorialem & plura iura sibi sumerent Status, crescentibus potissimum

ſimum per tacitum conſenſum reliquorum Electorum prærogatiuis.** Nec ſubſequentes Impp. priſtinam poteſtatem recuperare valuerunt, quin potius magis magisque decreſceret, & Statuum poteſtas, quæ antea incerta, & ſolo conſiſtebat exercitio, bello Smalcaldico magis ſtabiliretur, demum pace Weſtphalica, tanquam lege pragmatica firmaretur definireturque. Hæc Status mutatio minime concedit, Rempublicam noſtram ad formas Ariſtotelicas adplicare, nec pura dici poteſt, nec mixta ob Imperatoris, Electorum & Principum prærogatiuas, nec in Statu ſuo irregularis, cum ſecundum leges ſuas ſatis ſit regularis. Propriam itaque Formam habet, prout legibus ſuis eſt definita, quæ tamen reſpectu habito ad alias respublicas, plane eſt anomala, quæ ſecundum regulas Politicorum receptas definiri nequit, Imperium vero electionis iure defertur.***

* Vberius hoc demonſtrauimus in S. H. G. *diſſ. VI. §. XII. XIII.*

** Prout in S. H. G. *diſſ. XXII.* fuit demonſtratum.

*** Egregie de Statu Imperii diſſeruit Perilluſtris B. de LYNCKER *in Bedencken über die Grundveſte des Heil. Römiſchen Reichs*: licet poſtea ex parte ſententiam mutauerit.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM
DE
IMPERATORE
EIVSDEMQVE
ELECTIONE ATQVE CORONATIONE.

§. I.



DIximus in superioribus, Imperium distingui in Caput & Membra. Illud tribuitur Imperatori: hoc Statibus Imperii. De vtrisque nunc separatim erit dicendum, ita quidem, vt primum agamus de Imperatore, eiusdem constitutione, Titulis, Insignibus, potestate, & Iuribus, quæ vel Reseruata habet, vel cum Electoribus communicata. Deinde consideranda sunt iura Imperii, & Comitialia, quæ scilicet concernunt vniuersum Imperium, quatenus constituitur ab Imp. & Statibus. Tertio explicanda erunt Iura Statuum peculiaria. Est autem Imperator *Princeps Imperii, ab Electoribus libera & legitima electione constitutus, vt Imperio sub conditione Capitulationis tanquam Caput præsit.*

§. II.

Constituitur hodie Imp. per Electionem, id quod a prima Iuris publici periodo suam habet originem. Licet enim Carolingici Impp. ius habuerint hæreditarium, Germani tamen, Carolo Crasso deposito, primum sibi ius eligendi vindicarunt, electo in Regem suum Arnulpho, * qui, prout Carolomanni filius nothus erat, nullum alias ius habebat succedendi. Extincta autem cum Ludouico infante, huius filio,

omni quæ apud Germanos fuerat, linea Carolingica, plenarium ius ſibi eligendi Regem ſuæ gentis ſumſerunt Teutonici, Conradum, Orientalis Franciæ Ducem ſibi Regem conſtituentes, ** ex quo tempore Germania ſemper fuit Regnum electitium. ***

* REGINO ad a. 887. *Arnulphum filium Carolomanni vltro in regnum attrahunt.* ANN. FRANC. FVLDENSES ad a. 887. *veniente Carolo Imperatore Francofurti, iſti inuitauerunt Arnolphum, filium Carlmanni Regis, ipſumque ad Seniorem elegerunt, ſine mora ſtatuerunt ad Regem extolli.* Idem dicit OTTO FRISING. *lib. VI. c. IX.* MARIANVS SCOTVS *ad a. 887.* S. H. G. *diſſ. XXVI. §. XXX.*

** Vid. GVNDLING *de Statu Reip. Germanicæ ſub Conrado I. Franciæ Orientalis Rege*, & IO. PETRI LVDEWIG *Germania Princeps Poſt-Carolingica ſub Conrado I. Orientalium Francorum Rege.* S. H. G. *diſſ. XI. §. III.*

*** Inde OTTO FRISING. lib. II. de geſt. Friderici I. c. I. *id Iuris Romani Imperii apex, videlicet non per ſanguinis propaginem deſcendere, ſed per Principum electionem Reges creare, ſibi tanquam ex ſingulari vendicat prærogatiua.* Id. dicit GÜNTHERVS Ligurino *lib. I. v. 244.*

Regibus eſt aliis potiundi iure paterno
certa fides, ſceptrumque patris nouus accipit heres:
nos, quibus eſt melius libertas, iure vetuſto,
orba ſuo quoties vacat, inclyta Principe ſedes,
quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.

§. III.

Animus erat Henrico VI. Imperatoriam dignitatem ſibi ſuæque familiæ facere hæreditariam, de quo Magnum Chronicon Belgicum: * *Iſte Imperator Henricus, videns Regnum Alemanniæ & Imperium Romanorum, propter frequentes mutationes Imperatorum, multa mala perpeſſum, priusquam vota Principum in perſona Imperatoris poſſent conuenire, ordinauit, vt amplius electio non fieret, ſed per ſolam ſanguinis ſucceſſionem*

nem, Imperium conferretur, ita vt qui propinquior Imperatori esset, hæreditarie fieret Imperator. Vt autem Henricus a filio suo Friderico, quem de Constantia vxore sua habuit, sumeret exordium, Regnum Siciliæ & Calabriæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, quæ filius eius ab Auis hæres acceperat, Romano Imperio vniuit, vt perpetuo terrarum istarum vnus Dominus esset. Ordinauit etiam, vt mulieres, masculis deficientibus, succederent in hæreditatem, & ne Imperator mortuas manus Ecclesiasticarum personarum vltra expostularet. Constitutioni igitur huic profuturæ consentit Curia Romana, & Principes 52. qui Imperatorem eligere consueuerunt, quorum sigilla literis super hoc confectis sunt appensa. Sed, dum Saxoniæ Principes contradicerent, ipse Imperator Principes illos a promisso absoluit, & iuramenta ea occasione præstita, relaxauit. **

* *Ad a. 1194. p. 205.* GERVASII TILBER. *Ot. Imp. p. 943.*

** GOBELINVS PERSONA *Cosmodrom. at. VI. c. LXI.* MEIBOMIVS *apologia pro Ottone IV. Tom. III. p. 115.* S. H. G. *diss. XVIII. §. X.*

§. IV.

Negandum tamen non est, sanguinis quoque aliquam rationem semper habuisse Germanos, dum Regibus suis atque Impp. relinquerent, filios suos ad successionem designare, * cui facile adsentiebant. Et licet in conuentu Forcheimensi anni 1077. decretum. ** *ne Regia potestas cuiquam per hereditatem (sicut ante fuit consuetudo) cederet, sed filius Regis etiamsi valde dignus per Electionem, non per successionis lineam Rex proueniret*, dederunt tamen etiam post ista tempora aliquid iuri sanguinis, ita quidem, vt, licet in certis familiis hanc Imperii dignitatem continuauerint, hoc tamen semper electionis iure factum, non hæreditario. *** Quare

 etiam

etiam Imperatores Auſtriaci eidem electionis iuri dignitatem debere in Capitulationibus **** teſtantur. Exinde diuerſas habemus Impp. Germanicorum, poſt Carolingos, periodos. Prima *Saxonica* cum Ottone M. incipit, & per ſeculum decimum continuatur, cum Henrico II. deſinit. Altera *Francica* eſt, quæ originem ducit a Conrado Salico, & pergit per Seculum vndecimum vsque ad Henricum V. Tertia *Sueuica* eſt, quæ auctorem habet Conradum III. atque durat vsque ad initium interregni, cum Conrado IV. anno 1254. deſinit. Quarta eſt hodierna *Auſtriaca*, quam primum incoauit Rudolphus Habsburgicus. Dum autem aliquot Impp. ex alia familia potiſſimum Luxenburgicæ ſequerentur, ab Alberto II. & anno 1438. continuata fuit Imperii dignitas in familia Auſtriaca, ad diem vsque hodiernum. ***** Licet Carolus IV. ſucceſſores ſuos Reges Bohemiæ iuramento obligauerit, de nunquam in Imp. eligendis Auſtriacis. ******

* Inde factum, vt pro hæreditario etiam quandoque haberetur. Patet hoc ex DITMARI *lib. V.* ineunte, vbi Germani de Henrico II. *Henricum Chriſti adiutorio, & iure hæreditario regnaturum, ſe paratos ad omnia, quæ ſibi vnquam ſcirent eſſe voluntaria.* WALTRAMVS Apologia pro Henrico IV. lib. II. c. II. *vt non teneret Henrichus rex regnum a Deo ſibi collatum, per ſucceſſiones patrum ſuorum* &c. VII. de Henrico IV. *niſi cederet regno, quod Deo ordinante obuenerat ſibi auita pariter & paterna ſucceſſione.*

** Extat apud GOLDASTVM *Tom. I. Conſtit. f. 238.* Vid. & LEHMANN *lib. II. c. III.* S. H. G. *diſſ. XV.* §. *XXXII.*

*** Hoc etiam vberius demonſtratur in GVNDLINGIANIS p. XVII. n. 1 *von der Teutſchen Francken Erb- und Wahl-Reich.*

**** Capit. Ioſephina *art. XXV.* Carol. art. II. *Wir ſollen und wollen Uns keiner Succeßion oder Erbſchafft deſſelben annehmen, unterwinden noch unterfangen, noch darnach trachten, daſſelbe auf Uns, Unſere Erben und Nachkommen, oder auf iemand anders zu wenden.* GVICCIARDINVS equidem lib. XIII. Hiſtor. ait: *Imperium ipſe*

se quasi per successionem in vna eademque stirpe perpetuari, & successionem posse merito appellari illam electionem, quae a proximis familiae Imperatorum mortuorum discedere non audet, ita ab Alberto imperium transiisse in Fridericum eius fratrem, a Friderico in Maximilianum filium, a Maximiliano in personam Caroli nepotis. Idem demonstrare ausus fuit Auctor personatus, AVSTRIACVS POLITICVS, cuius est: *Kurtzer Vnterricht das Deutschland nunmehr nicht ein frey Wahl Reich, besondern nur einig und allein den loeblichen Hause Oesterreich Lineae Germanicae zustendig sey, 1625. 4.* Extat etiam apud LONDORPIVM *Tomo II. p. 778.*

***** AVCTOR COMITIOLOGIAE RATISBONENSIS *p. I. diss. VII.* hanc rationem, cur in Austriaca domo continuata fuerit dignitas Imperatoria subnectit, quod potentissima Domus libertati atque Religioni etiam Euangelicorum semper prospexerit. Certiorem reddit MONZAMBANO cap. II. §. IV. dum ait: *Probe autem obseruandum, Austriacos in sua familia dignitatem Caesaream tamdiu continuasse, non solum, quod vix vlla sit, praeter ipsam in Germania Domus, quae eius fastigii splendorem propriis reditibus tolerare queat: sed etiam quod opes suas ita disposuerint, vt nullo negotio peculiarem Rempublicam constituere possint, si contingat, alium ad Caesareum munus vocari.* Idem *cap. VIII.* refutat HIPPOLYTVM a LAPIDE, qui in Tractatu de Ratione Status, cuius summam ibidem recenset, Austriacam domum extirpare, eiusque bona in fiscum redigi suadet, peruerso sane & inimico consilio.

****** Exhibet Pactum illud SCHILTERVS Inst. Iur. P. Tomo II. p. 69. in quo: *ob es zu schulden komet, das wir sterben, das denne der unser Erbe der ein Kunig zu Beheim werdet, Herzogen Rudolfen, Hertzogen Friderichen, Hertzogen Albrechten und Hertzogen Lupolden gebrüdere von Osterriche, nach ie keynen zu Romischen Kunigen nennen, kyesen oder sust in debeyne wys mit nichte oder nymer in debeynen ziten nemen sol.*

§. V.

Electio aliter primis fiebat temporibus, aliter sequenti aetate. Electionis iura primitus habebant quinque isti Germaniae populi Franci, Alemanni, Bauari, Saxones, Lotha-

ringi. * Conueniebant enim Principes Ecclesiastici & Seculares dictorum populorum, qui sæpe vocabantur Pontifices & Principes, vna cum Nobilibus & Magistratibus vrbium atque villarum, qui populum repræsentabant. ** Licet insequenti tempore, maxime inter turbas Germaniæ sub Henrico IV. subortas, dum Principes augere potestatem suam inciperent, populum exclusisse videantur. *** Neque tamen hoc vna vice, sed sensim factum. In electione enim Lotharii Imp. adhuc mentio fit Consulum atque Magistratuum ex vrbibus. **** Licet potior omnino Principum semper fuerit ratio quam populi, ***** qui consensum, eundemque vel clamore vel dextris eleuatis significans, potius præbebat, quam vt ad votandum admitteretur. ****** Ipsi tamen Duces in dubia electione cum populo suo solebant consultare. ******* A temporibus vero Conradi III. nullam amplius populi videmus factam fuisse mentionem. † Et licet in Philippi electione Nobilium quoque atque Ministerialium adfuisse dicatur numerus, †† ipsa tamen electio a Principibus saltim fuit facta. Ad electionem quoque vocati fuerunt Italiæ Episcopi atque Principes, neque tamen, ut ipsis iura essent circa electionem, sed potius vt electo a Germanis Imp. se submitterent. ††† Locus electionis erat plerumque in Terra immediata, præcipue Rhenensi, idem publicus, amplitudine planiciei insignis, & quidem sub dio. †††† Considebant Principes in locis adsignatis, circumstante populo. Primum sententiam suam a populo rogabatur Archi-Episcopus Moguntinus, cuius circa electionem Imp. maxima erat auctoritas, ††††† vel Archiepiscopus, qui aderat præcipuus, qui votum suum palam proferebat, quem sequebantur suo ordine Principes, nouiter electi Regis consecrationem petebat. Inde vidua vel hæredes Imp. defuncti, Imperii Regalia ad eundem mittebant. ††††††

Publi-

Publica vero renuntiatio ad Rensam facta *auf dem Kœnig-stuhl*, vbi etiam Statibus iura sua confirmare tenebatur Imperator. †††††††

Dictum de iisdem iam Capite tertio §. *II.* Præcipue vero WIPPO in Vita Conradi Salici p. 425. memorat *consensum Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum.*

* REGINO ad a. 961. de Ottone II. *consensu & vnanimitate regni procerum totiusque populi filius eius rex eligitur.* In electione Henrici II. *multitudinis* mentionem facit DITMARVS lib. V. p. 365. Sic etiam *populi* in electione Conradi II. mentionem facit WIPPO. Quare OTTO FRISINGENSIS de eodem *lib. VI. c. XXVII.* dicit, quod *ab omnibus electus* & GOTFRIDVS VITERBIENSIS *ad a. 1025.* Plenius de hoc egit LEHMANNVS *Chron. Spir. lib. V. c. XVII.*

** Iamdum de Henrico III. dicit MARIANVS SCOTVS ad a. 1056. *Filium suum Henricum, Romani Pontificis, tunc præsentis, cæterorumque Pontificum & Principum electione, Regem constituit.* Nisi forsan ex verbis HERMANNI CONTRACTI ad a. 1053. concludere velimus, fuisse etiam populo quasdam partes, dum ait: *Imperator Henricus magno apud Triburiam conuentu habito, filium æquiuocum Regem a cunctis eligi fecit.* Circa turbulenta vero Henrici IV. tempora nullas populi fuisse partes facile constat, dum nec in electione Anticæsarum Henrici, nec posteriorum Impp. populi, amplius fiat mentio. Quippe de electione Hermanni Lützelburgici, BERTOLDVS CONSTANTIENSIS ad a. 1081. *Eodem tempore Principes Regni Teutonicorum, seu Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones & Comites, conuentu facto, Hermannum, Nobilem Virum, sibi in Regem elegerunt.* In electione Friderici I. apud OTTONEM FRISINGENSEM *de gestis F. lib. II. c. I.* memoratur saltim *vniuersum Principum robur non sine quibusdam ex Italia Baronibus.* In electione Philippi apud ARNOLDVM LVBECENSEM lib. VI. c. II. memoratur *coadunata multitudo Prælatorum & Principum de Franconia, Saxonia, Sueuia, Bauaria, Turingia.*

*** PETRVS DIACONVS Chron. Casin. lib. IV. c. LXXXVII. *Hoc præterea tempore, Heinrico quinto Imperatore defuncto, Consules, Præfecti*

fecti, Dictatores, Duces & Principes in vnum conuenientes, de Imperatoris electione tractare cœperunt. Hinc OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. c. XVII.* illum voto omnium dicit regnasse.

***** Hinc in Historia electionum plerumque Primorum saltim fit mentio. De Ottone M. CONT. REGINONIS ad a. 935. *Henricus Rex VI. Nonis Iulii diem clausit extremum, cui filius suus consensu primorum regni successor eligitur.* Quare, WIPPO p. 423. *Res petit, vt dicam summorum nomina quædam seu Pontificum siue secularium Principum, qui tunc in regnis vigebant, quorum consiliis consueuit Francia Reges eligere.*

****** WITTICHINDVS Ann. lib. II. ineunte: de electione & coronatione Ottonis: *ad hæc omnis Populus dextras in excelsum leuans cum clamore valido imprecati sunt prospera nouo Duci.* De electione Ottonis II. DITMARVS lib. II. ineunte: *eleuatis dextris conclamantes: Viuat & valeat Rex victor in æternum.* De electione Henrici II. DITMARVS lib. V. ineunte. *Huius* (Lotharii Marchionis) *consilio, Dux quendam militem ad ciuitatem quæ Werla dicitur ad neptes suas consorores Sophiam & Ethelheidam, & ad omnes, qui tunc ibi conuenerunt, regni primates, misit. Quo omnibus in vnum collectis legationem suam aperuit, auxiliantibusque domino suo ad regnum bona plurima promisit. Cui mox a maxima multitudine vox vna respondit: Henricum Christi adiutorio, & iure hæreditario, regnaturum, se paratos ad omnia, quæ sibi vnquam scirent esse voluntaria. Hocque dextris manibus eleuatis affirmatur.* De clamore etiam testatur WIPPO.

******* WIPPO p. 426. *Iunior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus maximo fauore illum* (Conradum II.) *ad Dominum & Regem elegit.*

† OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici I. lib. I. c. XXII. *defuncto Imperatore Lothario ac in monasterio Lutre, quod in eius proprio fundo situm est humato, Principes Regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, vbi Mosella Rhenum influit, conueniunt & de eligendo Principe consilium ineunt. Igitur Conradus Friderici Ducis frater, ab omnibus qui aderant, exposcitur: ad regnumque leuatus, in palatio Aquis coronatur.* CHRONOGRAPHVS SAXO ad a. 1138. *Primates regni decreuerunt generalem Conuentum fieri Moguntiæ, in Pentecosten, vt com-*

communiter ibi Regno praeficerent, quemcunque Deus ad hoc praeordinasset. Eadem de Friderici Barbarossae electione dicenda esse, patet ex S. H. G. *diss. XVII. §. XVIII.*

†† In litteris Principum ad Innocentium III. de electione Philippi ep. XIV. *collecta multitudine Principum, vbi nobilium & ministerialium imperii numerus aderat copiosus, illustrem Dominum nostrum Philippum, Imperatorem Romani solii rite & solenniter elegimus.* Principum vero saltim fuisse Electionem patet ex eiusdem Innocentii III. Cap. venerabilem 33. X. de electione, in quo: *se recognoscere illis Principibus, ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere.*

††† WIPPO *p. 424.* de Conradi II. electione: *Italiam transeo, cuius Principes in breui conuenire ad regiam electionem nequiuerunt, qui postmodum in vrbe Constantiensi cum Archiepiscopo Mediolanensi & reliquis Principibus occurrentes, Regi sui effecti sunt, & ei fidelitatem libenti animo iurauerunt.* De electione Friderici Barbarossae OTTO FRISINGENSIS lib. II. c. I. *in oppido Franconefurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine, vniuersum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit.*

†††† Diuersis in locis autem electio facta. De Ottone M. auctor est WITTICHINDVS, Ann. lib. I. ineunte, quod vniuersalis ipsius electio facta *ad Aquas Grani.* Otto II. electus *Wormatiae*, REGINO *ad a. 961. Aquisgrani* confirmatus Otto III. Quedlinburgi DITMARVS *lib. IV. ineunte* S. H. G. *diss. XIII. §. VIII.* Henricus II. *in Ciuitate Werla*, DITMARVS *lib. V. ineunte.* Conradus Salicus apud villam *Kambam in insula Rheni*, HERMAN. CONTRACTVS *ad a. 1024.* quem locum ita describit WIPPO p. 424. *Inter Moguntiae confinia & Wormatiae locus est amplitudine planiciei caussa multitudinis maxima receptabilis: ex insularum recessu ad secretas res tractandas tutus & habilis.* Huius filius Henricus III. *Aquisgrani* Rex electus dicitur HERMANNO CONTRACTO *ad a. 1026.* Henricus IV. apud *Triburiam*, HERM. CONTRACTVS *ad a. 1053.* Rudolphus Anti-Caesar in conuentu *Forcheimensi*, BERTOLDVS *ad a. 1077.* Hermannus Lützelburgicus in confinio Ba-

ioariæ, in loco, qui dicitur *Hostette*, BERTOLDVS *ad a. 1081.* Lotharius *Moguntiæ*, OTTO FRISING. *lib. VII. c. XVII.* Conradus III. *Confluentiæ*, OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. c. XXII.* Fridericus I. *Francofurti*, OTTO FRISINGENSIS *lib. II. de Gestis Friderici c. I.* Philippus *apud Moguntiam*, ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. VI. c. II.* Otto IV. priori electione *Coloniæ*, ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. VI. c. II.* posteriori electione *Halberstadti*, ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. VII. c. XV.* Henricus Raspo iuxta *Herbipolim*, ALBERTVS STAD. *ad a. 1246.* Wilhelmus Batauus *Nussiæ* haut procul a Colonia, ALBERTVS STAD. *ad a. 1247.* Rudolphus Habsburgicus *Francofurti*, ALBERTVS ARGENT. *ad a. 1273.*

††††† LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS p. 199. fin. *bis accensus archiepiscopus Moguntinus, cui potissimum propter primatum Moguntinæ sedis eligendi & confirmandi Regis auctoritas deferebatur.* Idem dicit WIPPO *p. 426.* PETRVS DIACONVS Chron. Casin. lib. VII. c. LXXXVII. *Visum deinde omnibus est, vt electionem ipsam in arbitrio Archiepiscopi Moguntini & Lotharii Ducis Saxoniæ ponerent.*

†††††† Insigniter hæc illustrantur ex Wippone p. 426. *Hinc sumpto indicio concordiæ, consedere principes: populus frequentissimus astabat: Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudauit, & elegit maioris ætatis Chunonem suum in Dominum & Regem atque rectorem & defensorem patriæ. Hanc sententiam cæteri Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum viri indubitantes sequebantur. Iunior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus, maximo fauore illum ad Dominum & Regem elegit: quem rex manu apprehendens fecit illum considere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant, fit clamor populi: omnes vnanimiter in Regis electione principibus consentiebant: omnes maiorem Chunonem desiderabant: in illo persistebant: ipsum cunctis dominantibus nihil hæsitando præposuerunt: eundemque regali potentia dignissimum iudicabant: & vt nulla mora consecrationis illius fieret, postulabant, supradicta Imperatrix Chunegunda regalia insignia, quæ sibi Imperator Heinricus reliquerat (non grauate) gratanter obtulit, & ad regnandum quantum huius*

ius sexus authoritatis est, illum corroborauit. Sic per traditionem sacræ lanceæ Imperium Henrico II. deferebatur, de quo DITMARVS lib. V. p. 368. *Bernhardus igitur dux accepta in manibus sacra lancea ex parte omnium regni curam illi fideliter committit.* De electione secunda Ottonis ARNOLDVS LVBECENSIS lib. VII. c. XV. *omnes igitur Principes qui conuenerunt, ac si diuinitus inspirati, pari voto & vnanimi consensu Othonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Archiepiscopo* (Magdeburgensi) *qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente vero Bernhardo Duce cum Marchione Misnensi & Landgrafio Thuringiæ cum aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur.*

††††††† Vid. *Caput III.* §. *vlt.* & THVLEMARIVS *cap. XXIV.* §. *91.*

§. VI.

Immutato autem, per fatalia Interregni tempora Germaniæ Statu, præcipui saltim ex Primoribus Germaniæ, Tres Archicancellarii & quatuor Officiales seculares Pincerna, Dapifer, Mareschallus, Camerarius, hoc ius eligendi, sibi saltim, tacite consentientibus reliquis, vindicarunt, qui postmodum per Auream Bullam fuerunt confirmati.* Neque tamen vna vice omnes reliqui Principes statim fuerunt exclusi, dum in electione Richardi Principum adhuc fiat mentio.** In electione Rudolphi Habsburgici multa adhuc Mainardi, Comitis Tirolensis, atque Friderici, Noribergensis Burggrauii fuit auctoritas.*** Immo, nec postea temporis ab Electionis iure excludebantur Principes, qui ex Officialium erant familia. Patet hocce ex Historia electionis Henrici VII. Imp. vbi plures sane, quam septem isti Imperii Officiales occurrunt.**** Idem fit in Fœdere Electorum Rensensi de an. 1338.***** Per decretum vero Ludouici Bauari Rensense Heptarchæ,****** lege publica fuerunt confirmati, quod deinde per A. B. vberius fuit factum.

 * Dicen-

* Dicendum de eo infra pluribus, vbi de Electoribus agendum, Capite decimo sexto.

** Patet hoc ex epistola Vrbani IV. ad Richardum in LEIBNITII *Prodromo p. 15.* vbi quinque Electores nominantur, hoc adiecto: *cum Prælatis, Ducibus & aliis ibidem præsentibus, deliberatione prahabita de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreuerunt.*

*** GERHARDVS a ROO Ann. Austr. lib. I. p. 13. *Congregatis ergo principibus commodum adfertur nuncius, Richardum Anglum iam diem obiisse. Cum itaque nonnulli proponerentur Mainardus Comes Tirolensis vir magni inter principes nominis tres viros aliis præferendos affirmabat: Bernardum Carinthiæ ducem, Albertum seniorem Goritiæ Comitem, & Rudolphum Habsburgicum. Extat vetus quoddam Chronicon Argentoratense, cuius auctor laudatur quidem Encardus: idque qui Germanice vertit Fridericus Closnerus Burggrauium Norinbergensem refert reliquis principibus parum inter se concordibus Rudolphum proposuisse, & assensos statim omnes.* Idem confirmat CVSPINIANVS *Rudolpho Cæsare p. 351.*

**** Alios Principes ad hanc electionem admitti petiisse, patet ex Decreto Electionis apud LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. Mant. p. 252.* in quo: *Ego Balduinus Treuerensis Archiepiscopus prædictus in scriptis legi monitionem & protestationem quandam vice mea & omnium ius in ipsa electione habentium, monendo omnes excommunicatos, suspensos, ac etiam interdictos, nec non quoscunque alios, si qui forent forsitan inter eos, qui de iure vel consuetudine interesse in ipsius electionis negotio non deberent; quod a tractatibus electionis celebrandæ & ab eadem electione recederent, me & alios libere eligere permittentes, protestans, quod non esset mea vel aliorum intentio tales admittere tanquam ius in electione habentes aut procedere vel eligere cum eisdem, immo volui, quod Voces talium, si qui reperirentur postmodum interfuisse, nulli præstent suffragium nec alicui afferant nocumentum, & prorsus pro non receptis siue pro non habitis habeantur. Quam protestationem nos omnes & singuli alii nostri Coëlectores ratam & gratam habentes, & acceptantes consensimus in eandem.* Et paucis interiectis: *Ego Baldewinus Treuerensis Archiepiscopus pro me & nomine*

mine meo, præfatus Henricus Colonienſis Archiepiſcopus pro ſe & nomine ſuo, ac iam dictus Archiepiſcopus Moguntinenſis pro ſe & nomine ſuo: ego vero Rodolphus Dux Bauariæ pro me & nomine meo, ego quidem Rodolphus Dux Saxoniæ pro me & nomine meo ſimiliter: & ego Waldemarus Marchio Brandenburgenſis prænarratus pro me & magnifico Viro Ottone Marchione Brandenburgenſi patrono meo cuius vices in hac parte gero, nec non illuſtrium Virorum Iohannis & Erici fratrum Ducum Saxoniæ, qui etiam vices ſuas in hoc caſu mihi commiſerunt, ſi de iure vel de conſuetudine repertum fuerit eos fore in ipſa electione admittendos, vice & nomine. Ex dictis facile patebit, non omnes ſtatim Principes alios fuiſſe excluſos.

***** Hoc enim tali modo incipit: *Nos Dei Gratia, Heinricus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Balduinus, Archiepiſcopus Treuerenſis, Rudolphus, Rupertus fratres, Stephanus, Ruppertus Iunior, Comites Palatini Rheni & Duces Bauariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludouicus Marchio Brandenburgenſis.*

****** M. 2. *a curiatis igitur Heptarchis rebus impoſitus, continuo more maiorum, atque iure gentium, Rex eſt, & vocatur.*

§. VII.

Perſonæ igitur hodie eligentes ſunt omnes Electores, Moguntinus ſcilicet, Treuirenſis, Colonienſis, Bohemus, Bauarus, Saxo, Brandenburgicus, Palatinus, Hanoueranus. Eccleſiaſtici quidem ius eligendi habent, etiamſi a Pontifice infulam nondum accepiſſent, dum hoc ipſo ad munia quidem Archiepiſcopalia apti reddantur, non vero ad iura Imperii, quæ ſtatim adipiſcuntur per electionem. Inde Daniel electus Moguntinus R. I. de a. 1555. Ioannes Gebhardus, Colonienſis R. I. de a. 1559. ſubſcripſit.* Maximilianus Henricus Elector Colonienſis ad Collegium Electorale fuit admiſſus, antequam infulam Epiſcopalem fuiſſet adeptus,** Sede vero vacante, non Capitulo hæc iura conueniunt, vtpote per-

 ſonæ

ſonæ Archi-Epiſcopi cohærentia, ſed mandatur eidem, vt Electionem noui Archiepiſcopi maturarent, quod ante electionem Maximiliani II. a. 1562. factum, dum Capitulo Colonienſi idem iniunctum, quod ante electionem adhuc Fridericum de Weda elegit. *** Vtrique etiam Electores, antequam ab Imp. inueſtiti, admittuntur. **** Quod ſi tamen minorennis adhuc ſit Elector, Tutor eiusdem vices ſupplet. ***** Proſcripti vero & Banniti Imperii ab electione ſecundum A. B. excluduntur. ****** Id quod etiam exemplum nuperum in electione Caroli VI. demonſtrat.

* ARVMÆVS *de Comitiis cap. IV. n. 108.* THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XXIV. n. 17.*

** THVLEMARIVS *Octouiratu c. XXIV. §. XVII.*

*** BOEHMERVS equidem *Iure Eccleſiaſtico lib. III. Tit. IX. §. XXII.* Electionis Iura Capitulo ſede vacante vindicat, ſecutus CRVSIVM *ad A. B. Tit. I. §. XVIII. p. 344. &* MELCHIOREM GOLDASTVM *de R. Bohemiæ lib. III. c. VI. §. XXVI.* qui ad præiudicium Colonienſe prouocat, quod, vt ipſe ait: *Anno MDLXII. vacante Sede Archiepiſcopali fuit ad electionem Maximiliani II. Cæſaris citatum, adeo vt Legatum nomine Capituli in conſeſſum ſuum Electores reliqui tam diu admiſerint, donec nouus Electus procuratorium Legatis ſuo nomine renouaret & confirmaret.* Adlegat SIMON. SCHARDIVM *in Narratione de Electione & Coronatione Maximiliani II.* In qua tamen perlecta narratione integra nihil hac de re occurrit. Verum, contrarium demonſtrauit THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXIV. §. XX.* qui adlegata Goldaſti ſententia, addit: *Sed hoc falſum eſſe Carpzouius Diſp. Feud. 2. q. ad A. B. 8. n. 9. oſtendit, quia Electores noluerunt tunc temporis progredi ad electionem, priusquam in locum Iohannis Gebhardi Colonienſis, ipſo conuentus tempore mortem cum vita commutantis, alius ſurrogaretur Archiepiſcopus & Elector a Capitulo Colonienſi. Et Nicolaus Heiden in deſcript. Maximil. 2. non Capitulum, ſed Fridericum Colonienſem Electorem adfuiſſe narrat.* Euolui etiam omnes de Maximiliani II. electione, relationes, quæ apud Goldaſtum reperiuntur, nullam in iisdem de Capitulo factam vide-

videmus mentionem. Contrarium potius ex circumſtantiis patet. Durantibus enim de electione deliberationibus moriebatur 2. Octobris 1562. Ioannes Gebhardus, cui ſucceſſit Fridericus Wiedanus Comes prout ex MERCVRIO GALLO BELGICO *Tom. I. lib. II. p. 215.* patet. Hic autem Fridericus ad inſtantiam Collegii Electoralis electus 19. Nouembris 1562. prout LIMNÆVS nos docet *Addit. pr. ad lib. III. c. VI. p. 340.* 24. Nouembris vero facta fuit electio, cui ipſe interfuit Fridericus, prout Electionis Acta vnanimi ore adſerunt. Sic in Proteſtatione Maximiliani Henrici, Colonienſis Archiepiſcopi, contra Moguntinum apud LIMNÆVM *Addit. ſec. ad lib. III. c. VI. n. 3. p. 157. Wie dann in ſpecie præfati Maximiliani II. Electionem, Fridericus IV. Comes de Weda, verrichten helffen.* Patet hoc etiam ex NOPPII *Aackiſcher Chronic lib. I. c. XII. p. 65.* vbi: *Als aber am Mittwoch den 4. Nouembris Abends Hochgedachter Kayſ. Maieſt. die Zeitung zukommen, daß der Churfürſt zu Cœlln am 2. Tag desſelben Monats ſchon in GOtt verſtorben ware, ſo haben Ihr. Maieſt. ſolche Schiff zurück entbieten, und den Wehl-Tag (angeſehen durch Ableibigkeit des Cœllniſchen Churfürſten deſſen Bottſchafft auch keine Gewalt mehr gehabt) einſtellen müſſen, nichts deſtoweniger iſt dem hohen Thumbſtifft durch eine anſehnliche Bottſchafft, als Graff Georgen von Helffenſtein alsbald zuentbotten, und anbefohlen worden, innerhalb 4. Tagen ein newen Ertz-Biſchoff zu erwæhlen &c.* Idem ſentit LIMNÆVS *ad A. B. cap. I. §. XVIII. obſ. X.*

**** THVLEMARIVS *Octouir. c. XXIV. §. XVII.* exemplo Wichboldi, Friderici & Ferdinandi, Electorum Colonienſium in electione Alberti I. Maximiliani I. & Matthiæ Impp. præſentium illud confirmat. Idem *§. XXI.* plura Exempla Secularium adducit.

***** A. B. *tit. VII. n. 4.* In Inſtrumento Electionis Alberti II. apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich den V. p. I. p. 2. nec non Ottone, Comite Palatino & Duce Bauariæ, Illuſtris Domini Ludouici, Comitis Palatini Rheni & Bauariæ Ducis, Archi-Dapiferi & Principis Electoris, patruo, tutore & curatore, ad actum infra ſcriptum ex legibus & obſeruantia ſacri Romani Imperii deputati.* Sic actibus electionis atque coronationis Matthiæ Imp. interfuit Friderici Palatini Tutor, Ioannes Bipontinus, prout teſtatur Hiſtoria Ele-

Electionis *p. 175.* Hinc Ferdinandi Mariæ, Bauariæ Electoris Tutor Albertus ad Ferdinandi IV. electionem fuit vocatus. THVLEMARIVS, *cap. XXIV.* §. *XXII.*

****** Tit. I. §. VIII. *Si quis autem princeps elector aliusue princeps cuiuscunque conditionis aut ſtatus feudum vel feuda ſacro tenens Imperio aut Comes, baro vel nobilis ſeu ſucceſſores talium vel heredes ſupra & infra ſcriptas imperiales noſtras conſtitutiones & leges adimplere noluerit aut eis contraire præſumpſerit; ſi quidem talis princeps elector extiterit, extunc ceteri ſui coëlectores a ſuo ipſum deinceps excludant conſortio, ipſeque voce electionis & aliorum principum electorum loco, dignitate careat atque iure.* Quid circa Colonienſis & Bauari proteſtationem actum fuerit, docent ELECTA IVR. PVBL. *Tomo III. p. 998.* S. H. G. *diſſ. XXXVIII.* §. *XLIII.* Videri etiam poteſt GOTTFRIED RÜHLMANNS *Vnterſuchung, ob es zuträglich, daß Cölln und Beyern zur Wahl zu beruffen.* Licet ſtylo vtatur nimis acerbo. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. c. XII.*

§. VIII.

In perſona eligenda requiritur aptitudo. Princeps autem eſſe debet *Laicus*, idemque *Pius* & *Chriſtianus*, * nec dubitandum, vnum ex Proteſtantibus eligi quoq; poſſe in Imperatorem, dum & horum religio per pacem Religionis & Weſtphalicam** confirmetur, nec contrarium quid de Imp. ſtatutum. Imo, qui poteſt eligere, ipſe poteſt eligi. Tertio *mas* eligendus, *** & quidé legitime natus. **** Quinto eſſe debet *Germanus*, quod non quidem Lege ***** ita introductum, aſt antiqua atque inueterata conſuetudine. Habetur vero pro Germano, qui Germanis parentibus eſt natus, licet aliud ipſi natale ſolum, dum Ferdinandus I. ſine dubio Germanus, licet Medinæ Caſtiliæ fuerit in lucem editus. Germani autem parentes dicuntur, qui ius Ciuitatis Germanicæ fuerunt adepti, ſeſſione & voto gaudent in Comitiis. ****** Sexto requiritur, vt ſit *perſona illuſtris*, quæ Comitis minimum gerat dignitatem, qui æque ad Imperii coronam ſunt habiles, prout exempla Guilielmi Bataui,

taui, Rudolphi Habsburgici, Adolphi Nassouii, Güntheri Schwartzburgici testantur. Licet pro statu rerum præsenti, vnus ex potentioribus Principibus requiratur. AETAS Legibus certa definita olim non erat, exempla etiam differunt, dum Otto III. decennis, Henricus IV. quatuor annorum, Fridericus II. triennis in Impp. vel Reges fuerint electi. In Capitulatione Iosephina annus decimus octauus præfinitur, quæ in posterum sine dubio pro ætate legitima habenda. *******

* A. B. Tit. II. §. 2. *quatenus ipsi* (Electores) *suo* (Spiritus sancti) *fulti præsidio, hominem iustum, bonum & vtilem, eligere valeant in regem Romanorum futurumque Cæsarem, ac pro salute populi Christiani.* Et in iuramento Electorum §. 3. *Eligere volo temporale caput populo Christiano. Id est, regem Romanorum, in Cæsarem promouendum qui ad hoc existat idoneus.*

** Negat hoc equidem IO. GEORG KIFFER *de Elector. orig. & pot. qu. XXXI.* quem tamen ideo refellit THVLEMARIVS *de Octouir. c. XXIV. §. CI.* Præ cæteris huc facit INSTRVM. P. art. V. §. 1. *in reliquis omnibus inter vtriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes & singulos sit æqualitas exacta, mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, constitutionibus Imperii & præsenti Constitutioni conformis est, ita, vt quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum.* Licet hoc, eo quod Catholici Electores maiora faciant, hodie vix expectandum, prout etiam HEIN *Iure Publico p. 212.* demonstrauit.

*** Nititur hoc obseruantia in Imperio nostro, Gallia & Polonia. Reliqua Europæ regna sunt fœminea.

**** Docet hoc SPECVLVM SAXONICVM *lib. III. art. XLVIII. Rex de legitimo thoro debet esse natus, nec non ingenuus & in iure immaculatus.* SCHWABEN - SPIEGEL c. XXII. *Die Fürsten sollen kiesen einen Künig der ein freyer Herr sey, und also frey das sein Vatter und sein Mutter frey seyen gewesen, und nit sollen mittelfreyen seyn.* Ipsi etiam Gentium mores aliud non postulant. Licet Seculo IX. Arnulphus Carolomanni filius naturalis in Imp. fuerit electus.

***** Prouocant quidem ad Legem, quæ sub Ottone III. consensu Gregorii V. Papæ lata, ne quis alius quam Germanus eligatur, de

qua MVTIVS *Chron. Germ. p. 107.* Alii ex oratione & verbis Alberti Moguntini apud SLEIDANVM *lib. I. p. 20.* hoc probare contendunt, dum ait: *legibus nostris & iureiurando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros.* Verum, cum nec A. B. nec aliis Legibus de hoc quidpiam præscriptum, de inueterata consuetudine esse intelligendum, putem.

****** Hoc plenius declaratur a SIMONE PISTORIS *in Consil. I qu. I.* & HERMANNO GOEDEN in Consilio *de electione I. R.* Vtraque ad instantiam GEORGII SPALATINI fuerunt conscripta. Confirmat illud Auctor COMITIOLOGIÆ RATISBONENSIS *p. I. disc. II.* Vide etiam Discursum pleniorem apud LONDORPIVM *Tomo I. disc. XXX.*

******* In Capit. Iosephina art. XLVII. *der Kœnig soll sich keiner Regierung so lange der Kayser lebet: oder nach dessen tode, ehe er das achtzehende Iahr erreicht und angetreten, zu præiuditz der Reichs-Vicarien anmassen.*

§. IX.

In modo & forma electionis tria sunt consideranda: ea, quæ electionem antecedunt, ipsa electio, & quæ eandem consequuntur. Circa antecedanea Electionis primo consideranda est Conuocatio. Defuncto Imp. Moguntinus Elector atque Palatinus olim conuocabant: Iste quidem sub banno ecclesiastico, hic sub banno seculari. * Hodie vero soli Moguntino a defuncti Imp. hæredibus eius mors significatur, qui ex tenore A. B. ** intra mensem continuum, a die notitiæ computandum per suos nuntios, *** propriis sumptibus, conuocat Electores singulos, & quidem sigillatim litteris patentibus **** maiori sigillo signatis. Tres autem menses continui Electoribus a die intimationis ad comparendum ***** relinquuntur. Tenor litterarum latino idiomate in A. B. ****** expressus, licet hodie vernaculo sermone conscribantur, maiori verborum extensione. † Conuocat †† autem Moguntinus, licet nec dum infulatus a Papa nec ab Imp.

inue-

inuestitus, quia per electionem omnia iura Imperii adipiscitur. ††† Quod si autem sedes Moguntina vacet, vel Treuirensi electori hoc ius conuocandi competit, vel proprio motu, condicto tempore, conuenire possunt Electores, †††† id quod etiam, si in conuocando negligens fuerit Moguntinus, locum habet. †††††

* SÆCHS. LANDRECHT cap. XXVII. §. III. *Sollen den Churfürsten ein Gespræch gebiethen in Franckfurt. Die solle gebiethen der Bischoff zu Mayntz bey dem Bann, und der Pfaltz-Graff am Rhein bey der Acht.* Idem dicitur im SCHWABEN SPIEGEL *lib. I. c. XXIX. §. III.* Factum hoc sine dubio, quod primi essent inter Germaniæ Primores. Moguntinus quidem Primas in statu ecclesiastico, Palatinus Supremus Imperii Iudex, vt vtrisque hoc ex primatus iure competeret. Vni tamen saltim hoc ius conuocandi etiam competiisse, patet ex Vrbani IV. epistola ad Richardum, Regem Romanorum apud LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. Prodr. p. 14.* dum scribit: *& ad archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequeunte, vel forsitan non volente, pertinet, ad electionem ipsam celebrandam, diem præfigere, ac ceteros electores principes conuocare.* Confirmat hanc Palatini conuocationem etiam CVSPINIANVS *in vita Caroli IV. p. 382.* LVDEWIG *Erlæut. der Güldenen Bull p. 171.* PAVLVS a WINDECK *de Electoribus c. XXII.* Putat equidem CVSPINIANVS *Vita Wenceslai p. 391.* Rupertum etiam Palatinum Electores ad Wenceslai depositionem conuocasse, dicens: *quæ omnia Rupertus Palatinus, vt nascenti occurreret calamitati, cum animo reputaret, ex officio suo imperii Principes ad publica conuocat comitia. Nondum enim aurea bulla Caroli firmata erat, qua hodie electores in conuocandis principibus vtuntur, qua Moguntinus, defuncto Cæsare pro nouo substituendo, imperii proceres accersit.* Quem sequitur LEHMANN *Chron. Spir. lib. VII. c. LIX.* vtrosque LVDEWIG *p. 172.* Licet ex Actis ab VLRICO OBRECHTO collectis, potius pateat, Ioannem Moguntinum secundum A. B. conuocasse electores.

** Tit. I. §. XVIII. *Praeterea statuimus, ac etiam ordinamus, vt archiepiscopus Moguntinensis qui fuerit pro tempore, singulis principi-*

pibus coelectoribus suis, ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem per suos nuntios patentibus debeat litteris intimare. Idem confirmatur *Tit. IV.* §. *II.* Licet etiam in conuocatione potiora iura Moguntino fuisse, crederem. Id quod ex OTTONE FRISINGENSI patet *de gestis Friderici I. lib. I. c. XVI. igitur Albertus, (nam id iuris dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur,) principes Regni in ipsa ciuitate Moguntina tempore autumnali conuocat.* Patet hoc tanto magis ex Formula Gebhardi Moguntini apud GOLDASTVM Replicatione pro Imperio c. XIII. p. 173. *Daß, nachdem wir im verschiedenen 1291. Iahre unsern Mit-Churfürsten zur Wahl eines Ræmischen Kæniges einen Tag zu Franckfurt, als nemlich den Freytag nach Philippi Iacobi angestellet gehabt.* Quare etiam Ludouicus Bauarus in litteris suis contra Fridericum apud BALVZIVM *Collect. Act. Veter. LXXV. p. 478. Consuetudo imperii quæ apud nos pro iure obseruatur, habet manifeste, vt in loco debito Franckfurt a maiori parte, in die, ad eligendum præfixa, per eum, ad quem spectat præfigere, electus habeatur pro legitime electo.*

*** A. B. *Tit. I.* §. *XXI.*

**** Patet hoc ex dicto loco A. B. atque hodie adhuc obseruatur hac formula: *durch unsern offen besiegelten Brief.* Secus ac L. B. de LYNCKER ad A. B. *p. 24.* autumat. Quodsi absens fuerit Elector, eius Collegio Litteræ insinuantur. De quo PVFENDORF lib. VI. Rerum Brandenburg. §. XXI. *Viuis excesserat Viennæ Ferdinandus III. apud cuius filium Leopoldum elector officio consolationis per Lœbium defunctus est. Eam mortem litteris pergameno inscriptis pro more Moguntinus denuntiabat. Indicta quoque electione ad diem quartum Augusti. Quas litteras Philippus Caspar Rickius, adhibito notario & testibus consilio (ipse enim elector egerat in Borussia,) electoris Berolini tradebat.*

***** A. B. Tit. I. §. XIX. *Huiusmodi vero litteræ continebunt, vt a die in litteris ipsis expressa, infra tres menses continuos, omnes ex singulo principes electores Franckenford super Moganum esse debeant constituti.* Ipsa etiam electio fieri debebat infra annum & diem, postquam vacauerit Imperium, de quo Vrbanus IV. in epistola ad Richardum, apud LEIBNITIVM *Prodr. Cod. Iur. Gent. p. 14.* Hic terminus

minus tamen pro ſtatu rerum vel contrahi poteſt vel prorogari. Io. Fridericus, Saxoniæ Elector ad diem XXIX. Decembris euocabatur, dum litteras accepiſſet die XVIII. Nouembris. Inde opponebat *citationem Moguntini non eſſe recte nec ordine factam, & hac ipſa creatione regis, violari cumprimis Imperii ius atque libertatem, & illud Caroli quarti, Cæſaris edictum* SLEIDANVS *lib. VII. p. 203.* Prorogabatur terminus in electione Leopoldi. Ferdinandus III. mortuus d. 23. Martii 1657. Leopoldus electus d. 8. Iulii 1658. In electione Ioſephina Datum Litterarum intimationis erat 21. Decembr.

****** A. B. *Tit. I. §. XVIII. 20.*

† Formulam in electione Ioſephi Imp. exhibet VITRIARIVS ad PFEFFINGERVM *lib. I. Tit. VI. n. 5.* In electione Caroli VI. 1689. dum 18. Ianuarii 1690. ad electionem deſtinatus.

†† Olim quidem ſinguli electores ex compacto conueniſſe videntur. Sic enim in Litteris Electorum ad Papam, quibus Henrici VII. electionem ipſi nuntiant, apud BALVZIVM *Collect. Vet. Act. XXXV. p. 266.* & LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. dipl. p. 233.* quibus: *& nobis pro futuri Regis ſubſtitutione poſtmodum conuenientibus in diem electionis, videlicet quartam feriam ante feſtum beati Andreæ Apoſtoli, quæ eſt viceſima ſeptima dies menſis Nouembris, concordauimus & communiter ipſam diem præfiximus ad electionem huiusmodi celebrandam.* Sic etiam XVIII. Ianuarii 1690. ad electionem Ioſephi Imp. ex condicto Electorum fuit deſtinatus, prout Litteræ docent apud PFEFFINGERVM *ad Vitriarium lib. I. Tit. VI. §. 5.*

††† Hoc plenius declarauit LVDEWIG *ad A. B. p. 179.*

†††† De eo quidem adhuc diſputatur. DOM. ARVMÆVS *in diſc. I. ad A. B. §. XXIV.* Capitulo hoc plane denegat, putans, Electores proprio motu conuenire poſſe, IO. LIMNÆVS *ad A. B. cap. I. §. XVIII. obſ. III.* idem ſentit, vel etiam, quod Electores Treuirenſi, vel Imperii Vicariis eandem conuocationem poſſint committere. LVDEWIG *p. 178.* Palatino ex iure antiquo hoc competere autumat. Verum, moris eſt Germaniæ, vt deficiente Collegii Directore vel Præſide, proximus ab eo ius Collegium conuocandi exerceat, hinc vel Treuirenſi idem ius competit, vel cuiuis etiam ex Electorum Ordine, prout adparet aus der Churfürſten Verein de a. 1521. §. XVI. vbi: *Vnnd welcher*

* Dicendum de eo infra pluribus, vbi de Electoribus agendum, Capite decimo sexto.

** Patet hoc ex epistola Vrbani IV. ad Richardum in LEIBNITII *Prodromo p. 15.* vbi quinque Electores nominantur, hoc adiecto: *cum Prælatis, Ducibus & aliis ibidem præsentibus, deliberatione præhabita de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreuerunt.*

*** GERHARDVS a ROO Ann. Austr. lib. I. p. 13. *Congregatis ergo principibus commodum adfertur nuncius, Richardum Anglum iam diem obiisse. Cum itaque nonnulli proponerentur Mainardus Comes Tirolensis vir magni inter principes nominis tres viros aliis præferendos affirmabat: Bernardum Carinthiæ ducem, Albertum seniorem Goritiæ Comitem, & Rudolphum Habsburgicum. Extat vetus quoddam Chronicon Argentoratense, cuius auctor laudatur quidem Encardus: idque qui Germanice vertit Fridericus Closnerus Burggrauium Norimbergensem refert reliquis principibus parum inter se concordibus Rudolphum proposuisse, & assensos statim omnes.* Idem confirmat CVSPINIANVS *Rudolpho Cæsare p. 351.*

**** Alios Principes ad hanc electionem admitti petiisse, patet ex Decreto Electionis apud LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. Mant. p. 252.* in quo: *Ego Balduinus Treuerensis Archiepiscopus prædictus in scriptis legi monitionem & protestationem quandam vice mea & omnium ius in ipsa electione habentium, monendo omnes excommunicatos, suspensos, ac etiam interdictos, nec non quoscunque alios, si qui forent forsitan inter eos, qui de iure vel consuetudine interesse in ipsius electionis negotio non deberent; quod a tractatibus electionis celebrandæ & ab eadem electione recederent, me & alios libere eligere permittentes, protestans, quod non esset mea vel aliorum intentio tales admittere tanquam ius in electione habentes aut procedere vel eligere cum eisdem, immo volui, quod Voces talium, si qui reperirentur postmodum interfuisse, nulli præstent suffragium nec alicui afferant nocumentum, & prorsus pro non receptis siue pro non habitis habeantur. Quam protestationem nos omnes & singuli alii nostri Coëlectores ratam & gratam habentes, & acceptantes consensimus in eandem.* Et paucis interiectis: *Ego Baldewinus Treuerensis Archiepiscopus pro me & nomine*

mine meo, præfatus Henricus Coloniensis Archiepiscopus pro se & nomine suo, ac iam dictus Archiepiscopus Moguntinensis pro se & nomine suo: ego vero Rodolphus Dux Bauariæ pro me & nomine meo, ego quidem Rodolphus Dux Saxoniæ pro me & nomine meo similiter: & ego Waldemarus Marchio Brandenburgensis prænarratus pro me & magnifico Viro Ottone Marchione Brandenburgensi patrono meo cuius vices in hac parte gero, nec non illustrium Virorum Iohannis & Erici fratrum Ducum Saxoniæ, qui etiam vices suas in hoc casu mihi commiserunt, si de iure vel de consuetudine repertum fuerit eos fore in ipsa electione admittendos, vice & nomine. Ex dictis facile patebit, non omnes statim Principes alios fuisse exclusos.

***** Hoc enim tali modo incipit: *Nos Dei Gratia, Heinricus Archiepiscopus Moguntinensis, Walramus Archiepiscopus Coloniensis, Balduinus, Archiepiscopus Treuerensis. Rudolphus, Rupertus fratres, Stephanus, Ruppertus Iunior, Comites Palatini Rheni & Duces Bauariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludouicus Marchio Brandenburgensis.*

****** M. 1. *a curiatis igitur Heptarchis rebus impositus, continue more maiorum, atque iure gentium, Rex est, & vocatur.*

§. VII.

Personæ igitur hodie eligentes sunt omnes Electores, Moguntinus scilicet, Treuirensis, Coloniensis, Bohemus, Bauarus, Saxo, Brandenburgicus, Palatinus, Hanoueranus. Ecclesiastici quidem ius eligendi habent, etiamsi a Pontifice infulam nondum accepissent, dum hoc ipso ad munia quidem Archiepiscopalia apti reddantur, non vero ad iura Imperii, quæ statim adipiscuntur per electionem. Inde Daniel electus Moguntinus R. I. de a. 1555. Ioannes Gebhardus, Coloniensis R. I. de a. 1559. subscripsit. * Maximilianus Henricus Elector Coloniensis ad Collegium Electorale fuit admissus, antequam infulam Episcopalem fuisset adeptus,** Sede vero vacante, non Capitulo hæc iura conueniunt, vtpote per-

ſonæ Archi-Epiſcopi cohærentia, ſed mandatur eidem, vt Electionem noui Archiepiſcopi maturarent, quod ante electionem Maximiliani II. a. 1562. factum, dum Capitulo Colonienſi idem iniunctum, quod ante electionem adhuc Fridericum de Weda elegit. *** Vtrique etiam Electores, antequam ab Imp. inueſtiti, admittuntur. **** Quod ſi tamen minorennis adhuc ſit Elector, Tutor eiusdem vices ſupplet. ***** Proſcripti vero & Banniti Imperii ab electione ſecundum A. B. excluduntur. ****** Id quod etiam exemplum nuperum in electione Caroli VI. demonſtrat.

* ARVMÆVS *de Comitiis cap. IV. n. 108.* THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XXIV. n. 17.*

** THVLEMARIVS *Octouiratu c. XXIV. §. XVII.*

*** BOEHMERVS equidem *Iure Eccleſiaſtico lib. III. Tit. IX. §. XXII.* Electionis Iura Capitulo ſede vacante vindicat, ſecutus CRVSIVM *ad A. B. Tit. I. §. XVIII. p. 344. &* MELCHIOREM GOLDASTVM *de R. Bohemiæ lib. III. c. VI. §. XXVI.* qui ad præiudicium Colonienſe prouocat, quod, vt ipſe ait: *Anno MDLXII. vacante Sede Archiepiſcopali fuit ad electionem Maximiliani II. Cæſaris citatum, adeo vt Legatum nomine Capituli in conſeſſum ſuum Electores reliqui tam diu admiſerint, donec nouus Electus procuratorium Legatis ſuo nomine renouaret & confirmaret.* Adlegat SIMON. SCHARDIVM *in Narratione de Electione & Coronatione Maximiliani II.* In qua tamen perlecta narratione integra nihil hac de re occurrit. Verum, contrarium demonſtrauit THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXIV. §. XX.* qui adlegata Goldaſti ſententia, addit: *Sed hoc falſum eſſe Carpzouius Disp. Feud. 2. q. ad A. B. 8. n. 9. oſtendit, quia Electores noluerunt tunc temporis progredi ad electionem, priusquam in locum Iohannis Gebhardi Colonienſis, ipſo conuentus tempore mortem cum vita commutantis, alius ſurrogaretur Archiepiſcopus & Elector a Capitulo Colonienſi. Et Nicolaus Heiden in deſcript. Maximil. 2. non Capitulum, ſed Fridericum Colonienſem Electorem adfuiſſe narrat.* Euolui etiam omnes de Maximiliani II. electione, relationes, quæ apud Goldaſtum reperiuntur, nullam in iisdem de Capitulo factam vide-

videmus mentionem. Contrarium potius ex circumstantiis patet. Durantibus enim de electione deliberationibus moriebatur 2. Octobris 1562. Ioannes Gebhardus, cui successit Fridericus Wiedanus Comes prout ex MERCVRIO GALLO BELGICO *Tom. I. lib. II. p. 215.* patet. Hic autem Fridericus ad instantiam Collegii Electoralis electus 19. Nouembris 1562. prout LIMNÆVS nos docet *Addit. pr. ad lib. III. c. VI. p. 340.* 24. Nouembris vero facta fuit electio, cui ipse interfuit Fridericus, prout Electionis Acta vnanimi ore adserunt. Sic in Protestatione Maximiliani Henrici, Coloniensis Archiepiscopi, contra Moguntinum apud LIMNÆVM *Addit. sec. ad lib. III. c. VI. n. 3. p. 157. Wie dann in specie præfati Maximiliani II. Electionem, Fridericus IV. Comes de Weda, verrichten helffen.* Patet hoc etiam ex NOPPII *Aackischer Chronic lib. I. c. XII. p. 65.* vbi: *Als aber am Mittwoch den 4. Nouembris Abends Hochgedachter Kays. Maiest. die Zeitung zukommen, daß der Churfürst zu Cœlln am 2. Tag desselben Monats schon in GOtt verstorben ware, so haben Ihr. Maiest. solche Schiff zurück entbieten, und den Wehl-Tag (angesehen durch Ableibigkeit des Cœllnischen Churfürsten dessen Bottschafft auch keine Gewalt mehr gehabt) einstellen müssen, nichts destoweniger ist dem hohen Thumbstifft durch eine ansehnliche Bottschafft, als Graff Georgen von Helffenstein alsbald zuentbotten, und anbefohlen worden, innerhalb 4. Tagen ein newen Ertz-Bischoff zu erwæhlen &c.* Idem sentit LIMNÆVS *ad A. B. cap. I. §. XVIII. obs. X.*

**** THVLEMARIVS *Octouir. c. XXIV. §. XVII.* exemplo Wichboldi, Friderici & Ferdinandi, Electorum Coloniensium in electione Alberti I. Maximiliani I. & Matthiæ Impp. præsentium illud confirmat. Idem *§. XXI.* plura Exempla Secularium adducit.

***** A. B. *tit. VII. n. 4.* In Instrumento Electionis Alberti II. apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich den V. p. I. p. 2. nec non Ottone, Comite Palatino & Duce Bauariæ, Illustris Domini Ludouici, Comitis Palatini Rheni & Bauariæ Ducis, Archi-Dapiferi & Principis Electoris, patruo, tutore & curatore, ad actum infra scriptum ex legibus & obseruantia sacri Romani Imperii deputati.* Sic actibus electionis atque coronationis Matthiæ Imp. interfuit Friderici Palatini Tutor, Ioannes Bipontinus, prout testatur Historia

Ele-

Electionis *p. 175.* Hinc Ferdinandi Mariæ, Bauariæ Electoris Tutor Albertus ad Ferdinandi IV. electionem fuit vocatus. THVLEMARIVS, *cap. XXIV. §. XXII.*

****** Tit. I. §. VIII. *Si quis autem princeps elector aliusue princeps cuiuscunque conditionis aut status feudum vel feuda sacro tenens Imperio aut Comes, baro vel nobilis seu successores talium vel heredes supra & infra scriptas imperiales nostras constitutiones & leges adimplere noluerit aut eis contraire præsumpserit; si quidem talis princeps elector extiterit, extunc ceteri sui coëlectores a suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis & aliorum principum electorum loco, dignitate careat atque iure.* Quid circa Coloniensis & Bauari protestationem actum fuerit, docent ELECTA IVR. PVBL. *Tomo III. p. 998.* S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XLIII.* Videri etiam potest GOTTFRIED RÜHLMANNS *Vntersuchung, ob es zuträglich, daß Cölln und Beyern zur Wahl zu beruffen.* Licet stylo vtatur nimis acerbo. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. c. XII.*

§. VIII.

In persona eligenda requiritur aptitudo. Princeps autem esse debet *Laicus*, idemque *Pius* & *Christianus*, * nec dubitandum, vnum ex Protestantibus eligi quoq; posse in Imperatorem, dum & horum religio per pacem Religionis & Westphalicam** confirmetur, nec contrarium quid de Imp. statutum. Imo, qui potest eligere, ipse potest eligi. Tertio *mas* eligendus, *** & quidē legitime natus. **** Quinto esse debet *Germanus*, quod non quidem Lege ***** ita introductum, ast antiqua atque inueterata consuetudine. Habetur vero pro Germano, qui Germanis parentibus est natus, licet aliud ipsi natale solum, dum Ferdinandus I. sine dubio Germanus, licet Medinæ Castiliæ fuerit in lucem editus. Germani autem parentes dicuntur, qui ius Ciuitatis Germanicæ fuerunt adepti, sessione & voto gaudent in Comitiis. ****** Sexto requiritur, vt sit *persona illustris*, quæ Comitis minimum gerat dignitatem, qui æque ad Imperii coronam sunt habiles, prout exempla Guilielmi Bataui,

taui, Rudolphi Habsburgici, Adolphi Naſſouii, Güntheri Schwartzburgici teſtantur. Licet pro ſtatu rerum præſenti, vnus ex potentioribus Principibus requiratur. AETAS Legibus certa definita olim non erat, exempla etiam differunt, dum Otto III. decennis, Henricus IV. quatuor annorum, Fridericus II. triennis in Impp. vel Reges fuerint electi. In Capitulatione Ioſephina annus decimus octauus præfinitur, quæ in poſterum ſine dubio pro ætate legitima habenda. *******

* A. B. Tit. II. §. 2. *quatenus ipſi* (Electores) *ſuo* (Spiritus ſancti) *fulti præſidio, hominem iuſtum, bonum & vtilem, eligere valeant in regem Romanorum futurumque Cæſarem, ac pro ſalute populi Chriſtiani.* Et in iuramento Electorum §. 3. *Eligere volo temporale caput populo Chriſtiano. Id eſt, regem Romanorum, in Cæſarem promouendum qui ad hoc exiſtat idoneus.*

** Negat hoc equidem IO. GEORG KIFFER *de Elector. orig. & pot. qu. XXXI.* quem tamen ideo refellit THVLEMARIVS *de Octouir. c. XXIV. §. CI.* Præ cæteris huc facit INSTRVM. P. art. V. §. 1. *in reliquis omnibus inter vtriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes & ſingulos ſit æqualitas exacta, mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii & præſenti Conſtitutioni conformis eſt, ita, vt quod vni parti iuſtum eſt, alteri quoque ſit iuſtum.* Licet hoc, eo quod Catholici Electores maiora faciant, hodie vix expectandum, prout etiam HEIN *Iure Publico p. 212.* demonſtrauit.

*** Nititur hoc obſeruantia in Imperio noſtro, Gallia & Polonia. Reliqua Europæ regna ſunt fœminea.

**** Docet hoc SPECVLVM SAXONICVM *lib. III. art. XLVIII. Rex de legitimo thoro debet eſſe natus, nec non ingenuus & in iure immaculatus.* SCHWABEN - SPIEGEL c. XXII. *Die Fürſten ſollen kieſen einen Künig der ein freyer Herr ſey, und alſo frey das ſein Vatter und ſein Mutter frey ſeyen geweſen, und nit ſollen mittelfreyen ſeyn.* Ipſi etiam Gentium mores aliud non poſtulant. Licet Seculo IX. Arnulphus Carolomanni filius naturalis in Imp. fuerit electus.

***** Prouocant quidem ad Legem, quæ ſub Ottone III. conſenſu Gregorii V. Papæ lata, ne quis alius quam Germanus eligatur, de

qua MVTIVS *Chron. Germ. p. 107.* Alii ex oratione & verbis Alberti Moguntini apud SLEIDANVM *lib. I. p. 20.* hoc probare contendunt, dum ait: *legibus nostris & iureiurando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros.* Verum, cum nec A. B. nec aliis Legibus de hoc quidpiam præscriptum, de inueterata consuetudine esse intelligendum, putem.

****** Hoc plenius declaratur a SIMONE PISTORIS *in Consil. I. qu. I.* & HERMANNO GOEDEN in Consilio *de electione I. R.* Vtraque ad instantiam GEORGII SPALATINI fuerunt conscripta. Confirmat illud Auctor COMITIOLOGIÆ RATISBONENSIS *p. I. disc. II.* Vide etiam Discursum pleniorem apud LONDORPIVM *Tomo I. disc. XXX.*

******* In Capit. Iosephina art. XLVII. *der Kænig soll sich keiner Regierung so lange der Kayser lebet: oder nach dessen tode, ehe er das achtzehende Iahr erreicht und angetreten, zu præinditz der Reichs-Vicarien anmassen.*

§. IX.

In modo & forma electionis tria sunt consideranda: ea, quæ electionem antecedunt, ipsa electio, & quæ eandem consequuntur. Circa antecedanea Electionis primo consideranda est Conuocatio. Defuncto Imp. Moguntinus Elector atque Palatinus olim conuocabant: Iste quidem sub banno ecclesiastico, hic sub banno seculari. * Hodie vero soli Moguntino a defuncti Imp. hæredibus eius mors significatur, qui ex tenore A. B. ** intra mensem continuum, a die notitiæ computandum per suos nuntios, *** propriis sumptibus, conuocat Electores singulos, & quidem sigillatim litteris patentibus **** maiori sigillo signatis. Tres autem menses continui Electoribus a die intimationis ad comparendum ***** relinquuntur. Tenor litterarum latino idiomate in A. B. ****** expressus, licet hodie vernaculo sermone conscribantur, maiori verborum extensione. † Conuocat †† autem Moguntinus, licet nec dum infulatus a Papa nec ab Imp. inue-

inuestitus, quia per electionem omnia iura Imperii adipiscitur. ††† Quod si autem sedes Moguntina vacet, vel Treuirensi electori hoc ius conuocandi competit, vel proprio motu, condicto tempore, conuenire possunt Electores, †††† id quod etiam, si in conuocando negligens fuerit Moguntinus, locum habet. †††††

* SÆCHS. LANDRECHT cap. XXVII. §. III. *Sollen den Churfürsten ein Gespræch gebiethen in Franckfurt. Die solle gebiethen der Bischoff zu Mayntz bey dem Bann, und der Pfaltz-Graff am Rhein bey der Acht.* Idem dicitur im SCHWABEN-SPIEGEL *lib. I. c. XXIX. §. III.* Factum hoc sine dubio, quod primi essent inter Germaniæ Primores. Moguntinus quidem Primas in statu ecclesiastico, Palatinus Supremus Imperii Iudex, vt vtrisque hoc ex primatus iure competeret. Vni tamen saltim hoc ius conuocandi etiam competiisse, patet ex Vrbani IV. epistola ad Richardum, Regem Romanorum apud LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. Prodr. p. 14.* dum scribit: *& ad archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequeunte, vel forsitan non volente, pertinet, ad electionem ipsam celebrandam, diem præfigere, ac cæteros electores principes conuocare.* Confirmat hanc Palatini conuocationem etiam CVSPINIANVS *in vita Caroli IV. p. 382.* LVDEWIG *Erlæut. der Güldenen Bull p. 171.* PAVLVS a WINDECK *de Electoribus c. XXII.* Putat equidem CVSPINIANVS *Vita Wenceslai p. 391.* Rupertum etiam Palatinum Electores ad Wenceslai depositionem conuocasse, dicens: *quæ omnia Rupertus Palatinus, vt nascenti occurreret calamitati, cum animo reputaret, ex officio suo imperii Principes ad publica conuocat comitia. Nondum enim aurea bulla Caroli firmata erat, qua hodie electores in conuocandis principibus vtuntur, qua Moguntinus, defuncto Cæsare pro nouo substituendo, imperii proceres accersit.* Quem sequitur LEHMANN *Chron. Spir. lib. VII. c. LIX.* vtrosque LVDEWIG *p. 172.* Licet ex Actis ab VLRICO OBRECHTO collectis, potius pateat, Ioannem Moguntinum secundum A. B. conuocasse electores.

** Tit. I. §. XVIII. *Præterea statuimus, ac etiam ordinamus, vt archiepiscopus Moguntinensis qui fuerit pro tempore, singulis principipibus*

pibus coelectoribus suis, ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem per suos nuntios patentibus debeat litteris intimare. Idem confirmatur *Tit. IV. §. II.* Licet etiam in conuocatione potiora iura Moguntino fuisse, crederem. Id quod ex OTTONE FRISINGENSI patet *de gestis Friderici I. lib. I. c. XVI. igitur Albertus, (nam id iuris dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur,) principes Regni in ipsa ciuitate Moguntina tempore autumnali conuocat.* Patet hoc tanto magis ex Formula Gebhardi Moguntini apud GOLDASTVM Replicatione pro Imperio c. XIII. p. 173. *Daß, nachdem wir im verschiedenen 1291. Iahre unsern Mit-Churfürsten zur Wahl eines Ræmischen Kæniges einen Tag zu Franckfurt, als nemlich den Freytag nach Philippi Iacobi angestellet gehabt.* Quare etiam Ludouicus Bauarus in litteris suis contra Fridericum apud BALVZIVM *Collect. Act. Veter. LXXV. p. 478. Consuetudo imperii quæ apud nos pro iure obseruatur, habet manifeste, vt in loco debito Franckfurt a maiori parte, in die, ad eligendum præfixa, per eum, ad quem spectat præfigere, electus habeatur pro legitime electo.*

*** A. B. *Tit. I. §. XXI.*

**** Patet hoc ex dicto loco A. B. atque hodie adhuc obseruatur hac formula: *durch unsern offen besiegelten Brief.* Secus ac L. B. de LYNCKER ad A. B. *p. 24.* autumat. Quodsi absens fuerit Elector, eius Collegio Litteræ insinuantur. De quo PVFENDORF lib. VI. Rerum Brandenburg. §. XXI. *Viuis excesserat Viennæ Ferdinandus III. apud cuius filium Leopoldum elector officio consolationis per Læbium defunctus est. Eam mortem litteris pergameno inscriptis pro more Moguntinus denuntiabat. Indicta quoque electione ad diem quartum Augusti. Quas litteras Philippus Caspar Rickius, adhibito notario & testibus consilio (ipse enim elector egerat in Borussia,) electoris Berolini tradebat.*

***** A. B. Tit. I. §. XIX. *Huiusmodi vero litteræ continebunt, vt a die in litteris ipsis expressa, infra tres menses continuos, omnes ex singulo principes electores Franckenford super Moganum esse debeant constituti.* Ipsa etiam electio fieri debebat infra annum & diem, postquam vacauerit Imperium, de quo Vrbanus IV. in epistola ad Richardum, apud LEIBNITIVM *Prodr. Cod. Iur. Gent. p. 14.* Hic terminus

minus tamen pro statu rerum vel contrahi potest vel prorogari. Io. Fridericus, Saxoniæ Elector ad diem XXIX. Decembris euocabatur, dum litteras accepisset die XVIII. Nouembris. Inde opponebat *citationem Moguntini non esse recte nec ordine factam, & hac ipsa creatione regis, violari cumprimis Imperii ius atque libertatem, & illud Caroli quarti, Cæsaris edictum* SLEIDANVS *lib. VII. p. 203.* Prorogabatur terminus in electione Leopoldi. Ferdinandus III. mortuus d. 23. Martii 1657. Leopoldus electus d. 8. Iulii 1658. In electione Iosephina Datum Litterarum intimationis erat 21. Decembr.

****** A. B. *Tit. I. §. XVIII. 20.*

† Formulam in electione Iosephi Imp. exhibet VITRIARIVS ad PFEFFINGERVM *lib. I. Tit. VI. n. 5.* In electione Caroli VI. 1689. dum 18. Ianuarii 1690. ad electionem destinatus.

†† Olim quidem singuli electores ex compacto conuenisse videntur. Sic enim in Litteris Electorum ad Papam, quibus Henrici VII. electionem ipsi nuntiant, apud BALVZIVM *Collect. Vet. Act. XXXV. p. 266.* & LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. dipl. p. 233.* quibus: *& nobis pro futuri Regis substitutione postmodum conuenientibus in diem electionis, videlicet quartam feriam ante festum beati Andreæ Apostoli, quæ est vicesima septima dies mensis Nouembris, concordauimus & communiter ipsam diem præfiximus ad electionem huiusmodi celebrandam.* Sic etiam XVIII. Ianuarii 1690. ad electionem Iosephi Imp. ex condicto Electorum fuit destinatus, prout Litteræ docent apud PFEFFINGERVM *ad Vitriarium lib. I. Tit. VI. §. 5.*

††† Hoc plenius declarauit LVDEWIG *ad A. B. p. 179.*

†††† De eo quidem adhuc disputatur. DOM. ARVMÆVS *in disc. I. ad A. B. §. XXIV.* Capitulo hoc plane denegat, putans, Electores proprio motu conuenire posse, IO. LIMNÆVS *ad A. B. cap. I. §. XVIII. obs. III.* idem sentit, vel etiam, quod Electores Treuirensi, vel Imperii Vicariis eandem conuocationem possint committere. LVDEWIG *p. 178.* Palatino ex iure antiquo hoc competere autumat. Verum, moris est Germaniæ, vt deficiente Collegii Directore vel Præside, proximus ab eo ius Collegium conuocandi exerceat, hinc vel Treuirensi idem ius competit, vel cuiuis etiam ex Electorum Ordine, prout adparet aus der Churfürsten Verein de a. 1521. §. XVI. vbi: *Vnnd welcher*

ter uns sollichs zusammen kommen oder schicken vor notturfft und nutzbar bedeucht und bewegt, soll und mag derselb uns andern Churfürsten des ein gelegen Mahlstadt under der obgenandten Stetten eine unnd einen næmlichen Tag mit Eræffnung und Anzeigung der Vrsach und Geschæfft des Zusammenkommens oder Schickung durch Schrifft oder Bottschafft vermelden, alsdann sollen und wollen wir persænlich zur Stætt erscheinen oder unsere Rathe mit vollem Gewalt schicken, wie das die Notturfft und Gelegenheit der Sachen erfordert zu rathschlagen, und das best fürzunemmen.

††††† A. B. Tit. I. §. XXI. *Quod si idem archiepiscopus in executione & intimatione huiusmodi negligens aut remissus fortassis existeret, extunc iidem principes, motu proprio, etiam non vocati, pro fidei suæ virtute, qua sacrum prosequi tenentur imperium, posthæc infra tres menses, sicut in constitutione proxime posita supra continetur, in ciuitate Franckenfördensi sæpe dicta conueniant, electuri Regem Romanorum, in Cæsarem promouendum.*

§. X.

Euocandi autem sunt omnes atque singuli Electores, nullo excepto. * Licet enim Bohemum olim excludere voluissent Electores, irritam tamen ideo Maximiliani I. electionem facere voluit, vsque dum Transactione inter Vladislaum Bohemum atque Electores a. 1489. inita, sub pœna quingentarum marcarum auri puri prohibitum, ne amplius præterirentur Bohemiæ Electores. ** In Capitulatione Ferdinandi III. dum Elector Treuirensis, eo quod captiuus detineretur, ad electionem euocari non posset, speciatim cautum, ne in exemplum trahatur. *** Quod si autem Electorum vnus vel alter ab Electore Moguntino præteritus, etiam non vocatus, sponte sua comparere poterit, quia lex interpellat pro homine, & Electores proprio etiam motu conuenire possunt. **** Si non comparuerit, pro ista vice voce sua priuatur. *****

* Sic

* Sic etiam olim omnes Principes erant euocandi. Hinc in electione Conradi III. apud OTTONEM FRISINGENSEM *lib. VII. c. XXII.* Saxones & Dux Henricus, aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitime, sed per surreptionem electum dicebant. S. H. G. *diss. XVII. §. II.*

** HARTM. MAVRVS *Hist. El. Caroli V.* apud SCHARDIVM *Tomo III p. 26.* Integram transactionem ex GOLDASTI *Reichs-Satzungen Tom. II. p. 178.* inseruit THVLEMARIVS *Octouir. cap. XIV. n. XIX.* Plenius MÜLLERVS *Reichs-Tags Theatro unter K. Friedrich dem V. p. VI. c. XXXVI. & Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian p. II. c. II.* S. H. G. *diss. XXX. §. LIX.*

*** Capit. Ferdinandi III. *art. L.* IVSTVS ASTERIVS quidem *in Examine Comitiorum Ratisbonensium* hanc electionem irritam reddere conatur, cui tamen respondet IO. OSTERMANNVS in *throno regali.* LIMNÆVS *not. ad Capit. Ferdinandi III. p. 746.* PIASECIVS *Chron. p. 489.* S. H. G. *diss. XXXV. §. LXXXI.*

**** Distinguunt communiter an dolo omissus, an negligentia. Si dolo omissus, electionis actum, hanc omissionem reddere irritum: sin vero negligentia, actum hoc ipso haut vitiari. LVDEWIG ad A. B. p. 219. actum plane irritum fieri autumat, prouocans ad c. 28. X. de elect. & electi potestate. *Si vocati fuerunt, qui electioni debent interesse, siue noluerint, siue non potuerint comparere, ipsorum absentia non impedit electionem: si vero non vocati sed contemti sunt, irrita erit electio. Nisi postea non vocati consenserint pacis amore.* Verum, dum Ius Canonicum Electores non obliget, sed A. B praescribat. Electores Moguntino non vocante, proprio motu conuenire posse, hanc pro norma adgnoscimus.

***** A. B. *Tit. I. §. XXIII.*

§. XI.

Locus electionis olim certus non erat. Hoc tamen videmus, quod in prouincia Imperii immediata atque Terra Rhenensi Aquisgrani, Moguntiæ, Triburiæ, Wormatiæ, Francofurti, * olim electio fuerit peracta. Dum autem Francofurtum principalis sedes esset Germaniæ, vel Regni Orientalis,

lis, ** in Regni etiam medio sita, a temporibus Friderici Barbarossæ originem traxit, vt Impp. in sede ista Regni primaria, vel in campis patentibus ante dictam vrbem, *** eligerentur, **** quod a Rudolphi Habsburgici temporibus magis adhuc inualuit. ***** Exinde etiam Francofurtenses prætendebant, vt si Imp. per discordiam fuisset electus, iste per sex hebdomadas atque tres dies in campis ante vrbem castra haberet, antequam in eandem intromitteretur. ****** Per A.B. demum Francofurtum ad Mœnum, ad electionem fuit definitum, † ita tamen, vt iustas ob caussas, si impedimentum quodpiam intersit, alius quoque locus possit ad electionem destinari. †† Quod recentiori potissimum tempore factum. Sic Ferdinandus I. Coloniæ, Maximilianus II. Rudolphus II. & Ferdinandus III. Ratisbonæ, Ferdinandus IV. & Iosephus Augustæ Vindelicorum, fuerunt electi. Prospicere autem sibi solent Francofurtenses protestando, atque desuper ab Imperatore accipere litteras Reuersales, ne in ipsorum hoc vergat præiudicium. †††

* Vide supra §. *V.*

** Palatium ibidem iamdum Caroli M. temporibus fuisse, patet ex Concilio Francofurtensi a. 794. ab eodem celebrato, de quo Libellus Sacrosyllabus Paulini, Patriarchæ Foroiuliensis in Tomo VI. Concil. hunc titulum habet: *Libellus sacro-syllabus Catholico salubriter editus stylo in Concilio diuino nutu habito in Suburbanis Moguntiæ Metropolitanæ Ciuitatis, regione Germaniæ in loco, qui dicitur Franconofurt.* Vid. GVNDLINGIANA *p. XVIII. p. 225.* vbi hæc vberius pertractantur. Nouum vero ibidem extruxisse videtur Ludouicus Pius, de quo HVGO FLAVINIACENSIS ad a. 823. *anno ipsius Ludouici octauo ab Incarn. Dom. 823. natus est ei filius Carolus in Franconofurt, palatio nouo.* Ibidem sedem habuit Ludouicus Germanicus. Quare ANN. FVLDENSES ad a. 865. *missus est in Franciam qui apud illam Regiam Franconofurt a Hludouico Rege honorifice susceptus & muneribus magnificis honoratus.* ANN. METENSES a. 876. *extinctus dicitur apud Fran.*

Franconofurt palatium. Iidem ANNALES de filio ipsius cognomine dicunt: *Ludowicus, qui ad patris obitum fuerat, funerisque exequias condigno honore celebrauerat, apud Franconofurt principalem sedem orientalis regni residebat.*

*** Patet hoc ex Vrbani IV. epistola ad Richardum, apud LEIBNITIVM Prodr. Cod. I. Gent. n. XIV. in qua: *Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis die praefixa conuenientibus apud oppidum de Franckenford, intus vel extra ipsum oppidum, in terra quae dicitur Franckeserde, (loca quidem ad hoc deputata specialiter ab antiquo) ad electionem ipsam procedi potest, ac debet secundum morem ipsius Imperii adprobatum.* Güntherus etiam Schwartzburgicus electus dicitur in campis Francofurtensibus S. H. G. *diss. XXVII. §. VII.* In decreto Electionis Henrici VII. apud LEIBNITIVM Mantissa p. 253. *Qua die in oppido Franckenvord loco quidem ad hoc solito & consueto.* Male igitur LVDEWIG ad A. B. p. 213. *Vor deme geschahe die Wahl ohnweit Franckfurt auf dem freyen Felde an einem Ort Rheinse oder Rense genandt;* cum hic locus, de quo Capite tertio, fine, prope Confluentiam situs, vel decem milliaribus distet Francofurto. Caroli IV. equidem electio Rensae fuit facta, prout diximus *diss. XXV. §. XXVIII.* De Wenceslai electione conuenerunt quidem Electores in pomoeriis subtus Rense, ipsa vero electio facta fuit Francofurti, prout ex Litteris Caroli IV. in LEIBNITII *Mantissa p. 266.* patet. Licet Rensae iamdum fuerit publicata, de quo ibidem: *quae denominationis aut electionis futuri Romanorum Regis ibidem in pomoeriis Rensee, per dictum Cunonem Archiepiscopum Treuerensem in dictorum Coelectorum & aliorum ecclesiasticorum & secularium Principum, Comitum, Baronum, Nobilium ac copiosa multitudine plebis Imperii sacri fidelium, extitit solemniter publicata.*

**** GÜNTHERVS *Ligurino lib. I. v. 175.* S. H. G. *diss. XVII. §. XVIII.* De Henrico VII. Friderici II. filio, GODEFRIDVS MONACHVS ad a. 1220. *Mortuo Ottone Imperatore, Fridericus Rex nonagesimo quinto loco ab Augusto in Regno confirmatus, Franckinfort curiam habuit, vbi commendato filio suo Heinrico Principibus, & ab eis licentia accepta Romam proficiscitur.*

***** Rudolphus Habsburgicus Francofurti electus S. H. G. *diss. XXIII.*

 §. X.

§. X. & Adolphus Nassouius *diss. XXIV.* §. *II.* Albertus Austriacus vero Moguntiæ *§. VII.* Henricus VII. Francofurti *diss. XXV.* §. *I.* Ludouicus Bauarus Francofurti *diss. XXVI.* §. *IV.* Ea etiam ex ratione idem Imp. Friderici Austriaci electionem reiicit in litteris ad Papam apud BALVZIVM *Collect. Act. Vet. LXXV. p. 490. Item quia electio sua facta fuit non in loco debito Franckenfurt & sic nulla de iure & per consuetudines imperii adprobatas.* Carolus IV. Rensæ electus *diss. XXVI.* §. *XXVIII.* AVCTOR VITÆ CLEMENTIS VI. apud BALVZIVM *Pontif. Auen. Tomo I. p. 251. Principes Carolum IV. in villa Rense elegerunt, quod villa de Franckfurt, vbi consueuerat fieri electio, Bauaro adhærebat.*

****** MVTIVS Chron. lib. XXV. p. 247. *Güntherus sex totas hebdomadas in castris ad Francofordiam expectauit hostem, ex consuetudine, & statuta lege; nemine vero adueniente qui repelleret, in vrbem Francofordiam ingressus Imperator est adpellatus.* Hoc pleniius declarauit CVSPINIANVS p. 387. scribens: *electus itaque Güntherus, cum iam Francofordiam introire tanquam Romanorum Rex vellet, a ciuibus est probibitus. Mos enim est ciuibus (quam quidem consuetudinem pro lege habent) vt neminem Regem in vrbem suam intromittant, qui sit æmulus Imperii aut aduersarius regni, nisi prius aliquot mensibus vrbs obsessa vim patiatur, aduersariusque aut æmulus regni interim aut manus cum illo conserat, aut diuisioni finem inueniat: itaque vnus fortiter regnet, alter inglorius ac timidus abeat.* S. H. G. *Diss. XXVII.* §. *IX.* Dubitat equidem de hoc more LEHMANN *Chron. Spir. lib. VII. c. XXXIV.* Eundem tamen ex Actis Electionis Ruperti in S. H. G. *diss. XXVIII.* §. *XX.* vberius demonstrauimus.

† A. B. *Tit. I.* §. *XXI. XXII.*

†† A. B. Tit. XXVIII. §. V. *Inuenimus etiam ex clarissimis relatibus & traditionibus antiquorum, illud a tempore, cuius contrarii iam non habetur memoria, per eos, qui nos præcesserunt feliciter, esse iugiter obseruatum, vt Regis Roman. futuri Imperatoris in ciuitate Franckenfort celebraretur electio, & prima Coronatio Aquisgrani, & in oppido Nüremberg prima sua regalis curia haberetur. Quapropter certis ex causis etiam futuris præmissa seruari debere temporibus declaramus, nisi præmissis omnibus, seu eorum alicui, impedimentum legitimum obuiaret.*

††† Acta

††† Acta Francofurtensia in electione Iosephi recenset PFEFFINGER *not. ad Vitriarium lib. I. Tit. VI. n. 9.* Et in SIGISMVNDI SCHMIDII *Teutschen Audientz-Saal p. 58.*

§. XII.

Indicta electionis die, Mareschallus Imperii, cui id a Saxoniæ Electore, tanquam Imperii Archi-Mareschallo demandatum, mittit Metatorem Imperii, qui cum deputatis ex Magistratu de adsignandis singulis Electoribus, horumque legatis, hospitiis, conferat. * Electores vero, intra terminum a Moguntino præfixum, in loco destinato vel ipsi comparent, vel per legatos suos, vnum vel plures, qui speciali mandato in membrana scripto instructi esse debent, quod Moguntino exhibendum, quo suam legitimant personam. ** Electores quidem cum ducentis saltim equitaturis, in quorum numero quinquaginta modo sint armati vel pauciores, *** ne forsan hospitia, vel vitæ necessaria deficiant, vel in comitatu Electorum tumultus oriatur, & Magistratus in loco electionis securitati eo melius possit prospicere: licet neque hoc semper fuerit obseruatum, dum præterito potissimum seculo vel quadringenti equites & vltra fuerint adhibiti. **** Præstari autem ipsis debet saluus conductus, vt ipsi, vel eorum legati securi per singulorum territoria transeant, & vbique comiter excipiantur. Talis autem Conductus in A. B. fuit præscriptus, ferali isto tempore, dum ius manuarium obtineret, erat necessarius, atque singuli Status recensentur per quorum Territorium conduci debeant Electores. Hi vero non secundum ordinem itineris, sed secundum præcedentiam in A. B. collocantur. Immo, transitus iste, pro ratione hospitiorum, quæ tunc erant, definitur, vt hodie alio plane itinere vtantur Electores Francofurtum migrantes. † Idem vero Conductus a singulis, quorum territoria transeunda, per litteras erat petendus, &

præstabatur vel diplomate, quod vocatur *das schrifftliche Geleit*, vel præsidio dato, quod vocatur *das persœnlich Geleit*; †† qui tamen Conductus ob constitutam pacem publicam cessat, nec secundum A. B. necessario est requirendus. †††

* Vid. ACTA ELECTIONIS Caroli VI. *p. 21.*

** Ante A. B. Legati isti Principalis sui absentiam & caussas absentiæ legitimas, etiam singulari iuramento excusare tenebantur. Patet hoc ex litteris Gebhardi Moguntini circa electionem Adolphi Nassouii conscriptis, apud GOLDASTVM *in replic. pro Imperio c. XIII. p. 173.* in quibus de legatis Wenceslai R. Bohemiæ *Entschuldigung vorgebracht, und solches, daß er zur Wahl eines Rœmischen Kœniges selbst persœnlichen, aus Ehehafften nicht erscheinen kœnnen, mit ihrem aydte bekrefftiget und erhalten.* Nec legati olim fuerunt admissi, sed potius Electores absentes votum suum ex præsentibus vni committebant. Patet hoc ex litteris modo adlegatis: *und uns desselbigen ihres Kœniges Stimme, deren er sich sonsten, als ain Churfürst und bey der Kayserl. Wahl der Ertz-Schenckh, Macht zu gebrauchen hat, anheim gestellet haben. Wir auch mit Willen unserer Mit-Churfürsten seine Stelle angenommen.* In sententia depositionis Adolphi Nassouii in CHRON. COLMAR. p. alt. p. 58. *quod cum ante sex annos regnum, rege caruerit Romanorum, nos Electores tres, ex parte nostra, & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota sua transtulerunt, iure ac canonice Adolphum de Nassowe, tunc non cognoscentes meliorem, in Regem elegimus Romanorum.* Patet hoc etiam ex Decreto electionis Henrici VII. apud LEIBNITIVM *Mant. Cod. Iur. Gent. p. 255.* Per A. B. vero Tit. I. §. XVII. fuit constitutum: *omnes & singuli principes electores Frankenford super Moganum esse debeant constituti, vel suos legales ad eundem terminum atque locum nuntios destinare. Cum plena & omnimoda potestate, suisque patentibus litteris, maiori cuiuslibet eorum sigillo signato.* Idem repetitur §. *XXIII.* Plures autem vno iam olim missi fuerunt. Patet hoc ex Decreto Gebhardi Moguntini apud GOLDASTVM in Replic. pro Imperio c. XIII. p. 173. *Alda dann mit unserer und unserer Mit-Churfürsten, denen*

denen solche Wahl gebærig, Bewilligung, die beruembten Menner, Hermen von der Leippe, Obriste Land-Cammer des K. Bœhmen; Albrecht von Schebrack, Burggraff auf Ladau, und Thobias von Bethinie Burggraff auf Froburg, des Kœniges auß Bœhmen besondere mit voller Macht und Gewalt Abgesandte bey dem Gottes-Hauß in der wohnung der Brüder Prediger-Ordens St. Dominici zu Franckfurt vorkommen. Ad Caroli V. electionem Ludouicus, Bohemiæ Rex quatuor legatos misit, qui omnes admitti volebant, cui tamen reliqui contradixerunt Electores, vt primarius ex iis saltim Ladislaus Sternebergius admitteretur. GOLDASTI *Polit. Reichs-Handel p. I. Tit. XVII.* In Actis etiam electionis Leopoldi, Iosephi & Caroli VI. a singulis fere Electoribus tres Legatos missos fuisse, satis constat. Verum vnus saltim dicitur Legatus Primarius, *Haupt-Gesandter.* Quare, dum in Electione Leopoldi quatuor occurrant Legati Brandenburgici, primus dicitur *Haupt-Gesandter*, alter *Abgesandter*, tertius *Mit-Gesandter*, quartus *Gesandschaffts-Adiunctus*, prout DIARIVM EVROPÆVM nos docet *p. I. p. 874* Nec etiam nisi Primario extra controuersiam, a regiis etiam Legatis Honores conceduntur. Licet Fridericus Guilielmus, Brandenburgicus, in electione Leopoldi iussisset, *vt omnes pari se honore haberi curarent, quod alias ea disparitas ob Venetos & Belgas Electoralibus legatis fraudi foret*, secundum PVFENDORFIVM *lib. VII. §. XXIX.* Vberius de hac controuersia LVDEWIG ad *A. B. p. 221. sqq.*

*** A. B. Tit. I. §. XXII. Hinc etiam Ciuitas Francofurtensis in litteris ad Electores in electione Friderici III. a. 1439. datis, inter Documenta ipsius a KVLPISIO edita p. 183. 184. *Wann dann Gnadiger Fürste und Herre, ein ieglicher Kurfürste, oder sin Botschafft, zu folcher Kure, mit Zweinhundert Rydenden, in der Stadt Franckfurt inkommen mag, und in derselben Zale funffzig oder mynner, und nit me Gewapente dorin füren; So bitten wir Vwer Fürstliche Gnade untertheniglich, mit gantzem Flisse, das Vwer Gnade Vch, und auch uns, in den Dingen gnediglich versehen und versorgen, und nit über soliche Zale, einkommen wollet.*

**** IOACH. CAMERARIVS in Annot. præcip. rer. gestarum ad a. 1558. *10. Cal. Mart. venit Francofurtum Rex Ferdinandus Comitatu Equi-*

 tum

tum bis mille nouem; Palatinus Elector, cum Equitibus quingentis octo. Archiepiscopus Moguntinus, cum ducentis; Augustus, Princeps Elector, cum quingentis; Marchio Ioachimus Elector, cum ducentis quinquaginta, 6. Cal. aduenit. Treuirensis Elector, cum Equitibus Ducentis; Coloniensis 5. Cal. cum Equitibus Ducentis quinquaginta; Arania autem Princeps, Legatus Caroli Cæsaris cum centum Equitibus. Ex Historia electionis Maximiliani II. a. 1562. celebratæ, constat, quod Elector Moguntinus 300. Saxo 802. Brandenburgicus 452. equitibus stipati, electionis vrbem fuerint ingressi. DIETRICH *ad A. B, c. II.* Quodsi vero Elector plures secum duxerit, qui numerum excedunt, egredi coguntur; prout Historia electionis Matthiæ nos docet, de qua THEOD. MEVRER *den Nachmittag am 14. Maii ist eine General-Inquisition unter den Kœnigl. Bœhmischen, welche über die Zahl der 200. in der Stadt gefunden, angestellet worden, und seyn Commissarii gewesen, der Herr von Fürstenberg, des Herrn von Pappenheims Diener, von der Stadt Franckfurt Nicolaus Bebinger und Aberle, und haben das mahl ansehnliche Leute ausziehen müssen.* Ad electionem Leopoldi plerique Electores, vel mille equis stipati, fuerunt ingressi. DIAR. EVROP. *Tom. II. p. 643.* Nullus tamen plures ducentis hominibus secum retinere fuit ausus, Regem autem Bohemiæ ex speciali concessione trecentos retinuisse, reliquos ex vrbe fuisse dimissos, THEATR. EVROP. *Tom. VIII. p. 469.* In electione Iosephi, Electores quidam carrucis ingressi, nec defuit tamen ingens equitum numerus, de quo THEATRVM EVROP. *Tom. XIII. p. 1163.* Idem factum in electione Caroli VI.

† Singula hæc plenius examinat LVDEWIG *ad A. B. p. 132.*

†† Vid. BOECLERI *Conductor Carolinus*, & THVLEMARIVS *cap. XXIV. n. 36. sqq.* MAVLIVS *de Iure conducendi*, BECHTIVS *de saluo conductu.*

††† A. B. Tit. I. §. IV. *conductum petierint, siue non duxerint exigendum.*

§. XIII.

Postquam conuenissent Electores, vel horum legati, fit initium deliberationum in senaculo Curiæ, in loco Electionis, ad eam rem peculiariter destinato. Prope fenestras se-

des

des pro numero Electorum holoſerico nigro veſtitæ vno ordine ſunt diſpoſitæ, in quibus Electores vna cum abſentium Legatis Principalibus ſedent, medium tenente Moguntino, ad latera Electores pro ordine dignitatis; coram Electoribus poſita eſt menſa oblonga holoſerico nigro inſtrata, ad quam e facie Electorum Legati Votantes in vna Linea ſedentes pro ordine Electorum Moguntino primum locum occupante, & vocatur *der Votanten-Tiſch.* Poſt hoſce ſedent reliqui Electorum Legati ſecundarii, qui tamen Votum non habent. Ad latus poſita eſt menſa Secretariorum, niſi quod ad latus Moguntini Votantis ad eandem menſam ſedeat Secretarius Legationis.* Poſtquam Præliminaria quædam fuiſſent pertractata, & Iuramenti formula concepta, Magiſtratus & Ciues vrbis, in qua peragitur electio, ſecuritatem, tutelam & defenſionem Electoribus iuramento promittunt. Significatur enim iuramenti præſtandi dies Magiſtratui, qui etiam vna cum Scabinis, Syndicis & militum Præfectis, in Curia ſolenni iuramento promittit, ſe omnia eſſe ſeruaturum, quæ in A. B. præſcribuntur. Reliqui vero ciues, incolæ & milites præſidiarii, ſub dio, ſi Francofurti fuerit, *auf dem Ræmerberg* præſtant iuramentum.**

* HIST. CORON. MATTHIÆ p. 176. *Erantque in ſenaculo iſto ſedes ſeptem holoſerico nigro veſtitæ, vno ordine prope feneſtras pro Electoribus diſpoſitæ, in quibus Electores cum Adminiſtratore & Legato ita conſederunt, vt primam a dextris Palatinus, ſecundam ab illo Rex Bohemiæ, tanquam Elector, tertiam Moguntinus, quartam Treuirenſis, quintam Colonienſis, ſextam Saxo, & ſeptimam Brandenburgicus occuparent, ad menſam autem oblongam coram Electoribus poſitam & holoſerico nigro inſtratam Cancellarii & Secretarii, in Scamnis vero & ſubſellis reliquis Conſiliariorum primarii quique conſederunt.* Tempore electionis Ioſephi Imp. tali Ordine in ſedibus holoſerico rubro obductis collocati:

Bran-

Brandenb. Gesandte.	Bayer.	Maynß.	Cölln.	Trier	Pfaltz	Sächs. Gesandte.

Tempore electionis Caroli VI. tali modo ordinatum fuit, prout DIARIUM ELECTIONIS describit p. 81. *War die so genannte Wahl-Stub oder das Seßions-Zimmer, worinnen die Herrn Herrn Churfürsten und derer Herrn Herrn Gesandte die Consultationes halten werden, durchaus gantz schwartz behanget; oben über denen Platzen derer anwesenden hohen Hrn. Hrn. Churfürsten, und derer abwesenden obern Bottschafftern und Principal-Gesandten hienge ein grosser schwartzsammeter mit schwartzen seidenen Frantzen besetzter Baldachin, darunter 7. Leben-Sessel mit schwartzen Sammet überzogen, auf einer von zween Stuffen erhabener Bühne gesetzet waren; in der Mitten des Gemachs stunde ein Tisch vor die Churfürstl. Herren Votanten, worauff ein schwartz-sammeter Teppich lage, rechter Hand, wann man vom Vorplatz ins Zimmer gehet, der Hn. Hn. Legations-Secretarien-Tisch, worauf ein schwartzer Teppich; ferners waren auf dem so genannten Votanten-Tisch acht Dinten-Fæsser und Schreib-Materialien, auf dem Legat. Secret. Tisch sechs dergleichen &c. Lincker Seits, einige Schritt von dem Offen ein Tisch, worauff Consitures, Liqueurs, Sec. &c. und auff denen vier Ecken vier silberne Præsentir-Deller, mit Glæßern stunden; auf der lincken Seiten an der Wand, in der Mitte des Gemachs, war eine grosse und schœne Englische Schlag-Uhr, und vor denen Fenstern weisse Vorhæng, auswendig über denen Fenstern dieses Zimmers waren zwey Tücher, damit die Sonne nicht incommodiren mœge, über einander gespannet.*

** Præscribuntur hæc in A. B. *Tit. I. n. 24.* HIST. ELECT. MATTHIÆ *p. 176.* Iuramentum in electione Leopoldi reperitur in DIARIO EVROPÆO *Tom. I. p. 805.* Aliud in electione Iosephi Augustæ præstitum exhibet SIGISMVNDVS SCHMIDT *im erœffneten teutschen Audientz-Saal,* & ex eo PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib. I. Tit. VI. §. 12.* De electione Caroli VI. DIARIVM ELECT. *p. 109.* In electione Friderici III. Imp. quatuor saltim ex Senatu nomine totius Senatus iuramentum præstiterunt mm *p. 4.* In electione Caroli V. ex speciali concessione Electorum soli Senatores in Curia iuramentum præstiterunt, addita tamen protestatione, ne inposterum vergere debeat in præiudici-

dicium. GOLDASTVS *p. I. Reichs-Handel. Tit. II. p. 39.* & ex eo LIMNÆVS *ad Tit. I. A. B. §. XXII. obs. 3. p. 177.* LVDEWIG *p. 219.*

§. XIV.

Iuramento præstito, nomine Electoris Saxoniæ, tanquam Imperii Archi-Mareschalli publicatur POLICEY-und TAX-ORDNVNG, qua præscribitur, quo modo singuli se gerere debeant, hospitibus etiam pretia adsignantur, ne aduenis nimium imponatur. Dum interim congressus suos continuant Electores, atque deliberationes de Capitulatione instituunt, quæ ipsam electionem semper præcedunt, ne forsan in odium vel fauorem personæ quidpiam videatur statutum. His vero finitis, electionis die Mareschallo Imperii atque Decreto Magistratus indicitur, vt omnes personæ publicæ, Principes scilicet & Legati, personæ illustres & priuatæ & quiuis peregrini, qui non ex comitatu sunt Electorum, ante electionis diem vrbem relinquant.* Illustribus equidem personis atque legatis hoc indicitur a Mareschallo, priuatis a Magistratu. Ratio in eo latet, vt eo liberior sit electio, omnesque collusiones atque corruptiones euitentur. Nec olim etiam istis, durantibus de Capitulatione deliberationibus, in vrbe permanere, concedebatur.** Licet certas ob causas, consentientibus Electoribus, quidam adhuc tolerentur, datis tamen reuersalibus. In electione Iosephi Io. Georgius IV. Princeps Iuuentutis Electoris Saxoniæ, Albertus, Marchio Brandenburgicus, Legatus Hispanicus atque Anglicanus, vna cum singulis peregrinis in vicina loca, die electionem antecedente, secedebant. Speciali consensu in vrbe relinquebantur Iosephus Hungariæ Rex, Eberhardus Ludouicus Würtenbergicus Iuuentutis Princeps, ob valetudinem aduersam, Deputati Noribergenses ob custodiam Cleinodiorum, Legatus Grisonum, qui nimium podagra laborabat.***

* Sunt

* Sunt, qui hoc de personis illustribus saltim intelligant. Verum A. B. *Tit. I. §. XXV. XXVI.* neminem admittit, *cuiuscunque dignitatis, conditionis, vel Status extiterit.* Dubitatur, an etiam Duces aliæque personæ illustres domum in loco electionis habentes, vrbe exire debeant, vtpote Landgrauius Darmstadtiensis, Comites Hanouienses, Solmenses, aliæque personæ illustres Francofurti domum habentes. LVDEWIG *ad A. B. p. 256.* negat, quia ciuibus, quibus hæc emissio demandata, nullam iurisdictionem in eiusmodi curias habent, ipsi etiam Principes tanquam peregrini haut sint considerandi. Verum, dum personis illustribus a Mareschallo Imperii emissio indicatur, nec in hisce ratio A. B. cesset, hosce etiam vrbe exire teneri, recte adfirmat LIMNÆVS *ad cap. I. §. XXII. obs. XVI.* Tempore electionis Leopoldi maior adhuc difficultas circa ablegatos Deputatorum Imperii, qui ad Conuentum Deputationis Imperii a Ferdinando III. Imp. iamdum indictum, erant destinati, an isti cum aliis exire debeant, Moguntinus hisce fauebat, contradicebat Brandenburgicus, prout ex PVFENDORFII *Historia Friderici Guilielmi lib. VII. §. XXX.* patet. Tandem vero circa eosdem fuit dispensatum, vt vsque ad diem electionem antecedentem remanerent, DIARIVM EVROP. *Tom. I. p. 810.* hinc vero Moguntiam secesserunt. Vid. L. B. de LYNCKER *ad A. B. p. 24.* LVDEWIG *p. 255.*

** Tempore electionis Caroli V. nec huius, nec Francisci I. Legati admittebantur, sed isti Moguntiæ; Galli vero Confluentiæ subsistere necessum habebant. SLEIDANVS *lib. I. p. 19.* GOLDASTVS *Polit. Imper. p. I. p. 107. Polit. Reichs-Handel Tit. XX. p. 33.* LVDEWIG *p. 259. 268.* In electione Matthiæ docet Historia ipsius p. 177. *Pridie autem eius diei, qui dies nempe Martis 2. Iunii erat, proclamari Senatus adbibito tympani pulsu per ciuitatem curauit, vt peregrini omnes, qui nec iureiurando senatui obstricti essent, vrbe quam primum excederent, eoque facto portæ ciuitatis post meridiem omnes occlusæ & obseratæ fuerunt. Die Mercurii, qui 3. Iunii Anni curentis 1612. erat Regia tandem Electio peracta est.* De electione Ferdinandi II. MERCVRIVS GALLO-BELG. *Tom. XII. lib. IV. p. 141. Accepta 8. Augusti de plenioripotentia a Saxoniæ Electore resolutione, proclamari statim per tubicinem Magistratus curauit, vt peregrini omnes, præter eos qui ad*

Regis

Regis & Electorum Principum aulas pertinerent, vrbe egrederentur. Postero die iuramentum Electoribus in curia a Magistratu, & ante curiam a ciuibus praesidiariisque ad mille militibus praestitum fuit. Postmodo continuatis sessionibus deliberationes variae habitae fuerunt, donec tandem electioni in templo perficiendae 18. Augusti destinaretur. In electione Ferdinandi IV. 19. Maii 1653. Securitatis Iuramentum praestabatur, 20. Maii peregrini, etiam legati vrbem exire iubebantur, 31. Maii fiebat electio. THEAT. EVROP. *Tom. VII. p. 358.* In electione Leopoldi ex decreto Collegii Electoralis Senatus Francofurtensis publico Edicto 23. Iunii 1658. mandabat, vt omnes peregrini vrbe exirent, relicta tamen adhuc Principibus atque Legatis cum ipsorum Comitatu manendi libertate, prout ex Decreto collegii Electoralis in DIARIO EVR. *Tom. I. p. 809.* adparet. Licet etiam singulari edicto 8. Iulii sibi prospexerit, ne vergere hoc debeat in praeiudicium *p. 910.* Die 24. Iunii igitur priuati vrbem relinquebant, in loca vicina diuertentes, sed cum electio ad diem 8. Iulii vsque prorogaretur, plures in vrbem fuerunt reuersi, vsque dum nouo edicto die ante electionem, omnes peregrini, Principes etiam & Legati exire iuberentur. Vid. etiam LONDORPII *Acta Publica Tom. VIII. lib. VIII. p. 235. 349.* In electione Iosephi per edictum Senatus 10. Ianuarii 1690. priuatis demandatum fuit, vt vrbe exirent, die vero 23. Ianuarii, qui proximus erat ante electionem, illustribus personis atque legatis a Mareschallo Imperii indictum fuit, vt vrbem relinquerent, publicato tamen 9. Ianuarii 1690. a Collegio Electorali edicto, ne adlegari hoc deberet in praeiudicium, vid. SIGISM. SCHMIDTS *Teutscher Audientz-Saal p. 98.*

*** PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. VI. §. XIII.* THEATR. EVROP. *Tom. XIII. p. 1112.*

§. XV.

Post haec praeparatoria sequitur ipsa Electio, quae die praecedenti, Electoribus a Directorio indicitur, atque circa vesperam claues portarum a Magistratu Moguntino Electori exhibentur, qui easdem retinet, atque durante electione in Conclaui adseruat. Illucescente electionis die, clausae manent

 vrbis

vrbis portæ, clangunt matutino tempore campanæ, congregantur Electores in Curia, habitum electoralem suis singuli in conclauibus induunt, Ecclesiastici quidem vtuntur toga ex panno coccineo, seculares toga ex holoserico rubro * cum pretioso hermelino, & mitris conformibus. Ita vestiti ante curiam singuli equos conscendunt, atque ordine solito bini vel terni procedunt, ita tamen, vt Legati qui Hispanico vel etiam consueto vestitu induti, ** semper Electores præsentes sequantur, ante Electores ipsos, etiam illorum Mareschalli hæreditarii, versis in altum gladiis in vaginam reconditis equitant, eunt ad latera illorum custodes corporum. ***

* GOLDASTVS *Politischen Reichs-Handeln p. I. p. 96.* in descriptione Electionis Matthiæ habitum Electorum ecclesiasticorum describit, quod sit: *ein rother scharlachen Rock, inwendig mit weissen Hermelin gefüttert, wie auch unten herum damit auswendig belegt, angethan, und eine von gleichen Zeug zugerichte Hauben auf dem Haupt tragend.* Et paullo post de Electoribus secularibus: *ieder auch einen rothen von Sammet gemachten Rock inwendig mit Hermelin gefüttert, und auswendig damit belegt, angehabt, und gleich den andern geistlichen Churfürsten eine Hauben aufgetragen.*

** THVLEMARIVS *cap. XXIV. §. LXVI.* HIST. CORON. MATTHIÆ p. 179. *Legatus vero Brandenburgicus, habitu suo consueto nigro indutus erat, cui etiam quod Elector Brandenburgicus ipsemet non adesset, gladium nemo prætulit.* In elect. Ferdinandi IV. THEATR. EVROP. Tom. VII. p. 358. *Herr Maximilian Graff Kurtz Chur-Bayrischer, Herr von Friesen Chur-Sachsischer, und Herr von Blumenthal Chur-Brandenburgischer Abgesandter neben einander. Alle drey in ihren gewæhnlichen Kleidern.* THVLDENVS Hist. lib. II. p. 71. *aliorum denique legati absentium suo proprio sed sumtuoso, ac vbiuis etiam decente illos vestium genere elegantissime conspicerentur.*

*** GOLDASTVS c. l. SIGISMVND SCHMIDTS *eræffneter teutscher Audientz-Saal, p. 102.* Modum præscribit in electione Iosephi: *Voran aber giengen der Herren Churfürsten Bediente und Cavallier, so dann ritten*

ten der 3. geistlichen Chur-Fürsten Erb-Marschallen, deren ein ieder ein verguldetes Chur-Schwerdt, in einer mit Edelgesteinen versetzten oder durchbrochenen und verguldeten Scheiden vorführete, hierauf folgete der Churfürst von Maintz in der Mitte, Chur-Trier zur Rechten, und Chur-Cœlln zur Lincken in ihren Chur-Ræcken und Mützen von rothen Scharlach mit Hermelin auf schœnen und muthigen Pferden, nach diesen wieder 2. Erb-Marschallen mit den Chur-Schwerdtern, so dann der Churfürst von Bayern und der Churfürst von Pfaltz in Ihren Roth-Sammeten Chur-Mützen und Ræcken mit Hermelin gefüttert und gebremet, auf stattlichen Pferden, und hierauf die Herren Abgesandte von Chur-Bœhmen, Chur-Sachsen und Chur Brandenburg, welche in ihren gewœhnlichen Kleidern und Mænteln, iedoch ebenfalls sehr præchtig geritten; Auf beeden Seiten gienge iedes Churfürsten Leib-Guardie. Processio in electione Caroli VI. describitur in DIARIO ELECTIONIS *p. 6.*

§. XVI.

Intrantibus in templum Electoribus, Episcopus vel Prælatus coram Altari auguratur cantum *Veni Sancte Spiritus*, quem Musici continuant, dum Electores interea subsellia sua nigro rubroue serico vestita atque ipsorum nomine signata occupant, Regis Bohemiæ vero auro splendet. * Moguntinus quidem, Bohemiæ Rex, Bauarus, Brandenburgicus Elector a dextra: a sinistra vero Coloniensis, Saxo, Palatinus, Hanoueranus nunc sedent, Treuirenses semper in medio e regione altaris, nisi cum Electoribus simul adsint legati, qui in eodem latere posteriori tamen semper sedent loco. ** Pauciores admittuntur ex ipsorum comitatu, prout inter ipsos fuit conuentum, atque tunc chori porta a Mareschallo hæreditario vel eiusdem Vicario, *Reichs-Quartiermeister* clauditur. Ante Templi portam ex Wertheris Senior cum baculo prælongo se sistit. *** Postquam sedes suas occupassent Electores, incoatur Officium Missæ, dum ad hostiæ consecrationem

Pontificiis dictam Transsubstantiationem, ventum fuisset, in proximum Conclaue secedere solent Electores Protestantes, vel horum legati, quod in electione Maximiliani II. Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. & Ferdinandi III. Iosephi etiam & Caroli VI. fuit factum. In electione tamen Ferdinandi IV. comitiis Ratisbonensibus a. 1653. atque electione Leopoldi integræ Missæ cohabitarunt. **** Peracta Missa, redeunt Electores Protestantes, singuli altari adpropinquant, & verso ad populum vultu iurant, prout formula Iuramenti ipsis in A. B. ***** præscribitur. Ecclesiastici quidem Electores manu pectori imposita, coram Euangelio Iohannis, *Initio erat Verbum*, Seculares vero illo tacto, inermes iurant. Primum Treuirensi iurat Moguntinus, postea a cæteris, suo ordine iuramentum exigit, & quidem Electores præsentes iurant semper ante legatos. Olim quidem iurabant *auf das heilige Euangelium, als mir GOtt und alle Heiligen helffen.* ****** A temporibus vero Reformationis communis formula Euangelicorum & Catholicorum Electorum facta fuit *als mir GOtt helffe und sein Heil. Euangelium.* ******* Legati iurant *als Gewalthabende Bottschafft.* Præstito iuramento, singuli Electores subsellia sua repetunt, & prosequente Prælato cantum, Deum de felici electione inuocant, Notariis ad hunc actum requisitis de singulis Instrumentum conficientibus, atque post Collectam, conclaue electionis, in quo æque altare conspicitur, intrant, ******** clausa ab Imperii Mareschallo porta conclauis electionis. † Qui etiam ante Conclauis portam, cum baculo Mareschallatus expectat, olim tamen vel singuli Electores coram testibus vota dederunt, †† vel e choro in Conclaue euocati vnus post alterum coram certis testibus, vota sua dederunt, prout ex Instrumento electionis ††† Alberti II. & Friderici III. Impp. patet.

* HNB

* HIST. CORON. MATTHIÆ p. 179. *Postquam Septemuiri omnes chorum templi ingressi essent, sedesque suas, quarum sex pro Electoribus & Legato Electorali, holoserico nigro, vna autem pro Rege Bohemiæ panno Attalico siue aurato strata & obductæ erant, occupassent.*

** Olim quidem aliter fuerunt ordinati. Sic in Hist. Coronat. Matthiæ p. 179. *cum igitur in subsellia sua Electores, in dextro nempe Chori loco nimirum pracentori alias destinato, Treuirensis & in sinistro latere Coloniensis, Saxo & Legatus Brandenburgicus consedissent.* De electione Iosephi SCHMIDT im Teutschen Audientz-Saal p. 101. *So bald dieselbe vor ermeldte St. Vlrichs-Kirch kommende abgestiegen, sind die Herren Churfürsten und Churfürstl. Herren Gesandten in voriger Ordnung mit denen Ihnen vorgetragenen und der Spitze über sich gekehrten Schwerdtern in dem Chor bey dem hohen Altar gegangen, und haben daselbst in ihre mit rothen sammeten Decken und Küssen zubereitete, und mit Dero Nahmen bemerckte Sessiones sich verfüget in nachfolgender Ordnung, nemlich:*

Zur Rechten Seiten	*des Altars*	*zur Lincken*
	In der Mitte	
1. Mayntz.	*2. Trier.*	*3. Cœlln.*
4. Bayern.		*5. Pfaltz.*
6. Bœhmis. Ges.		*7. Sachs. Ges.*
8. Brandenburg. Ges.		

In electione Caroli VI. deficiente Coloniensi atque Bauaro, ex compacto ita collocati fuerunt Electores, secundum Diarium Electionis *p. 9.*

MAYNTZ.	TRIER.	PFALTZ.
BOEHMEN.		SACHSEN.
BRANDENBVRG.		BRAVNSCHWEIG.

*** DIARIVM ELECTIONIS CAROLI VI. p. 9. *unter sothanem Thor hat Herr N. Lynard einen langen Stab in der Hand haltend, und vor seinen Fuß stellend, gestanden, und seines Herren Schwieger-Vaters des Her-*

Herren Grafen von Werthern Excell. als des Heil. Ræmischen Reichs Thürhüters-Stelle vertretten.

**** De electione Maximiliani II. HISTORIA ELECTIONIS p. 104. *Tunc Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, ex Choro in proximum Conclaue discedunt, inibi donec Liturgia ad coronidem deducta esset permanentes. Insequentibus eos Guilielmo Landgrauio Iuniore, Georgio Palatino, Francisco Lauenburgico, Anhaldino aliisque compluribus, vna cum Consiliariis, Principibus atque Ducibus.* HIST. ELECT. MATTHIÆ p. 180. *Suffraganeus Moguntinus ad Altare constitutus, Missam celebrare cœpit, Palatinus vero, Saxo & Brandenburgicus Legatus, qui Sacris istis interesse haudquaquam solent surgentes, in Sacellum quod prope Chorum est cum Consiliariis aulicisque suis dum ea celebraretur concesserunt, qua finita, cum prodeuntes iterum loca sua occupassent.* Agebatur de eodem tempore Maximiliani II. a. 1562. quo FELIX BIDENBACH Theologus Würtenbergensis edidit: *Bedencken über die Frage ob Chur-und Fürsten der Augspurgischen Confession, mit guten Gewissen, und ohne Aergerniß, mægen seyn bey der Meß, und andern Papistischen Cærimonien, so bey der Krænung der Ræmischen Kæniglichen Maiestæt zu Franckfurt gebraucht werden*, quod continetur decr. V. Consil. Theol. Cons. I. & ex hoc apud CARPZOVIVM *de Lege Regia, cap. XI. s. VII. §. XV. p. 289.* ARVMÆVS *de Comitiis cap. VII. n. 9.* LVDEWIG equidem ad A. B. *p. 203.* dicit: *Bey der Wahl Leopoldi und Iosephi sind die Evangelische Churfürsten und dero Gesandten bey der Messe allezeit abgetretten, so daß diesen Vmstand, als etwas gewæhnliches, die Geschicht-Schreiber nicht mehr zu berühren, vor næthig erachtet haben.* Nec diffitendum est, plerosque Scriptores qui historiam electionis Ferdinandi IV. nobis tradiderunt, tacere plane de hac circumstantia. Verum IO. THEODORVS SPRENGER *Instit. Iuris Publici p. 170.* ait: *Suffraganeus Moguntinus coniungit officium Missæ, quo durante antehac secesserunt in Sacristiam Electores Protestantes, a tempore vero Ferdinandi IV. Regis Romanorum illi cohabitant.* Idem confirmat THVLDENVS Hist. lib. II. p. 85. *Circum Regem erant Treuir & Electoris Bauari legatus, præsentem in Eucharistia Deum hominem, supplici mente venerantes, genibusque nixi. Palatinus, aliique duo pro Saxone & Brandenburgico sub*

orna

ornati: nullo ad pietatem vsitatam exemplo mouebantur, vt in genua procumberent. Idem confirmat THVLEMARIVS *c. XXIV. §. LXXII.* Interfuerunt etiam Missæ Euangelici Electores atque Principes ante propositionem in Comitiis Ratisbonensibus a. 1653. factam, de quo Auctor Comitiologiæ Ratisbonensis GOTTLIEB von HAGEN *p. III p. 123.* atque HERDENS GRVNDVESTE *p. II. c. II.* De electione Leopoldi PASTORII *Teutscher Florus* p. I. p. 655. *Bey dem Ambt der Heil. Meß sind die gesampte Churfürsten, und die andern Abgesandte mit ihrer Hoffstadt zugegen blieben.* De Electione Iosephi SIGISM. SCHMIDT *p. 103. unter vvæhrendem Gottesdienst und Ampt der Meß nahmen die Churfürsten die Chur-Hüte ab, die Chur-Sæchsisch- und Chur-Brandenburgische Gesandte aber, weilen sie nicht Ræmisch-Catholisch, blieben darbey biß auf das erste Euangelium, da sie abgetretten.* De electione Caroli VI. DIAR. ELECT. p. 10. *und darauf das Ambt der heiligen Meß de Spiritu Sancto, vermæg und nach Innhalt der guldenen Bull angefangen und musiciret, solches auch von denen Catholischen Herren Churfürsten und der Bœheimischen Gesandschafft, theils kniend, theils stehend, von denen Chur-Sæchsisch-Chur-Brandenburgisch- und Chur-Braunschweigischen Gesandten aber, nur stehend angehæret, von diesen dreyen letztern, als der Augspurgischen Confeßion zugethanen Gesandschafften, auch gleich nach dem Euangelio ein Abtritt ins Conclave genommen worden, worinnen Sie biß nach der Sumption verblieben, und solchem nach sich wieder in ihre vorige Stühle und Stænde begeben haben.*

***** *Tit. II. n. 3.* præstatur autem hodie lingua vernacula. SCHMIDT *p. 104.* LVDEWIG *p. 339.*

****** Iuramentum ad sancta, vel ad quatuor Christi euangelia iam ab antiquo notum. Sic *l. 2. C. de Iureiur. Calumn. Aduocatos volumus iuramentum præstare, sacrosanctis euangeliis ante iudicem positis.* Idem occurrit *l. 14. §. 1. C. de Iudic. l. 7. §. 5. C. de curat. iur. Nou. IX. c. XXIII. Tit. VII.* In LL. LONGOBARD. *lib. II. Tit. LV. §. V.* & CAPIT. *lib. V. c. XXXIV.* Sic etiam iurare ad quatuor Euangelia occurrit *c. 3. c. 2. qu. 4. c. 17. c. 22. qu. 5.* prout du FRESNE *voce Iuramentum ad sancta.* LVDEWIG *ad A. B. p. 323* plenius demonstrarunt. Quod autem Sanctorum etiam in hoc iuramento fiat mentio, ea est ratio, quod in iuramentis præstandis olim sanctorum reliquiæ adhiberentur, de quo

LANDRECHT lib. III. art. LVI. *Wenn der Fronbott von dem Richter und von dem Schæppen erwehlet wird, so soll er dem Kœnige Hulde schweren, nach freyer Manne Recht, so soll ihn denn der Richter nehmen bey der Hand, und setzen auf ein Küssen, und auf einem Stuhl gegen ihm über, und soll ihm da die Heiligen in den Schos legen, und friede würcken.* Sic etiam *in Churfürsten Verein* de a. 1446. *bey unserm Fürstlichen Trewen und Ehren, und haben die darnach leiblich zu den Heiligen geschworen.*

****** A temporibus reformationis Euangelicis concessum fuit loco sanctorum formula vti *auf das Euangelium.* Primam hac de re Legem reperimus in R. I. Spiræ 1544. §. XCII. *auch alle andere Personen, so an ernennten Cammer-Gericht, von Gerichts, Amts, oder anderer Sachen wegen zu thun, schweren und beeydiget werden, solchen Eyd nach dem alten Brauch zu GOtt und den Heiligen, oder zu GOtt und auff das Euangelium zu thun, freygelassen werden, doch unabbrüchig der Gülden Bull, und biß so lang es anders durch uns und gemeine Stand verordnet wird.* Idemque repetitur per Transactionem Passauiensem de *a. 1552. §. X.* R. I. Augustanum *a. 1555. §. CVII.* nisi quod formula ista *der Güldenen Bull unabbrüchig*, hic fuerit omissa. In ORDIN. CAMER. *p. I. tit. XVII. seqq.* Cameralibus Iuramentum saltim præscribitur sub formula: *Zu GOtt und auf das H. Euangelium.* Verum, dum hæc Camerales saltim personas tangere videantur, examinandum nunc est Iuramentum Electionis Protestantium. De Electione Maximiliani II. GOLDASTVS *Polit. Reichs-Hændeln* p. I. p. 70. *Als nun solchs* (die Mess) *vollendet worden, seynd sie alle in ihre Ordnung für den hohen Altar gangen, und das Iurament in folgender Gestalt gethan, nemlich: Ich N. N. schwere zu dem Heil. Euangelio, hie gegenwærtiglich für mich gelegen, daß ich durch den Glauben oder Trew, damit ich GOtt und dem heiligen Ræmischen Reich, verstrickt und verbunden bin, nach aller meiner Vernunfft und Verstændnuß, mit GOttes Hülff, wehlen will ein weltlich Haupt dem Christlichen Volck, das ist, einen Ræm. Kœn. in künfftigen Keyser zu erheben, der darzu geschickt und tüglich sey, so viel mich mein Sinn und Vernunfft weisen, und nach den berürten meinen Glauben oder Trew, mein Stimm, Votum und Wahl geben wil, ohn Geding, Sold oder Lohn, oder Verheiß, oder welcher massen die genennt mæchten*

wer-

werden, als mir GOtt helff, und das heilige Evangelium. De electione Ferdinandi II. testatur PVFENDORF Hist. Friderici Guilielmi lib. VII. §. XXVI. *In ipso electionis actu primario legato iusiurandum quondam praestandum fuerat in Electoris, suamque ipsius animam iuxta formulam Aurea Bulla contentam. Sed in electione Ferdinandi II. Putlicium iurasse: ita me Deus adiuuet per Christum Filium ipsius, omissa Sancti Euangelii mentione. Ei formulae nunc quoque inhaerendum, etsi electione Ferdinandi III. in Schwartzenbergii velut Pontificii arbitrium collatum, qua formula vti vellet.* Et ex eo LYNCKER *ad A. B. p. 29.* In electione Ferdinandi III. omnes legati & Pontificiae & Euangelicae religioni addicti iurarunt *zu dem Heil. Evangelio*, prout singulorum formulas exhibet LONDORPIVS *Tomo IV. p. 607.* In Iosephi Electione formula vtriusque Religionis Electorum vel Legatorum fuit: *als mir GOtt helffe und sein H. Euangelium*, SCHMIDT *p. 104.* Idem obseruatum in electione Caroli VI. prout ex DIARIO patet *p. 11.* Videri potest IO. LIMNAEVS *ad A. B. cap. II. §. II. obs. I. p. 274.* LVDEWIG *ad A. B. p. 323. seqq.*

******* Francofurti est in Templo D. Bartholomaei, atque ideo vocatur die *Chur-Kammer.* GEORGII SABINI Hist. Electionis Caroli V. p. 29. *Mox ab ara in sacrarium interius eius templi, vbi veteri more solet electio fieri, Electores ingressi sunt.*

† DIARIVM ELECTIONIS CAROLI VI. p. 17. *und vor dessen Thür der Reichs-Erb-Marschall Herr Graff von Pappenheim in einem Spanischen Mantel-Kleid und den Marschall-Stab vor sich stellend, diese gantze Zeit sich verfüget. Darauf wurde die Chur-Capelle oder das Conclave durch gemeldten Reichs-Erb-Marschallen, welcher darzu wie auch zu dem Chor den Schlüssel behalten, und vor besagten Conclave aufgewartet, verschlossen.*

†† LEIBNITII *Prodr. Cod. I. Gent. p. 263.* ex Instrumento electionis: *in sacristia Ecclesiae collegiatae Sancti Bartholomaei Franckenfurtensis, Maguntinensis diocesis: In mei nec non Iacobi Wigandi de Noua ciuitate publicorum Notariorum & Testium subscriptorum praesentia: vniuersis & singulis Principibus Imperii sacri Electoribus pro eligendo Regem Romanorum in vnum conuenientibus Reuerendissimus in Christo pater Dominus Ludouicus sanctae Moguntinensis Ecclesiae Ar-*

 chiepi-

chiepiscopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, Principum Electorum suorum singulorum est vota scrutatus. Qui, praemissis variis tractatibus solemniter repetitis, omnes & singuli, nullo contradicente & ipse Dominus Moguntinensis similiter requisitus, per alios suos Coelectores simul cum eis Dominum Wenceslaum concorditer elegerunt.

††† Extant haec Instrumenta apud MÜLLERUM *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich dem V. p. I. c. I. §. IV.*

§. XVII.

Occupant in Conclaui loca sua Electores, suo ordine sedentes in vna serie, siue, vt vocari solet, linealiter,* nisi quod legati semper sequiora loca occupent. Moguntinus, praemissa oratione de necessitate conuentus, quaestionem proponit, an adhuc aliquid monendum.** Ipsi etiam Electores stipulata manu promittunt, quod si vota fuerint disparia, secundum maiora esse procedendum, Seculares etiam Electores, si ipsi eligantur de seruanda Capitulatione stipulantur, atque de singulis Actibus hactenus recensitis diuersa Instrumenta, adhibitis Notariis cum Testibus conficiuntur. Tunc Moguntinus *** de voto primo loco rogat Treuirensem, secundo Coloniensem, tertio Regem Bohemiae, quarto Bauarum, quinto Saxonem, sexto Brandenburgensem, septimo Palatinum, octauo, Hannoueranum ita, vt legati, licet sequiori loco collocati, in votando Principalis sui ordinem sequantur. Si plures fuerint legati, primarius saltim ex illis ad votum de electione admittitur.**** Vota autem publice proferuntur. Omnium igitur votis collectis, Electores suum ex Moguntino quaerunt, ordine in A. B. praescripto, qui semper fuit obseruatus. Eundem quidem in electione Caroli V. mutatum fuisse, dicitur, dum primo loco dixisset Moguntinus. Verum, in eadem praeconsultatio ab electione probe erit distinguenda. Iste enim conuentus, quo

quo primo loco verba fecit, sola erat præconsultatio, quod ex eo facile patet, dum tertio statim loco dixit Fridericus Saxo, ***** qui in ipsa electione quintum votum habuit. Tertio demum die facta fuit electio, vbi Moguntinus vltimo votum dixit. ****** Licet antiquioribus temporibus nonnunquam in Palatinum Comitem de Imp. eligendo fuisset compromissum. *******

* Docet hoc SCHMIDT *p. 105.* & clarius DIARIVM ELECTIONIS CAROLINÆ p. 17. *Die Herrn Herrn Churfürsten und erstern Herrn Herrn Gesandte haben in dem Conclavi auf einer Banck lincker Seiten des Altars oder ad cornu Epistolæ ihre Sessiones dergestalt genommen, daß oben am Altar Chur-Mayntz, und so weiters linealiter nach der Ordnung der Churfürsten, und sofort die Gesandte gesessen.*

** De hoc SCHMIDT c. l. DIARIVM ELECTIONIS *p. 18.*

*** Olim quidem primus sententiam dixit Moguntinus, quod ex Historia electionis Conradi patet apud WIPPONEM. Hinc GÜNTHERVS *in Ligurino lib. VI. v. 610.*

- - ad Proceres electio pertinet, in qua
præcipuam vocem præsul de iure vetusto
Moguntinus habet.

Idem adgnouerunt Episcopi Alemanniæ ad Hadrianum Papam scribentes: *Electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest, cæteris secundum ordinem Principibus, recognoscimus.* IVS SAXON. PROVINC. *lib. III. c. LVII. In Principis electione primus erit Episcopus Moguntinus, secundus Treuerensis.* IVS PROVINC. ALEMANN. c. CLIII. *Der Bischoff von Mentze ist Cantzler ze dütschen Landen, der hat die erste Stimme an der Chur. Der Bischoff von Trier ist Cantzler über das Chunichrich Arel, der hat die andere Stimme an der Chur.* In A. B. vero Tit. IV. §. III. fuit definitum: *Quibus omnibus seu his, qui potuerint & voluerint interesse in electionis termino inuicem congregatis, dictus archiepiscopus Moguntinensis & non alter eorundem coëlectorum suorum vota singulariter habebit, inquirere, ordine subsequenti.* §. IV. *Primo quidem interrogabit a Treuirensi archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus,*

 sicut

ficut inuenimus hactenus competiſſe. Secundo Colonienſi archiepiſcopo, cui competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi. Tertio a rege Bohemiæ, qui inter electores laicos, ex regia dignitatis faſtigio, iure & merito obtinebit primatum. Quarto a comite palatino Rheni. Quinto a duce Saxoniæ. Sexto a marchione Brandeburgenſi. Horum omnium vota, præmiſſo iam ordine, dictus archiepiſcopus Moguntinenſis perquiret. Quo facto, dicti principes, ſui conſortes, ipſum vice verſa requirent, vt & ipſe intentionem ſuam exprimat & ipſis aperiat votum ſuum. Quare in Inſtrumento electionis Alberti II. apud MÜLLERVM *c. l. præfatus Dominus Maguntin. cui, virtute ſacrarum Imperialium legum, Coelectorum ſuorum vota inquirendi ius competere dignoſcitur.* L. B. de LYNCKER *ad A. B. p. 35.*

**** Vide ſupra *§. XIV.* Ad electionem Leopoldi primarius ſaltim Legatus Brandenburgicus Io. Mauritius, Naſſouiæ Princeps in Electionis Conclave fuit admiſſus. SPRENGER *Inſt. I. P. c. XXIX.* Idem factum in Electione Ioſephi Imp. in qua primarius ſaltim ex Legatis Saxonicis L. B. de Gersdorf in Conclaue fuit admiſſus. Sic ad ipſum Electionis Actum Caroli VI. ſaltim Bohemicus, Saxonicus, Brandenburgicus & Brunſuicenſis Legati primarii *erſtere Gevollmæchtigte Bottſchaffter und Geſandten* fuerunt admiſſi, prout ex DIARIO ELECTIONIS patet *p. 18.* PFEFFINGER *ad Vitriarium p. 826.*

***** Deſcribit hanc præconſultationem SLEIDANVS *lib. I. p. 20.* qui illam ideo ſaltim vocat deliberationem. Patet hoc etiam ex Oratione Moguntini in G. SABINI *Hiſt. electionis Caroli V. apud* SCHARDIVM *Tomo II. p. 7.* vbi dicit: *& quoniam hic congreſſus inſtitutus eſt, non vt ſuffragia feramus ſed vt libere colloquamur, cum de vniuerſa Rep. tum de Electione, dicam quid mihi maxime videatur e Republica eſſe.*

****** Si quidem Sabinum ſequeremur, primo loco votum dixiſſet Moguntinus ab Electoribus interrogatus *p. 12.* Aſt in Actis Electionis Caroli V. in GOLDASTI *Reichs-Handlungen p. 98.* Moguntini votum vltimum dicitur. S. H. G. *diſſ. XXXII.* §. *IV.*

******* Factum hoc potiſſimum in electione Rudolphi Habsburgici, de quo S. H. G. *diſſ. XXV.* §. *I.* LVDEWIG *p. 171.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Vota autem hæc vel vnanimia ſunt, vel a ſe inuicem diſcrepant. Hoc caſu, ille erit Imperator, quem maior pars elegerit,* quod de maiori parte collegii eſt intelligendum. Ipſe autem ſibi Elector votum dare, & hoc ipſo maiora, reliquis paribus, poterit conſtituere, quod de Auſtriacis potiſſimum Imperatoribus dicendum, qui tanquam Reges Bohemiæ electioni interfuerunt, & ſibi ipſis votum dederunt.** Ad electionem autem a die præſtiti iuramenti Triginta dies præfiniuntur, his ſine facta electione præterfluxis, pane & aqua, ſecundum A. B. diſpoſitionem *** nutriendi erunt Electores: quæ tamen vana eſſe videtur conſtitutio, cum nemo illos facile cogeret. Immo, antequam præſtetur Iuramentum electionis, de certa perſona, quæ eligenda ſit, iamdum conſtat, vt ideo ipſa actio, poſtquam Conclaue fuerint ingreſſi, intra vnius vel alterius horæ ſpatium electionem conſumment.

* Ab antiquo iamdum maiora obtinuerunt. Sic Heribertus, Colonienſis apud DITMARVM lib. IV. p. 358. *quo melior & maior populi totius pars ſe inclinaret libenter aſſenſurum pronuntiabat.* In litteris Electorum ad Benedictum XII. in REBDORFII Annalibus ad an. 1339. *cum iure caueatur & conſuetudine, cuius contrarium memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, & ſine cuiusuis contradictione legitime obſeruatum, ſicut etiam in prædicto Parlamento per nos & alios coelectores noſtros, præhabita diligenti deliberatione & diſcuſſione, ac conſilio multorum Principum, Comitum, Baronum & nobilium eſt concorditer declaratum, & ſententialiter diffinitum: Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur concorditer, vel a maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus.* Vrbanus IV. equidem, quid votis diſcordibus fieri debeat in epiſtola ad Richardum p. 14. tradit: *Et, ſi votis Principum ad quos ſpectat eligere, ad eligendum conuenientium, diuiſis in plures, duo in diſcordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit,*

bit, vel ad prædictum Comitem Palatinum tanquam ad huiusmodi discordiæ iudicem est recursus habendus; ni forsan super electione vel coronatione huiusmodi suborta discordia, per appellationem vel querelam prædictorum principum ad examen sedi Apostolicæ, quo casu ipsius est in tali causa, cognitio, deferatur. Ast in iisdem litteris p. 15. maiora quæ sint, explicatur: *intelligitur autem is electus esse concorditer, in quem vota omnium Electorum Principum, vel saltim duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur. A. B. Tit. II. §. VI.* maiora plane definit his verbis: *postquam autem in eodem loco ipsi vel pars ipsorum maiori numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata.* Vberius LVDEWIG *ad A. B. p. 376.*

** De Sigismundo hoc dicit DVBRAVIVS Hist. Bohem. lib. XXII. f. 143. *qui primus sententiam rogatus, se ipsum nominauerit, me, inquiens, ego noui, alios non itidem, an æque mecum imperio orbis digni sint.* Hunc sequitur CZECHOROD *Marte Morauico lib. IV. c. III. fin.* Contrarium tamen patet ex epistola Electorum ad Spirensem vrbem, de electione Sigismundi apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXXXI.* qua, nomine Sigismundi, electioni interfuisse dicitur Fridericus, Norjbergensis Burggrauius, ipso Sigismundo tum temporis in Vngaria commorante. S. H. G. *diss. XXIX. §. VI.* Rupertum tamen sibi ipsi votum dedisse & cum adsensu Electorum, saltim Rhenensium, per maiora fuisse electum, patet ex litteris eorundem in OBRECHTI *Apparatu p. 73. und han wir Iohan Friederich und Werner Kurfürsten obgenant mit der Stymmen, des durchluchtigen hochgebohrnen Fürsten Herrn Ruprechts obgenant als unsers rechten Mitkurfürsten, denselben Herrn Ruprecht obgenant zu eyme rechten Ræmischen Kœnige gekoren.* S. H. G. *diss. XXVIII. §. XIX.* Faciunt huc, quæ de Electione Leopoldi memorat RELFENDSO de summa Principum potestate cap. XIV. p. 240. *singulari Dei gratia, suo, Treuirensis, Saxonis & Moguntini votis: Serenissimus Elector Bauariæ Ferdinandus Maria se ipsum eligebat, eundemque suffragiis suis Imperatorem salutabant Serenissimi Electores ad Rhenum Coloniensis & Heidelbergensis.* Neque A. B. hoc contrariatur, qua Tit. II. n. 10. *in casu, quo tres Principes Electores præsentes, seu absentium nuncii, quantum ex se seu ipsorum*

rum consortio videl. Principem Electorem præsentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi si præsens adfuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contingeret, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum partemque maiorem decernimus constituere, ad instar cæterorum Principum Electorum. THVLEMARIVS *cap. XXIV.* §. 85.

*** *Tit. II. n. 5.* ad imitationem hoc electionis Papalis factum esse videtur, prout patet ex *cap. I. de Elect. & electi pot. in Clem.*

§. XIX.

Electione peracta, reseratur Conclaue, & Pappenheimius, Imperii Mareschallus, nomine Electorum eo inuitat quosdam e Consiliariis Electorum, vna cum duobus Notariis, quibus Moguntinus personam electam indicat, iisdemque iniungit, vt desuper conficiant Instrumentum. * Explorato igitur nouiter Electi consensu, (Imperatoris etiam, si filius Rex Romanorum eligatur) ** ipse in Collegium Electorale inuitatur, ipsique Capitulatio proponitur, quam tacto insuper Euangelio, iuramento confirmat. *** Quod si vero absens fuerit electus, Capitulationem firmant ipsius legati, iuramento in ipsius animam verbis conceptis præstito. **** Licet iuramentum illud ab Imp. in locum electionis aduentante, ante coronationem adhuc repetatur, ***** datis insuper de seruanda Capitulatione Reuersalibus. ****** His peractis, gratulatur nouiter electo Moguntinus, reliquorum nomine, qui de facta electione gratias agit.

* Factum hoc iamdum circa electionem Henrici VI. prout LEIBNITIVS testatur Mant. Cod. Iur. Gent. p. 254. *quod etiam ad maiorem horum certitudinem per manum Henrici Lobmocb clerici Notarii infra scripti in hanc publicam formam redigi fecimus & conscribi.* Et in electione Wenceslai *p. 262.* SCHMIDT *p. 106.*

** Prout in electione Maximiliani I. viuo adhuc Friderico III. factum,

vti Acta testantur apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro p. I. c. I.* atque in electione Iosephi, viuo adhuc Leopoldo.

*** SCHMIDT p. 109. *welcher gestallt die Herren Churfürsten, vor der Wahl eines Eydes über etliche Pacta, so der Neu-Erwehlte beschweren solle, sich verglichen, als würden Ihro Maiestat solches also zu leisten unbeschwert seyn, worzu sich dieselbe willig anerbietend, den ermeldten Eyd mit abgehebter Cron von dem Haupt und mit legung zweyer Finger auf das auf dem Altar in Conclaui gelegene Euangelium Buch leiblich geschworen.*

**** Factum hoc in electione Caroli V. prout patet ex GOLDASTI *Polit. Reichs-Handeln p. I. p. 44.* De electione Caroli VI. testatur DIARIVM *p. 19. 20.* quod omnes Tres Legati tacto Euangelio Iuramentum præstiterint sub formula: *als Ihrer Kænigl. Maiest. und uns GOtt helffe und seine Heiligen.*

***** Patet hoc ex articulo vltimo Capitulationis Carolinæ: *Demnach wir auch wegen Vnserer Abwesenheit die Wahl-Capitulation gleich selbst zu beschvværen nicht vermægend gevvesen. So haben Wir Vnseren Commissariis deshalben vællige Gevvalt gegeben, das Sie solche in Vnserm Nahmen und Seele vorgangig beschvværen sollen. Wir versprechen und geloben aber, sothane Beschvvæhrung der Capitulation, so bald Wir in das Reich und in Teutschland kommen, und noch vor Empfahung der Crone in eigner Person selbst zu leisten, und Vns zu Festhaltung besagter Capitulation nochmals zu verbinden, auch ehe Wir solches gethan, Vns der Regierung vorher nicht zu unternehmen.* Hinc Augustissimus Imperator die XIX. Decembris statim ab introitu in vrbem Francofurtensem, in Templum S. Bartholomæi fuit introductus, ibidemque in Conclaui, præsentibus Electoribus, Capitulationem iuramento firmauit. DIARIVM CORONATIONIS *p. 23.* Vberius actum electionis descriptum videmus in Appendice PANCRATII LAMPADII *Politischer Reichs-Hændel*, atque in Historia electionis singulorum Impp. prout *Inauguratio Coronatio, electioque aliquot Imperatorum a Maximiliano I. ad Matthiam* collecta fuit *Hanouiæ 1613. 8.* Acta electionis Maximiliani I. & Caroli V. reperiuntur in GOLDASTI *Polit. Reichs-Handeln p. I. Tit. I.* Ferdinandi IV. in Tomo septimo THEATRI EVROPÆI. Leopoldi electio in Tomo primo Diarii Euro-

pæi & Tomo octauo Theatri Europæi; Iosephi a CASSANDRO THVCELIO & SIGISMVNDO SCHMIDT; Caroli VI. Electionem in Diario electionis descriptas videmus & in FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XVIII. c. VI.* THVLEMARIVS de Octouiratu c. XXIV. actum Electionis prolixe describit. LVNIGIVS etiam Continuationi Partis Generalis *II. Forts. p. 389. & 467.* varia Acta electionem Leopoldi & Caroli VI. concernentia, inseruit.

****** Reuersales Caroli V. & Caroli VI. exhibentur in ELECTIS I. P. *Tom. IV. p. 285.*

§. XX.

Sequitur factæ Electionis proclamatio publica. Electus enim, si præsens sit, solenni pompa in Templum principale deducitur, vbi flexis in superiori gradu genubus, ad orandum se componit, Electoribus ad latera vtrinque consistentibus. Statim *adiutorium nostrum*, psalmusque *in virtute tua lætabitur Rex*, cum pertinentibus ad eum precatiunculis super nouo Rege dicuntur. Quibus finitis, electus in altare ab Electoribus eleuatur, hymnusque Ambrosii *Te Deum Laudamus*, cantatur. * Deinde ducitur extra chorum, & adscendit pegma ad hoc præparatum: tunc fit publicatio & proclamatio ad populum, hoc in vniuersum adclamante. Inde Electoribus speciatim iura sua confirmare tenetur, quod singulis Statibus fit per Capitulationem. ** Olim vero hoc, inmo tempore adhuc Maximiliani I. Rensæ in sede Regia, *dem Kœnig-Stuhl* *** factum. Tunc facta electio Papæ significabatur, ab ipsoque petebatur, vt ipsi coronationem consecrationemque conferat, **** quod tamen hodie cessat. Quod si vero absens fuerit nouiter electus, Collegium Electorale per litteras atque Principem Imperii ablegatum factam electionem renuntiat, eundemque vt eam acceptet, rogat. ***** Olim quoque certa xenia post electionem, ab Imp. Electoribus fuerunt concessa, ad sustinendos Electionis sumtus. ******

 * Fa-

* Factum hoc iamdum in Henrici VII. Imp. electione, de quo Electionis Instrumentum testatur apud LEIBNITIVM Mant. Cod. I. Gent. p. 254. *Electione autem huiusmodi celebrata, eam omnes & singuli Electores alii prædicti approbauimus, & Te Deum laudamus alta voce fecimus decantari, & dictum nostrum electum, qui præsens extitit, & electioni de se factæ, diuinæ nolens resistere voluntati, interpellatus a nobis, reuerenter consensit, ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum in Franckenvort deduximus, & deinde electionem ipsam clero & populo fecimus solenniter publicari.* NICOLAI HEYDENI Historia Electionis Maximiliani II. *p. 106. Posthæc progredientes, Cæsar in suam a dextra Chori parte sedem sese contulit, Electores vero electum a sese nouum Regem acceptum, altari ex more veteri imposuerunt. Tum Symphoniaci & Organistæ alternis vicibus hanc Diui Augustini & Ambrosii Oden: Te Deum laudamus, &c. recinunt, quibus Tubicines succinentes taratantarum clangore totum Templum personant. Campanarum quoque pulsus haud mediocrem edit sonitum, nec non maiora in vallis, muris ac turribus emissa tormenta tantum efficiunt fragorem, vt ipsum cœlum tonare videretur. Tandem huiusmodi absoluta lætitiæ significatione, Rex de altari ex Choro in editum quoddam tabulatum, variis instructum aulæis, deductus, ibidem regali imponitur solio.* Idem factum in electione Matthiæ, de quo Historia Electionis ipsius *p. 181.* testatur. De electione Leopoldi DIARIVM EVROPÆVM Tom. I. p. 873. *Als nun bey gedachtem Altar, hochermeldter Herr Bischoff zu Wormbs unterschiedliche schœne Gebetter über Ih. Kœn. Mai. gesprochen, und der Chor der Musicanten figuraliter geantvvortet: ist endlich der Bischoff von dem Altar hinvveg gevvichen. Die Herrn Herrn Churfürsten aber haben den Ervvehlten auf den Altar erhoben, und immittelst das Volck so zugegen geruffen: Viuat Cæsar.* Leopldus de electione Iosephi SIGISM. SCHMIDT *p. 109.*

** HIST. ELECT. MATTHIÆ *p. 181.* THVLEMARIVS *cap. XXIV. §. XCI. seq.*

*** Vide supra *cap. III. exeunte.* Hist. Coron. Maximiliani I. p. 1. *Ipsis venientibus in ciuitatem Remis, erat ibi Dominus Archiepiscopus Moguntinus qui præcessit. Ibidem Romanorum Rege exeunte nauem. Dominus Archiepiscopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ eum duxerunt supra Cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur*

Sedes

Sedes Regis, situata in campis extra muros ciuitatis Remensis prope Rhenum, supra quam sedebat Rex Romano imperio praestans Iuramentum. Quendam de domo Ducis Sigismundi creauit Militem. Docet de eo etiam ADAMVS HEYDENVS *in Historia Maximiliani II. p. 107.* scribens: *Quanquam in veteri sit more positum, vt Rex Romanorum Francofurti creatus, inde in saxeam sub dio Regiam sedem, crebras inter nuces in amoenissimo Rheni littore, supra Confluentiam ad Rensium oppidulum positam, deducatur, & ibi Electoribus omnia priuilegia, ac quicquid ad ipsorum dignitatem, decus, libertatem & immunitatem, spectat, confirmet, postea apud Aquisgranenses Belgiae incolas, ex aurea, vt vocant Bullae decreto inauguretur: attamen cum aliis grauissimis de caussis, tum incongruentis hyemis in commoditate obstante, denique vt etiam immensis in totius Reipublicae commodum parceretur sumtibus vtrumque tam Caesari & Electoribus quam Aquisgranensibus, Francofurti vltima die Nouembris, hoc est, ipsis Andreae feriis fieri placuit.*

**** In Decreto electionis Henrici VII. Electores ad Clementem Papam: *Eapropter sanctitati vestrae tam deuote quam humiliter voto vnanimi supplicamus, vt ipsum Henricum sic deuote & concorditer electum in Romanorum Regem, vt est dictum, paternis vlnis amplectentes, eidem munus Consecrationis conferendo, sibi de sacrosanctis manibus vestris sacri Imperii diadema dignemini loco & tempore fauorabiliter impertiri.*

***** De Carolo V. SLEIDANVS lib. I. p. 26. *postea datis ad Carolum litteris, Electores & missa legatione, rem omnem denuntiant. Legationis erat Princeps, Fridericus Palatinus.* S. H. G. *diss. XXXII. §. V.* In electione Caroli VI. Electorum litteras ipsi Carolus Philippus Palatinus Mediolani obtulit. S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XLIII.*

****** In Iuramento quidem electionis A. B. *Tit. II. §. III.* continetur: *vocemque meam & votum seu electionem praefatam dabo absque omni pacto, stipendio precio vel promisso.* Ast ante A. B. vota quandoque fuisse venalia, docet nos Historia Electionis Richardi, qui electus fuit *propter sui Thesauri abundantiam*, prout auctor est MATTHAEVS PARISIENSIS *ad a. 1257. p. 807.* S. H. G. *diss. XXII. §. III.* Post A. B. tempora de Wenceslai electione satis constat, de quo S. H. G. *diss.*

 XXVII.

XXVII. §. *XXIX.* Quid circa electionem Caroli V. actum, patet ex S. H. G. *diss. XXXII.* §. *IV.* Alia tamen sunt Xenia, de quibus Albertus, Saxoniæ Elector in litteris ad Wenceslaum, Bohemiæ Regem apud GOLDASTVM *Polit. Reichs-Handeln p. I. p. 2. umb Assecuration vvegen der 4500. Pfund Silber, so einem Churfürsten nach der Wahl gebühren.* Quibus artibus Galli fuerint vsi post Ferdinandi III. mortem, patet ex PVFENDORFII *lib. VII.* §. *XLII.* Videri potest LIMNÆVS *ad Capit. Caroli V. p. 74.* LVDEWIG *ad A. B. p. 356.*

§. XXI.

Electionem sequitur CORONATIO, quæ est actus, qua legitime electus, publice traditis insignibus, consuetis & in A. B. præscriptis cæremoniis, in Imperatorem Romanorum inauguratur. Triplex potissimum, pro triplici iure Imperii olim erat Coronatio, *Germanica*, *Longobardica* & *Romana* * quibus quandoque accessit quarta, *Arelatensis*. Quod si regna quædam hæreditario iure possiderent Imperatores, plures quoque reperimus Coronationes, prout Fridericus II. de Regno vtriusque Siciliæ, Carolus IV. Wenceslaus, Sigismundus de regno Bohemiæ, Carolus V. de regno Hispaniæ, plerique Imperatores Austriaci, ipse Augustissimus Imp. CAROLVS VI. æque de regno Hungariæ, plerique Bohemiæ de Regno fuerunt coronati, quod tamen minime Imperii nomine factum.

* SIGONIVS de Regno Italiæ lib. VII. ad a. 973. *ab hoc* (Ottonis M.) *tempore qui Rex Germaniæ fuit, idem etiam Regnum Italiæ & Occidentale Imperium tenuit, ac propterea tres Coronas accepit.* Trium harum Coronarum etiam fit mentio in A. B. *Tit. XXVI.* §. *IV.*

§. XXII.

Prima Coronatio, eademque præcipua semper habita est GERMANICA. Istam, prout olim facta, eleganter describit WITTICHINDVS, * cuius integrum locum, ex quo plura illustran-

ſtranda, adducemus: *Defuncto itaque patre patriæ & Regum optimo maximo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim deſignatum Regem a patre filium eius Oddonem elegit ſibi in Principem. Vniuerſaliſque Electionis notantes locum, iuſſerunt eſſe ad Aquasgrani palatii. Eſt autem locus ille proximus Iulo, a conditore Iulio Cæſare cognominato. cumque illuc ventum eſſet, Duces ac præfectorum Principes cum cetera Principum militumque manu congregati in Siſtorio baſilicæ magni Caroli cohærenti, collocarunt nouum ducem in ſolio ibidem conſtructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque ſuam contra omnes inimicos ſpondentes, more ſuo fecerunt eum Regem. Dum ea geruntur a Ducibus ac cetero magiſtratu, Pontifex maximus* (Moguntinus) *cum vniuerſo ſacerdotali ordine, & omni plebe infra in baſilica præſtolabatur proceſſionem noui Regis. Quo procedente, Pontifex obuius læua ſua dexteram tangit Regis, ſuaque dextera lituum geſtans, linea indutus ſtola, plantaque infulatus, progreſſusque in medium usque fani ſubſiſtit: & reuerſus ad populum, qui circumſtabat (nam erant deambulatoria infra ſupraque in illa baſilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni poſſet.) En, inquit, adduco vobis a Deo Electum, & a Domino rerum Henrico olim deſignatum, nunc vero a cunctis Principibus Regem factum Oddonem: ſi vobis iſta Electio placeat; dextris in cœlum eleuatis ſignificate. Ad hæc omnis populus dextras in excelſum leuans cum clamore valido imprecati ſunt proſpera nouo Duci. Proinde procedit Pontifex cum Rege, tunica ſtricta more Francorum induto, pone altare, ſuper quod inſignia regalia poſita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum ſceptro ac diademate. Eo quippe tempore erat ſummus Pontifex nomine Hildibertus, Franco genere, monachus profeſſione, nutritus vel doctus in Vuldo monaſterio, & ad id honoris merito progrediens,*

De

vt pater eiusdem loci constitueretur, deinde summi Pontificatus Mogontiacæ sedis fastigium promeruisset. Hic erat vir miræ sanctitatis, & præter naturalem animi sapientiam, litterarum studiis satis clarus; qui inter cetera gratiarum dona spiritum prophetiæ accepisse prædicatur. Et cum quæstio esset Pontificum in consecrando Rege, Treuirensis videlicet & Coloniæ Agrippinæ: illius, quia antiquior sedes esset, & tanquam a B. Petro apostolo fundata; istius vero, quia eius ad diœcesin pertineret locus, & ob id sibi conuenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem. Cessit tamen vterque eorum Hildiberti cunctis notæ almitati. Ipse autem accedens ad altare, & sumto inde gladio, cum baltheo, conuersus ad Regem: Accipe, inquit, hunc gladium, quo eiicias omnes Christi aduersarios barbaros, & malos Christianos auctoritate diuina Tibi tradita, omni potestate totius Imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum. Deinde sumtis armillis ac chlamyde induit eum: His cornibus inquit, humitenus dimissis, monearis, quo zelo fidei ferueas, & in pace tuenda perdurare vsque in finem debeas. Exinde sumto sceptro baculoque: His signis, inquit, monitus, paterna castigatione subiectos corripias, primumque Dei ministris, viduis ac pupillis, manum misericordiæ porrigas, nunquamque de capite tuo oleum miserationis deficiat, vt in præsenti & futuro, sempiterno præmio coroneris. Perfusus itaque oleo sancto, & coronatus diademate aureo ab ipsis Pontificibus, Hildiberto & Wichfrido ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem Pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cochleas adscendebatur & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas constructum, vnde ipsum omnes videre, & ab omnibus ipse videri posset. Diuina deinde laude dicta, sacrificioque solemniter celebrato, descendebat Rex ad Palatium, & accedens ad mensam marmoream regio apparatu ornatam, resedit

sedit cum Pontificibus & omni populo: Duces vero ministrabant. Lothariorum Dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Euerhardus mensa praeerat; Herimannus Franco pincernis; Arnulfus equestri ordini, & eligendis locandisque castris praeerat. Sifridus vero Saxonum optimus, & a Rege secundus, gener quondam Regis, tunc vero affinitate coniunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque iuniorem Henricum secum tenuit. Rex autem posthæc vnumquemque Principum iuxta munificentiam regalem congruenti sibi munere honorans, cum omni hilaritate dimisit multitudinem.

* *Ann. lib. II. ineunte.*

§. XXIII.

Hodierni Coronationis mores cum antiquis istis in pluribus conueniunt. Obligatur Imperator, per Capitulationes, vt statim post electionem petat Coronationem Germanicam. Distinguitur autem in iisdem notanter *die Rœmisch-Kœnigliche* und *Kayserliche Crone.* * Sub ista intelligitur Coronatio Germanica, ad quam petendam adhuc hodie obligatur Imperator. Ad istam æque petendam in prioribus Capitulationibus obligabantur Impp. vsque ad Ferdinandi IV. tempora. In Capitulatione Leopoldina, Iosephina atque Carolina mentio fit, *der Rœmisch-Kœniglichen Crone* ** omissis, quæ in prioribus dicebantur *von der Rœmisch-Kayserlichen Crone.* Sunt equidem, qui etiam in Germania Impp. quosdam binis vicibus fuisse coronatos contendant, idemque exemplo Friderici Barbarossæ qui & Aquisgrani & Ratisbonæ, Ottonis IV. qui & Aquisgrani & Merseburgi an. 1202. Caroli IV. qui & Bonnæ & Aquisgrani fuerint coronati. *** Dum potius consuetum fuerit, vt Impp. sæpe in solenni Curia Coronam ab

Episcopo quodam imponi facerent, ad maiorem solennitatem.

* Patet hoc ex Capitulatione Caroli V. art. XXX. *vvir sollen und vvollen vns auch, zum baldesten es mœglich, und füglich, hiermit in das Reich teutscher Nation persœnlich fügen, die Rœmische Kænigliche Cron, vvie vns als ervvehlten Rœmischen Kænig vvohl ziemt, empfahen, und anders, so sich deshalben gebührt, thun, auch vnser Kæniglichen Residentz, Anwesen und Hoffhaltung in dem Heiligen Rœmischen Reich teutscher Nation, allen Gliedern, Standen und Vnterthanen desselben zu Ehren, Nutzen und Guten, des mehrer Theil, so viel mœglich, haben und halten, und nachfolgend, so wir die Kænigliche Cron, wie obsteht, empfangen haben, vns zum besten befleißigen, die Kayserliche Cron, auch in ziemlicher gelegener Zeit zum schiersten erlangen, und vns in dem allen dermassen erzeigen und beweisen, daß vnserthalben an aller Mœglichkeit, kein Mangel gespührt und gemacht werden soll.* Licet distinctionem hancce iam ante Caroli V. tempora fuisse, patet ex litteris Maximiliani I. Imp. ad Eslingenses datis, apud DATTIVM lib. V. c. I. n. 10. *So wist Ir auch, das Vns, und einem yeden Rœmischen Künig, so palde der zu Küniglicher Würde kümbt, und erwelt würdet, geburt ferner nach der Kayserlichen Cron zu trachten, und nach alt læblichen Herkommen die zu empfahen.*

** Capit. Leopoldi & Iosephi *art. XXXVI.* Caroli VI. art. III. *Als auch uns geziemen wil, und Wir hiermit versprechen, die Ræm. Kænigliche Cron færderlichst zu empfangen.*

*** Ita autumat THVLEMARIVS *de Octouir. cap. XXV. §. II. XXVIII.* Sic etiam LVDEWIG *p. 492.* cum CANTELIO *Hist. Metrop. p. II. diss. II. c. V. fin.* putat Ratisbonensem Coronam dictam fuisse Germanicam, Aquisgranensem vero Francicam. De vtraque Friderici I. Coronatione diximus in S. H. G. *diss. XVII. §. XVIII.* Neque tamen Ratisbonensis Coronatio pro noua erit reputanda, sed potius quod in Comitiis Ratisbonensibus a. 1152. Imp. cum corona processerit. Idem factum fuisse in Comitiis Moguntinis a. 1184. dicit ARNOLDVS LVBECENSIS lib. III. c. IX. *sedata itaque controuersia, coronatur Impera-*

perator, & cum Imperatrice & coronato filio processit. De Ottonis IV. duplici Coronatione tradit ABR. HOSMANNVS *von Kayserl. Wahl und Krœnung p. 252.* licet de Merseburgensi eiusdem coronatione, a Legatis Pontificiis facta, me nondum legisse, meminerim, quæ etiam si facta, confirmationem potius prioris significaret. Carolum IV. Bonnæ saltim, non æque Aquisgrani, sed solum ipsius vxorem ibidem fuisse coronatam in S. H. G. *diss. XXVII. §. XV.* demonstrauimus.

§. XXIV.

Locus, in quo Coronatio peragenda, ab antiquo tempore est Aquisgranum, vbi sedes Regni & Thronus regalis erat *der Kœnigliche Stuhl zu Aacken* * vbi filium suum Ludouicum inaugurari voluit Carolus M. ** quare per A. B. a Carolo IV. fuit præfinitus. *** Hic etiam locus coronationi Impp. in tantum erat destinatus, vt si Imp. alibi coronam fuisset adeptus, nihilominus Aquisgrani in thronum regalem Caroli M. eleuaretur, prout Henrici II. Historia nos docet. **** Hinc Carolus V. Imp. licet Electores ipsum dehortarentur, eo quod pestis Aquisgrani grassaretur, nullibi nisi in antiqua Carolorum sede, ex præscripto A. B. voluit coronari. ***** Olim etiam si in discordia fuissent electi, Aquisgranenses prætendebant, vt qui ibidem vellet coronari, per sex hebdomades prius vrbem obsideret. ****** Licet non antiquiori solum, sed etiam recentiori potissimum tempore plures Impp. aliis in locis fuerint coronati. Sic Ludouicus Infans, ad Forcheimum inauguratus † Henricus II. & Conradus Salicus, Philippus, Moguntiæ fuerunt coronati. Post hæc tempora Ferdinandus I. II. Maximilianus II. Matthias & Leopoldus Francofurti, Rudolphus II. Ferdinandus III. Ratisbonæ, Iosephus Augustæ Vindelicorum Carolus VI. Francofurti fuit coronatus, datis tamen Aquisgranensibus desuper Reuersalibus.

* Nota sunt verba hymni Caroli M. Memoriæ sacri apud MABILLONIVM de Re diplom. lib. IV. §. IV. p. 246.

Vrbs Aquensis, Vrbs Regalis:
Sedes Regni Principalis
Prima Regum Curia.

WIPPO Vita Conradi Salici p. 420. *Aquisgranum, vbi publicus thronus regalis, ab antiquis Regibus & a Carolo præcipue locatus, totius Regni Archisolium habetur.* OTTO FRISINGENSIS lib. VI Chron. c. XXXV. *sedem regni Francorum, Palatium Aquisgrani habet.* Idem lib. II. de Gestis Friderici I. c. III. *Aquisgrani ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo aliis cooperantibus coronatur, in sede regni Francorum, quæ in eadem ecclesia a Carolo M. posita est, collocatur.* Sic etiam OTTO de S. BLASIO & ALBERICVS *ad a. 1215.* Aquisgranum archisolium vocat. Vid. PETRI a BEECK *Aquisgranum, s. de sede & Coronatione Aquensi Impp. Aquisgrani 1621. 4.* atque GVNDLINGIANA, *XVIII. n. 2.*

** S. H. G. *diss. VIII. §. II.* Quare etiam GÜNTHERVS *Ligurino lib. I. v. 435.*

Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens magno cum Francia regi
vtraque seruiret, primam gestari coronam
iussit, & in sacra regis ibi sede locari.

*** *Tit. XXVIII. §. 5.* Licet ipse Carolus Bonnæ fuisset coronatus, de quo ALBERTVS ARGENTOR. *p. 138.* S. H. G. *diss. XXVI. §. XXVII.*

**** Hic enim Moguntiæ fuerat coronatus. Verum, dum huic coronationi plures, præcipue Lotharienses haut interfuissent, ab iisdem in sedem Regiam Aquisgrani fuit collocatus, de quo ADELBOLDVS c. XII. *Inde Rex Dinsberg properat, & illic Lothariensium aduentum exspectat. Occurrunt primi Leodicensis & Cameracensis Episcopi, nil de regis prudentia dubitantes, nil de fide eius hæsitantes. Occurrit etiam Coloniensis Archiepiscopus, sed quanto ditior, tanto morosius. Erat insuper causa dilationis Moguntiæ accepta corona benedictionis. Hi simul Regis efficiuntur, fidem promittunt, promissam sacramento concludunt. Cum his Rex Aquisgrani perueniens, cæteris Lothariensibus conuenientibus in natiuitate, post partum virginis eligitur, collaudatur, in regiam sedem extollitur, glorificatur.* Eadem habet DITMARVS *lib. V. p. 369.* S. H. G. *diss. XIII. §. XVIII.*

***** HA-

***** HARTMAN. MAVRVS in Hist. Coronat. Caroli V. apud GOLDASTVM *Pol. Imp. p. III. p. 265.* Hinc ipse Imp. in Ordin. Regimenti a. 1521. princ. *das er habe seine Krœnung zuforderst in der Stadt Aach, wie sich einhalts der Güldenen Bull, und der heiligen Gesetze gebühret, empfangen.*

****** Sic enim Aquisgranenses ad Rupertum, viuo adhuc Wenceslao electum, in OBRECHTI Apparatu p. 97. *begern wir üwer hochheit zu wissen dat wir hulde und eyde für zyden gedan han dem durchluchtigen Fürsten unsern gnedigen Herren Wentzeslao dem Rœmischen Kœnige Indeme dat auch verbrieffet und besiegelt han, weder die hulde eyde und brieffe vns nit enstet zu dun noch uwer hocheit inzulassen ir en het zu erste sechs wochen und dry tage vor Stad zu Ache geleger,* prout etiam superius §. XI. de Electione in discordia fuit dictum. Quare Vrbanus IV. in epistola ad Richardum in Leibnitii Prodromo p. 14. *& electione taliter celebrata electus si electioni consenserit, ante Aquisgranum per dies aliquos facta mora, infra annum & diem post celebrationem eandem, quando electus voluerit, per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam coronatur.*

† MARIANVS SCOTVS ad a. 900. *Ludouicum optimates regem super se constituunt, & coronatum regiis & ornamentis indutum, ad Forachim congregati in vnum, in fastigio regni eleuant.* S. H. G. *diss. X. §. XXXV.*

§. XXV.

Ius Coronandi Imp. hodie exercent Archiepiscopi, Moguntinus & Coloniensis, quilibet in sua Diœcesi. Olim quidem multa de eodem controuersia. Primi Imperatores, dum sibi ipsis coronam imponerent, vnctionem rarius accepisse videntur. Sic enim Henricus Auceps oblatam ipsi ab Herigero, Archiepiscopo Moguntino vnctionem renuit. * Quæ circa Ottonis M. coronationem fuerit controuersia inter Moguntinum, Treuirensem atque Coloniensem ex loco Wittichindi ante adducto ** adparet. Huius successores a diuer-

 sis

ſis Archiepiſcopis fuerunt coronati. Sic Otto III. vnctus in Regem Aquisgrani, a Iohanne, Rauennatenſi Epiſcopo, & Willigiſo, Moguntino Archiepiſcopo, *** Henricus II. a Willigiſo; **** Conradus Salicus ab Aribone, Archiepiſcopis Moguntinis; ***** Henricus III. a Piligrino, Colonienſi † Henricus IV. ab Hermanno, Colonienſi. †† Rudolphus Sueuus a Sigfrido Moguntino; ††† Henricus V. a Legatis apoſtolicis. †††† A Conradi III. temporibus iura Colonienſis certiora facta fuiſſe videntur, eo quod Otto Friſingenſis idem ius ipſi adſignaret, idemque reliquos Imperatores potiſſimum inaugurarint. ††††† Et cum Ludouicus Bauarus a. 1314. Aquisgrani a Petro Moguntino inauguraretur, ipſum coronatum fuiſſe Scriptores dicunt, a quo non debuerat. †††††† Sigismundum etiam Imp. coronauit Theodoricus de Mörſe, electus Colonienſis, licet nondum in Epiſcopum fuiſſet conſecratus. †††††††

* WITTICHINDVS lib. I. p. 637. quem locum explicat DITMARVS lib. I. p. 325. *Epiſcopalis vnctionem benedictionis, a Herigero Archiepiſcpo exhibitam anteceſſorum more priorum, non deſiderauit, nec ſuſcipere voluit, ſed prorſus ad hoc indignum ſe affirmauit.* OTTO FRISING. *lib. VI. c. XVII.*

** §. *XXII.*

*** LAMBERTVS SCHAFNAB. *ad a. 984.* S. H. G. *diſſ. XIII.* §. *VIII.*

**** SIGEB. GEMBLAC. *ad a. 1002.* S. H. G. *diſſ. XIII.* §. *XVIII.*

***** WIPPO *in Vita p. 427.* S. H. G. *diſſ. XIV.* §. *II.*

† LAMBERTVS SCHAFNABVRG. *ad a. 1028.*

†† LAMB. SCHAFNAB. *ad a. 1054.* qui tamen addit: *vix & agre ſuper hoc impetrato conſenſu Luipoldi Archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis & cætera negotiorum diſpoſitio potiſſimum pertinebat.*

††† MARIANVS SCOTVS *ad a. 1077.* S. H. G. *diſſ. XV.* §. *XXXII.*

†††† CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1106.* S. H. G. *diſſ. XV.* §. *XLVI.*

††††† Patet hoc ex OTTONE FRISINGENSI *lib. VI. c. XXII.* dum ait: *qui mox ad Palatium Aquis veniens, a prædicto Cardinale, nam Colonienſis,*

niensis, qui id iure facere debuerat, nouiter intronisatus, pallio carebat, cooperantibus Coloniensi & Treuirensi Archiepiscopis, cum ceteris Episcopis in Regem vngitur. RADEVICVS lib. I. c. XVI. *Liberam imperii nostri coronationem diuino tantum beneficio adscribimus. Electionis primam vocem Moguntino: regalem vnctionem Coloniensi supremam vero imperialem summo Pontifici.* Hinc in Registro Innocentii III. ep. LXXX. Papa ad Coloniensem: *cum tu solummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas, ex antiqua Coloniensis Ecclesiæ dignitate.*

†††††† ALBERTVS ARGENTORATENSIS p. 119. *Fridericus autem Australis præ fame recedere est coactus, Ludouicus itaque Aquisgrani a Moguntino & Treuirensi, in loco, quo debuit, sed non a quo debuit: Fridericus vero in Bunna, a Coloniense, a quo debuit, sed non in loco, in quo debuit, coronati sunt.*

††††††† GOBELINVS PERSONA *at. VI. c. XCIV. Rex autem Sigismundus Aquisgrani ab electo Coloniensi 1414. videlicet domino Thiderico de Morse nondum in episcopum consecrato, octauo die mensis Nouembris coronatus est.* ERDMANN vero Chron. Osnabrug. apud MEIBOMIVM Tomo II. p. 243. eum vocat *electum & confirmatum.*

§. XXVI.

Postea Carolus IV. idem ius Coloniensi per A. B. * confirmauit. Maximilianum II. tamen iterum inaugurauit Moguntinus, quia Fridericus Coloniensis adhuc pallio carebat. ** Posteriori tempore, dum Coronatio Impp. extra Aquisgranum fieret, & Rudolphus II. Ratisbonæ, Matthias & Ferdinandus II. Francofurti, Ferdinandus III. iterum Ratisbonæ, coronarentur, singulos consecrauit Moguntinus, maxime, dum Colonienses Archiepiscopi illorum temporum clericalem consecrationem non fuissent adepti. *** Postquam autem Maximilianus Henricus an. 1651. hanc consecrationem fuisset adeptus, controuersia hæc circa Coronationem Ferdinandi IV. a. 1653. plurimum fuit agitata, sed, dum caussæ Moguntini faueret Ferdinandus III. hic Ferdinandum IV. consecrauit, protestan-

testante desuper Coloniensi. **** Continuata fuit hæc Controuersia durante Interregno, post mortem Ferdinandi III. & primum scriptis disceptabatur, ***** ac fere ad arma deuentum fuisset, tandem vero ante electionem Leopoldi Imp. d. 25. Iunii 1657. transactione singulari fuit composita, hoc modo, vt quilibet in sua Diœcesi, extra vtramque autem, alternis vicibus officium coronationis peragerent, † quod etiam per Capitulationem Leopoldinam, Iosephinam & Carolinam †† fuit confirmatum. Et licet Leopoldus Francofurti in Diœcesi Moguntina a Coloniensi fuerit vnctus, factum tamen hoc, consentiente Moguntino, quia Colonia antea coronationi erat destinata. ††† Hoc autem ius saltim de vnctione atque consecratione est intelligendum, cum alias ipsam coronam omnes tres Electores Ecclesiastici imponant. Coronationem Eleonoræ Augustæ a. 1630. Philippus Christophorus, Treuirensis Elector peregit, eo quod & Moguntinus & Coloniensis nondum essent infulati. Olim etiam Abbas Monasterii S. Cornelii, ex speciali Priuilegio prætendebat, vt si Archiepiscopus Coloniensis in loco Coronationis absens esset, ipse Imp. coronaret. ††††

* Tit. IV. n. 4. *Coloniensi Archiepiscopo competit dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi.*

** Hist. Coron. Maximiliani apud SCHARDIVM *Tomo III. p. 86.*

*** Sic enim in Informatione Coloniensi apud LVNIGIVM p. 301. *Vnd kan also Ihre Churfürstliche Gnaden zu Mayntz gar keinen Behelff geben, daß deroselben Vorfahren a tempore Maximiliani II. etliche Actus Coronationum verrichtet, denn dieselbe alle in tempora trium Electorum Coloniensium eingefallen, welche mit der Bischœfflichen Weyhe und Infulis nicht versehen gewesen.*

**** Extat ista Protestatio apud LONDORPIVM Tomo VII. *p. 48. 49.* Moguntini responsio *p. 61.* IVNCKERI *Schaubühne lib. LIII. c. II. n. 6.* S. H. G. *diss. XXXVI. §. XLII.* THVLEMARIVS *c. XXV. n. 30.* LVNIGIVS *p. Gen. I. Cont. III. Forts. p. 106.* *****

***** Scripta, hac in controuersia edita recensuimus in *Bibl. Iuris cap. XIV. §. XLVIII.* Vberius ista recenset LVDEWIG ad A. B. p. 477. qui etiam vtriusque partis argumenta breuiter exponit. Colonienses minime negant, Moguntinos hoc ius olim sæpius exercuisse, sed factum hoc ideo, quod isti Impp. fuerint contrarii, vt ab iis coronam petere noluissent. Diuersa etiam scripta in vtramque partem agitata reperiuntur in LVNIGII *Grundfeste Europaischer Potentzen Gerechtsame p. I. p. 301. seqq.*

† Transactio hæc reperitur in DIARIO EVROPÆO *Tomo I. p. 948.* apud LONDORPIVM *Tomo VIII. p. 12.* THVLEMARIVM *cap. XXV. n. 30.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. III.*

†† Leopoldi *art. XXXVII.* Iosephi *art. XXXVI.* Carol. *art. III.*

††† S. H. G. *diss. XXXVI. c. IV.*

†††† In LVNIGII Spicil. Eccles. Tom. III. p. 731. extat Instrumentum in quo: *cuius Abbas pro tempore ex singulari priuilegio Archiepiscopo Coloniensi impedito, habet Regem Romanorum in Imperatorem promouendum &c. coronare, benedicere & inthronisare potestatem.* Id quod etiam ex diuersis Chronicis ibidem confirmatur. *p. 740.*

§. XXVII.

Instante igitur Coronatione, Insignia Imperii, quæ Aquisgrani & Noribergæ adseruantur, ad requisitionem nouiter electi atque Electorum mittuntur ad locum coronationi destinatum. Electus etiam, Marchiones Brandenburgicos, tanquam Burggrauios Noribergenses monet, vt ad petitionem Senatus, Cleinodia ista conduci faciant per loca ditionis suæ, vt secure, integra & illæsa ad locum Coronationis deferantur.

§. XXVIII.

Destinato ad Coronationem die Imp. solenni ritu Aquisgranum aliumue Coronationis locum ingreditur, agmen quan-

doq; diſponente Saxoniæ * Duce. Canonici Aquisgranenſes ſtatim ſub introitum Crucem cum capite Caroli M. Imp. olim offerebant ad oſculandum.** Illuceſcente coronationis die, eademque ſolenniter publicata, Electoribus etiam per Mareſchallum Imperii intimata, Electores Eccleſiaſtici ſeparatim Templum ingreſſi, a legatis Aquisgranenſibus & Noribergenſibus Inſignia recipiunt, eademque altari imponunt, Regem in pontificalibus ſuis expectantes. Seculares autem in Curia habitu Electorali ornati, equitantes, Legati vero habitu ordinario eosdem ſequentes, ad Imp. in palatium, indeque equitantes ſolenni proceſſione in Templum pergunt, tali ratione, vt primo loco legati Electorum operto capite incedant, ſequantur ſubofficiales Imperii, inde vnus vel alter ex Electoribus, qui præſentes ſunt, Inſignia deferentes, ſingulis Mareſchallus capite aperto pedes antecedit, gladium in vagina reconditum cum acie terram verſus præferens.*** Sine medio Imp. antecedit vel Saxoniæ Elector, vel Mareſchallus Imperii hæreditarius, eques, **** iſte quidem capite operto, cum enſe Mauritii. Sequitur inde Imp. ſub tegumento aureo, quod octo vel decem Senatores portant. Coronam gentilitiam vel Bohemicam *die Haus-Crone* vulgo dictam, in capite gerens. In limine templi Eccleſiaſtici Electores vna cum Epiſcopis & Prælatis cum cruce & thuribulo Imp. excipiunt, præcedunt quidam Eccleſiaſtici, ſigillum, Euangelium, Crucem & thuribulum portantes. Hos inſequitur Conſecrator Pontificalibus indutus, infula redimitus, cui etiam crux argentea & pedum cum regiis ſigillis baculo argenteo ſuſpenſis, præfertur, & hunc Seculares cum inſignibus ordine ante memorato. Tum electus Rex Romanorum inter Electores Eccleſiaſticos primum ducitur ad Oratorii ſedem, vbi flexis genibus procumbit, poſtea ad altare, vt benedictionem a Conſecratore Impe-

accipiat, ac deinceps in Regalem thronum ante altare positum panno aureo ornatum. Hoc a Rege occupato, atque Imperii Insignibus in proxima mensa collocatis, Electores sedes suas adsignatas, rubro serico vestitas occupant: a dextris quidem Nouemvirorum laicorum atque legatorum & si adsint aliorum Principum, a sinistris Ecclesiasticorum sunt subsellia. Consecratoris vero sella est a superiori dextro latere. Inde incipit Consecrator Missam, (qua durante, Electores Protestantes plerumque secesserunt, ***** vel factis sacris Pontificiis in genua haut procubuerunt,) ****** atque Rege per reliquos Ecclesiasticos ad Oratorium deducto, & Litania reciproce peracta, eundem interrogat: *Num Rex fidem Catholicam & Apostolicam seruare, sanctis ecclesiis ecclesiarumque ministris fidelis esse Tutor ac defensor, Regnum secundum iustitiam regere & defendere, iura regni & Imperii bona conseruare & recuperare, pauperes viduas & orphanos defendere, Papæ & sanctæ ecclesiæ debitam fidem reuerenter exhibere velit?* Annuente Cæsare ad singulas quæstiones cum *Volo*, ad altare propius adductus, præstat iuramentum: *omnia promissa in quantum diuino fultus fuero Adiutorio fideliter adimplebo, sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia.* Hoc facto, Consecrator Electores, Episcopos, Principes & totum populum interrogat: *Vultis tali Principi vos subiicere, ipsiusque regnum firmare, fide stabilire, atque iussionibus eius obtemperare, iuxta Apostolum, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, siue Regi tanquam præcellenti?* Acclamante populo, *Fiat! Fiat!* & benedictione in Regem facta, progressus fit ad Vnctionem.

* Introitum Friderici III. in vrbem Aquisgranensem tali ratione describit MÜLLERVS Reichs-Tags-Theatro p. I. c. VI. §. IV. *Belangend den Einzug zu Aach, so hatten Churfürst Friedrichs zu Sachsen 1500. Pferde den Vorzug, unter welchen viel Grafen und von Adel mit gül-*

 denen,

denen, und ihre Diener mit silbernen Kleidern und Pferde-Schmuck gesehen worden. Auf diese folgte Churfürst Ludwigs zu Pfaltz Hauffe, welcher in 1000. wohlgebutzten Reutern bestund. Hierauf kamen Churfürst Dietrichs zu Cœlln 1400. Reuter, denen Hertzog Wilhelm zu Berg mit 800. gefolget. Nach diesen trate daher die Geistlichkeit aus der Stadt, welche dem Rœmischen Kœnig mit dem Heiligthum in einer langen Reihe entgegen gegangen. Ihnen folgte Ih. Kœn. Maiest. mitten unter seinem Hoff-Gesinde, mit einem güldenen Gürtel über den Pantzer gezieret. Vor sie ritte hochermeldter Churfürst zu Sachsen, mit blossen Schwerd in der Hand. Ihrer Maiest. Seite deckten Churfürst Dietericus zu Meyntz, und Churfürst Theodoricus II. zu Cœlln. Darauf folgte Churfürst Iacob von Trier, mit andern Fürsten, Grafen und der Ritterschafft. In Hist. Coronationis Maximiliani I. p. 4. *Item erat talis ordinatio, per Regem & alios Principes, de introitu ciuitatis, & per Albertum Saxoniæ Ducem disposita; quatenus equites communes & nobiles praecederent. De post venit Clerus cum reliquiis Sancti Caroli Regis. Deinde Duces & Principes Electores.* In Electione Caroli V. inter Legatum Ducis Saxoniæ, Principem de Anhalt & Ducem Iuliacensem, disceptatum fuit, vter eorum præequitaret de quo HARTM. MAVRI *Hist. Coron. p. 73.*

** HIST. CORONAT. MAXIMILIANI II. p. 5. *Et rege veniente cum aliis Principibus ad portam* (Aquisgrani) *erat ibi totus Clerus ciuitatis Aquensis cum quatuor Ordinibus processionaliter, cum Crucibus & capite sancti Caroli Regis, quod per Canonicos seniores ferebatur, in quo erat corona sua quam habuit in vita. Illis sic visis, descendit Rex de equo, faciens reuerentiam sancto Carolo, dando osculum Cruci: credentia facta per Vice-Decanum Aquensem, qui eandem præsentauit. Item Rege de equo descendente, erant ibi custodes ante portarium ciuitatis, pro eorum iure equum Regis recipientes.* HARTMAN. MAVRVS *Hist. Coron. Caroli V.* apud SCHARDIVM p. 18. *Mos est antiquitus introductus, quod vbi Regia Maiestas peruenerit ad portam exteriorem, quæ hoc tempore fuit Diui Iacobi, quod equo descendat, atque sanctam crucem, a Canonicis Regem expectantibus illuc delatam reuerendissime exosculetur, factaque reuerentia Diui Caroli capiti, dimisso equo priore, in alium subinde transiliat, ciuitatemque ingrediatur.*

*** Processio in coronatione Leopoldi talis fuit, prout eam describi DIARIVM EVROPÆVM Tomo I. p. 940. *Vornen an giengen alle Hoff Bediente, Paschen, Ræhte, Graven und Herren, wie bey der Kayserl Wahl zu Fuß, denen folgten*

zu Pferd.

Auf der Rechten.	*Auf der Lincken*
H. Grav Herman Egon von Fürstenberg Chur-Bayerischer Gesandter.	*Printz Moritz von Nassau, Chur-Brandenb. Gesandter.*

In der Mitten.

H. Gefürsteter Grav von Hohenzollern mit dem güldenen Scepter als Erb-Cammerer.	*H. Grav Truchses von Zeil mit dem güldenen Reichs-Apffel als Erb-Truchseß.*	*Erb-Marschall Rhein-Grav, und denn Chur-Pfaltz mit der Cron in der Hand.*

H. Grav Wolff Philipps von Pappenheim des H. Ræm. Reichs Erb-Marschall.

Chur-Sachsen mit dem blossen Schwerdt.

Die Ræmische Kayserliche Maiestat.

Mit einem langen güldenen Rock und güldener Chur-Hauben, geritten, unter einem von 8. hernach beschriebenen verordneten Herren, aus dem Læbl. Magistrat zu Franckfurt getragenen vergüldeten Himmel.

De Coronatione Iosephi SIGISM. SCHMIDT p.132. *Voraus ist gangen 1. Der Reichs-Quartiermeister mit dem Stab, und nach ihm zween Trabanten des Reichs-Erb-Marschalls. 2. Die Fürstliche vornehmere Bediente. 3. Die Fürstl. Kœnigl. und Kays. Cavaliers, Ministri und Reichs-Grafen untereinander. 4. Die nicht Regierende Fürsten. 5. Die Regierende Fürsten. 6. Die fünff Herolden, als zwey vom Ræm. Reich, ein Vngarischer, ein Bæhmischer und ein Oesterreichischer in ihren Wappen-Ræcken, mit*

weissen Staben. 7. Churfürstl. Erb-Marschallen mit den Schwerdtern in der Scheide, und der Spitz unterwerts. 8. Die drey Churfürstl. Gesandte. 9. Die Churfürsten. 10. Der Kayserl. Obrist-Hoff-Marschall mit dem blossen Schwerdt vor Ihro Kayserl. Maiest. zur Rechten und der Reichs-Marschall auch mit dem Schwerdt in der Scheid, zur Lincken Hand. 11. Ihro Kayserl. Maiestat in Dero Kayserl. Habit, und Haus-Cron auf dem Haupt, unter einem Himmel begleitet von Dero Hoff-Aembtern. 12. Lincker Hand anderthalb Schuh nach Ihro Kayserl. Maiest. gieng der Kœnig in seinem Vngarischen Habit und Cron, und nach deroselben etwas auf der Seiten Dero Obrist-Hoffmeister, in Begleitung der Kayserl. Hatschier und Trabanten, so zu beeden Seiten hergangen. Ordinem Processionis in Coronatione Caroli VI. describit DIARIVM CORONATIONIS *p. 32.*

**** Singulare hoc est, circa Mareschallum Imperii, quod dum reliqui Subofficiales præsentibus in processione Electoribus, adesse non debeant, iste vero Saxoniæ Electore ensem præferente, ipsum cum vagina antecedat. Factum hoc in Coronatione Leopoldi de quo BECKMANN Notit. Dign. illustr. p. 593. *Ante Saxonem equitabat Wolffgangus Philippus Pappenheimi Comes, hereditarius Imperii Marescallus Vaginam ferens. Saxo Ensem nudum præportabat, nullo socio accinctus. Et vraniscum aureum ab octo patriciis Francophordiensibus sublatum proxime antecedebat. Sub vranisco erat Rex Romanus.*

***** HIST. CORON. MAXIMILIANI II. p. 108. *Moguntinus Pontificalibus amictus, vbi facere Sacra cœpit, Palatinus omnium primus, post illum etiam Saxo & Brandenburgicus in Conclaue simul secedunt. At Moguntino in Sacris peragendis aliquousque progresso, Rex, Treuerico atque Coloniensi vtrinque stipatus, vestemque trabeam inductus, procedit ad aram.*

****** Prout in Coronatione Ferdinandi IV. factum esse scribit THVLDENVS Hist. p. 82. *Hæ postulationes vbi cœpta sunt cantari, quod erat catholicæ gregis hominum, genibus nitendo supinas in cœlum manus tulit. Octouir Palatinus, quique Saxonis & Brandenburgici absentium personas referebant, cum aliis Euangelicæ & Reformatæ persuasionis gregalibus quasi inanis fabulæ spectatores, neque in genua pro-*

procumbebant, neque precibus sanctissimis ad pietatem consimilem inuitabantur.

§. XXIX.

Postquam igitur Imperator ab Electore vel Legato Brandenburgico * ad vnctionem esset præparatus, Consecrator adsumto oleo catechumenorum, vngit eundem in vertice capitis in crucis formam, postmodum in ceruice inter vtrumque humerum, porro in pectore, & tandem in dextro brachio, ** his additis verbis: *Vngo Te in Regem oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen*, addito terno crucis signo. Adduntur aliquæ preces & antiphoniæ. Oleo pane & lana absterso, in Sacristiam ducitur, vbi Noribergenses Deputati Electoribus porrigunt vestem Dalmaticam, albam & stolam, quibus Imp. induunt Electores vel horum Legati, potissimum vero muneris hoc est Electoris Brandenburgici, tanquam Archi-Camerarii, præsente etiam Aulæ Cæsareæ Magistro, *** sandaliis præbentibus Deputatis Noribergensibus. Sic amictus reducitur ad Altare, ibidemque gladius Caroli M. Aquisgranensis ipsi primum nudus traditur, post isto in vaginam recondito per Electorem Palatinum accingitur. **** Inde annulo ipsum quasi desponsat Consecrator, in dextram manum sceptrum, in sinistram pomum Imperiale tradit, certis semper adhibitis formulis solennibus. Hinc Imperator pomum Imperiale Palatino, sceptrum Brandenburgico, ensem Saxoni reddit, qui illa subofficialibus suis tradunt atque Paludamento Imperatorio indutus, Corona ipsi ab omnibus Electoribus Ecclesiasticis imponitur. Hinc propius ad aram ductus, iurare tenetur: *legem & iustitiam pacemque Sanctæ Dei Ecclesiæ se seruare, populoque subiecto prodesse* velle. Iuramento præstito, ad Oratorium iterum a Treuirensi & Coloniensi ducitur Imperator, mis-

missam interea celebrante Moguntino. Inter varias preces Cæsar coronam solet deponere, manum admouente Palatino Electore, tanquam Archithesaurario, eiusdemque legato. *****

* Antiquiores Coronationis Historiæ hoc non accurate describunt. De Coronatione vero Ferdinandi IV. PVFENDORF Hist. Brand. Lib. IV. §. XLIII. *in actu Electionis Blumenthalius Electoris velut archicamerarii munia solennia obibat, ac cum post peractam electionem sacrum esset celebrandum, designato Regi in sacello habitum Regium circumponebat.*

** HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 11. *Archiepiscopus Coloniensis vnxit eum in capite, in pectore, inter scapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa scapulas de oleo catechumenorum. Postea Coloniensis vnxit palmas manuum Regis Romani.* HARTM. MAVRI Hist. Coron. Caroli V. p. 84. *Secundum precationem Rex ad genua sese submisit, inunxitque oleo Catechumenorum Archiepiscopus Coloniensis Regis caput; deinde pectus inter scapulas, ambasque iuncturas brachiorum.* HIST. CORON. MAXIMILIANI II. p. 109. *Secundum hæc in pectus & caput, & brachiorum flexus, manuumque palmas inungit.* HIST. CORON. MATTHIÆ. p. 189. *Oleum Catechumenorum Consecrator accepit, & signum Crucis vertici primum capitis, postmodum ceruici inter vtrumque humerum, porro pectori, & tandem dextro brachio, inter carpum & cubitum inunxit.* In Coronatione Ferdinandi IV. apud LONDORPIVM Tit. VII. p. 43. *wormit zur Unction geschritten wurde, und geschahe selbige auf der Scheitel des Haupts, Kreutzweis, dann, zwischen denen Schulter Blattern, und im Nacken, nachgehends auf der Brust, dann am rechten Arm, zwischen der Hand und Ellebogen, und letzlichen, auf der flachen rechten Hand.* Idem obseruatum in Coronatione Iosephi prout CASSANDER THVCELIVS nos docet *p. 73.* & Caroli VI. DIARIVM CORONAT. *p. 39.*

*** In Processione post electionem Iosephi p. 107. *als Ihro Kaiserl. Maiestæt sich den Kayserl. Ornat anlegen liessen, und hierbey der Chur-Brandenburgische Abgesandte an statt Seines gnædigsten Herren Principalen, das Ertz-Cammer-Ampt bediente:* Et de Coronatione

tione vero p. 136. *Vnd da solche vollendet, wurden Ihre Maiestat von dem Chur-Brandenburgischen Gesandten, mit Beyhülff der Kæniglichen Cammerer, zur Salbung entblæset.* De Coronatione Iosephi p. 137. *Worauff die Gesalbte Kænigl. Maiestat, nachdem zuvorhero die Abwischung des Oels mit rockenem Brod und weisser Wolle geschehen, von samtlichen Herren Churfürsten (ausser dem Herrn Consecratore) und Gesandten, sambt dem vorigen Comitat in die Sacristey geführet wurde: allwo die Nürnbergische Herrn Abgeordnete bey denen Kayserl. Pontificalien schon parat stunden und auffwarteten, und selbige denen Herren Churfürsten zulangten, von welchen denn Ihre Maiestat mit der Violbraunen Dalmatica, wie auch der Alba, dem weissen Leviten-Rock, samt der Stola um der Halß, vorn über der Brust Kreutzweiß angekleidet, die Sandalien aber von dem andern Nürnbergischen Herrn Deputirten angethan.* In Coronatione Caroli VI. Primarius Legatus Brandenburgicus Comes de Dohna Imp. ad vnctionem præparauit, prout DIARIVM ELECTIONIS *p. 38. 39.* testatur. Et paulo post: *In gemeldter Capell seynd Ihre Maiestat von denen Herren Bischæffen nochmahlen mit weisser Wolle, wegen des Heil. Oels, abgetrucknet, und als sie sich niedergesetzet, von denen von Nürnberg gebrachten und von dasigen Deputatis præsentirten Kayserl. Pontificalien, die Sandalien und Knie-Stieffeln durch solche Nürnbergische Deputirte kniend, durch den Chur-Brandenburgischen Herrn Gesandten aber, in Beyseyn des Kayserl. Obrist-Hoffmeisters und Obristen Cammerers, die Dalmatica und Alben angezogen, und darüber die lange Stola um den Hals vorn über der Brust hinan Creutzweis, in Gestalt eines Priesters angelegt worden; VVorzu auch obbemeldete Herrn Nürnbergische Deputirte mit Darlangung und da und dorten unterthanigste Handreichung und Anweisung gethan haben.*

**** In Coronatione equidem Maximiliani I. p. 15. *quibus dictis, posuerunt* (Electores Ecclesiastici) *gladium nudum in vaginam, & cinxerunt Regem eodem gladio.* Et in Historia Coronationis apud MÜLLERVM *p. 37.* In Coronatione Caroli V. p. 85. *Aliis quoque solennibus comprecationibus pro Carolo factis, Coloniensis associatis Moguntino atque Treuirensi Archiepiscopis, Regi eductum vagina gladium, his additis verbis simul tradidere.* Et p. 86. *Gladio in vaginam*

recondito, Regia Maiestas sese accinxit. In Coronatione Maximiliani II. p. 109. *Gladium, hac qua dixi verborum formula traditum, vt Rex in vaginam recondidit, Saxo progrediens illius lateri accommodat.* In Coronatione Matthiæ p. 190. *gladius iste in vaginam iterum reconditus Regi per seculares Septemuiros ad latus alligatus fuit.* Idem factum in Coronatione Ferdinandi II. MERC. G. BELG. *Tom. XII. lib. IV. p. 159.* In Ferdinandi IV. Coronatione, apud PVFENDORFIVM lib. IV. § XLIII. *Caroli Magni ense Palatinus manum simul admouentibus secularium Electorum legatis, Regem accingebat, vti antea conuentum fuerat, etsi electione Ferdinandi III. Bauarus id solus fecerat otiose adstantibus legato Saxonico & Brandenburgico.* In Coronatione Iosephi SCHMIDT p. 138. *Bey diesen Worten wurde besagter Sabel in die Scheide gestossen, und von denen Weltlichen Herren Chur-fürsten und Gesandten selbiger Ihro Maiestæt umgegürtet.* In Coronatione Caroli VI. p. 42. *Immittelst ist solch Schwerdt in die Scheiden gestossen, und Ihrer Maiest. durch die Churfürstl. Durchl. zu Pfalz adstantibus DD. Legatis umgürtet worden.*

***** Olim quidem Ludouicus Bauarus, primo Gelriæ Duce priuilegium dederat a. 1339. apud LEIBNITIVM C. I. G p. 151. *quando successores nostri Romanorum Reges, Aquisgrani, Mediolani & Romæ coronabuntur, quod tunc ipse aut eius heredes coronam Regiam dictis Regibus super caput imponent, deponent, portabunt, & in manibus gestabunt.* Illud vero in obseruantiam haud fuisse deductum, patet ex eo, quod in Actibus olim solennibus Pincernas de Limburg etiam Coronam Cæsaris excepisse tradat Historia Electionis Maximiliani I. apud FREHERVM *Tomo III. p. 29. Item dum inciperetur canticum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Schenck Christoferus de Limpurg Cæsareo capiti imperiale diadema excepit. Item pomum Philippus de Selmick imperii dapifer, Gladium vero & quidem versus terram defixum Sigismundus de Pappenheim marschalcus, Sceptrum vero Schenck Philippus de Winspurg Camerarius tenuit.* Eadem Historia vernaculo sermone extat apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Theatro unter Maximilian den I. p. I. c. I. p. 7.* In Coronatione Ferdinandi III. a. 1636. eandem tenuit Limburgius. Quid in Coronatione Ferdinandi IV. factum, exponit PVFENDORF c. l. *Quia porro dum certa precum formula*

mula recitatur, Cæsar coronam deponere solet, Palatinus properè accedens eandem tollere cœperat; sed simul adproperans Blumenthalius manum quoque admouebat, ac ægre id ferenti Palatino demonstrabat; id ad Camerarii Officium spectare, cuius sit Regem solennibus vestimentis induere, & exuere. Et quia Cæsar Blumenthalii rationem probabat, hic post finitas preces solus ipsi coronam iterum imponebat. Etsi post, cum acta euoluerentur, compertum, Coronam Cæsari demere haut præcise cum Archicamerarii munere coniunctum, sed id a Cæsareis summis cubiculariis promiscue fuisse factum. De Coronatione Leopoldi DIARIVM EVROPÆVM Tomo I. p. 874. *Vnter wæhrendem Te Deum Laudamus, da man auff den Vers: Te ergo quæsumus kommen, hat der Gefürste Grav von Hohenzollern, als Erb-Cæmmerer die Kœnigl. Cron dem Kayser ab: entgegen Herr Georg Ludwig Grav von Sintzendorff, als Erb-Schatzmeister, wegen Chur-Pfaltz, bey dem Vers per singulos dies wieder auffgesetzt.* In electione Iosephi protestante licet Limburgio, Sintzendorfius Coronam portauit. SCHMIDT *p. 78.* & Coronam in Communione depositam tenuit *p. 139.* In Coronatione Caroli VI. idem officium peregit legatus Electoris Brunsuicensis, qui tunc officium Archithesaurarii gerebat, prout ex Actis Coronationis p. 44. patet. *Wie Ihro Maiestæt wieder in Ihren Beth-Stuhl gekommen, ist von Chur-Trier Deroselben der Rauch oder Incensum gegeben, wie auch hernach post Orationem Dom. das Ihro von dem Directore Chori, Herrn Graffen Iohann Philippen von Schœnborn Dom-Probsten zu Würtzburg &c. überreichte Pacem zu küssen, und das Wey-Wasser gegeben worden. Ferner ist von Chur-Trier bey Anfang der Præfation Ihrer Kayserl. Maiestæt die Crone abgehoben und auf ein Kissen gesetzt worden, welche der Chur-Braunschweigische Herr Gesandte genommen, und dem Erb-Schatzmeister Herrn Graffen von Sintzendorff dargereichet, der auch solche, neben andern Erb-Aembtern, stehend auf einem Kissen in Handen gehalten, bis dieselbe Ihrer Kayserlichen Maiestæt nach der Communion wiederum dergestalt aufgesetzt worden, daß zuvorderst der Chur-Braunschweigische Lüneburgische Herr Gesandte diese Cron von dem Herrn Graffen von Sintzendorff abgenommen und vor Ihre Keyserl. Maiestæt aufs Kissen gestellt, Chur-Trier aber Ihro solche aufs Haupt gesetzt.* Durante vero

 Con-

Conuiuio Regali Limpurgius Iosepho Regi coronam de capite sumsit iterumque imposuit SCHMIDT *p. 144.*

§. XXX.

Post hæc ad aram ducitur, atque sceptrum in manu sua portans, ad offertorium pergit, plura Numismata aurea offerens, * liber inde Euangeliorum ad osculandum offertur a Treuirensi, a quo etiam Pacem & incensum accipit. Inde ad Communionem ducitur, ** qua refectus, ad Oratorium ipsi speciatim præparatum *den Beth-Stuhl,* demum ad thronum in loco elatiori collocatum, qui ad instar istius Aquisgranensis Caroli M. est adornatus, in quem ab Electoribus euectus, quasi inthronisatur a Consecratore. Hinc Elector Moguntinus Imp. nomine totius Collegii gratulatur, interea Musicus chorus *Te Deum Laudamus* cum tympanorum strepitu canit, tormenta exploduntur & campanæ omnes per vrbem pulsantur, Imp. interea, præsentibus Electoribus secularibus, gladio Caroli M. Noribergensi equites creante. *** Tunc Missa finitur atque nouo Imp. benedicitur. ****

* HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 17. *Deinde Rex Romanorum sceptrum in manu sua portans ibat ad offertorium, offerens quam plures pecies auri.*

** Et quidem saltim sub vna. HIST. CORON. MATTHIÆ p. 191. *Rex vero ad Sacrificia conuersus est, & Sacramentum Cœnæ sub vna tantum specie, a Consecratore Archiepiscopo Moguntino accepit.* SIGISM. SCHMIDT im Audientz-Saal p. 117. *Dann folget die solenne Meßhaltung, die Geniessung des Heil. Abendmahls, sub vna zum œffentlichen Zeugniß, daß er sich zur Rœmisch-Catholischen Religion bekenne.* Idem confirmat THVLEMARIVS c. XXV. §. *LVII.* De Leopoldo BECMANN Not. Dignit. Diss. V. c. IV. p. 594. *Iurauit deinde vetus Iusiurandum, & christianæ hostiæ Sacramentum vna specie sumsit.* De Carolo VI. vero DIARIVM CORONATIONIS p. 44. *Als der Herr Consecrator das Hochwürdige Sacrament des Leibs und Bluts Iesu Christi, unter*

ter dem Ampt der Heil. Meß, empfangen und sumiret, wurde Ihre Kayserl. Maiestat deposita Corona, durch Chur-Trier und die Herrn Assistenten zum Altar begleitet, daselbst Dieselbe, nachdem Sie das Ihro vorgelegte Kissen zurück gestossen, und auf den blossen Antritt des Altars nieder gekniet, von dem Herrn Consecratore Sacram Hostiam in hœchster Andacht empfangen, und blieben daselbst, als Ihro nicht weniger von Herrn Consecratore der Wein in dessen Kelch gereichet worden. Vinum autem consecratum haut erat sed ex calice saltim Consecratoris.

*** Ex his iure antiquo, semper primus esse debet vnus ex vetusta Camerariorum de Wormatia, seu Baronum de Dalberg, familia. THVLEMARIVS *Octouir. c. XXV. §. LIX.* Quare in Diario Coronationis Caroli VI. p. 46. inter Equites creatos, primo loco nominatur: *Herr Friedrich Freyherr von Dalberg, Cæmmerer von Wormbs, vermæg uhralten Kayserl. diesem Geschlecht concedirten Priuilegii.*

**** HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 17. *Sic processum fuit in Missa vsque ad Pacem. Ibi Archiepiscopus Coloniensis vertit se versus populum, dando Regi & ceteris Principibus Benedictionem, dicens: Benedicat tibi Dominus custodiatque te, & sicut te voluit super populum suum esse Regem, ita in præsenti sæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Responderunt Amen.*

§. XXXI.

Hoc peracto, ad Oratorium reuertitur Imp. ad quod accedunt duo Canonici Aquisgranenses, togis candidis induti, vna cum Syndico Capituli atque vrbis Deputatis, vnus ex dictis Canonicis tenet capsulam S. Stephani sanguine & reliquiis repletam, alter librum Euangeliorum, & Regi Romanorum aliquid ex illo prælegit, qui etiam more antiquo, in Canonicum Ecclesiæ B. Virginis recipitur, pro qua adsumtione Rex Romanorum grates agit, osculatur Euangelium; & iuramentum præstat de conseruandis defendendisque Capituli iuribus, quod tale est: *Nos, diuina fauente Clementia Romanorum Rex, nostræ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Aquensis Canonicus,*

per hæc ſancta Dei Euangelia iuramus eidem eccleſiæ fidelitatem, & quod ipſa iura, & bona eiusdem ab iniuriis & violentiis defenſabimus & faciemus defenſari, eiusque Priuilegia omnia & ſingula, & conſuetudines ratificamus, approbamus & de nouo confirmamus. * Hinc Dalmaticam veſtem & ſandalia in choro deponens Imperator, Corona pallioque ſeruato, ſuper pontem ligneum a Templo ad Curiam hanc ob rem extructum, pannoque flauo, albo & nigro obuolutum, qui poſt proceſſionem populo cedit, ſolenni pompa, præeuntibus Electoribus Secularibus vel horum Subofficialibus, qui Inſignia portant atque Treuirenſi, cum vniuerſa aulicorum turba, ſubſequentibus Moguntino atque Colonienſi, qui extrema Pallii Imperatorii tenent, ** Legatus vero Brandenburgicus ipſe ſceptrum fert Subofficiali Hohenzollerenſi non admiſſo, *** Curiam repetit, vbi præparatum eſt Conuiuium Regale, pannus autem quo pons obductus, a plebe diripitur.

* HIST. CORONAT. MAXIMILIANI I. p. 17. *Item venerunt Capitulares Eccleſiæ Aquenſis, recipientes Regem Romanorum in Canonicum; qui ipſis præſtitit iuramentum, quoniam præbendam habet in eadem Eccleſia & dederunt ſibi locum in choro. Ipſe quoque dedit ſtatuta & vinum admiſſionis, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, & habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam & ſupplent locum ſuum in Eccleſia.* Sic Coronatio MATTHIÆ *p. 192.* Rationem huius rei reddit BLONDELLVS *de Thermis Aquenſibus p. 4.* quod Carolus M. hoc inſtituerit, quia ipſe olim inter Diaconos Aquisgranenſes locum occupauerit. Pro receptione in ſodalitium Canonicorum ſoluit Imperator 57. aureos Rhenanos & præter hæc 3. *Fuder Weins, dauon eins dem Capitel S. Adelbrecht zuſtændig: item vor die Kayſerliche obere und untere güldene Kleider, zuſammen 400. Ioachims-Thaler.* NOPPIVS *in der Aacker Chronic lib. I. c. XI. p. 72.* Plenius vero iſta deſcribuntur in Diario Coronationis Caroli VI. p. 47. *Iura, quæ eccleſiæ Aquisgranenſi ex coronatione regia cedere conſueuerunt, hæc ſunt: Pannus cum puluinariis, ſuper quo Rex, eccleſiam Aquisgranenſem ingreſ-*

ingressus primum suas Deo preculas fundit. Item pannus stratus super scamnum, in quo ante coronationem suam orare consueuit. Item trabea seu chlamys, vestis item, in qua Rex coronatur. Item duo tapetes aurei, vnus stratus super sedem ante altare beatæ Mariæ Virginis, alter quo solium Regale in alto monasterio ornatur. Soluuntur item pro Iuribus ecclesiæ more Prælatorum quinquaginta sex florenorum aurei. Item tres carratæ vini optimi, quarum duæ Ecclesiæ diuæ Virginis, tertia Collegio diui Adalberti Aquensi cedere consueuerunt. Olim etiam in numerum Canonicorum recipiebatur, Romæ, Coloniæ Agrippinæ & Bambergæ. De Coloniensibus quidem HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 22. *Canonici Regem in Canonicum receperunt iuxta consuetudinem Ecclesiæ suæ.* Sic in diplomate Henrici VI. apud HEDAM Hist. Vltraiect. p. 150. *eo quod communi electione & canonica Regem Rom. seu Imperatorem pro tempore existentem & eorum successores, in Canonicum ecclesiæ vestræ & fratrem elegistis.*

** Ordo hic procedendi diuersimode variauit. De Coronatione Maximiliani I. Historia ipsius p. 18. *Nobiles præcesserunt: postea Comites & Barones in magna multitudine: deinde tubicinatores & heraldi: postea Prælati, Episcopi & Principes; deinde Electores Imperii. Primo Archiepiscopus Treuerensis, secundo Ernestus Dux Saxoniæ cum gladio nudo ante regem. In latere eius dextro Philippus Comes Palatinus cum pomo aureo: in sinistro latere Electus Augustensis, habens penes se vnum deferens sceptrum, loco Marchionis de Brandenburg, qui obiit. Tunc Romanorum Rex cum corona regia & cappa, habens gladium in femore, & coronam in capite; in cuius latere dextro Archiepiscopus Coloniensis, in sinistro Archiepiscopus Moguntinus, cum eorum vestimentis ac ornamentis, prout eis tanquam Electoribus conuenit & decens erat. Imperialis maiestas cum sua corona & cappa Imperiali, & suo heraldo.* De Processione post Coronationem Leopoldi DIARIVM EVROPÆVM Tomo I. p. 875. *Ferner, wegen Chur-Mayntz, Trier, Cœlln, Bæheim, vier Erb-Marschallen mit den Schwerdtern: Folgends Chur-Bayrischer auf der Rechten, und Chur-Brandenburgischer Gesandter auf der lincken Hand.*

Chur-

Chur-Trier allein.

Zur Lincken:	In der Mitten:	Zur Rechten:
Chur-Pfaltz mit der Røm. Kron.	VVegen Chur-Bayern Hochged. Erb-Truckseß Grav von Zeil mit dem Reichs-Apffel.	VVegen Chur-Brandenburg Erb-Cammerer von Hohenzollern mit dem Scepter.

Graff VVolff Philipps von Pappenheim, Reichs-Erb Marschall, mit der Scheiden.

Chur-Sachsen.
Mit dem blossen Reichs-Schwerdt.

Kayser
LEOPOLDVS.
Mit der Cron auf dem Haupt.

Chur-Cœlln. *Chur-Mayntz.*

*** HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 18. *in sinistro latere Electus Augustensis, habens penes se vnum deferens sceptrum loco Marchionis de Brandenburg, qui obiit.* HARTMAN. MAVRVS Hist. Coron. Caroli V. p. 88. *Coronæ curam Imperii Subpincerna N. de Limpurch, quemadmodum Comes de Zorn, minor Imperii Camerarius, scepteri respectum habuit. Subministri enim perpetui Imperii, Legatis Principum in executione officiorum cedere noluerunt.* In Hist. Elect. Matthiæ p. 181. *Saxone districtum gladium & Legato Brandenburgico sceptrum regium in manibus tenentibus.* Idem factum in ipsius Coronatione prout p. 187. traditur. Eidem secundum *p. 190.* Matthias Imp. facta coronatione Sceptrum porrexit. Idem *p. 192.* Templum egrediendo sceptrum prætulit. De Electione Ferdinandi IV. PVFENDORF lib. IV. §. XLIII. *At sceptrum non ipse, sed Zolleranus Comes, velut hæreditarius Imperii Camerarius præferebat, vtut in electione Ferdinandi III. Schwarzenbergius Comes id gestasset. Nam nuper decretum a Collegio fuerat conditum, vt absentibus Electoribus, hæreditarii Officiales istas functiones obirent. Sicuti & pomum Truchsesius, & gladium Pappenheimius preferebant. Et indecorum futurum erat, si primarius legatus infra Bauari*

ri & Saxonis officialem incessisset. Vid. etiam THEATR. EVROP. *Tom. VII. p. 359.* In Electione & Coronatione Leopoldi, Leopoldus Fridericus Zolleranus Sceptrum gessit, de quo DIARIVM EVROPÆVM *Tomo I. p. 873. 941.* & BECMANN *Not. Dign. p. 596.* Licet Legatis Brandeburgicis instructionem in contrarium datam, adducat PVFENDORF lib. VII. §. XXVI. *Post solennem proclamationem electi, primarius legatus in deductione, & sequenti coronatione Sceptrum nouo Cæsari ipse præferret, non adhibito vicario Zollerano.* In Diario Coronationis Caroli VI. p. 33. *Der Chur-Brandenburgische Herr Gesandte, Herr Burggraff und Graff von Dohna mit dem Reichs-Scepter und bedeckten Haupt.* In Templo vero Legatus Sceptrum non tenuit, de quo p. 35. *von denen Erb-Aembtern aber zu beyden Seiten des Kayserlichen Betstuhls die Insignia stehend gehalten wurden, nehmlich ad dextram Imperatoris, von Herrn Graffen von Pappenheim das blosse Schwerd, und von dem von Ihro Maiestæt an statt des abwesenden Erb-Cæmmerers substituirten Herrn Graffen Frantz Georgen von Schœnborn der Scepter: ad sinistram aber von dem Herrn Graffen von Zeil, als Erb-Truchsessen der Reichs-Apffel; und von Herrn Graffen von Sintzendorff, Erb-Schatzmeistern die auff ein Küssen gelegte Cron.* In egressu ex templo p. 48. *Die übrigen Insignien als Reichs-Apffel, Scepter und Schwerdt haben respective Ihro Churfürstl. Durchl. zu Pfaltz, der Chur Brandenburgische Herr Gesandte Graff von Dohna, und Reichs-Erb-Marschall Herr Graff von Pappenheim, ingleichen die Haus-Cron der Reichs-Erb-Schatzmeister Herr Graff von Sintzendorff getragen.*

§. XXXII.

Tunc solennia sua officia ex præscripto A. B. * præstant Electores vel horum Subofficiales. Primo quidem loco *Elector Saxoniæ*, Imperii Archimarschallus, vel huius Subofficialis, Comes de Pappenheim, in Curia equum conscendit, indeque cursu fertur in auenæ aceruum in foro, argenteam de illo implens mensuram, quæ pondus duodecim marcarum cum baculo adimplet (*ein Futter-Mæßlein mit dem Streich-Maaß,*) eandemque famulis tradit, & fixo in auena baculo

in curiam reuertitur. Equum cum menſura & baculo ſibi vindicat Pappenheimius, auena populo cedit. Secundo loco *Elector Brandenburgicus*, Archicamerarius, vel huius Legatus ** equo vectus, ad menſam in medio foro ſtratam properat, malluuium argenteum cum aqua inde petens, atque in Curiam rediens, Imperatori aquam manibus abluendis præbet, ſecularibus reliquis mantile tenentibus. Singula hæc cum equo cedunt Subcamerario, Principi de Hohenzollern. Tertio *Bauarus*, Archidapifer, vel eius Vicarius Truchſeſius de Waldburg equo culinam intrat, de boue aſſato fruſtum in patinam argenteam ponens, alia operta, idem in menſam Imp. defert, Vice Mareſchallo præeunte. Hic autem bos, poſtquam auro coroniſque ornatus per vrbem ductus & mactatus, integer, neque capite neque pedibus, nec alia parte mutilatus, ſaltim pelle & inteſtinis reiectis, vario exquiſitoque ferarum & altilium genere farctus, ingenti veru ligneo traiectus, duabus rotis ad prunas ſubiectus verſatus ac die nocteque aſſatur. *** Fruſto inde deſumto, reliqua populo cedunt. Quarto ſuccedit nunc equo vectus *Palatinus* Imperii Architheſaurarius vel eius Vicarius, Comes de Sintzendorf, qui nummos aureos & argenteos in memoriam Coronationis cuſos in populum ſpargit. Agmen claudit *Rex Bohemiæ*, Archi-Pincerna, vel eius Vicarius Comes de Limpurg, hodie Comes de Althan, qui ſuper equum ſcyphum argenteum Imp. in menſam defert & primum potum præbet. **** De *Brunſuicenſi* Electore tempus docebit, quodnam ipſi deferendum ſit officium. Singulorum Inſtrumenta XII. argenti Marcis conſtant.

* *Tit. XXVII.*

** In Coronatione Maximiliani I. hoc officium geſſit Camerarius hæreditarius Comes de Hohenzollern, de quo HIST. CORON. p. 19. *Et cum*

cum Imperator & Rex Romanorum ad prandium irent, venit Electus Episcopus Augustensis de Hohenzorn dictus locum Marchionis Brandeburgensis suppleuit cum ceteris Comitibus, Ernesto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, aquam porrexit & manutergium. Aqua in peluibus argenteis erat. In Coronatione Leopoldi Comes ab Hohenzollern nomine Electoris Brandenburgici aquam lauandis manibus porrexit, teste BECMANNO *Notitia Dign. Diss. V. c. IV. p. 597.* In Coronatione Iosephi hoc officium peregit Legatus Brandenburgicus SCHMIDT *p. 143.* In Coronatione etiam Caroli VI. DIARIVM CORONATIONIS p. 50. In eadem Legatus Brandenburgicus post Sintzendorfium officium suum gessit, quia ipsi ob turbam populi equus adduci non poterat, cum reseruatione de non præiudicando.

*** Originem hoc habet ab antiquorum Romanorum visceratíonibus quæ post triumphum instituebantur. Vid. SIGONIVS *de ant. Iure Ciuium Rom.* & Syntagma *Antiquit. cap. X. p. 481.*

**** De Coronatione Caroli HARTM. MAVRVS p. 92. *Controuersia erat inter Legatum Regis Bohemiæ, & Subpincernam Imperii N. de Limpurch, vter eorum Regi vinum aqua dilutum, ex more propinaret. Sed excussum pridie fuit, pro Friderico agnomine, & officio Pincernæ, cum ille semel & primo propinasset. Post durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.*

§. XXXIII.

Solennibus hisce absolutis, Comites & Barones Imperii ad id selecti, cibos ad mensam Imperatoris deferunt, præeunte Comite de Pappenheim Imperii Vice-Marschallo. Accumbit Imperator, Electorum ecclesiasticorum seniore benedictionem peragente. Tunc ecclesiastici, eo, in cuius diœcesi actus fit coronationis, in medio procedente, argenteo baculo suspensa sigilla & typaria Imperialia apportant, ante Imp. in mensa, decenti reuerentia deponentes, quibus singulis redditis, baculum Vice Cancellarius iure dominii, sigilla vero, in custodiam recipit. Ille tamen, in cuius Archicancellariatu solennis Curia celebratur, maius Sigillum Im-

peratoris catena collo appensum, & ad pectus vsque dependens gerit. * Conuiuio autem finito, olim etiam equites creabantur.** Omnibus absolutis, Electores Principesque Imp. ad Palatium vsque comitantur. Dictus vero Archi-Cancellarius ad diuersorium reuersus, Sigillum, per aliquem suorum, equo insidentem, Cancellario aulæ Imperialis remittit, quem equum vna cum baculo isto sibi, Vicarii autem Secularium instrumenta officiorum suorum sibi vindicant.

* Ex præscripto A. B. Tit. XXVII. HARTM. MAVRI Hist. Coron. Caroli V. p. 91. *Antequam reuerterentur Electores Ecclesiastici benedictionem mensæ legerunt. Quamuis autem hoc antiquæ annotationes Archiepiscopo Coloniensi coronatori saltem illa die tribuerunt, tamen Treuirensis sibi hoc competere contendebat ad causam, quod senior in consecratione foret. Archiepiscopus meus Coloniensis ob ea, quæ in aurea bulla continentur, cuius auctoritas in dubiis merito sequenda, æquo animo cessit. Post benedictionem Archiepiscopus Moguntinus, associatis duobus Archicancellariis Coloniensi a dextris, Treuirensi a sinistris, sigilla Regia a baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, Regiæ mensæ oblata, cum retraderentur, Moguntinus ea collo aptauit, totaque die publice inde dependentia gestauit: tametsi Treuiri contendebant, Aquisgranum esse Archicancellariatus Gallici.* In Diario Coronationis Caroli VI. p. 50. *Die geistliche Herrn Churfürsten stunden vor der Kæyserlichen Taffel, und sprach Chur-Mayntz das Benedicite, Chur-Trier aber antwortete, welche Beede zusammen hernach den silbernen Staab mit den 3. anhangenden Kayserlichen Sigillen, dem Mayntzischen Dom-Capitularen Herrn von Warsberg abnahmen, solchen aufrecht vor Ihre Kayserl. Maiestat trugen, und Chur-Mayntz die Sigilla von dem Staab læsete, und solche vor Ihre Kayserl. Maiestat auf den Tisch legten, welche aber selbige Ihrer Churfürstl. Gnaden zu Mayntz wieder zugestellt, und Diese solche um Dero Halß gehængt, und die gantze Mahlzeit hindurch, auch biß in Kayserlichen Hoff, auch von dar in Dero Quartier, also an der Brust hangend behalten; nach Verfliessung einiger Tage aber dem Herrn Reichs-Vice-Cantzler*

Cantzler Graffen von Schœnborn die Sigilla zur Verwar, und den silbernen Staab, vermœg güldener Bull, zu eigen zustellen lassen.

** HIST. CORON. MAXIMILIANI I. p. 21. *Post hoc* (conuiuium) *quidam de numero Heroldorum clamauit voce magna*, dicens: *si qui sunt qui desiderant creari in milites, accedent Regem heic vel in domo: paratus est, & si qui accesserint hodie qui non sunt habiles, pro non creatis sunt habendi, & probibendi ab aliis ne signa militum deferant, qui de numero illorum velint permanere, Regem debent de hoc certificare.* HARTM. MAVRI Hist. Elect. Caroli V. p. 95. *Expleto prandio, gratiisque a Treuirensi dictis, omnia tubis, tympanisque personabant: strictoque Diui Caroli gladio, iterum Regia Maiestas viros equestris ordinis creauit.*

§. XXXIV.

Accumbente Imp. Electores suas occupant mensas, singuli singulas, quæ vno vel duobus pedibus mensæ Imperatoriæ solent esse depressiores. Electorum præsentium mensæ conspiciuntur cum tegumento *(mit einem Himmel)* & credentiis, in quibus singuli sua supellectilia aurea & argentea ostentant. Absentium Electorum mensæ habent quidem suas credentias, sed stratæ non sunt, positis in singulis tribus claussis patinis, * Legati enim non admittuntur. ** Paullo depressior est Principum mensa, quæ tegumento caret, cui omnes qui adsunt, insimul adsident. *** In separato conclaui **** prandent Deputati Ciuitatum Noribergensis, Aquisgranensis, Coloniensis & Francofurtensis. Conuiuantur omnes sumptibus Imperatoris, fluente interim ex fonte, vino albo & rubro, iactoque e culina pane similagineo. Finito conuiuio, Imp. ad Palatium & Conclaue comitantur Electores & Principes præsentes, vbi accepta ab illo, cum gratiis, abeundi licentia, singuli se ad discessum præparant.

* In electione Iosephi mensæ ita fuerunt collocatæ :

Imperator & Iosephus

Moguntinus Treuirensis Coloniensis

Bohemus *absens*		Saxo *absens*
Bauarus.	Mensa Principum.	Palatinus
Brandenburgicus *absens*		

SIGISMVND SCHMIDT *p. 147.*

In Coronatione Caroli VI.

Imperator

Moguntinus	Treuirensis
Bohemus *absens*	Saxo *absens*
Palatinus	Brunsuicensis
Brandenburgicus *absens*	*absens.*

** Ex præscripto A. B. HIST. CORON. MATTHIÆ p. 193. *Caeterum dum Coronatio in templo perageretur, mensæ in palatio Curiæ, pro Rege, Electoribusque & Principibus aliis stratæ, & magnificentissime paratæ fuerunt, excepta ea, quæ pro Electore Brandenburgico posita fuerat: ea enim holoserico rubro instrata mansit, nec quicquam ferculorum in eam, cum Elector Brandenburgicus ipsemet præsens non adesset, appositum est: idque ex Aureæ Bullæ præscripto, qua constitutum expresse est, quod vbi Elector aliquis, siue Ecclesiasticus, siue Secularis, graues ob causas electioni adesse præsens non possit, Legatum tamen cuiuscunque dignitatis mittat: is personam quidem eius sustinere debeat, ad mensam tamen Electori absenti paratam haudquaquam admittendus sit.*

*** In Coronatione tamen Maximiliani I. prout Historia narrat p. 20. Oratores Ducis Austriæ in mensa peculiari sederunt.

**** In Coronatione Maximiliani I. prout Historia docet *p. 20.* etiam in Imperiali Conclaui his mensæ fuerunt stratæ. HIST. CORON. MATTHIÆ p. 159. *Erant autem præter has Electorum mensas, mensa in inferiori palatii istius parte oblonga, pro Principibus aliis, quorum viginti duo numerabantur, itemque in cœnaculo & conclauibus aliis plu-*

plures pro Comitibus & Baronibus vt & in peculari cœnaculo pro Coloniensi, Aquisgranensi, Norinbergensi & Francofurtensi ciuitatibus mensæ quatuor paratæ. Sic etiam in Coronatione Iosephi in alio Conclaui ad vnam mensam oblongam vna cum Deputatis Augustanis & Metatore Imperii coniunctim sederunt SCHMIDT p. 146. In Coronatione Caroli VI. ad tabulam rotundam sederunt vna cum Deputatis Francofurtensibus, prout ex Diario patet p. 53. Colonienses etiam sessionis prærogatiuam semper præ Aquisgranensibus adfectarunt, etiam obtinuerunt, prout singulari scripto demonstrarunt, quod exhibet LVNIG *Grundveste der Gerechtsamen p. II. p. 625.* Plenius hæc pertractantur in Scripto cui titulus: *Inauguratio, Coronatio, Electioque aliquot Imperatorum a Maximiliano I. ad Matthiam, Hanouiæ 1613. 8.* ABRAHAMVS HOSMANNVS *von Kayserlicher Wahl und Krœnung*, Historiam Electionis atque Coronationis omnium Impp. Monarchiæ quartæ exposuit, vsque ad Matthiam, sed parum accurate. HENRICVS etiam GÜNTHERVS THVLEMARIVS cap. XXV. de Octouiratu, plerasque Coronationis Imperialis Cæremonias probe explicuit. Coronationem Guilielmi Bataui describit TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug. ad a. 1249.* Historiam Coronationis Iosephi sigillatim descripserunt SIGISMVNDVS SCHMIDT & CASSANDER THVCELIVS, Caroli VI. Coronationem copiose exponit DIARIVM CORONATIONIS, & LVNIG *Reichs-Archiv p. Gen. Cont. II. Forts. p. 547.*

§. XXXV.

Altera est Coronatio ROMANA, quam Impp. rite electis concedere tenebantur Pontifices. Primis quidem temporibus ipsi Impp. Coronas sibi imposuerunt, id quod iussu Caroli M. adsentiente omni Francorum Populo a. 814. a Ludouico Pio fuit factum.* Licet etiam Stephanus Papa, ne iure suo intercideret, a. 816. in Galliam veniens, eum denuo Remis inungeret in Imperatorem.** Dum autem post mortem Ludouici II. Carolus Caluus fratri suo natu maiori, Iohannis VIII. beneficio, Coronam Imperialem præripuisset, ab eodemque Romæ fuisset coronatus,*** hanc Coronationem post-

postmodum sibi adseruerunt Papæ. Potissimum ab Ottonis M. temporibus moris factum, vt singuli Impp. peracta Coronatione Germanica, etiam Romanam peterent. **** Indicatur enim post Coronationem Germanicam Expeditio Romana *der Rœmer-Zug* ad Coronam Romanam suscipiendam, eademque sæpius ad certum tempus, annum vel biennium plerumque iurata promittebatur. ***** Statuto tempore Status cum milite suo, quem singuli ex formula præstare tenebantur, Imp. Augustæ plerumque præstolabantur, cumque ipso Alpes transibant, atque facta in Campis Roncaliis prope Placentiam exercitus lustratione, quod *Heerschaue* dicebatur, Comitia habebantur, legati vrbium audiebantur, atque accersitis Iudicibus, Iustitia singulis reddebatur. ****** Primum quidem nouo Imp. Iuramentum præstabant Romani. † Sub Henrico II. vero videmus ipsum Imp. Benedicto VIII. Papæ promisisse, se ei fore fidelem. †† Lotharius Imp. primus, ni fallor, iuramento promisit se defensorem fore Ecclesiæ Romanæ. ††† Hoc Iuramentum tamen Henricus VI. Papæ strenue negauit. †††† Idem tamen præstitum ab Ottone IV. ††††† A Friderico III. Imp. trina requirebantur Iuramenta. Primum, coram legatis Papalibus antequam Terras Ecclesiæ ingrederetur; †††††† Alterum iuramentum postquam Impp. coronandi noctem vnam castris atque tentoriis collocatis, ante vrbem mansissent, Romanis de confirmanda ipsorum libertate erat præstandum; ††††††† Tertium in Templo Vaticano ante solennem ritum coronationis.

* THEGANVS c. VI. Carolus M. prius a Proceribus Regni Francorum quæsiuerat: *si eis placuisset, vt nomen suum, id est Imperatoris, filio suo Ludewico tradidisse.* His adsentientibus, filio suo normam regnandi præscribit, atque hoc adnuente: *iussit eum pater vt propriis manibus coronam quæ erat super altare leuaret, & capiti suo imponeret ob recordationem omnium præceptorum, quæ mandauerat ei pater.*

cer. At ille iussionem patris impleuit. De Lothario vero ANNALES FVLDENSES ad a. 817. *Ludouicus Imperator Lotharium, filium primogenitum, consortem Imperii constituere volens, Aquisgrani, in conuentu more solito instituto, eum coronauit, & nominis atque Imperii sui socium constituit.*

** THEGANVS c. XVII. *postea Pontifex* (Stephanus) *honorauit eum magnis honoribus & multis, & reginam Irmingardam, & omnes optimates & ministros eius, & in proxima die Dominica in Ecclesia ante missarum solennia coram clero & omni populo consecrauit eum & vnxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & preciosissimis gemmis ornatam, quam secum apportauerat, posuit supra caput eius. Et Irmengardam reginam appellauit Augustam, & posuit coronam auream super caput eius.* S. H. G. *diss. VIII. §. II.*

*** Hoc vberius exposuimus S. H. G. *diss. IX. §. IV.* Caroli Calui filius a Pontifice quidem, ast in Gallia in Imp. fuit vnctus. S. H. G. *diss. IX. §. XII.* Carolus Crassus a. 881. Romæ in Imp. fuit coronatus. S. H. G. *diss. X. §. XX.* Idem factum cum Arnolpho, S. H. G. *diss. X. §. XXXIII.* Inde vero Imp. nomen cessauit ad Ottonis M. tempora vsque.

**** ALBERICVS ad a. 1215. *a tempore quo Franci vel Teutonici obtinuerunt dynastiam Imperii, hæc semper apud eos consuetudo quasi lex inuiolabiliter obseruatur, quod Imperator electus nunquam coronatur vel consecratur a Papa Romanorum, prius Rex fuerit coronatus Aquisgrani, & postquam semel ibi tulerit coronam, nihil restat, nisi vt in Imperatorem Romanum a summo Pontifice coronetur & consecretur, & hoc fit propter reuerentiam & maiestatem Caroli Magni, cuius corpus requiescit ibidem.* REGISTR. EPIST. INNOCENTII III. Ep. XV. *cum autem imperialis corona sit a Romano Pontifice concedenda, eo rite prius electo in Principem & prius in Regem legitime coronato, talem secundum antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus, & iis de more perfectis, quæ ad Coronationem Principis exiguntur eam sibi fauente Domino solenniter conferemus.*

***** OTTO FRISING. de gestis Friderici I. lib. II. c. VII. *expeditio Italica tam pro horum* (exulum Italiæ) *adflictione, quam corona Impe-*

 rii

rii accipienda, paullo minus quam ad duos annos iurata est. De Henrico VI. GODEFRIDVS MONACHVS ad a. 1189. *Eodem tempore Henricus Rex expeditionem Italicam iurare fecit Nobiles, maxime eos, qui ministeriales Imperii essent, a festo S. Matthaei post annum explendam, quatenus in Augustum ipse consecrari debuisset Romae.* De Ottone IV. OTTO DE S. BLASIO c. LI. *Anno Dominicae incarnationis M. CC. IX. Otto Rex generale colloquium in Quadragesima habens apud Hagenowe, expeditionem in Italiam Principibus edixit A. 1310.* Henricus VII. pro adserendis Imperii Iuribus & corona Romana impetranda expeditionem Romanam indixit, de qua CONRADVS VECERIVS p. 68. *Dimisso edicto per prouincias, vt quisquis nobilium Augustale beneficium obtineret, die constituto vellet adesse, solennemque profectionem, Romanae mitrae capiendae causa, pro conditione, proque consuetudine sua curaret exornandam.*

****** De hac expeditione Romana infra Capite XXIII. vberius.

† De hoc ANNALES FVLDENSES ad a. 897. *dispositis ibi multimodis rebus, omnis Romanorum populus ad S. Paulum cum iuramento Imperatori fidem promittentes, iuramentum vero illud, ne quem lateat, hic inserere proposuimus: iuro per haec omnia Dei misteria, quod saluo honore, & lege mea atque fidelitate domini Formosi Papae fidelis sum, & ero, omnibus diebus vitae meae, Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo, & Lamberto filio Agildradae & ipsi matri suae ad saecularem honorem nunquam adiutorem praebebo & hanc ciuitatem Romam ipsi Lamberto, & matri eius Agildradae, & eorum hominibus, per aliquod ingenium aut argumentum non tradam.* Ex his habet SIGONIVS *lib. VI. p. 143.*

†† DITMARVS lib. VII. p. 400. *die dominica, ac VI. Cal. Martii Henricus D. G. Rex inclytus, a Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasi barba, alii prolixa mystice incedebant, cum baculis cum dilecta suimet Coniuge, Cunegunda, ad Ecclesiam S. Petri, Papa, cum Clero, expectante, venit. & antequam introduceretur, ab eodem interrogatus: si fidelis vellet Romanae Patronus esse & Defensor Ecclesiae sibi autem, suisque successoribus, per omnia intimus fidelis? deuota professione se sic futurum respondit, & tunc ab eodem, inunctionem* Rega-

Regalem, & coronam, cum Contectali sua, suscepit. Priorem autem coronam super Altare Principis Apostolorum suspendi praecepit. S. H. G. *diss. XIII.* §. *XXII.*

††† BARONIVS ad a. 1133. Iuramentum Lotharii ex schedis Vaticanis hac ratione describit: *Ego Lotharius Rex, promitto & iuro, Tibi Domino Papae Innocentio, Tuisque successoribus, securitatem vitae, & in membris, & malae captionis, & defendere Papatum, & honorem tuum & Regalia S. Petri, quae habes, manutenere, & quae non habes iuxta meum posse recuperare.* S. H. G. *diss. XVI. c. XXV.*

†††† HELMOLDVS Chron. Slav. lib. I. c. XXXIX. *vbi autem ventum est ad consecrationem* (Coronationem) *exegit ab eo Dominus Papa* (Paschalis II.) *iuramenta, quatenus in Catholicae fidei obseruantia integer, in Apostolicae Sedis reuerentia promptus, in Ecclesiarum defensione solicitus existeret. Sed Rex superbus iurare noluit, dicens, Imperatorem nemini iurare debere, cui iuramentorum sacramenta ab omnibus sint exhibenda. Facta est ergo contentio inter Dominum Papam & Regem, & interceptum est opus consecrationis.*

††††† Iuramentum hoc in Registro Innocenti III. reperitur: in quo hæc verba: *possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperauit, ab Antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis, ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus & ipsam, ad eas retinendas, bona fide promittimus adiuuare; quas vero nondum recuperauit, ad recuperandum, pro viribus erimus adiutores, & quaecunque ad manus nostras deuenerint, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota Terra, quae est a Radicafano, vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra comitissae Mathildis, Comitatus Britennorii, Exarchatus Rauennae, Pentapolis, cum aliis adiacentibus Terris, expressis inmultis Priuilegiis Imperatorum & Regum, a tempore Ludouici, vt eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni iurisdictione, districtu & honore suo.* Hoc autem Iuramentum in c. I. de Iureiurando Clem. præscribitur. P. de ANDLO *lib. II. c. VI.* S. H. G. *diss. XIX.* §. *XVIII.*

†††††† AENEAS SYLVIVS Hist. Friderici III. p. 69. *Inter hæc Legati summi Pontificis Fridericum sæpius adeuntes, iuris esse ac vetusti moris, aiunt, iurare Imperatorem Romano Præsuli, priusquam beati Petri*

Patrimonium ingrediatur, terras Ecclesiæ non procul esse, iuramentum si velit vlterius pergere, Senis præstandum, asserunt: quod in Clementinarum libris habetur insertum. Id ego nullum vnquam Cæsarem exhibuisse comperi, nisi fortasse Karolum quartum, & Sigismundum eius filium. Henricus quidem septimus fidelitatem sese iurasse negauit: cuius causa editam Clementinam dicunt, minime vero Ludouicus Bauarus eo iurando se astrinxit, qui recusante Papa Romano, ex vrbis præfecto coronam accepit. Priores ante Karolum magnum Imperatores, non accepimus iurare solitos. Post Karolum, quid Ludouicus Primus, quidue iurarint Ottones, decreta Pontificum manifestant. At Fridericus noster quamuis iuramenti petitionem alienam atque admirabilem duceret, maximo tamen Sacerdoti, Christi Vicario, parendum existimauit, cuius mandata velut iussiones diuinas suscipienda atque implenda putauit. Tale autem erat Iuramentum, prout describitur apud FVGGERVM lib. V. c. VII. n. 4. ex quo habet MÜLLERVS Hist. Friderici p. II. c. I. §. VII. *Sanctissimo Domino nostro, Domino Nicolao, Diuina prouidentia Papæ, Ego Fridericus Rex Romanorum promitto & iuro, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per lignum viuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod si permittente Domino Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam & sanctitatem suam rectorem ipsius exaltabo, secundum meum posse. Et neque vitam, neque membrum, neque honorem, quem habet, mea voluntate, meo consilio, meo consensu, aut mea exhortatione, perdet, & in Roma nullum placitum aut Ordinationem faciam, de omnibus, quæ ad sanctitatem suam, aut ad Romanos pertinent, sine vestro consilio. Et quicquid de terra sancti Petri ad nostram Potestatem peruenerit, suæ sanctitati reddam. Et cuicunque Italicum regnum commisero, iurare faciam illum, vt adiutor suæ sanctitatis sit, ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse: Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei Euangelia.*

††††††† Iuramentum tale exhibet FVGGER lib. V. c. VII. n. 6. *Ego Fridericus Rex Romanorum futurus Imperator, iuro, me seruaturum Romanorum bonas consuetudines. Sic Deus me adiuuet.* Sequitur MÜLLERVS *§. XII.* S. H. G. *diss. XXX. §. XXI.*

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Coronatio iisdem fere solennibus * fieri debebat, prout Germanica, nisi quod Insignia prætulerint Duces & Principes vel Germanici, vel Italici. ** Inter hos Ludouicus Bauarus Castrucio Lucensium Duci priuilegium concesserat, quod ipse saltim atque eius hæredes, adsistere debeant Coronationi & Coronam tenere. *** Imp. a Cardinalibus pallio indutus, atque diademate ipsi imposito, quod vel nouum erat, vel Germanicum, **** Pontifici præsentabatur: coram quo in genua proiectus, conceptis verbis iurabat, se legem, iustitiam & pacem Ecclesiæ Dei populoque subiecto esse seruaturum, Pontificis potestatem esse defensurum, eidemque debitum honorem esse exhibiturum. ***** Inde Pontifex reliqua Coronationis solennia peragebat, ipseque Imp. in numerum Canonicorum D. Petri recipiebatur. Vltimus hanc Coronationem Bononiæ a 1530. accepit Carolus V. Imp. † Ferdinandus I. eandem æque a Paulo IV. Papa petebat, recusante tamen ipsius Legatum Papa, postea abstinuit, nec posteriores Impp. de Coronatione Romana, tanquam minime necessaria, fuerunt solliciti. ††

* Singulas Cæremonias in eadem adhiberi solitas descriptas videmus in PONTIFICALI ROMANO Clementis VIII. p. 224. apud PETR. de ANDLO lib. II. c. VI. Coronationem Friderici III. late describit AENEAS SYLVIVS *p. 69.* FVGGERVS *lib. V. c. VII.* & ex eo MÜLLERVS *Hist. Friderici p. II. c. I.* Alia descriptio ex Cæremoniali Romano exhibetur in GOLDASTI *Polit. Imper. p. 325.* vbi etiam p. 327. exhibetur Historia Coronationis Caroli V. Romanæ, quam excipit HENRICI CORNELII AGRIPPÆ *Historiola de duplici Coronatione Caroli V.*

** GOLDASTVS Polit. Imper. p. 329. *Hinc primus in ordine Marchio de Monteforte sceptrum: secundus Dux Vrbinensis gladium: tertius Philippus Palatinus pomum: quartus & vltimus Dux N.* (erat Dux Sabaudiæ) *coronam gestans curiam incedebat. Qui omnes simili fere*

quo Patres purpurati, vestitus genere fuerunt induti, pileos fimbriatos capitibus gestantes. Idem, prolixius tamen, describit AGRIPPA *c. IV.*

*** Extat Diploma desuper concessum apud LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. dipl. p. 129.* in quo. *Declarantes & nunc per hoc nostra serenitatis indultum, tibi & praedictis successoribus tuis, ex praedicta comitatus dignitate competere Ius assistendi perpetuo benedictioni, sacra vnctioni, & coronationi successorum nostrorum Principum Romanorum, & omnibus & singulis ipsius Coronationis solemnitatibus: & praecipue, sociandi & decidendi ipsos Romanos Principes, tempore coronationis fiendae de eis, ad sacram vnctionem de ipsis faciendam, & eosdem Romanos Imperatores successores nostros tenendi & iuuandi in ipsa sacra vnctione & actu ipsius, & eadem vnctione perfecta, eos reducendi & sociandi ad altare, & thalamum, prout & quoties Principes expediunt redire. Item ius leuandi & tenendi Imperiale diadema, de nostro & successorum nostrorum Romanorum Principum capite, tempore, quo Imperialis coronationis solennia celebrantur, & etiam quocunque alio tempore, quoties publice ipsum diadema expedierit eleuare de capite nostro, & successorum nostrorum Romanorum Principum reponi.*

**** Dicendum de eo Capite sequenti, vbi de Corona Romana sermo erit. Singulare erat, quod in Henrici II. coronatione apud DITMARVM *lib. VII. p. 400.* dicitur: quod coronam Germanicam, durante Coronatione, super altare Petri suspendi praeceperit.

***** De Iureiurando Friderici III. saltim AENEAS SYLVIVS p. 80. *Fridericus per aliquot Cardinales ad Capellam ductus, quae intra turres dicitur, ibi iusiurandum beato Petro & Nicolao Pontifici suisque Successoribus in ea forma praestitit qua Ludouicum Magnum Karoli filium iurasse, Pontificum decreta confirmant.* De Carolo V. vero Hist. Coron. apud GOLDASTVM *p. 329. Prius quam Caesarea Maiestas templum ingrederetur, in Sacellum quoddam, iuxta pontis gradus exaedificatum a Cardinalibus abducebatur, ac in eo vestibus suis exutus, pallio induebatur oblongo, tot ac tantis gemmis, margaritis atque vnionibus intertexto, vt maioris, quam vel dici vel credi posset, pretii aestimaretur. Deinde Diademate capiti superimposito vsque ad medium templi procedebat; ibique multis stragulis vestibus substratis, coram*

coram Pontifice in genua proiectus, conceptis verbis iurabat in hunc modum: EGO CAROLVS ROMANORVM REX & breui DEI gratia futurus Cæsar, per Deum, diuumque Petrum promitto, polliceor, testificor atque iuro, me in posterum pro viribus, ingenio & facultatibus meis, Pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem, nec vllam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum: sed potestatem, iurisdictionem & dominationem ipsius, quoad eius fieri potest, conseruaturum ac protecturum. Cuius rei testem voco Deum ipsum & hæc sancta Euangelia.

† Statim post ingressum Caroli in Templum pons ille, per quem ingressus fuerat, corruerat, de quo AGRIPPA *c. V. Plerique hanc rem in omen vertentes ex confracto ponte nullum deinceps alium Imperatorem coronatum iri, vaticinari ausi sunt.*

†† Late hæc narrat THVANVS *lib. XXI. p. 628.* S. H. G. *diss. XXXIII. §. X.*

§. XXXVII.

Vltima Coronatio est LONGOBARDICA de Regno Italiæ. Hanc, licet ab Henrico II. vulgo ducant, * ad Carolingorum tamen tempora iamdum referendam esse docet Coronatio Ludouici II. qui filius erat Lotharii Imp. in Regem Longobardorum, quæ tamen a Papa fuit facta. ** Licet ante ista tempora per hastam constituti fuerint Reges Longobardorum. *** Carolus Caluus etiam Sigonio **** dicitur Ticini in Italiæ Regem coronatus, cum tamen iste a. 875. saltim Romæ a Ioanne VIII. Papa fuisset coronatus, insequenti vero anno in Synodo Ticinensi ab Italiæ Episcopis & Primoribus confirmatus. ***** Ex Germanicis Impp. Otto M. Mediolani in Regem Longobardorum fuit inauguratus. ****** Otto III. a Landulpho Mediolanensi Archiepiscopo a. 995. Mediolani fuit coronatus. ******* Idem Imp. Modoëtiam siue Moguntiacum, quæ vrbs inter Mediolanum & Abduam flumen est intermedia, constituit Regni Italici sedem, ordinauit-

uitque vt in posterum Impp. in eadem coronarentur. † Post Ottonis III. mortem Itali libertatem meditantes Harduinum Eporædiensem Marchionem Papiæ a. 1002. sibi Regem constituerunt, qui tamen ab Henrico II. deuictus, idemque a. 1005. communi consensu in Regem Italiæ fuit coronatus. †† Licet quandoque hæc Coronatio Mediolani vel Ticini fuerit peracta. Otto M. enim atque Henricus VII. Mediolani fuerunt coronati, saluis tamen iuribus vrbis Modoëtiæ. Coronationis Ritum ex Ordine Romano describit Sigonius: *Perducto scilicet per Episcopos ex cubiculo in Templum atque ad aram maximam Rege, Archiepiscopus post solennes aliquot precationes effusas, populum alloquutus interrogabat, num se tali Regi subiicere, atque illius mandatis & iussionibus constanti fide vellet obtemperare? Vbi vero populus se velle responderat, Regis caput, pectus, scapulas, atque ipsas brachiorum compages Oleo Sancto vngebat, Deum orans, vt in bello gerendo, & in sobole propaganda votis eius annueret. Ornato deinde ense, armillis, pallio, annulo, & sceptro Coronam imponebat, & per Chorum ductum in solio collocabat atque osculo pacis oblato, diuinam inde rem faciebat.*

* GEORGIVS MERVLA Antiquit. Vice-Comitum lib. II. p. 25. in Tomo III. Thesauri Rerum Italicarum Græuiani. *Quidam sunt Auctores, ab hoc Henrico cœptam consuetudinem ferreæ Coronæ, quam Mediolani is demum accepit, qui in Germania Cæsar designatus sit. Alii primum Othoni huiusmodi ornamenta data ferunt. Sunt qui a Carolo factum repetant. Ego cum incerta traduntur, nec satis firmum originis auctorem habeam, quando res cœperit, minime affirmare ausim.*

** ANASTASIVS in vita Sergii II. p. 249. *tunc almificus Pontifex manibus suis Hludouicum Lotharii Imperatoris filium oleo sancto perungens, Regali ac preciosissima coronauit Corona, Regemque Longobardis præfecit. Cui regalem tribuens gladium, illum subcingere iussit. Deinde*

inde Missarum celebratione finita, ab Ecclesia omnes cum Rege lætantes regressi sunt. Hinc, post patris mortem, partem etiam Regni Francorum petebat, quia Italiam patris largitate iam ante fuisset adeptus, de quo ANNAL. BERTIN. ad a. 856. *Ludoicus Rex Italiæ filius Lotharii super portione Regni paterni in Francia apud patruos suos Ludowicum & Karolum conquiritur: Italiam largitate aui Ludouici Imperatoris se asserens assecutum:* SIGONIVS *equidem de Regno Italiæ lib. IV.* iamdum Carolum M. Modoëtiæ ab Thoma Archiepiscopo corona ferrea redimitum fuisse venditat, de quo tamen tacent coæui, subdubitat etiam le COINTE *Ann. Franc. ad a. 774.* Vid. FONTANINI *cap. IV. p. 48.*

*** PAVLVS DIACONVS de Gestis Longob. lib. VI. c. LV. *Langobardi Hildebrandum* (Luitprandi Regis nepotem) *foras muros ciuitatis* (Ticinensis) *ad Sanctæ Dei genitricis Ecclesiam, quæ ad Perticas dicitur, in Regem leuauerunt: cui dum Contum, sicut moris est, traderent, in eius conti summitate cuculus auis volitando veniens, insedit.* Plenius de eo FONTANINVS *cap. III.* MVRATORIVS *cap. III.*

**** *ad a. 876.*

***** S. H. G. *diss. IX. §. IV.*

****** Adlegat hanc in rem MVRATORIVS c. VI. p. 39. DATII, qui sub finem seculi XI. vixit, Historiam Mediolanensem Mstam: *Spreta Alberti a suæ gentis superbia, qui Italiam quasi ancillam dominabantur, Otto ab omnibus in Regem magnis cum triumphis Mediolanum electus & sublimatus est. Interea Walperto mysteria Diuina celebrante, multis Episcopis circumstantibus Rex omnia regalia, lanceam, in qua Clauus Domini habebatur, & ensem regalem, bipennem, balteum, clamidem Imperialem, omnesque regias vestes super B. Ambrosii Confessoris altare deposuit, perficientibus, atque celebrantibus clericis, omnibusque Ambrosianis ordinibus diuinarum solemnitatum mysteria; Walpertus magnanimus Archiepiscopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo subdiaconi, corona superimposita, astantibus B. Ambrosii Suffraganeis vniuersis, multisque Ducibus, atque Marchionibus, decentissime, & mirifice Otonem Regem collaudatum, & per omnia confirmatum induit, atque perunxit.*

******* S. H. G. *diss. XIII. §. XI.* MVRATORIVS *c. VII.*

† Hoc vberius demonstrauit MVRATORIVS c. VII. TRISTANVS CALCHVS *Hist. Patria lib. IV. p. 157.* Quare OTTONI FRISINGENSI *Chron. lib. VII. c. VII.* & RADEVICO *lib. II. c. VIII. & XX.* dicitur Sedes Regni Italici.

†† MVRATORIVS *c. VII. p. 45.* S. H. G. *diss. XIII. §. XXI.*

§. XXXVIII.

Ex Francicis Impp. Conradus II. primum a. 1026. Mediolani, postea etiam Modoëtiæ dicitur fuisse coronatus, licet sola Sigonii auctoritate hoc nitatur. * De Henrici III. & IV. Coronatione Longobardica omnia sunt incerta. ** Huius vero filius Conradus ab Archiepiscopo Mediolanensi a. 1093. in Regem Longobardiæ fuit coronatus. *** Nec de Henrici V. Coronatione Longobardica satis constat. Ex Sueuicis Impp. Conradus III. dum Lothario se opponeret, a. 1128. ab Anshelmo Archiepiscopo Modoëtiæ in Regem Longobardorum fuit coronatus. **** Fridericus Barbarossa in Italia binis vicibus fuit coronatus: primum quidem a. 1155. Papiæ, post captam Terdonam, ***** deinde a. 1158. Modoëtiæ, capto Mediolano. ****** De Ottonis IV. atque Friderici II. Coronatione Longobardica, non adeo certa res est. ******* Post Interregni tempora primus fuit Henricus VII. qui de Regno Italiæ coronaretur. Hic dubius primum hærebat, an Mediolani, an vero Modoëtiæ Coronatio institueretur, † dum de vtroque loco superessent exempla, Canonicis ideo Modoëtiensibus mandauit, vt priuilegia sua conquirerent, †† Mediolani tamen hæc Coronatio a. 1311. fuit peracta, & quidem cum antiqua corona per negligentiam fuisset amissa, nouam coronam de chalybe fieri fecit, ad instar lauri margaritis pretiosis adornatam eademque voluit redimiri. †††

* SIGONIVS lib. VIII. ad a. 1026. *His ita gestis magno inde honore Mediolanum introiuit, ac regium ab Archiepiscopo Diadema suscepit. Inde Modoëtiam progressus, ibi iterum coronari se, vetere renouata con-*

consuetudine petiit, & cum id necessarium esse Herebertus negaret: se Caroli Magni, & posterorum eius exemplo, permoueri respondit. Conradum inde imitati Posteri, ac successores eius plerique Modotiensem quoque Coronam appetiuerunt, quam Coronam Mediolanensem, inuidia perciti, per contemptum Palearem vocarunt. Licet apud alios Scriptores huius rei fidem reperire nondum licuerit.

** De vtriusque Coronatione Mediolani & Modoëtiæ facta MVRATORIVS *cap. VIII.* ast fide saltim neotericorum subnixus.

*** S. H. G. *diss. XV. §. XLV.* FONTANINVS *c. IV. p. 42.*

**** OTTO FRISING. *lib. VII. c. XVII.* ALBERICVS *ad a. 1127.*

***** OTTO FRISING. lib. II. c. XX. *Peracta victoria, Rex a Papiensibus ad ipsorum ciuitatem triumphum sibi exhibituris inuitatur, ibique ea dominica qua Iubilate canitur, in Ecclesia S. Michaelis, vbi antiquum Regum Longobardorum palatium fuit, cum multo ciuium tripudio coronatur.* Factum hoc fuisse a. 1155. demonstrauimus in S. H. G. *diss. XVII. §. XXII.*

****** RADEVICVS lib. I. c. XLIV. *Princeps Romanus a Mediolano castra mouens, apud Modoicum, sedem Regni Italici, coronatur. Quam Ecclesiam iamdudum a Mediolanensibus subactam, ac fere destructam, pristinæ libertati reddidit, sedemque propriis expensis magnifice reparari præcepit.* Duplicem hanc coronationem etiam adgnoscit GÜNTHERVS *Ligurino lib. III. & VIII.* ANTONIVS PAGI *ad a. 1162. §. XXXII.* Quæ vero MVRATORIVS *c. IX. p. 59.* de corona etiam Mediolanensi profert, sublestæ admodum sunt fidei.

******* FONTANINI hæc contendit, & quidem corona ferrea, verum auctoritate saltim Scriptorum Neotericorum suffultus.

† ALB. MVSSATVS lib. I. rubr. XII. *Triumphans igitur in Mediolano Rex Henricus corona ferrea insigniri iuxta legis Imperialis sanctionem antiquam statuit, euocarique vndique populos dimissis edictis ad diem certam in ipsa Mediolani vrbe, & Sanctissimi Ambrosii æde, seu Oraculo. Quamquam disceptatum, an Modecia id fieri oportuerit, vt plurimum moris antiqui fuerat; decisum tamen & illico fieri nihil interesse.*

†† Extant hæ litteræ apud FONTANINI *c. V.* & MVRATORIVM *c. X.*

††† AVCTOR COÆUUS GESTORVM BALDVINI lib. II. c. X. & *ibidem* (Mediola-

 diola-

diolani) *dictus Dominus Henricus Rex sequenti die Epiphaniæ Domini in sancto Ambrosio a Mediolanensi Archiepiscopo vna cum sua Regina corona ferrea ad instar lauri margaritis pretiosis perornata, de calybe tamen per ipsum Henricum Regem cunctis successoribus facta, eo quod corona Regum antiqua ex negligentia esset amissa, (nam a nullo Regum de tempore Frederici Imperatoris fuerat requisita) gloriosissime exstitit coronatus.* MVSSATVS c. I. *Coronati itaque Henricus Cæsar, Augustaque Margarita Anno ab ortu Domini nostri Iesu Christi vndecimo trecentesimo millesimo, VIII. Idus Ianuarii ferrea corona, quam Lauream appellabant, in equis phaleratis rubro scarleto cum purpureis tegumentis supra vertices latis se Populis exhibuere per Vrbem, Rege Sceptrum manu dextera gestante, videlicet Scipionem aureum lilio supra renitente.* Omnes etiam reliqui Scriptores Henricum VII. corona ferrea fuisse redimitum, contendunt. S. H. G. *diss. XXV. §. IX.*

§. XXXIX.

Post ista tempora Ludouicus Bauarus a. 1327.* Carolus IV. a. 1355. ** Sigismundus a. 1431. *** Mediolani in æde Ambrosiana corona ferrea fuerunt redimiti. Fridericus III. a. 1452. dum pestis Mediolani grassaretur, Romæ ferrea corona a Nicolao V. Papa fuit decoratus, data desuper Mediolanensibus Bulla de non præiudicando. **** Vltimus demum Carolus V. corona, quam Modoëtienses attulerant, a. 1529. Bononiæ a Clemente VII. fuit redimitus. ***** Neque post ista tempora Impp. coronam amplius petierunt Longobardicam.

* ALBERTVS ARGENTINENSIS p. 124. *fuit Ludouicus Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii a Ioanne, Archiepiscopo Mediolanensi, in Festo Pentecostes, cum Margaretha, Vxore sua anno Regni sui XIII. corona ferrea coronatus.* S. H. G. *diss. XXVI. §. XVIII.* Hanc autem coronam fuisse Mediolanensem FONTANINI *c. VI. p. 65.* comprobat, cum Modoëtiensis isto tempore esset Auenione. Male igitur NIC. BVRGVNDVS *Hist. Ludov. Bauari lib. II. p. 99.* hanc coronam Theodelindæ fuisse dicet.

** S. H. G.

** S. H. G. *diss. XXVII.* §. *XVIII.* Ipse Carolus IV. epistola ad Pragensem Episcopum die XIX. Februarii 1355. scripta, sic habet: *nuper ad suscipiendam Coronam ferream, qua nostri prædecessores Domini Romani Reges inter trifarias Imperii sacri Coronas in secunda sua Coronatione sunt soliti coronari, Mediolanum adplicuimus, & Corona eadem fuimus solemniter insigniti*, apud GEORGIVM BARTHOLDVM PONTANVM *in Bohemia Pia lib. V. p. 59.* MVRATORIVS *c. XI. p. 69.*

*** S. H. G. *diss. XXIX.* §. *XXIX.* Instrumentum Coronationis exhibet MVRATORIVS *cap. XI. p. 71.*

**** Bullam habet RAYNALDVS *ad a. 1452. n. 2.* S. H. G. *diss. XXX.* §. *XXII.* MVRATORIVS *cap. XI. p. 73.*

***** RAYNALDVS *ad a. 1530.* verba Rituum Magistri de hac Coronatione refert: *VII. Februarii cœpi proponere, & interrogare deputatos Imperiales, an electus Imperator, qui iam in Germania primam Coronam secundum ritus illorum sumpserat, vellet secundam coronam, quæ ferrea dicitur, capere, & vbi, & a quo, seu quibus, & solemnitatibus, de qua inueniebam quandoque a diuersis, & diuersimode recepta modo Modoëtiæ, quandoque Mediolani, & quandoque alibi. His meis interrogationibus responderunt Imperiales, quod Cæsar illam capere omnino intendebat heic Bononiæ, & de manu Pontificis, per aliquot dies, antequam caperet diadema Imperiale, & allegabant similitudinem bonæ memoriæ Friderici III. proaui moderni Caroli electi, qui de Anno MCCCCLVI. per diem ante Coronam Imperialem recepisse ferream de manu felicis recordationis Nicolai V. reperiebatur.* IOVIVS vero *lib. XXVII. p. 237.* Modoëtiensem Coronam plenius describit, qui, postquam de tribus coronis dixisset, addit: *præsto igitur affuere Modoëtiensium legati, cuius erant principes, Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris prærogatiuæ dignitatem, vetustissimi operis coronam & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat sine florentibus pinnis in simplicem & latum orbem circumducta, ferro introrsus tempora præcingente, sed exterius auro & gemmis exornata.*

§. XL.

Coronatio itaque Longobardica institui solebat vel Pa-

piæ in æde S. Michaelis, prout Berengarius, Adelbertus, Harduinus in eadem fuerunt coronati, vel Modoëtiæ in Templo S. Ioannis Baptistæ, quod de Conrado III. diximus, vel, prout plerumque factum in æde Ambrosiana Mediolani. * Licet quandoque etiam Modoëtienses contendant, se Reuersales obtinuisse, quod ipsorum iura salua esse debeant, prout in coronatione Henrici VII. factum esse dicitur, quod tamen neotericorum saltim fide nititur. ** Ius Coronandi, prout etiam ex superioribus patet, exercebat plerumque Archiepiscopus Mediolanensis, etiam Modoëtiæ, vel si iste fuerit absens, Archipresbyter Modoëtiensis. *** Coronationis ritum in Instrumento Sigismundi Imp. tali modo videmus descriptum. *Itaque dictus Archiepiscopus volens officii sui debitum peragere & exequi, vt tenetur, auctoritate sua ordinaria, qua fungitur in hac parte, prædictum Serenissimum semper Augustum, Boemiæque Regem ibi personaliter existentem pro suæ Coronationis, susceptionisque munere vnxit in humero eius dextro iuxta formam Ecclesiæ consuetam, & prout alii Reges Romanorum in susceptione Coronæ ferreæ consueuerunt, & debent vngi. Et deinde post inunctionem huiusmodi, vt præfertur, factam, eidem Domino Regi in digito anulari eius dextræ manus anulum imposuit, eique tradidit ensem nudum, ac subsequenter capiti suo Coronam ferream imposuit. Et insuper in eius dextra virgam Sceptri, & deinde pomum deauratum quod Monarcum significat, in sinistra manibus assignauit, seruatis omnibus solemnitatibus, quæ consueuerunt, & debent Romanis Regibus in tanta celebratione seruari.* ****

* Vberius hoc confirmat MVRATORIVS *cap. XII.*

** ALBERT. MVSSATVS equidem *Hist. Henrici VII. lib. I. p. 5.* ait: *Quamquam disceptatum, an Modoëtiæ id fieri oportuerit, vt plurimum moris*

moris antiqui fuerat, decisum tamen & illico fieri nihil interesse. CHRONICON SIMONIS Comitis Montefortis apud du CHESNE Tom. V. p. 790. *postea Mediolanum, vbi in Epiphania Domini subsequenti recepit coronam ferream, quam eidem Archiepiscopus Mediolanensis imposuit, quam tamen accipere debebat in Modœcia ex more antiquo.* Ex recentioribus vero IO. BAPT. VILLANOVANVS *Hist. Laudis Pompeiæ* apud GRÆVIVM *Tomo III. p. 905.* de Henrico VII. *veruntamen pronuntiauit Imperator, se nolle hunc actum solennem temporibus insequentibus vnquam esse præiudicio Moguntiaco (Monza) oppido, vbi alioqui Coronatio ista fieri consueuerat.* Idem adserit GEORGIVS MERVLA *antiquit. Vice-Comitum lib. VII. p. 155.*

*** Hoc ex binis documentis vberius demonstrauit MVRATORIVS c. XIV. SIGONIVS equidem lib. I. ad a. 601. scribit: *Mediolanenses produnt Annales, Mediolanensem Archiepiscopum eo iure a Gregorio Pontifice decoratum, vt vacante Italiæ Regno, ipse post XIV. dies Suffraganeorum suorum Concilium aduocaret, atque ex eorum sententia Regem constitueret, eumque Corona ferrea a Theodelinda instituta, Modoëtiæ redimeret.* Verum, prolixe hæc refutauit MVRATORIVS *cap. XV.* potius sub Francis Cæsaribus hoc ius obtinuisse demonstrans.

**** Hæc ex Instrumento Coronationis Sigismundi apud MVRATORIVM *cap. XI. p. 71.* patent. Talem etiam ritum Sigonius *lib. VII.* ineunte describit. Plenius vero ex Scriptoribus Italis atque Liturgia in Codice Msto Bibliothecæ Ambrosianæ hunc Coronationis ritum descripsit MVRATORIVS *cap. XVI. XVII.*

§. XLI.

Quarta Coronatio erat de Regno Arelatensi. Hanc, licet non omnes obtinuerint Impp. inter Coronas tamen Imperii fuit reputata. * Conradus II. Imp. qui primus hoc Regnum

gnum obtinuit a. 1033. in Regem Arelatensem fuit coronatus.** Eandem coronam a. 1038. obtinuit filius ipsius Henricus III.*** Demum Carolus IV. Imp.****

* Coniunxit easdem GOTFRIDVS VITERBIENSIS *p. XVII. Chron. p. 458.*

Scribere vera volens quæ sint loca prima coronæ,
Quatuor Imperii sedes video ratione,
Nomina proponam, sicut & acta sonant.
Primus Aquisgrani *locus est, posthæc* Arelati
Inde Modoëtiæ *regali sede locari,*
Post solet Italiæ summa corona dari,
Cæsar Romano *cum vult diademate fungi,*
Debet Apostolicis manibus reuerenter inungi.

** S. H. G. *diss. XIV. §. VIII.*

*** WIPPO *p. 442.*

**** S. H. G. *diss. XXVII. §. XXIV.*

CAPVT

CAPVT OCTAVVM DE IMPERATORIS TITVLIS ET INSIGNIBVS.

§. I.

PEr electionem constituitur Imperator, quæ dignitas summa est Imperii. Varii autem eiusdem sunt Tituli. Alii inter hos sunt priorum Imperatorum Romanorum, qui præter titulum Imperatoris, Cæsaris & Augusti gerebant illum *Pontificis Maximi, Consulis, Censoris, Augusti, Tribunitiæ potestatis, Patris Patriæ,* * qui tamen nos non tangunt.

* Egit de singulis hisce IVLIVS CÆSAR BVLENGERVS *de Imperatore & Imperio Romano.*

§. II.

Saltim dicemus de illis Titulis, qui Imperatoribus Romano Germanicis fuerunt vsitati. Inter hos primo loco occurrunt Tituli Ottonis M. *Otto diuina auxiliante clementia, Imperator Augustus,* * In quibusdam autem Diplomatibus titulum gerit: *Otto Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum ac Patritius Romanorum.* ** Primo itaque loco dicemus de prædicato Dei gratia, deinde de titulis Regis Francorum & Longobardorum ac Patritii Romanorum olim consuetis, demum de titulo Imperatoris, Augusti, & Cæsaris hodie adhuc vsitatis.

* TOLNERI *Cod. Dipl. Palatinus p. 13.*

** In priuilegio Monasterio Laurishamensi a. 963. postquam Imp. factus, concesso, apud FREHERVM *Tomo I. p. 119.*

§. III.

Titulus DEI GRATIA priscis quidem temporibus notus, ita tamen, vt diuersis vterentur formulis. Carolus M. quidem iamdum tali titulo vsus: *Karolus gratia Dei Rex, regnique Francorum rector & deuotus sanctæ Ecclesiæ defensor.* * In alia constitutione *Karolus Dei fretus auxilio* ** vel *Karolus diuina ordinante prouidentia Rex.* *** Postquam vero Imperator factus, hoc titulo fuit vsus Karolus: *diuino nutu coronatus, Romanum regens imperium serenissimus Augustus,* **** vel: *Karolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium,* qui & *Dei misericordia Rex Francorum & Longobardorum.* † Ludouicus dicitur: *superno munere victor semper augustus* †† *& diuina ordinatione & clementia Rex constitutus Romanorum.* ††† Carolus Crassus *Imperator gratuito Dei dono Rex.* †††† Conradus *diuina ordinante prouidentia Rex.* *

* Capit. Caroli M. prim. ap. BALVZIVM *Tom. I. p. 189.*

** BALVZIVS *p. 203.*

*** BALVZIVS *p. 246. 250. 550.*

**** BALVZIVS *p. 345.*

† BALVZIVS *p. 483. 499.*

†† BALVZIVS *p. 553.* Vid. etiam MABILLONIVS *de re diplomatica lib. II. c. II. n. 6. 7. 8.*

††† LERCH de *Ord. equestri f. 24. b.*

†††† ALBERICVS *ad a. 889.*

* Apud FREHERVM *Chron. Laurisham. p. 116. n.*

§. IV.

Singulæ fere formulæ in decretis & diplomatibus Ottonis M. & successorum reperiuntur. Sic dicitur *Otto diuino nutu Imperator Augustus.* † Otto III. singulari ratione dicitur: *seruus Apostolorum & secundum voluntatem Dei Saluatoris Imperator*

perator Augustus. †† In alio eiusdem diplomate: *superna fauente clementia* ††† Henricus II. *Dei gratia* †††† Henricus IV. *non vsurpatiue, sed pia Dei ordinatione Rex.* ††††† Otto IV. *Dei gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus.* †††††† Reliqui Impp. promiscue vsi fuerunt vel *diuina fauente clementia*, vel quod maxime inualuit *Dei Gratia.* Germanico idiomate vsitatum *mit Gunst Gœttlicher Mildigkeit*, quod in Germanica translatione A. B. occurrit, postea tamen *Von Gottes Gnaden* vsu venit.

† GOLDASTVS *Constit. Tomo I. p. 39.*

†† FÜRSTENBERG *Monumentis Paderborn. p. 235.*

††† In constitutione de iure ac potestate Imperii apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 40.*

†††† DITMARVS lib. VII. ineunte.

††††† In epistola ad Hildebrandum apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 50.*

†††††† In Registro Innocentii III. ep. LXXXI. & CVI.

§. V.

Rationem tituli facile videmus, quod Dei solum beneficio se Imperium debere confiterentur. * Formula itaque primum erat pietatis, ex qua ius Suprematus non adeo semper concludendum. Hinc etiam Episcopi sæpius hac formula vsi, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia*, & frequentius adhuc *Dei gratia*, in ipsis quoque epistolis ad Impp. scriptis. ** Sic etiam Principes hoc titulo vsi, id quod a seculo decimo iam ducitur, licet magis adhuc ab vndecimo inualuisse videatur. *** Immo ab exteris Regibus idem prædicatum Electoribus quoque fuit concessum. **** Nec defuerunt antiquitus Comites, † qui eodem vterentur. Hinc mirum esse non debet, quod ex constanti vsu Principes æque ac Comites hodie hunc titulum gerant, nisi quod, vbi ad Imp. vel Superio-

res scribunt, eundem omittant. †† Hinc inter Curialia hodie hoc erit referendum.

* In Constitutione Ludouici Bauari apud GOLDASTVM Tom. III. p. 409. *tam grande nomen a solo Deo traditur.* In prooemio Reformationis Francofurtensis sub Friderico III. a. 1442. *sintemahl Wir von Gnaden Gottes, unverdienter Sachen zu der Würde des Ræm. Kœnigl. Gewalts erhœhet und gesetzt seynd.*

** In epistola dedicatoria WIPPONIS ad Conradum II. *gloriosissimo Imperatori Henrico tertio Regi ad pacem & bellum idoneo Wipo Dei gratia presbyter seruus regalium seruorum.* Plura exempla collegit du FRESNE Glossario *Tom. II. p. 45.* BECMANN *not. dign. illustr. dissert. I. c. III. §. 8.* B. de LYNCKER *de Libert. Stat. p. 17.* PFEFFINGER *lib. I. tit. IV. §. 9. p. 392.*

*** Sic Diploma Abbatiæ Gernrodensis de a. 964. adducit PFEFFINGER, in quo: *Ego Gero, diuina dispensante gratia, Marchio.* Aliud monasterio S. Lamberti datum a. 977. *Wir Otto von Gottes Gnaden Hertzog von Wasgau.* Potius vero inualuit hæc formula posteriori ætate. Fridericus Hohenstaufius enim, quem Henricus IV. in Ducem Sueuiæ euexit, in Diplomate monasterio Laureacensi a. 1102. concesso, hoc titulo dicitur vsus: *Fridericus diuina fauente clementia Sueuorum Dux & Francorum*, CRVSIVS *Ann. Sueu. p. II. lib. IX. c. II.* & DOCVM. WÜRTENBERG. *p. 713.* Inde Friderici Barbarossæ filius hac formula in Diplomate de a. 1189. vsus *Fridericus Dei gratia, Sueuorum Dux, & Friderich von Verhængnüs Gœttlicher Maiestæt Hertzog zu Schwaben und Francken.* CRVSIVS *p. II. lib. VII. Ann. Suev. c. I.* DOCVM. WÜRTENBERG. *p. 24.* In Diplomate Monasterio Bebenhusano a. 1120. concesso *Heinricus Dei gratia Dux Saxoniæ & Palatinus Comes Rheni.* Vid. & ANT. DADINVS ALTESERRA *lib. III. de Duc. Prouinc. Galliæ cap. V. p. 222.* GEISLER *dissert. de Titulo Nos Dei Gratia.* LYNCKER *c. l.*

**** Concedit æque hunc Titulum Franciscus I. Moguntino Electori apud FREHERVM Tom. III. p. 310. *Franciscus Dei gratia Francorum Rex &c. Reuerendissimo & Illustrissimo Principi Alberto, eadem gratia Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopo.*

† In

† In Diplomate a. 1296. *Nos Heinricus & Otto fratres Dei Gratia Comites Geminipontis*, DOCVM. WÜRTENB. *p.147*. In fundatione Monasterii Bebenhusani: *Ego Rudolphus Dei gratia Palatinus Comes de Tuuing.* DOCVM. WÜRTENB. *p.357*. In alio *nos Vlricus Dei Gratia Comes de Helfenstein p.389*. In alio *Eberhardus Dei gratia Comes de Wirtenberg p. 734*.

†† SECKENDORF *teutscher Fürsten-Staat p.II. c.II. n.2.* L. B. de LYNCKER *p.23*.

§. VI.

Inde quoque Otto titulum gessit REGIS FRANCORVM ET LONGOBARDORVM, quo titulo etiam Henricus II. adhuc fuit vsus: * vt scilicet innuerent, regnum Francorum Orientalium, sub quo nullum aliud, quam Germaniæ Regnum intelligebatur, ** atque Italiæ. Maioris vero momenti est titulus PATRICII ROMANORVM, quo primum a Romanis donatus fuit Pipinus cum filiis ipsius, Carolo & Carolomanno, *** atque hoc ipso iura defensionis in Vrbem & Papam Romanum fuerunt concessa. **** Post hos Carolus M. ***** præter honorem, etiam Patritiatus potestatem adipiscebatur, qui frequentissime hoc titulo vsus: *Karolus Rex Francorum & Longobardorum, Patritius Romanorum.* † Hinc Otto M. postquam Imp. factus an. 963. hoc titulo vsus. †† Quidam etiam Impp. pro adserendo iure suo contra Gallos Lotharingiam adsectantes, Regis Lothariensium titulo vsi fuerunt. †††

* LVPOLDVS de BABENBVRG *de Iur. Regni & Imp. Rom. c. V. p. 58. Circa vero assumptionem regii nominis, sciendum est, quod Reges nostri post diuisionem regni Francorum ac subiugationem Italiæ (de quibus dictum est supra cap. 2) per multa tempora non se Reges Romanorum, sed simpliciter Reges prout ex diuersis priuilegiis per eos concessis colligitur, vt plurimum nominabant: interdum tamen se nominare Reges Francorum & Lombardorum, iuxta morem Caroli Magni consueuerunt, vt inter alia priuilegia in Ecclesia Herbipolensi habetur*

betur priuilegium dicti Henrici, cuius transscriptum vidi in quo idem Heinricus ante vnctionem & coronationem imperialem se regem Francorum & Lombardorum nominauit seu intimauit, cuius priuilegii data est sub anno Domini M. IV. regni sui III. Illo enim anno (vt refert Historia Francorum) fuit ab Archiepiscopo Mediolanensi & ab illius regionis primatibus in ciuitate Papia in regno Lombardorum in regale solium collocatus. Eadem etiam intitulatione vtebatur interdum Otto primus, vt in Lauricensis monasterii priuilegiis reperitur. BOECLER *Hist. seculi decimi p. 299.* Immo Henrici VII. Mandatum de Coronatione Lombardica tale habet initium: *Henricus D. G. Romanorum Rex, Semper Augustus, & Rex Francorum & Longobardorum.*

** Prout iamdum demonstrauimus Capite I. Quare etiam Ludouicus Germanicus saepius dictus fuit Rex in Orientalibus Francis. Et Gallia apud BRVNONEM *Hist. B. Saxonici p. 112.* vocatur: *Francia latina.* Hinc OTFRIDVS de Ludouico Germanico:

Er Ostarrichi rihtit al,
So Frankono Kunig scal,
Vbar Frankono Lant,
So gengit elle sin Gewalt.

*** Du FRESNE *Glossario Tom. I. p. 197.* Patet hoc ex epistola Stephani tertia, cuius haec inscriptio: *Dominis excellentissimis filiis Pipino, Regi & nostro spiritali compatri, & Carolo & Carolomanno, item Regibus & vtrisque patritiis Romanorum, Stephanus Papa,* MABILLONIVS *lib. II. c. III. n. 9.*

**** Prout demonstrauimus in S. H. G. *diss. VII. §. XXIV.*

***** MONACHVS EGOLISMENSIS *in vita Caroli apud* PITHOEVM *Ann. p. 233. Post Pipinum pium regnauit dominus Carolus filius eius, quem postea Romani elegerunt sibi* Aduocatum *sancti Petri contra Reges Longobardorum. Deinde ipsum domnum Carolum elegerunt sibi in* Patricium Romanorum. *Deinde eleuauerant in* Imperatorem & Augustum. Scilicet, hic obseruandi veniunt gradus. Dum Romani Carolum in auxilium vocarent, ipsum eligebant defensorem & Aduocatum. Quare ipse etiam se *defensorem Ecclesiae* adpellauit Capit. Caroli M. prim. apud BALVZIVM *Tom. I. p. 189.* Ex defensore

a. 773. factus est Patritius, SIGEBERTVS *ad a.* 773. ex Patritio demum *a.* 800. Imperator. S. H. G. *c. l.*

† BALVZIVS *Tomo I. p.* 194. 202. 203. 255. 271. 274. 330.

†† In Diplomate Monasterio Laurishamensi concesso apud FREHERVM *Tom. I. p.* 119.

††† Factum hoc, postquam Henricus Auceps Lothariense Regnum Germanico Imperio vindicauerat, prout supra adsertum fuit *cap. III.* §. *XXIV.* Priuilegium igitur Adelberonis, Episcopi Metensis tali modo finitur: *Actum Metis publice sub die XVII. Kal. Ianuar. anno Incarn. Domini nostri Iesu Christi CMXXXIII. Regni autem gloriosissimi Regis Henrici in Regno Lothariensi VIII.* apud CHIFFLETIVM *Comment. Lothariensi p.* 9. Idem alias chartas adducit, in quibus Otto M. dicitur *Rex Lothariensium & Francigenum* atque *Otto II. Otto Imperator Iunior in Regno Lotharii.* De Henrico II. Imp. *Imperante Lotharingis gloriosissimo Rege Henrico.*

§. VII.

Sed multa adhuc subest controuersia, quid olim fuerit Patritius Romanorum. Sunt, qui sub Patritii titulo non nisi Advocatum & Defensorem vrbis Romæ vel etiam Præfectum Vrbis intelligi velint. Verum, hoc a Maiestate Caroli M. potentissimi Imp. videtur fuisse alienum, vt tanquam præfectus a Papæ dependeret potestate. Contrarium patet ex eo, quod ex defensore factus fuerit patritius, atque defensor maior iam sit cliente. Si verum fateri velimus, sub Patritiatu Romanorum nihil aliud comprehenditur, quam Dominium supremum in Vrbem & Papam Romanum. Id quod non solum ex testimonio Scriptorum sed ex concessione etiam patescit, prout alibi demonstrauimus. * Hic autem Patriciatus summus erat, cum inter Proceres Romanos alii quoque reperirentur subalterni, ab Impp. constituti. **

* Vberius hæc exposuimus in S. H. G. *diss. VII. §. XXV.* quæ hic repetere superuacaneum esse duximus.

** Pa-

** Patet hoc ex GVILIELMI MALMESBVR. *lib. V. Hist. p. 167.* vbi de Henrico V. *Imperatori autem exeunti de camera, & suis regalibus exuto, occurrerunt Romani patritii, cum aureo circulo, quem imposuerunt Imperatori in capite, & per eum dederunt sibi summum Patritiatum Romanæ vrbis, communi consensu & volenti animo.* Talis sine dubio fuit Crescentius, de quo SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 999. 1001.* Ritum creandi talem Patritium describit MABILLONIVS *supplem. c. IX.* his verbis: *nobis nimis laboriosum esse videtur concessum nobis a Deo ministerium me solum procurare, quocirca te nobis adiutorem fecimus, & hunc honorem concedimus, vt ecclesiis Dei & pauperibus legem facias, & vt inde apud altissimum Iudicem rationem reddas* Hinc amictum Cæsar ipsi porrigebat, capiti circulum aureum imponebat, atque sic eum dimittebat. CHIFLETIVS *Anastasi Childerici p. 133.*

§. VIII.

Neque tamen hæc dignitas cum Carolo M. desiit, sed in posterioribus Impp. fuit continuata, dum Carolum Caluum Adrianus Papa Regem, Patricium & Imperatorem compellat.* Ipsi Impp. Teutonici, atque inter hos Otto M. postquam Imp. factus, hoc titulo fuit vsus. ** Henrico IV. Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera transmiserunt, eumque pro eligendo summo Pontifice interpellauerunt. Qui ad se conuocatis omnibus Italiæ Episcopis, generalique conuentu Basileæ habito, eidem imposita corona, Patritius Romanorum appellatus est. *** De eodem dicitur, quod Patritius Romanorum fuerit constitutus, & a Clemente Papa in Imp. benedictus. † Postea vero cessauit hic Titulus. Conrado III. equidem imperante, hanc dignitatem restituere conabantur Romani, Iordanem Petri Leonis filium eligentes, cui omnia tanquam principi subiiciebant, sed Eugenio III. Pontificatum suscipiente, hæc dignitas iterum fuit abolita. ††

* Adrianus II. in epistola XXXIV. ad Carolum Caluum.

** Vide supra §. *II.*

*** BERTOLDVS Conſtantienſis *ad a. 1061.*

† LEO OSTIENSIS *lib. II. c. LXXX.* MATTHÆVS PARIS *ad a. 1084.* Auctor vitæ Henrici apud GOLDASTVM *p. 213.* Inde Henricus IV. ad Hildebrandum Papam apud BRVNONEM p. 198. *atque vt a ſede Vrbis cuius mihi Patriciatus Deo tribuente, & iurato Romanorum aſſenſu debetur, deſcendas, edico.* WALTRAMVS Apologia pro Henrico lib. II. c. II. *militauerat contra Regem eundemque Patricium,* & lib. II. c. VII. XXII. Hinc OTTONI FRISINGENSI de Geſtis Friderici I. dicitur: *Henricus Rex & Patritius Romanorum.*

†† OTTO FRISING. *lib. VII. c. XXXI.* S. H. G. *diſſ. XVII.* §. *XI.*

§. IX.

Inter titulos hodie adhuc vſitatos præcipuus eſt IMPERATORIS. Hic libera iamdum Republica apud Romanos vſitatus, denotabat Ducem militarem. Dum igitur Iulius Cæſar, vi armorum, deuicto Pompeio, fundamenta ieciſſet Monarchiæ Romanæ, ſub hoc conſueto olim Imperatoris nomine ipſi delato, ſuum exercere voluit Imperium, quod armorum ope erat conſeruandum, ita tamen, vt illum nomini ſuo præponeret, contra quod hucusque fuerat conſuetum. † Hunc imitati reliqui Impp. etiam Germanici a Caroli M. temporibus †† hoc titulo conſtanter fuerunt vſi, ita, vt Henricus Auceps licet Imperatoris dignitatem adeptus haud fuiſſe, poſt victoriam, de Hunnis ab exercitu adpellaretur Imperator. ††† Immo & Impp. Byzantini ſe adpellarunt Αυτοκράτορες. Hi etiam Germanicis Impp. nonnunquam ſcrupulum mouerunt, dum ipſos ſaltem βασιλεῖς Reges, vellent adpellari, prout Hiſtoria Ottonis M. †††† atque Conradi III. nos docet. †††††

† DIO CASSIVS lib. XLIV. p. 235. ex verſione Xylandri. *Imperatoris* (αὐτοκράτορος) *quoque nomen non antiqua tantum pro conſuetudine, qua id cum alii, tum ipſe quoque ſæpius, ex bello reportauerant, neque ea ratione, quod ei merum imperium abſolutamque poteſtatem deferrent, Cæſari tribuerunt; ſed eo modo, quo nunc iis, qui ſummum im-*

imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium. SVETONIVS vita Cæsaris c. LXXVI. *non honores modo nimios recepit, vt continuum consulatum, perpetuam dictaturam præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris.* Scilicet, antea dicebatur: *Scipio Imp. Pompeius Imp.* tunc vero *Imp. C. Iulius Cæsar.* DIO CASSIVS de Augusto p. 493. *Eodem anno etiam Imperatoris nomen accepit: non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat, (id enim sæpius & antea, & post modo ex ipsis actionibus reportauit, vicies quidem Imperator dictus) sed quo summa Imperii demonstraretur, quod patris quoque eius Iulio, & eius filiis fuerat decretum.*

†† EGINHARDI Annal. ad a. 801. *post quas laudes, a Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde omisso Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus.*

††† WITTICHINDVS *lib. I. p. 641.*

†††† Patet hoc ex Legatione LVITPRANDI pag. 136. qui ad Ottonem, de Nicephoro: *Ipse enim Vos non Imperatorem, id est, βασιλέα, sua lingua, sed ob indignationem ῥῆγα, id est Regem, nostra vocabat.*

††††† Io. Comnenus, Byzantinus Imp. in litteris ad Conradum III. scriptis, quas exhibet OTTO FRISINGENSIS lib. I. c. XXIV. hoc titulo vtitur: *Ioannes in Christo Deo fidelis Rex Porphyrogenitus, sublimis, fortis, Augustus, Comnenus Imperator Romanorum, ad nobilissimum fratrem & amicum Imperii mei.* Conradum vero hoc modo adloquitur: *Nobilissime & dilecte amice Imperii mei, Rex.* Conradus vero in responsoriis suis & Comnenum hoc titulo vtitur: *Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, clarissimo fratri suo Porphyrogenito Comneno illustri & glorioso Regi Græcorum Salutem, & fraternam dilectionem.* De hoc Titulo vberius IO. CHRISTOPH WAGENSEIL *de titulo Imperatoris.*

§. X.

Hoc tamen olim obtinuit, vt cum electi essent, saltim dicerentur simpliciter Reges: Post Germanicam Coronationem Regis Romanorum futuri Imperatoris nomen adsumserunt.* Postquam vero a Pontifice fuerint coronati, Imperatoris nomen adepti, id quod ex Scriptoribus antiquis & constitutionibus

bus Impp. facile patefcit, ** dum præfules Romani Germanis perperam perfuaderent, Romanam Coronationem de effentia effe Imperatoris, licet a prima ftatim electione, omnia iura imperii exercere potuiffent, prout Electores Renfæ Benedicto Papæ a. 1338. declararunt. *** Hinc etiam in Comitiis Francofurtenfibus eiusdem anni fuit conclufum, vt electus ab Electoribus, verus atque legitimus fit Rex atque Imperator, fine ordinatione Papali. **** In A. B. † tamen adhuc dicitur, qua ratione eligendus fit Rex Romanorum futurus Cæfar. Quare etiam Wenceslaus & Rupertus, quia Romæ coronati haud fuerunt, faltim dicuntur Reges Romanorum. Sigismundus antequam a. 1433. Romæ coronaretur, dicitur faltim Rex Romanorum, poft ifta tempora Imperator. Idem dicendum de Friderico III. antequam Romæ coronaretur. †† Maximilianus, decreta in comitiis Conftantienfibus 1507. Expeditione Romana, in Italiam contra Venetos tendit, ††† atque Tridentum veniens, per Matthæum Langium e fuggeftu publicari iubet, non iam Regem fe, vt hactenus, fed Romanorum Imperatorem deinceps effe adpellandum. †††† Idemque Statibus Imperii fignificans, edixit, vt ipfum Electi Imperatoris Romanorum Titulo honorarent. ††††† Adnuit etiam Iulius II. Papa, qui per litteras hunc Imp. titulum Tridenti adfumptum confirmauit, haut aliter ac fi auream eius capiti impofuiffet coronam. Veritus enim Papa, ne cum exercitu Romam pergeret, atque antiqua Imperii Iura iterum vindicaret. †††††† Licet etiam electi Imp. Titulus Maximiliano iam videatur effe antiquoir. * Carolus V. autem, licet poft electionem & in Capitulatione fua, titulo faltim Regis Romanorum vtatur, ftatim tamen in primis Comitiis VVormatiæ 1521 habitis, fe vocat *electum Romanorum Imperatorem*, *erwehlter Rœmifcher Kayfer*. ** Quo titulo etiam poftquam

corona Romana fuisset redimitus, constanter fuit vsus. *** Ferdinandus I. titulo primum vsus fuit *Ræmischen Kænigs*, **** vsque ad mortem Caroli V. tum a. 1559. titulum adsumsit *erwehlter Ræmischer Kayser* ***** Posteriores Impp. statim post electionem Regis Romanorum titulo vsi fuerunt ****** post coronationem vero Germanicam titulum *erwehlter Ræmischer Kayser* statim adsumserunt. Immo etiam Papæ hodiernis Impp. Titulum concedere solent in Romanorum Imp. electi. *******

* LVP. DE BEBENBVRG *de Iur. Regn. & Imp. Rom. c. V.* Vberius hoc persequitur ÆNEAS SYLVIVS in Historia Friderici III. p. 80 scribens: *Sed neque Imperator ipse ante Romanam Coronam cunctis Cardinalibus prælatus est. Sedit enim supra Imperatorem primus Cardinalis qui tum fuit vice Cancellarius Franciscus Condulinario Venetus, Eugenii quarti nepos. Nam Friderico is locus, non vt Imperatori, sed vt Regi Theutonicorum in Imperatorem electo datus est. Hic autem illud in mentem non ab re venit, quod plerique imperite putant, Romanorum Regem aliquem dici; quamuis id vsu receptum sit. Non enim Rex Romanorum est in Aquisgrani coronatus sed Alemanorum siue Theutonicorum. Romani enim, post exactum vrbe Tarquinium, regium nomen adeo detestati sunt, vt nullus Cæsarum, quamuis sæua tyrannide populum oppresisset, se Regem appellare fuerit ausus. Nec Karolus magnus qui primus Germanorum suscepit Imperium Romanorum, Rex sed Imperator Augustus vocatus est. Romana igitur sedes minime in hoc errat, quod ante Coronationem neque Imperatorem appellat, neque locum ei velut Imperatori tribuit. In eo autem consuetudini lapsæ deseruit, quod Roma nouum Regem Aquisgrani coronatum appellat, quem Theutonicorum melius nominaret, in Imperatorem electum: sicut ex præcessoribus fecisse nonnullos inuenimus.* Quare Henricus VII. Imp. ad Io. de Elnbogen apud GOLDASTVM Constit. Imp. Tom. I. p. 94. *Nouissimis quippe temporibus illo translato in Germanos postquam plures Principes ad ipsum vocatos Imperium, quorum quidam ipsius Imperii assumsere diadema, quidam non: diuina cooperante clementia, per eos, ad quos spectat,*

spectat, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, rite & concorditer electi, proposuimus ad Vrbem pro coronationis nostræ suscipiendis solenniis proficisci. WALTRAMVS Apologia lib. II. c. VII. de Henrico IV. *tum etiam Rex ordinatus est Imperator, ab eodem Papa Clemente* atque Innocentius III. Papa in Cap. Venerabilem X. de Elect. & El. pot. *Ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem & promovendam ad Imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus & coronamus.* Confirmatur hoc etiam LANDRECHT lib. III. art. LII. *die Deutschen sollen durch Recht den König wehlen. VVann er dann geweihet wirdt von den Bischöffen, die dazu gesatzt sindt, und auf den Stul zu Ach kommet, so hat er die Königliche Gewalt und den Kœniglichen Namen. VVann ihn dann hernach der Pabst vveihet, so hat er des Reichs Gevvalt und Kayserlichen Namen.*

** Mihi semper ita visum fuit, nulla reperiri Diplomata antiqua, quibus ante Coronationem Romanam titulo Imperatoris, vel post eandem, titulo Regis Romanorum fuerint vsi. Adducitur equidem Ottonis I. Constitutio de Locatione & Privilegio Cameræ Imperialis Magdeburgensis de a. 947. apud GOLDASTVM *Constit. Imper. Tomo vno p. 215.* Verum huius Constitutionis fides a BENIAMINE LEVBERO *de Stapula Saxonica* iam satis fuit explosa. Vix igitur fidem habemus Diplomati Poeldensi de a. 952. cuius tale est initium. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto diuina Dementia Imperator Augustus.* Et in fine: *Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti*, apud LEVCKFELDVM *Antiquit. Poeld. p. 21.* Et in Diplomate Hattonis Moguntini Antistitis de a. 953. *p. 26. piæ petitioni Domini nostri Ottonis Imperatoris Augusti deuotissime acquieuimus.* In vita S. Guiberti apud SVRIVM 23. Maii *p. 295.* reperitur Diploma de a. 953. in cuius fine habetur: *Ottone a Deo coronato Magno & Pacifico Imperatore.* Hoc tamen merito reiicit BARONIVS *Tom. X. Ann. ad a. 946. §. VI.* Vide PFEFFINGER p. 894. Dubium enim mihi exinde oriri videtur, quod omnia, quotquot euoluerim Diplomata apud MEIBOMIVM, ZYLLESIVM, SCHATENIVM Ottonem ante Coronationem Romanam a. 962. factam, saltim Regem denominarint. Quare etiam reliqui Impp. Germanici, qui Diadema Romanum

 ade-

adepti haut fuerunt, Regis saltem Romanorum titulum in Diplomatibus suis gerunt. Reperitur equidem apud MEIBOMIVM *Tom. II. Rer. Germ. p. 429. 430.* Diploma Henrici III. de a. 1044. Monasterio Gernrodensi concessum, hac epigraphe: *Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator.* Idem reperitur apud ANDR. POPPENRODIVM *Ann. Gernrod. p. 43.* Verum BECMANNVS qui *Hist. Anhalt. p. III. lib. I. c. VII. p. 171.* idem Diploma sine dubio ex Archivo profert, hanc habet epigraphen: *Henricus diuina fauente Clementia Rex.* Inde mihi videtur librarios Diplomata describentes, titulum *Imperatoris* sæpius pro *Regis* substituisse Conradus III. tamen licet Romæ coronatus non fuerit, in litteris ad Ioannem Constantinopolitanum hoc titulo vtitur: *Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus* apud OTTONEM FRISINGENSEM *de gestis Friderici Barbarossæ lib. I. c. XXIII. XXIV.* quod ideo factum, vt Maiestatem suam demonstraret contra Græcos, Imperatoris ipsi titulum denegantes, cum alias Regis Romanorum saltim titulo vtatur, prout S. H. G. *diss. XVII. §. XIII.* demonstrauimus.

*** Verba huius Constitutionis apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 101.* quod: *vacante Romano Imperio is, qui eligitur concorditer, vel a maiore parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus: & quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu vel auctoritate Sedis Apostolicæ super amministratione bonorum & iurium Imperii indiget, siue titulo Regio assumendo: quodque iura & bona Imperii amministrare & gubernare poterit, & de iure & consuetudine, nulla Sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel obtenta.* Vid. supra *Cap. VI. §. II.*

**** Extat Constitutio apud GOLDASTVM *Tom. I. f. 99.*

† Tit. I. §. I. *Electionis Regis Romanorum in Imperatorem promouendi. §. XX. ad eligendum Romanorum Regem in Cæsarem promouendum.* Tit. II. §. I. *eligere valeant in regem Romanorum futurumque Cæsarem.*

†† Patet hoc ex AENEÆ SYLVII loco modo adlegato.

††† P. HEVTERVS *Hist. Burgund. lib. VII. c. I.* S. H. G. *diss. XXXI. §. XXV.*

†††† GVICCIARDINVS lib. VII. p. 702. *Maximilianus igitur Tridentum* pro-

profectus, vt belli initium faceret, tertio Februarii die supplicationes tota vrbe indixit, quibus ipsemet Imperii feciales & Caesareum ensem vagina vacuum ante se habens interfuit: in quarum fine, Matthaeus Langius, qui illi ab epistolis erat, & postea Gurcensis Pontifex fuit, eminenti suggesto conscenso, Caesaris nomine, illum non amplius Romanorum Regem, sed quemadmodum Reges Romanorum, quum ad coronam accipiendam veniunt appellari consueuerunt Imperatorem designatum nuncupans, eius in Italiam hostiliter exercitum traducendi decretum promulgauit. FVGGER *Spiegel der Ehren lib. VI. c. XIII. n. 1.*

††††† Patet hoc ex litteris Maximiliani ad Eslingenses scriptis, apud DATTIVM *de Pace Publica lib. V. c. VII. p. 569. Das haben Wir Euch für das erst unverkündet nit lassen wollen, mit Ernst begerend, ir wollet uns hinfüro allzeit schreiben dergestalt: N. Erwelten Rœmischen Kaysern, zu allen Zeiten Merer des Reichs, in Germanien, auch zu Hungarn, Dalmacien, Croacien, &c. Kunigen, Ertz-Hertzogen zu Oesterreich &c. mit den andern unsern Titeln, deren wir uns bißher gebraucht haben, aber in reden, und mit mund, wollet unß nennen gestracks Rœmischer Kayser &c. wie uns dann uff heutigen Tag all Lateinisch und Welsch gezung Kaiser schreiben und nennen; alles nit allein umb unserer Eeren willen, sonder mer zu Bestatung und Erhaltung des Rœmischen Kaiserthumbs, unß allen und teutscher Nation zu Eeren; doß wollen wir uns zu Euch versehen.* Quare, cum Maximilianus in Procemio Recessus Constantiensis de a. 1507. titulo vsus fuisset, *erwæhlter Romischer Kœnig*, in Procemio Recessus Augustani de a. 1510. vtitur titulo: *erwæhlter Rœmischer Kayser.* In Procemio equidem Comitiorum Treuirensium de a. 1512. *Wir Maximilian von Gottes Gnaden, Rœmischer Kœnig*, & paucis interiectis: *Nachdem wir, als erwehlter Rœmischer Kayser.*

†††††† P. HEVTERVS lib. VII. c. II. *miserat illi Pontifex Tridentum vsque diploma aureis exaratum literis, quibus eum Caesaris titulo ornabat, non aliter quam si auream eius capiti imposuisset coronam. Id autem ea Pontifex faciebat de causa, ne cum exercitu vlterius tenderet, verens ne antiquum in Italia ius auctoritatemque, vt praedecessores aliquot Caesares conati erant, asserendum sibi censeret, dignitatem*

tatem ac libertatem Italiæ minuendo. Integrum negotium vberius exposuit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Staat lib. V. c. VI.* S. H. G. *diss. XXXI. §. XXXII.*

* Exhibet enim LEIBNITIVS *Prodr. C. Iur. G. n. V.* epistolam Gregorii III. Papæ ad Henricum VI. Romanorum Regem Parmæ a. 1187. scriptam, cuius tale est initium: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Karissimo in Christo filio H. illustri Regi Electo Romanorum Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem.* Innocentius III. in litteris ad Ottocarum III. Bohemiæ Regem apud CHERVBINVM *Magni Bullarii Romani Tomo I. Const. VI. §. II. p. 85.* sic loquitur: *ad commonitionem Apostolicæ Sedis & nostram, relicto Duce Sueuiæ* (Philippo) *ad Charissimum in Christo filium nostrum, Illustrissimum Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum te conuerteris.* Sic etiam Vrbanus IV. in Epistola ad Richardum in LEIBNITII Prodromo p. 12. *Vrbanus IV. &c. Richardo in Romanorum Regem electo.*

** Hic enim in litteris ad Electores, quibus electionem de se factam acceptat, apud GOLDASTVM Polit. Imper. p. 139. *Carolus diuina fauente clementia, electus Romanorum Rex, futurus Imperator semper Augustus.* In Capitulatione vero: *Wir Carle der Fünffte, von Gottes Gnaden erwæhlter Ræmischer Kænig.* Statim autem post ipsius Coronationem adstipulante Papa, ipsum adsumpsisse Titulum Electi Imperatoris, docet nos HARTM. MAVRI Hist. Coronationis p. 96. *Archiepiscopus inde Moguntinus lectis apicibus publice edixit, Romanorum Pontificem Electionem Regis probare, velle iubereque, vt Imperator vlterius titulo Electi Cæsaris vteretur. Non ignoro Diuum Maximilianum a Gallis, Venetisque aduersum ea, quæ ficto officio, simulataque sedulitate adpromisissent, transitu (occupatis itineribus) prohibitum, impeditumque quo minus armatus, vt Imperatorem tantum decet, pro corona Cæsarea Romam proficisceretur, cogitata ratione titulum Cæsaris, non renuente Pontifice Romano assumpsisse, ne supremum honorem negligere, atque pro derelicto habere videretur. Hic tamen imaginarius honos (sit venia verbo) inuictissimo Carolo collatus, sitim ardoremque gloriæ heroico Maiestatis suæ pectori insidentem, non restringet, verum adaugebit, inflammabitque.*

*** Pa-

*** Patet hoc statim ex primis post Romanam Coronationem Comitiis Augustanis a. 1530. quorum Recessus hanc habet epigraphen: *Wir Carl der Fünffte, von Gottes Gnaden, erwæhlter Ræmischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.* Eodem titulo in reliquis Recessibus atque Edictis suis fuit vsus.

**** Patet hoc statim ex Recessu in primis post Caroli V. mortem celebratis Comitiis Augustanis a. 1559. qui talem habet epigraphen: *Wir Ferdinand von Gottes Gnaden Ræmischer Kænig, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.* Eadem titulo vtitur in *der Müntz-Ordnung de a. 1559.*

***** In Recessu equidem Comitiorum Augustanorum a. 1559. titulo vsus fuit: *Wir Ferdinand von Gottes Gnaden Ræmischer Kænig, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.* Verum, in fine hæc habentur: *Geben in unser Keysers Ferdinands, und des H. Reichs-Stadt Augspurg,* atque Daniel Archiepiscopus Moguntinus subscripsit: *ad mandatum Domini electi Imperatoris proprium.* Eandem rationem habitam videmus in Eiusdem Müntz-Ordnung de a. 1559. In Eiusdem Reichs-Hoffraths-Ordnung de an. 1559. apud LVNIGIVM Contin. partis generalis I. Fortf. p. 52. *Ferdinand von Gottes Gnaden, erwæhlter Ræmischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.* Sub initium der Reichs-Hoff-Cantzelley-Ordnung de a. 1559. *Als uns der Allmachtige GOtt mit der hohen Würde der Kayserlichen Cron gnædiglichen begabt.* In eiusdem Declaratione A. C. addictis eodem anno facta: *Die Ræmisch Kayserlich Maiestat, Vnser allergnædigster Herr.* Licet ipsum Pius IV. demum a. 1560. adprobauerit, eiusdemque legatos tanquam legitimi Imp. receperit. THVANVS *lib. XXI. p. 629.*

****** Patet hoc ex Iuramento Electionis, in quo: *einen Ræmischen Kænig in künfftigen Kayser zu erheben.* Potissimum vero ex Litteris Collegii Electoralis ad Carolum VI. post factam electionem, quibus ipsum saltim compellant, *Ew. Kænigl. Maiestæt.* Idem in litteris ad Aquisgranenses in Diario p. 13. *Zum Ræmischen Kænig und künfftigen Kayser bewilliget.*

******* Sic enim Clemens XI. Papa in litteris ad Iosephum a. 1708. scriptis: *Charissimo in Christo filio nostro, Iosepho, Hungariæ & Bo-*

hemiæ Regi in Romanorum Regem Electo, *Clemens XI.* & Inscriptio: *Charissimo in Christo Filio nostro, Iosepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi, in Romanorum Imperatorem Electo.*

§. XI.

Neque tamen hic Imperatoris titulus solum Romano-Germanicis Impp. fuit concessus, sed etiam eodem quandoque alii Reges vsi fuerunt. Sic Reges Galliæ quandoque dicuntur Imperatores. Pipinus quidem Mariano Scoto * primus dicitur Francorum Imperator. Adelfonsus Seculo XII. se dixit totius Hispaniæ Imperatorem. ** Rationem reddit Matthæus Parisius, *** *quem, quia principatur regulis Arragonum & Galatiæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.* Sic etiam inter Reges Anglo-Saxones Edgarus Imp. titulo vsus. † Et Turcæ quandoque Regi Galliarum adhuc hodie titulum Imperatoris solent concedere. †† Adfectant eundem hodie magnus Dux Russorum, ††† Turcarum Sultanus, Imperator Sinensis & Iaponicus. Hoc tamen certum, titulum *Imperatoris Augusti* soli Germanico hucusque fuisse reseruatum.

* *Ad a. 741. 767.* De reliquis Gallorum Regibus LIMNÆVS *not. regni Francici lib. II. c. I. p. 315.* du FRESNE *Tom. II. p. 27.* & potissimum STEPH. BALVZIVS *not. ad Petr. de Marca de Concordia Sacerd. & Imp. p. 927.*

** ALBERICVS ad a. 1143. *Adelphonsus Hispaniæ Imperator.* IO. MABILLONIVS *de Re Diplom. lib. II. c. IV.*

*** *ad a. 1155.*

† Titulus eiusdem in Rescripto quodam, quod habetur in epistolis Vsserii, talis est: *ego Edgarus Anglorum Basileus, omniumque Regum Insularum Oceani, quæ Britanniam circumiacent, cunctarumque Nationum infra eam includuntur, Imperator & Dominus.*

†† PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. tit. V. n. 6. lit. c.*

††† RAYNALDVS *Ann. Tom. XIX. ad a. 1484. p. 337.* ait, Ioannem Basilium

filium Ruſſorum Ducem popoſciſſe a Sixto IV. regium vel imperiale nomen, cui aduerſari viſus eſt Caſimirus, Rex Poloniæ. PFEFFINGER *c. l.*

§. XII.

Alter titulus eſt AVGVSTI, quem ab Octauiani Auguſti temporibus continuarunt Impp. Huic enim, poſtquam mortuo Cæſare, Imperium ſuſcepiſſet, nomen Auguſti a Senatu fuit impoſitum.* Hoc autem non ab augendo ſic dictum, ſed ab augurio,** dum moris eſſet apud Romanos, loca ſancta per augures primum conſecrare, ex quo loca augurato conſtituta, & contracte auguſta fuerunt adpellata.*** Quidquid inde ſanctum erat, Romanis dicebatur auguſtum.† Hinc etiam cognomen erat Deorum.†† Cum igitur felix fuerit Auguſti regimen, omnes Imperatores inſequentes, felicis ominis ergo, hoc titulo fuerunt vſi.††† Quare etiam ſanctiſſimi †††† dicti, quod cum Auguſto idem. Hic titulus autem in tantum ſolennis erat Impp. Romanis, vt alii Reges eundem minime gererent, niſi ab Impp. ipſis conceſſum. Id quod exemplum Clodouæi Regis Francorum teſtatur, quem Anaſtaſius Orientis Imp. transmiſſis Codicillis, corona aurea & tunica bractea Conſulem & Auguſtum adpellauit. Hoc ipſo illum contra Gothos volens concitare, ad reſtaurandum Imperium Occidentis.††††† Licet hodie Auguſti Titulus omnibus Regibus ſit communis.

* FLORVS lib. IV. c. XII. *tractatum etiam in ſenatu, an quia condidiſſet imperium, Romulus vocaretur, ſed ſanctius & reuerentius viſum eſt nomen Auguſti, vt ſcilicet iam tum, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur.* APPIANVS *de B. Ciu. lib. I. p. 603.* ὥςε Σεβαςὸς εὐθὺς ἐπὶ τοῖς ἔργοις ἔτι περιὼν, ὅδε πρῶτος ἐφθεναί τι ῥωμαίοις καὶ κληθῆναι πρὸς αὐτῶν *quo facto viuus videnſque conſecratus & Aug. a populo Romano appellatus.*

filius in litteris ad Saporem, Persarum regem, se ipsum vocat *victorem terra marique semper Augustum.* Inde Valentinianus sic adpellatur.*** Theodosius & Iustinianus in Constitutionibus suis saepissime hoc titulo vtuntur.

* GRVTERVS *f. 271. n. 4.* LAVR. PIGNORIVS *ad Mussati Historiam p. 15.*

** GRVTERVS *f. 279. n. 2.*

*** RVFVS FESTVS in Dedicatione Breuiarii sui: *Pio, perpetuo Domino Valentiniano Imperatori, & semper Augusto.*

§. XIV.

Carolingici quidem Impp. hoc titulo semper Augusti rarius fuerunt vsi. Reperiuntur tamen quaedam constitutiones Caroli M. cum eodem.* Successores promiscue, modo Augustos, modo semper Augustos se adpellarunt, Carolus Caluus etiam *perpetuus Augustus* adpellari voluit.** Vsque dum a Friderici I. temporibus solennis hic titulus fieret atque Curialis,*** ita, vt Byzantini quoque Impp. eodem vterentur.**** Eundem vero, cum Germanicum idioma inualesceret, expresserunt, *allezeit Mehrer des Reichs,****** quasi ab augendo, cum tamen rectius dicendum: *allezeit geheiligter Kayser.* In Tractatibus Pacis Westphalicae legati Gallicani Suecique controuersiam mouebant, an hicce titulus Imp. concedendus, quae tamen postquam eundem a Galliae Sueciaeque Regibus Impp. concessum fuisse, † demonstratum esset, iterum composita, vt amplius denegatus haut fuerit. Carolus Caluus vero, postquam Lotharingiae Regnum cum Imperiali dignitate adfectaret, distincte se Imperatorem & Augustum voluit adpellari. ††

* In Capit. primo a. 806. *Imperator Caesar Carolus Rex Francorum inuictissimus & Romani Rector Imperii, pius, felix, ac triumphator semper Augustus* apud BALVZIVM *Tomo I. p. 43.*

** Titulus Synodi Pontigonensis apud BALVZIVM *Tom. II. p. 237.* talis

 est:

est: *gloriosissimo & a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, Domino nostro Carolo perpetuo Augusto.* GREGORIVS TVRONENSIS Hist. Franc. lib. VI. c. II. *Aureos etiam, singularum librarum pondere, quos Imperator misit, ostendit, habentes ab vna parte iconem Imperatoris pictam, & scriptum in circulo: TYBERII CONSTANTINI PERPETVI AVGVSTI.*

*** Singula hæc patent ex titulis Impp. constitutionibus præfixis, quos singulos hic adducere nimis foret prolixum. Exempla varia collegit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. tit. IV. n. 3. lit. c. p. 300.*

**** Inter Epistolas Friderici I. apud FREHERVM *Tomo I. p. 419.* reperitur Epistola II. cui talis præfixus est Titulus: *Manuel in Christo Deo fidelis Imperator Porphyrogenitus, regnator fortis, excelsus, semper Augustus, & Autocrator Romanus.*

***** Rudolphus iamdum Habsburgicus in Recessu Imperii Herbipolensi de anno 1287. apud LEHMANNVM *lib. V. c. CVIII.* vocatur *ein Merer des Riches.*

† THEATRVM EVROPÆVM *Tom. VII. p. 568.* PFANNER *Hist. Pacis VVestphal. lib. V. §. XCVI. Illis ad Senatum relatis, nomine atque honore semper Augusto, quod Gallus negabat, Imperatorem afficiendum statuebant, velut hereditario Iure ab Augusto primo Imperii Conditore, in cunctos qui hactenus regnauerint Imperatores longa seculorum Principumque serie transmisso vsurpatoque, atque ab ipso Francisco Galliæ Rege Carolo V. Cameraci Anno M. D. XXIX. tributo.* Et §. XCVIII. *Delecti Procerum publice nomine tractaturi, adhibitis, quorum referebat, quantum Galliæ concederetur, Seruientium inuisere, cognomine semper Augusti, Romanis Imperatoribus multis ante seculis, quam aut Gallo Christianissimi, aut Hispano Catholici addito, nunquam decessuros affirmantes, Seruientio, noua in eam rem ac vt speraret placitura Ordinibus Mandata se expectare afferente.* Vid. ADAMI ADAMI *Relatio Historica de Pace VVestphal. p. 440. 441.* In eadem dicitur, etiam Suecos super hoc titulo scrupulum mouisse p. 416. *quoad præliminaria quidem absque prolixa disceptatione conuenêre maxime, postquam Cæsareani Suecis ostendissent literas Ioannis Regis Sueciæ ad Maximilianum II. Imperatorem, in quibus hic diserte vocetur Semper Augustus, atque hoc facto scrupulum omnem circa hoc punctum Cæsari forsan alias negandum ipsis exemissent.*

†† AN-

†† ANN. FVLDENSES ad a. 869. de Carolo Caluo: *qui etiam prauorum vsus consilio in vrbe Mettensi diadema capiti suo ab illius Ciuitatis Episcopo imponi, & se Imperatorem & Augustum, quasi duo regna possessurus appellari praecepit.* ANN. METENSES ad a. 869. *Carolus Caluus componens certa relatione Lotharium Regem obisse, mox Regnum illius occupare nititur. Metisque veniens, ab Aduentio praefato vrbis Episcopo, & nonnullis Primoribus fauorabiliter exceptus, in Regnum sublimatur. Indeque digrediens Aquisgrani Palatium ingressus est, eo quod sedes Regni esse videretur, vbi multo plures ad eum confluxerunt.* S. H. G. *diss. IX.* §. *III.* Scilicet, hæc Annalium mens est, Carolus iste Metis in sede primaria Regni Lothariensis coronari voluit in Regem Lothariensem. Inde Palatium Aquisgranense, vbi archisolium erat totius Regni Francorum, fuit ingressus. Postquam etiam Henricus Auceps Lotharingiæ Regnum Germaniæ vindicasset, Otto M. etiam in Priuilegio Monasterio Gemblacensi a. 946. concesso, dicitur: *Rex Lothariensium & Francigenum.*

§. XV.

CÆSARIS adpellatio a Iulii Cæsaris temporibus apud Impp. Romanos obtinuit, qui eandem Imperatoris titulo statim subiungere fuerunt soliti, dum Augusti titulum demum post nomen ponerent.* Seculo tertio vero Cæsares ab Augustis erant distincti, dum isti ab Augustis declararentur, vt essent quasi destinati successores, & potestate & ornamentis ab iisdem differrent.** Græci vero suos quoque Impp. vocarunt *καίσαρες.**** Ex quo Cæsaris nomen Carolingis & Germanicis**** Imperatoribus frequens factum, & Germanico idiomate dictum *Kayser.****** Maximilianus I. tamen Imp. hunc Titulum etiam concessisse dicitur Basilio Iwanowitz, Russorum Monarchæ.****** Eundem quoque adfectauit Iulius II. Papa.******* Ludouico XII. etiam Gallorum Regi hunc titulum fuisse concessum nouimus.† A Maximiliani I. temporibus inualuit iterum titulus REGIS GERMANIÆ, *Kœnig in Germanien*, licet iam prioribus temporibus fuerit vsitatus. ††

*Ad-

* Adparet hoc ex nummis, vtpote IMP. CAES. TIBERIVS AVG.

** Optime hoc, atque nomen Cæsaris explicat SPARTIANVS Aelio Vero, c. II. scribens: *Aelius Verus Cæsar est appellatus, non testamento, vt antea solebat, neque eo modo quo Traianus est adoptatus; sed eo prope genere quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt: quasi quidam principum filii viri, & designati augustæ maiestatis hæredes. Et quoniam de Cæsarum nomine in huius præcipue vita est aliquid disputandum, qui hoc solum nomen adeptus est, Cæsarem, vel ab elephanto (qui lingua Maurorum cæsa dicitur) in prælio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi & eruditissimi viri putant dictum, vel quia mortua matre, ventre cæso sit natus: vel quod cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus: vel quod oculis cæsiis & vltra humanum morem viguerit.* Plenius etiam du FRESNE *Glossario Græco voce* Καῖσαρ.

*** Quare Iustinianus Nou. XXX. initio: ἀλλ᾽ ὃν ἐν πᾶσι τοῖς τῆς γῆς ἔθνεσιν ὀνομαστότατον ἐστι τὸ τοῦ καίσαρος ὄνομα καὶ ὥπερ ἡμεῖς ἀντὶ ἄλλου τινος τῶν τοῖς βασιλείας συμβόλων σεμνυνόμεθα *apud omnes terræ populos nominatissimum Cæsaris nomen est, & nos præter omnes alias Imperatoriæ maiestatis notas eo gloriamur.* Inde Iustinianus ipse tali modo titulum suum concepit: *Imperator Cæsar Fl. Iustinianus.* Atque Καισαρ in BYZANTINORVM nummis frequens occurrit.

**** Iamdum Carolus M. hoc titulo fuit vsus, prout ex Capitulari ipsius de a. 800 patet: *Imp. Cæsar Carolus, Rex Francorum inuictissimus, & Romani rector Imperii.* In Capitulari vero de a. 821. *Ludouicus Pius Augustus, Lotharius vero tanquam destinatus successor Cæsar appellatur.* Idem tamen, postquam in consortium Imperii postea fuisset adlectus, etiam titulum Augusti obtinuit. VVIPPO vita Conradi p. 433. *a Romanis ad Imperatorem electus, imperialem benedictionem a Papa suscepit, Cæsar & Augustus Romano nomine dignus.*

***** OTFRIDVS iamdum *p. 363. 417. 427.* vtitur voce *Keisores.*

****** prout Russarum Monarcha Litteras Maximiliani I. de a. 1514. nuper demum ex Archiuo suo fecit produci, quas etiam exhibent ELECTA I. P. *Tom. XII. p. 904.*

******* In-

******* Inter Litteras Ludouici XII. reperitur epistola Andreæ de Burgo ad Margaretham Austriacam, in Tomo Primo p. 261. vbi inter alia scribit: *vtunturque in illis motibus Papa Iulii Casaris, notet Serenitas Vestra, quod nominant eum Papam & Cæsarem & simul vtuntur nomine Imperatoris, & Regis Aragonum, quorum iussu & mandato dicunt illa facere.*

† Lugdunenses equidem Ludouico XII. post occupatum Ducatum Mediolanensem a. 1500. nummum obtulerunt cum hac epipraphe: FELICE. LVDOVICO. REGNANTE. DVODECIMO. CÆSARE. ALTERO. GAVDET. OMNIS. NACIO.

†† LVDEVVIG equidem *ad A. B. p. 11.* ante Maximilianum I. nullum ex Impp. hoc titulo vsum fuisse autumat, huius rei etiam caussas inquirit, secutus CONRINGIVM *de Germanorum Imperio Romano cap. XII. §. XIV.* aliosque. Verum, iam olim quædam reperiemus huius rei indicia. Tacemus enim Impp. Romanos, qui a Germania cui dominabantur, *Germanici* atque *Alemannici* nomen fuerunt sortiti. Carolus inde M. in Rescripto de a. 794. apud GOLDASTVM *Tom. II. Const. Imp. p. 2.* vocatur *Rex Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, siue harum finitimas Prouincias Domino opitulante, regens.* In Charta Wenilonis apud GOLDASTVM *Tom. II. Antiquit. Alemann. p. I. p. 48.* Carolus M. dicitur: *Rex Francborum, ac Patricius Romanorum & Alamannorum.* Huius filius ob possessionem Regni Germanici dicebatur *Germanicus.* Constitutio Caroli Crassi de expeditione Romana hoc initium habet: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus, Diuina fauente gratia, Rex Francorum & Germanorum.* Et licet Constitutio ista genuina haut sit, Maximiliani I. tamen ætatem longe antecedit. In Diplomate Ottonis M. Monasterio Gemblacensi a. 948. concesso, apud LAMBECIVM *Comment. de Bibl. Vindob lib. II. c. VIII. p. 901.* dicitur: *In nomine Dei & Saluatoris æterni, Otto Domini fauente Clementia Rex Lotariensium & Francigenum. Quicquid Germanensium sub Imperii nostri ditione est.* Quare idem Rex Teutonicus dicitur, prout demonstrauimus in S. H. G. *diss. XII. §. XXIV.* Henricus V. in formula Transactionis cum Paschali II. a. 111. vocatur Rex Teutonicus. ALBERICVS ad a. 1111, Fridericus I. Rex Alemanniæ, ALBERTVS STADENSIS *ad a.*

 1179.

1179. WAGENSEILIVS *de Rep. Noriberg. cap. XXVI. p. 247.* adducit nummum Rudolphi Habsburgici cum hac epigraphe: RVDOLPHVS REX GERM. COM. HAB. LAN. ALS. Sic etiam Philippus Pulcher Adolphum vocat Regem Alemanniæ LEIBNITIVS *Cod. Iuris Gentium p. 32.* Adſumſit autem Maximilianus I. hunc titulum ab a. 1508. & eo tempore, quo electus Romanorum Imp. adpellari voluit, prout ex litteris ad Eſlingenſes ſcriptis, ſupra §. X. demonſtrauimus. Vide etiam PEFFINGERVM *ad Vitriarium p. 304.*

§ XVI.

Dum autem hi Tituli omnibus Impp. fuerint communes, conſiderandum erit, qua ratione congeries Titulorum cœperit, quam pro Impp. diuerſitate admodum videmus variantem. Carolus M. quidem, nonnunquam dicitur *Carolus nutu Dei Rex Francorum, Gallias, Germaniam Italiamque, ſive harum finitimas prouincias, Domino opitulante, regens.* * In epiſtola Caroli M. ad Monachos Sancti Martini Turonenſis dicitur *Carolus & Reliqua.* ** Carolus Caluus etiam atque Otto M. titulos Regis Lotharienſis ſimul geſſerunt. *** Idque ideo factum, quod Lotharingiæ regnum a Germanico olim plane ſeparatum. Henricus VI. titulis Imperatoriis adiecit illum: *Regis Siciliæ.* **** Fridericus II. Imp. etiam *Hieruſalem & Siciliæ* Rex vocari voluit, ***** quibus Conradinus addidit illum: *Ducis Sueuiæ.* ****** Carolus IV. & Wenceslaus inſuper *Regis Bohemiæ* titulo fuerunt vſi. † Sigismundus titulo: *Rex Bohemiæ, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Seruiæ,* †† Fridericus III. prouincias ſuas æque in Titulo addidit, qui talis eſt: *Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ & Carniole Dux, Comes Tiroli,* ††† Quem plenius adhuc extendit Maximilianus I. non ſolum titulum *Regis Germaniæ,* ſed etiam ſingulas Belgii prouincias addendo, quas poſſidebat. †††† Nimium vero prolixus erat titulus Caroli V. cui ac-

accesserunt singulæ Hispaniæ Prouinciæ & Dynastiæ. ††††† Reliqui Impp. Austriaci præter titulum Imperatoris semper Augusti & Regis Germaniæ, vsi fuerunt reliquis regnorum hæreditariorum, prouinciarum & dynastiarum. Augustissimus qui hodie præest Imperator Carolus VI. eadem qua Carolus V. ratione, Titulis etiam gaudet Hispaniis.

* In Rescripto Caroli de non adorandis imaginibus apud GOLDASTVM *Tom. II. p. 2.*

** BALVZIVS *Capit. Tom. I. p. 413.*

*** ANN. FVLDENSES ad a. 869. de Carolo Caluo *prauorum vsus consilio, in vrbe Mettensi diadema capiti suo ab illius Ciuitatis Episcopo imponi, & se Imperatorem & Augustum, quasi duo Regna possessurus, appellari præcepit.*

**** GODEFRIDVS COLON. *ad a. 1195.* GOLDASTVS *Tom. I. Const. p. 85.*

***** Extat Diploma apud LAMBECIVM *lib.* II. *Comment. Bibl. Vindobon. c. V.* cum hoc initio: *Fridericus D. G. Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex.*

****** GOLDASTVS *Tom.* I. *p. 88.*

† In Diplomate Treuirensi de a. 1346. apud BROWERVM Ann. Treuir. lib. XVII. §. 132. *Carolus D. G. Romanorum Rex Semper Augustus, Rex Bohemiæ, & Comes Lützelburgensis*

†† GOLDASTVS Const. Imper. Tom. I. p. 389. *Sigismundus D. G. Romanorum Rex semper Augustus, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.* In Decretis Posoniensibus a. 1434. *Sigismundus, diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Bulgariæque Rex, Archi-Princeps Brandenburgensis, Silesiæ & Lücemburgensis, Dux Marchioque Morauiæ, & Lusatiæ, &c.*

††† PFEFFINGER *p. 303.*

†††† Vid. Constitutio illius contra blasphemos Wormatiæ 1495. apud GOLDASTVM *Tom.* II. *p. 110.* & Constitutio de Notariis *Tom.* I. *p. 222.*

††††† Integrum Caroli V. titulum videmus apud GOLDASTVM *Constit. Tom.* II. *p. 242.* & R. I. Wormatiæ *de a. 1521.* Edicto de Regimento Noribergensi *de a. 1521.* R. I. Augustæ *de a. 1530.* & reliquis. Vid. CONRING Not. *ad Lampadium p.* III. *c.* II. §. 2. PFEFFINGER *p. 307.*

§. XVII.

Non morabuntur iam nos Epitheta: *Pius, Felix, Magnus, Pacificus, Victor ac Triumphator* * *Inclytus, Christianissimus, Piissimus, Victor ac Triumphator, Serenissimus,* ** *Sacratissimus, Gloriosissimus, Celsissimus,* qui tituli cum aliis Regibus sunt communes. Proprius vero Imperatorum titulus est *inuictissimus*, qui iam a Tiberii temporibus est repetendus: *** post, Carolus M. dictus *Rex Francorum inuictissimus*, **** quem deinde Ottones & reliqui Germaniæ Imperatores fuerunt secuti ***** ad nostra vsque tempora. Germanico idiomate dicitur: *unüberwindlichster*. Hic titulus tamen æque a quibusdam Statibus Gallorum Regi fuit concessus, ast rarissime ****** In A. B. Imp. dicitur *Temporale Caput populi Christiani* † alias *Orbis Dominus & Imperator.* †† Ex quo tamen, non nisi vano ausu, concluduntur iura Imperii in vniuersum orbem terrarum. †††

* In epistola Friderici I. IV. *Fridericus Dei gratia Rom. Imp. prapotentissimus a Deo coronatus magnus & pacificus inclytus, victor ac triumphator semper Augustus.*

** Immo videmus hoc titulo saltim vsos olim fuisse Imperatores, cum Reges reliqui saltim dicerentur illustres. Sic inter Epistolas Friderici I. in FREHERI Tomo I. p. 424. est IX. qua Reinoldus Coloniensis ad Franceæ Regni Cancellarium sic scribit, *& in Colloquio inter Dominum meum serenum Augustum: atque Dominum vestrum illustrem Francorum Regem habendo.* Idem Franciæ Cancellarius ep. XII. Imp. vocat *Serenissimum Augustum.* In Tabulis Fœderis a. 1332. apud LEHMANNVM *lib. VII. c. XXX. &* DATTIVM p. 31. Imp. vocatur *der userlnchte Herr.* Vide de hoc Titulo PFEFFINGER p. 370.

*** Li-

*** Licet istum inuictum saltim nominari voluerint SVETONIVS *in vita* c. XVII.

**** MABILLONIVS *de re diplom. lib. II. c. III. §. XI.*

***** FÜRSTENBERGII *Monumenta Paderbornensia p. 236. 237. 238.* PFEFFINGER *p. 375.*

****** Extat enim in GOLDASTI *Polit. Imp. p. I. p.* 107. Francofurtensium epistola ad Galliæ Regem cum hac epigraphe: *Inuictissimo Christianissimoque Domino, Domino Francisco Francorum Regi, &c. Inuictissime Christianissimeque Domine Rex.*

† *Tit. II. §. 3. 4.* PFEFFINGER *p. 378.*

†† VVIPPO in dedicatoria ad Henricum III. *VVippo D. G. presbyter, seruus Regalium seruorum, huius Orbis domino dominantium, vitam illustrem.* Sic extat Epistola Romanorum ad Conradum III. cum hac inscriptione: *Excellentissimo atque præclaro Vrbis & Orbis totius Domino, Conrado Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto* apud OTTONEM FRISING *de gest. Friderici lib.* I. c. XXVIII. Huc faciunt verba Legationis Romanæ ad Fridericum I. apud RADEVICVM *lib* I. *c.* XXII. *salutant vos venerabiles fratres nostri, clerici autem vestri, vniuersi Cardinales, tanquam Dominum & Imperatorem Vrbis & Orbis.* Defendit hunc Imp. Titulum singulari Dissertatione FRANCISCVS ANTONIVS de SCHALLENHEIMB sub Præsidio HENRICI COCCEII habita *Francofurti 1711.* partim quod Imp. Aduocatus sit Ecclesiæ Christianæ; partim etiam, quod circa præcipua negotia Europæ potiores partes teneat. Vid. fuse PFEFFINGER *p. 375.*

††† LEHMANN *lib. V. c. LIX. p. 512.*

§ XVIII.

MAIESTATIS quoque titulus olim in tantum Impp. proprius, vt ipsum non Status solum Imperii concederent, sed etiam exteri Reges, qui *Regiæ* saltim *dignitatis* titulo ornabantur ab Imp. & Imperio † Inualuit hic titulus Caroli M. iamdum temporibus †† licet sequiori tempore etiam Imperii status ergo Impp. saltem vsi fuisset *Eu. Kayserliche Gnade* ††† Immo exempla non desunt, quod Status quidam

Imperii Maiestatis Titulum Galliæ Regibus concesserint. †††† Controuersia tamen desuper fuit orta, concluso Ratisbonæ a. 1630. Pacis tractatu inter Ferdinandum II. Imp. & Ludouicum XIII. quem ideo ratum habere nolebat Gallorum Rex, quod sibi titulus Maiestatis non fuerit concessus, ††††† quem tamen in Pace Crespiacensi †††††† & sæpius alias obtinuerit. Hinc in Tractatu Clarascensi, Maiestatis Titulus Ludouico XIII. fuit concessus. ††††††† Cum autem in Comitiis Ratisbonensibus anni 1641. Status Imperii ad Ludouicum XIII. litteras exarare vellent, quibus eundem compellabant *Königliche Würde und Maiestät*, contradicebat Legatus Austriacus, contra morem esse dicens & Obseruantiam Imperii, ita, vt solum *Königliche Würde* locum haberet: †††††††† Hinc etiam Gustauus Adolphus conquestus fuit, quod Electores in litteris ad eundem a. 1630. datis, titulo Maiestatis non fuerint vsi, cui tamen responderunt, Imperii Obseruantia ita esse statutum. * In Tractatibus tamen Pacis VVestphalicæ, Titulo Regiæ Dignitatis nec Galli contenti esse volebant, nec Sueci. ** Hinc etiam Maiestatis Titulus ipsis æque ab Imp. & Imperio concessus, *** qui hodie sine controuersia singulis Regibus conceditur. Immo, inter Status potentiores non desunt qui Sigillo quoque Maiestatis, formula antiquitus recepta, pro Sigillo suo maiori vtantur. ****

† ARVMÆVS *de Comitiis cap.* III. *n.* 45. In Decreto Comitiorum Ratisbonensium de a. 1471. apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro p.* V. *c. XIV. p.* 479 Fridericus III. Imp. vocatur: *Sein Kayserl. Groß-machtigkeit.* Fuse de hoc Maiestatis prædicato PFEFFINGER *p.* 383. sqq.

†† Sic enim FÜRSTENBERGIVS, Monum. Paderborn. p. 87. exhibet libellum supplicem Carolo M. in Comitiis Wormatiensibus a. 770. exhibitum, in quo: *flexis omnibus precamur poplitibus Maiestatem ve-*

stram. Et in alia eius Constitutione apud GOLDASTVM Tomo II. p. 7. *nostra Imperatoria & Regia Maiestate.*

††† MÜLLERVS *im Staats-Cabinet IV. Eræffn. c. V. n. 5.* ex diuersis litteris Saxonicis excerpsit, quod Saxoniæ Duces atque Electores modo titulo: *Ew. Kœnigliche Gnaden*, modo *Ew. Kœnigl. Gnaden und hohe Maiestat*, modo: *Ew. Kayserl. Gnaden und Grosmachtigkeit*, fuerint vsi.

†††† Henricus Leo ad Ludouicum VII. Francorum Regem inter Epistolas Friderici I. ep. XIV. *Excellentiæ vestræ ingentes gratiarum actiones referimus, quod fidelissimi vestri filium, quem per præsentem portitorem litterarum dilecti Maiestati vestræ transmisimus.* Sic etiam in Ep. XIII. Ludouicus Thuringiæ Landgrauius ipsi Maiestatis Titulum concedit. Immo, Iacobus Mozzius Legatus Friderici III. Imp. Alphonsum V. Portugalliæ Regem apud PREHERVM Tom. II. p. 32. sic alloquitur: *nec enim in me est vis sermonis, & possem ad vnguem exponere, qua beneuolentia, dilectione & caritate serenissimus atque inuictissimus princeps Diuus Cæsar Fridericus, Romanorum Rex semper Augustus, tuam domum, tuamque Maiestatem prosequitur.* Et paucis interiectis: *adeo tuam Maiestatem obseruat* &c. *Nouit Tua Maiestas* &c.

††††† Ratio Grauaminis adducitur in RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX Tom. III. p. 304. *parce que au preiudice de sa dignité le titre de Maiesté ne luy est donné en ce Traitté comme à l' Empereur, auquel il est donné par vingt sept fois, & iamais vne seule fois au Roy, contre ce qui s' est obserué aux Traitez precedens, & particulierement à celui de Crespy en Lyonnois, l' an. 1544. entre l' Empereur Charles V. & le Roy Francois I. estant plus que raisonnable que les Rois de France, & les autres Rois de la Chrestienté, qui sont Souuerains, iouissent du titre de Maiesté, tout de mesme que l' Empereur.*

†††††† In dicta Pace Crespiacensi quidem sæpius dicitur *vtraque Maiestates*, sed vbi separatim de Imperatore agitur, dicitur: *S. Cæs. Maiestas*, de Rege vero: *Dominus Rex Christianissimus*, RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. II. p. 227.*

††††††† Extat gallico idiomate in RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. III. p. 317.*

†††††††† LON-

†††††††† LONDORP *Tom. V. lib. I. c. LXIX. p. 125. 147. 164.* LIMNÆVS *not. Regni Franc. lib. II. c. V.* PFEFFINGER *p. 388.*

* LONDORP. *Tom. IV. lib. I. c. XX. XXI. p. 77. daß es aus hergebrachter Gewohnheit welcher wir uns gegen andere Kœnige gebrauchen, geschehen,* LVDOLPHS *Schaubühne lib. XXX. cap. I. p. 549. 574.*

** PVFENDORF *de reb. Suec. lib. XVII.* §. *122.*

*** Instrum. Pacis Westphalicæ vtriusque *art. I.*

**** Non solum Electores hoc Termino vtuntur, sed etiam Principes, sub eodemque intelligunt Insigne suum Maius Diplomatibus maioris momenti adpendi solitum. Sic enim in Rudolphi, Saxoniæ Electoris, Alberti & Wenceslai, Ducum Saxoniæ Confirmatione Priuilegiorum Monasterii Dobrilugensis de a. 1394. *Haben Wir Er Rudolff unser Maiestat Insiegel an diesen Brieff heissen hengen, des VVir Er Albrecht und Er VVentzeslaw zu dieser Zeit gebruchen.* Fridericum æque Bellicosum, eiusque fratrem Wilhelmum eiusmodi Sigillo fuisse vsos, ex Diplomatibus demonstrat MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friderichen p. V. c. XXXII. p. 195.* Idem etiam Diploma adducit Ernesti atque Alberti, Electoris atque Ducis Saxoniæ, quod hoc modo finit: *zu warem und ewigen Vhrkunde haben VVir Hertzog Ernst unser Groß-Maiestat Insiegel, des VVir Hertzog Albrecht hierzu mit gebrauchen wissentlich an diesen Brief lassen hengen.* Idem MÜLLERVS p. 192. inseruit litteras induciarum Friderici Victoriosi, Palatini Electoris de a. 1463. quæ tali modo finiunt: *und des zu Vrkundt haben Wir unser Maiestat Insiegel thun hencken an diesem Brief.* Sic de Electore Brandenburgico PFEFFINGERVS lib. I. Tit. IV. p. 392. ex Protocollo Actorum Imperialium. *Cum anno 1688. Potentissimus Elector Brandenburgicus Ministros ad Comitia Ratisbonam ablegaret, cum plenipotentia, Bulla maiori roborata, additaque formula: Mit Unserm Churfürstlichen Maiestat Insiegel; Directorium Moguntinum noluit diploma admittere, wir aber Brandenburgenses dem Chur-Maintzischen Directorio repræsentirt haben, daß dieses Formular zu schreiben, bey sothanen grossen Insiegel, in der Chur-Brandenburgischen Cantzley zu gebrauchen, iedesmahl wäre üblich gewesen, hatte es Moguntinus dabey bewenden lassen.* Eodem Sigillo corroboratæ fuerunt Litteræ fidei legato-

rum

rum Brandenburgicorum in Coronatione Iosephi Imp. anno 1690. Sic Henricus Senior Brunsuicensis Dux in Diplomate Monasterio Riddagshusano a. 1501. concesso, apud LVNIGIVM p. spec. c. IV. p. 173. *beben des tho Vrkunde Vnse Fürstlicke Maiesteten Ingesegule an düsen Briev wittlicken docn hengen.* Plura ex eadem domo exempla refert idem PFEFFINGERVS c. l. Plenius hanc materiam persecutus fuit MÜLLERVS *im Staats-Cabinet II. Eræffnung c. V.*

§. XIX.

Ex iisdem Titulis, prærogatiua quæ sit Imp. præ aliis Regibus, facile poterit concludi. Tanta enim olim erat Imperii Maiestas, per quod Monarchiam quartam Romanorum continuari, haut immeritò censebant, tanta amplitudo prouinciarum Germaniæ, tanta potentia Impp. vt Reges etiam sibi haberent subiectos, vt reliqui omnes haut repugnantes loco cederent.* Hæc præeminens Imp. potestas tam diuturno tempore confirmata, hodie minime negatur, nisi quod legati Gallici quandoque legatis Imperatoris, quos in aula Turcica tanquam legatos Vngariæ regis considerari putabant, Status quæstionem mouerint.

* MONZAMBANO *cap. I. §. XII. & ibi* THOMASIVS. Quare etiam Cæsaris legati secundarii nec legatis Regis Arragoniæ primis tempore Maximiliani I. loco cedere voluerunt, de quo LITTERÆ LVDOVICI XII. p. 105. *le jour apres sa venue que fust Dimanche furent faictes les nopces de Monsr. d' Alanson, & de Mademoiselle d' Angolesme, & y fusmes convoyez de la part de la Royne, taut a l' accompagner à la Chapelle que au disner, & y fut quelque different entre nous & les Ambassadeurs du Roy d' Arragon, car lesdits Ambassadeurs d' Arragon vouloient s' entre mesler avec nous, disans qu' il souffisoit assez que l' ung de nous precedast, & ung d' eulx vint apres, & puis l' autre des nostres, & l' autre d' eux, mais nous leur respondismes que ce seroit a fere de par à per & compagnon, & qu' il n' y avoit nulle comparaison de l' Empereur à leur Roy, & que nous representions*

la personne de l' Empereur aussy bien l' ung que l' autre, toutesfois pour oster tous scrupulles & pour non avoir cause de venir à debat nous leur presentasmes qu' il ne demeura au disné que l' ung de nous & l' aultre d' eulx, mais finablement ils voullurent demeurer tous deux, & aussy fismes nous, & chacun leur donnoit le tort, & le Roy conduisoit la mariée à l' Eglise & estions au plus pres de luy l' Ambassadeur du Pape & moy President & les autres chascun en son deu. Vid. etiam PFEFFINGER *p. 417.*

§. XX.

Post Titulos Imperatoris consideranda veniunt CLEINODIA* Imp. & Imperii, quæ vulgo etiam adpellari solent *Insignia Imperii* atque *Regalia.*** Hæc autem ista sunt Insignia atque ornamenta, quæ in Coronatione noui Imp. solent adhiberi, atque duplicis sunt generis, vel *Reliquiæ* vel *Cleinodia Imperii.****

* CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1209. p. 313.* eadem vocat *Insignia Imperialia*, & HENRICVS REBDORFFIVS *ad a. 1350.* ALBERTVS ARGENTORATENSIS ad a. 1332. *Insignia, quæ Imperii dicuntur.* Vid. du FRESNE voce *Clenodium.* Apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. 203.* vocantur *Kayserliche Kleinodien.*

** Sic GOTFRIDVS VITERB. p. XIX. Chron. p. 18. vocat *regalia insignia.* ALBERTVS ARGENT. *Chron. p. 119.* vocat *sanctuariorum insignia.* ALBERTINVS MVSSATVS Hist. Ludouici Bauari p. 9. *Reliquias Domini nostri Iesu Christi lanceam scilicet, & clauos, quæ veluti pignora quædam veri Imperatoris*, & *Romani Regis habentur.* Sic etiam apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. VI. p. 203.* vocantur *Regalia des heiligen Ræmischen Reichs.*

*** In Bulla Innocentii VI. apud RAYNALDVM ad a. 1354. §. XVIII. *sacras reliquias, quæ Imperiales vulgariter nuncupantur; quæque tanquam pretiosissimus Imperii Romani Thesaurus consueuerunt per Romanorum Regem seu Imperatorem, qui est pro tempore, conseruari.* Apud GOLDASTVM vocantur *das Heiligthum und die Kleinodt des heiligen Ræm. Reichs.*

§. XXI.

§. XXI.

Reliquiæ venerationis ergo, ab antiquo adseruantur, atque a Carolo M. iamdum Aquisgranum translata esse dicuntur, † & in coronatione Imp. in altari collocantur. Sunt autem ista †† pars sacri præsepis, in quo saluator noster vagiit, Brachium S. Annæ, Dens S. Iohannis Baptistæ, pars tunicæ S. Iohannis Euangelistæ, particulæ quædam catenarum, quibus Petrus & Paulus vti & S. Iohannes Euangelista vincti fuerunt, Lacinia mappæ, supra quam cœnam vltimam vna cum discipulis suis Seruator noster celebrauit, Lacinia lintei, quo præcinctus fuit, cum pedes discipulorum ablueret. Quinque spinæ coronæ Dominicæ, pars almæ crucis, ††† lancea, †††† qua Seruatoris in cruce pendentis corpus fuit perfossum, Capsa cum aliquot guttis sanguinis S. Stephani, Liber Euangeliorum Caroli M. aureis litteris exaratus, quæ bina Aquisgrani adseruantur.

† Sic enim LVPOLDVS de BABENBERG de Zelo Principum Germaniæ *cum recuperata terra sancta, per Constantinopolim transiret, aurum, argentum, gemmasque preciosas, ab Orientis Imperatore, gratanter sibi exhibitas, recipere renuit, solasque Dominicæ Passionis, & sanctorum reliquias postulauit. Præmisso itaque Ieiunio, & oratione, de Corona Domini, partem, quæ tum ipso cernente, floruit, & Clauum vnum Dominicæ passionis, partemque Crucis Dominicæ, Sudarium Domini, Camisiam Beatæ Mariæ virginis, Fasciam, quæ Puerum Iesum, in cunabulis texit, & Brachium sancti Senis Simeonis recepit.* Sequitur eum ERDMANNVS de *sacris Reliquiis c. l.* qui etiam demonstrare conatus fuit, has a Carolo M. collectas reliquias ab ipsius successoribus varie fuisse auctas. Licet pleraque fidei sint sublestæ.

†† Designantur hoc ordine in Bulla Martini V. de translatione insignium apud VLRICVM OBRECHTVM *de Clenodiis Imperii §. VIII.* in Diplomate Ludouici Brandenburgici super reliquiis Imperii Caroli

roli IV. de a. 1350. traditis, sic describuntur: *nimirum (1) vnam auream crucem pretiosis lapidibus & vnionibus ornatam, & inuiolatam, & in qua cruce est (3) lancea vna cum (4) clauo Domini nostri. In illa est etiam pars sanctæ crucis, vnus dens S. Iohannis Baptistæ in crystallo, (6) S. Annæ brachium.* Demonstrantur etiam in annua Supplicatione Noribergensi de a. 1458. aliisque scriptis, quæ exhibet LVDEWIG *Noriberga Insignium Imp. Tutelari cap. VII. §. I. II. app. p. 1. seqq.* & WAGENSEILIVM *de Rep. Noribergensi c. XXVI. p. 226.* DVBRAVIVS *Hist. Boh. f. 137.* de iisdem: *Lancea Christi, dextra porcio S. Crucis, cum vno clauo & mappa, qua vltima mensa Domini strata fuit non magni videlicet cuncta precii, apud talium rerum contemptores: at apud Christianissimum Carolum in tanto precio posita, quanto nulla res profana, vel pretiosissima,* & apud GOLDASTVM *Politischen Reichs-Handeln p. 205.*

††† In enumeratione Insignium apud LVDEWIG App. p. 41. sic describuntur: *Ein Stück von Christi Wiegen, ein Arm der H. Annen, ein Stück von dem Kleid S. Iohannis, etliche Glieder von den Ketten, damit S. Peter, S. Paul und S. Iohannes gefesselt worden, ein Stück des Tischtuchs, darauf der Herr Christus sein Abendmahl gehalten, wieder ein Stück von dem Schurtz-Tuch, in welchem Er den Iüngern die Füsse gewaschen, 5. Dœrner von der Kron, so die Kriegs-Knechte dem Herrn Christo aufgesetzet. Alles dieses ist in einem silbernen vergüldten Sarch geschlossen, und hangend oben in dem Chor der Kirchen beym H. Geist zu Nürnberg.*

†††† De lancea sacra multa adhuc subest controuersia, cuiusnam fuerit. SIGEBERTVS quidem GEMBLACENSIS *ad a. 929.* auctor est: *lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundionum & Italiæ, a Samsone Comite, Rex Henricus* (Auceps) *precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum, a Rudolpho Comite extorquet, & hanc ad insigne & tutamen Imperii posteris relinquit.* Hæc prolixius adhuc recenset LVITPRANDVS *lib. IV. c. XII.* Hunc sequuntur ALBERTVS STADENSIS *ad a. 920.* & CONRADVS VRSPERGENSIS. FR. BODO *in Syntagmate apud* MEIBOMIVM *Tomo III. p. 490.* & potissimum CHRISTIANVS ERDMANNVS *de sacris*

Reli-

Reliquiis c. XII. qui hoc mascule defendere conatur. Sed, cum WITTICHINDVS *Ann. lib. I. p. 636.* inter Insignia, quæ Conradus Henrico Aucupi transmisit, æque memoret lanceam sacram, dubium omnino subesse videtur, quod tamen facile poterit euelli. Habebant enim singula regna inter insignia sua lanceas consecratas, quibus Reges potissimum in prœliis vterentur. Patet hoc non ex aliis historiis solum, sed etiam ex ipsa Burgundica, dum in regno isto adhuc reliqua esset lancea Mauritii, insigne regni Burgundici, quam cum ipso regno Conrado II. reliquit Rudolphus. HVGO FLAVINIACENSIS *in Chron. p. 185.* Tales autem lanceæ ob certas impressas reliquias sanctæ habebantur, quibus impressa quædam dominici ligni sanctæ Crucis portio, quam Angelus Dei impressit, du FRESNE *Glossario Tom. II. p. 211.* Hæc autem lancea, quam Henricus Auceps Rudolpho Burgundionum Regi extorsit, eo quod ex clauis Christi crucem haberet, & Constantini M. fuisset, præcipuæ & miræ habebatur sanctitatis. Hanc autem illam ipsam esse, quæ hodie adhuc inter Imperii Cimelia adseruatur, patet ex ALBERTO STADENSI ad a. 920. *hac ergo occasione, imo Dei voluntate, sanctam Rex Heinricus adeptus est lanceam, per quam ipse de hostibus sæpe triumphauit, eamque filio suo Ottoni decedens cum regno reliquit.* LVDEVVIG *Noriberga Insignium Imperialium Tutelari cap. VIII. p. 166. sqq.* S. H. G. *diss. XI. §. XVI.*

§. XXII.

Ipsa vero Cleinodia, siue Ornamenta regia ita describit Hartmannus Maurus: * *Ornamenta Diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergensis Magistratus summa cum diligentia atque veneratione publice ad aliquot secula asseruauit, quæ tempestiue Aquisgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta asportantur, subque fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias, Nurembergenses a Carolo gestatas pro veris habent traduntque, & inde eximie coluntur: Dalmaticam albam holosericam, pre-*

 cio-

ciosissimis margaritis gemmisque distinctam: auream stolam, margaritis quoque adornatam; vnam cappam holosericam, violacei coloris, cui aurum in modum Aquilæ intextum: Alterum amiculum rubei coloris contextum pari modo magna aurea Aquila. Insuper Coronam Caroli, non ferream: vt vulgus falso autumat, &, quod magis pudendum, passim in Iuris Professorum Commentariis reperitur: sed ex puro puto auro fabrefactam, sic tamen vt in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat. Pomum & sceptrum aurea. Gladium Caroli admodum grauem, vtpote a viro robustissimo versatum: Verum non tam prodigiosæ magnitudinis, quam a tanto Heroe gestatum credi posset. Præter hæc aduecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ, vna violacei, alia vero nigri coloris; duæ chirothecæ, vnionibus pretiosissimisque lapidibus ornatæ: soli duo aurei, stola, zona coriacea, retinaculumque eius aureum: quæ omnia pretiosis lapidibus affabre picturata, redimitaque fuere. In Diario Coronationis** Caroli VI. Insignia hæc in locum electionis deferri solita, atque Vice-Cancellario Moguntino exhibita, tali modo recensentur: *(1.) Kaysers Caroli M. Cron. (2.) Dessen Schwerdt. (3.) Das Schwerdt Sancti Mauritii. (4.) Der Scepter. (5.) Der Reichs-Apffel. (6.) Das Pluuiale oder Kayserlicher Mantel. (7.) Die Dalmatica. (8.) Die Alb. (9.) Die Stola. (10.) Strümpffe und Sandalien. (11.) Die Handschuhe. (12.) Zwey Cingula oder Gürtel.*

* In Descriptione coronationis Caroli V. apud SCHARDIVM *Tom. II. p. 13.* & in GOLDASTI *Politicis Imperialibus p. III. c. III. p. 271.* & *in Politischen Reichs-Handeln p. 204. 205.* Vid. & VVAGENSEIL *de Noriberg. c. XXVI.* Pleniorem illorum descriptionem exhibet IACOBVS GRETSERVS in Syntagmate *de Insignibus Imperii*, quod primum *Ingolstadii 1618. 4.* prodiit, nouiter LVDEWIGII *Noribergæ Insignium Tutelari* accessit.

** *p. 30.*

§.XXIII.

§. XXIII.

Sed de eo adhuc dubitatur, an ista Cleinodia tantæ sint antiquitatis, vt a Carolo M. ad successores fuerint propagata. Communis quidem hæc est opinio. Ast dubitat Æneas Syluius,* qui non a Carolo M. sed a Carolo IV. ducit, dum de Friderico III. ait: *Cæsar quamuis ornamenta sibi pretio incredibili comparasset, in hanc tamen solennitatem*, (coronationis Romanæ,) *pallium, ensem, sceptrum, pomum, coronamque Caroli Magni, vt fama fuit, ex Archiuis Nurenbergensium ad se deferri curauerat, hisque vsus est: datur enim hoc vetustati, vt plus maiestatis habere videantur, pondere noua carent. Quod si tales Caroli M. ornatus fuere, constat Principes Regesque vetustiores non tam vestis ornatum, quam nominis gloriam quæsiuisse: ac facere magis, quam vestire splendide voluisse. Verum mihi singula exactius contemplanti, cum ensem inspexi, non magni illius primique Caroli, sed Quarti visus est, qui Sigismundi genitor fuit. Nam Leo Bohemicus sculptus in eo videbatur a quo ille tanquam Rex Bohemiæ vtebatur: in plebe tamen rumor mansit, magni Caroli ornamenta fuisse.* Verum, ex eo, quod Wittichindus ** gladium dicit veterum Regum Francorum, & ipse Carolus IV. in designatione insignium *** illa a Carolo M. denominat, contrarium manifesto adparet, cui tamen Carolus IV. leonem sine dubio fecit insculpi, dum Insignia Pragæ adseruari faceret, vt per hanc possessionem familiæ suæ ius succedendi in Imperio firmaret.

* *Historia Friderici III. p. 80.*

** *Ann. lib. I. p. 636.* OBRECHTVS *de Clenodiis Imperii §. XVIII.*

*** Reperitur ista designatio apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. 204.* & VVAGENSEIL *de Reb. Norib. c. XXVI. p. 250.* Singula etiam hæc Cleinodia Carolo M. vindicat LVDEWIG *in Noriberga Tutelari cap. VII.*

§. XXIV.

XXIV.

Inter Imperii Cleinodia præcipua eſt CORONA. Communis olim inualuit opinio, Coronas pro triplici Coronatione ex triplici conſtitiſſe metallo.* Romanam quidem ex auro fuiſſe, Germanicam ex argento, Mediolanenſem ferream, quibus auctor Magni Chronici Belgici quartam addit ex variis metallis conflatam & palearem,** & Gloſſator Speculi Saxonici Germanicam ferream dicit.*** Hæc etiam diuerſa metalla ſecundum myſticam ſignificationem explicare conantur. **** Sed inanis eſt atque anilis traditio, cum omnes tres fuerint aureæ.

* AENEAS SYLVIVS *Hiſt. Friderici III. p. 79.* licet ipſe poſtmodum fabulam refutet. HIERON. BALBVS *de coronatione cap. III.* SIGONIVS *de R. Italiæ lib. VII. p. 176.* PET. de ANDLO *lib. II. c. VI.* Refellitur potiſſimum a IOACHIMO FELLERO *de tribus Coronis Imperatoriis, Lipſiæ 1662. 4.*

** *lib. III. art. LVII.*

*** Adgnouit illud AENEAS SYLVIVS p. 79. ſcribens: *has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo. Quamuis per medium circulum Coronæ Mediolanenſis lamina quædam paruula ex ferro ducatur quæ ſtultæ interpretationi effecit locum,* & LVDOVIC. ANT. MVRATORIVS *de Corona ferrea c. I.*

**** ANTONIVS PANORMITANVS in oratione ad FRIDERICVM III. Imp. apud FREHERVM Tom. III. p. 7. eandem fabulam narrat, atque *palearem* explicat, vt ſciat Imp. ſe eſſe hominem, *ferream* de fortitudine, *argenteam* de candore, *auream* de virtutum perfectione. MICH. BOIEMVS vita Alberti D. Saxoniæ §. XXXIV. *ter coronari ſolent Imperatores Romani veteri conſuetudine, primum Aquisgrani corona Caroli M. ferrea ab Antiſtite Colonienſi, quo fortitudo & robur ſignificatur, deinde argentea ab Epiſcopo Mediolanenſi in villa Modocienſi: qua claritas & ſplendor: tertio aurea in Eccleſia D. Petri ad aram ſancti Mauritii, qua Principatus & iuſtitiæ dignitas deſignatur.*

§. XXV.

§. XXV.

Prima inter has erat CORONA ROMANA, eademque aurea & a Germanica Aquisgranenſi ſemper diſtincta. Teſtatur hoc exemplum Caroli M. quem Leo VIII. Papa corona peculiari, eademque pretioſiſſima coronauit. * Ludouicus Pius, primum a. 814. Aquisgrani iuſſu patris ſibi coronam Germanicam impoſuit. ** Poſtea vero Stephanus Papa in Galliam veniens a. 816. eum Remis coram clero & omni populo conſecrauit & vnxit in Imperatorem, atque coronam auream miræ pulchritudinis & pretioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportauerat, poſuit ſupra caput eius. *** Inde corona Romana plerumque noua erat, & vel a Papa, quod dictum exemplum, atque aliud Rudolphi Sueui docet, cui Gregorius VII. miſerat coronam † vel ab Imp. comparata. Quandoque etiam coronam Germanicam ſecum ferebant Impp. eademque Romæ coronabantur, prout de Coronatione Sigismundi Romana Æneas Syluius †† auctor eſt, qui eandem tamen adpellat infulatam, ex quo patet, iſti coronæ Germanicæ tiaram ſiue infulam quandam, qualem Pontifex ac Cardinales geſtare ſolebant, fuiſſe inſertam. ††† Exinde concludimus, hanc Coronam Imperialem, qualis pingitur, non demum a Caroli V. temporibus †††† eſſe petendam, ſed antiquiorem eſſe, vt ſcilicet & forma a Germanica diſtingueretur.

* ANASTASIVS vita Leonis p. 184. *tunc venerabilis almificus Pontifex manibus ſuis propriis pretioſiſſima corona coronauit eum.*

** THEGANVS cap. VI. *tunc iuſſit eum pater, vt propriis manibus coronam, qua erat ſuper altare, eleuaret & capiti ſuo imponeret.*

*** THEGANVS *cap. XVII.*

† OTTO FRISING. *de geſt. Friderici I. lib. I. c. VII.* HELMOLDVS *Chron. Sla u. lib. I. c.* XXVIII.

†† Hiſtoria Friderici III. p. 80. *corona aurea infulata, pretioſisque cooper-*

cooperta gemmis, Cæsareo capiti imposita. Cum tamen paulo post dicat, ipsum Germanica fuisse visum.

††† Inde in CÆREMONIALI ROMANO dicitur *Imperialis Corona cum sua Tiara.* PETRVS de ANDLO *lib. II. c. VI.* ait: *Apostolicus primo mitram pontificalem in caput eius ponit, ac super mitram imperiale diadema.*

†††† Prout coniectatur SPENERVS *Op. Herald. p. I. c. VI. §. XVI.*

§. XXVI.

Altera GERMANICA æque aureum diadema dicitur Wittichindo,* licet non desint, qui perperam eandem vel argenteam vel ferream dicant.** Est ista, quæ adhuc Noribergæ adseruatur, confecta ex puro auro, quatuordecim librarum pondere, & vocatur: *S. Imperatoris Caroli aurea corona cum arca & cruce, pertinentia ad illam, texta de variis pretiosis lapillis & auro in qua singulariter pretiosius est lapis intextus qui vocatur candidus.**** Ambitus istius coronæ distinguitur in areolas octo, desinentes superne in dimidiatam rotunditatem. Harum quæuis separatim fuit effecta, eapropter, præter ferruminationem, etiam intus simplici ferreo ligamento, digitum minutum lato, quod in orbem circumductum est, inuicem constringuntur. Ex octo illis areolis, quatuor, gemmis & vnionibus rudibus ornantur, quatuor emblemata, siue figuras aliquas pictas referunt, quibus explicandis sententiæ quædam adiiciuntur. Coronæ infixa est Crux, quæ demi potest & septendecim gemmis lucentibus radiat. Post crucem, semicirculus coronæ impositus, idemque margaritis ornatus, cui insculpta hæc verba CHVONRADVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR AVG.**** Ex his verbis autem Conringius potissimum concludit, hanc coronam illam fuisse, quam Conradus, vna cum reliquis insignibus per Eberhardum fratrem Henrico miserit.† Verum,

Wagen-

Wagenſeilius haut vane demonſtrauit, coronam omnino eſſe Caroli M. illam ipſam, qua Ludouicum filium coronari voluerit, †† Circulum autem coronæ additum, in quo nomen Conradi reperimus, a Conrado II. ††† eſſe adiectum, cui ſoli nomen Imperatoris conueniat.

* WITTICHINDVS *lib. II. Ann. ineunte* de Ottone M. *coronatus diademate aureo.*

** SIGONIVS *lib. VII. p. 147.* Coronam ferream dicit THVANVS *lib. XXXII. p. 162.*

*** Sic enim deſcribitur in Diplomate Ludouici Brandenburgici.

**** Ita deſcribit eandem WAGENSEIL. *c. XXVI.*

† CONRINGIVS nititur etiam verbis LVITPRANDI *lib. II. c. VII.* qui ait: *in medium venire praecepit.* De eodem WITTICHINDVS *lib. I. p. 636.* REGINO. SIGEB. GEMBLAC. *ad a. 919.*

†† Prouocat equidem WAGENSEILIVS ad nummum aureum, in quo eadem appareat corona cum Noribergenſi, qui tamen genuinus haut eſſe videtur. In plerisque Impp. Nummis, quorum diuerſos exhibet LVDEWIG *cap. VII. p. 126.* Coronæ non tam ad amuſſim Coronæ Germanicæ, quin potius ex arbitrio monetariorum, factæ fuiſſe videntur, qui etiam ſceptra Impp. in manus dederunt, quæ monſtra potius eſſe videntur. Poſſideo tamen Nummum Friderici II. argenteum, in quo Corona Noribergenſi reſpondet.

††† De Conrado III. quidem videri poſſit, ipſum propriam ſibi Coronam parari feciſſe, eo quod Henricus Superbus, Lotharii, defuncti Imp. gener, ipſi inſignia tradere nollet, OTTO FRISING. *lib. VII. c. XXII.* Aſt, cum iſte Conradus III. eo quo benedictionem papalem non adeptus, ſaltim Regis titulo vſus, immo Henricus ipſi demum in Conuentu Ratisbonenſi inſignia tradidiſſet, neque iſti facile conuenit. Nec Conradi IV. eſſe videtur corona, prout coniectatur GRYPHIANDER *de Weichbildis Saxonicis c. LXX. n. 9.* quam in obſidione Parmenſi amiſerit, cum & iſte nunquam Imperator fuerit factus.

§. XXVII.

Præter hanc Coronam Imperii Germanicam, alia eſt

Imp. propria, & vocatur *die Hauß-Crone.* Vtuntur eadem Impp. vel in processione ad Coronationem, vel mensæ adsidentes, † vel etiam vbi Actus fuerint solennes, licet Recentiores Impp. quandoque Bohemica vsi fuisse dicantur. Immo, in Curiis festiuis Impp. olim iisdem fuisse vsos, coniectura est, dum coronati incessisse dicantur, †† corona autem Imperii ipsos vsos fuisse, ex eo dubium est, quod ipsa prægrauis sit, ad sustinendum vel ad breue saltim tempus parum idonea. Origio eiusdem Coronæ familiaris atq; domesticæ a Carolo M. videtur esse ducenda ††† qui cum tali sepultus, Henricus II. Imp. Cluniacensi Monasterio eiusmodi coronam donauit. †††† Ruperti Imp. Corona in Cimeliarchio Palatino adhuc adseruatur. * Austriacam vero Rudolphus II. Imp. fieri fecit pretiosissimam. **

† Vide cap. super. §. *XXVIII.*

†† Prout dicemus *cap. IX. §. VII.*

††† De eo enim ADEMARVS apud LABBEVM *Noua Bibliotheca Tom. II. p. 169.* quod repertus fuerit *sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra basilicam B. Mariæ coronatus corona ex auro & gemmis.*

†††† ODILO vita Heinrici: *dum fames valida fines Aquitaniæ affligeret, exhaustis iam in pauperum vsus ærariis, mox etiam plurima sacra vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit. Coronæ quoque, quam sibi Cæsar Henricus, ob sui memoriam destinauerat, non pepercit. Indignum ratus talia negare pauperibus Christi, pro quibus effusus est sanguis Christi.*

* Testatur de eo THVLEMARIVS de Octouiratu c. XXV. §. XXV. *Peculiaris corona, (vulgo die Haus-Krohne,) qua vsus est Rupertus Imperator hodie cum aliis clinodiis sancte adseruatur in Serenissimi Electoris Palatini Cimeliarchio, vbi eam in manibus habui.*

** Status Regiminis Ferdinandi II. p. 30. vbi Thesaurus Imperialis describitur: *Inter alia vero visu maxime digna sunt, Corona Cæsarea, cum Sceptro & Pomo Imperiali, ditissima, ex auro & pretiosissimis*

mis Orientalibus Adamantibus ornata, ab Imperatore Rudolpho II. pro ſacra ſua perſona confecta.

§. XXVIII.

Tertia Corona eſt MEDIOLANENSIS regni Italiæ. Hanc vel argenteam* vel ferream** vulgo dicunt, hac addita ratione, quod Longobardi gens bellicoſa ſint,*** cum tamen omnino ſit aurea. Hanc optime deſcripſit MVRATORIVS.**** *Eſt Circulus aureus perquam latus, & gemmulis non leuis pretii exteriori parte circumornatus. Introrſus lamina ferrea inſerta eſt, & non in ſummitate, vt Pontificalis Romani Scholiaſtes deſcribit. Nullæ heic pinnæ, aut radii, queis ceterorum Regum coronæ diſtingui ſolent.* Primam huius Coronæ originem vel a Romanorum Impp. ducunt, & potiſſimum a Maximiano Herculeo.***** Potior illorum eſt ſententia, qui Coronæ originem a Theodelinda, Longobardorum Regina, ſeculo VI. exeunte ducunt, cuius Circulus ferreus interior ex vno ex clauis Dominicis in rotundam laminam verſo fuerit confectus.****** Totus in eo demonſtrando eſt IVSTVS FONTANINI, qui etiam Modoëtienſibus ius coronandi Italiæ Reges adſerere non dubitauit.******* Primam iſtius ſub Coronæ ferreæ nomine mentionem ſeculo XIII. fuiſſe factam, idem arbitratur.† Dum autem a Friderici II. temporibus vsque ad Henricum VII. nullus Impp. apud Italos fuiſſet coronatus, Turrianorum Mediolanenſium fraude ablata fuerat antiqua corona Longobardica,†† vt Henricus VII. nouam coronam ex nitido chalybe fabricatam, inſtar ſerti laurei, quo triumphatores Auguſti olim coronabantur, & lapillis pretioſis ornatam,††† fabricari iuſſerit, eademque coronari voluerit. Hanc Abbati Cœnobii Ambroſiani ſolemnibus formulis XIX. Aprilis 1311. tradidit adſeruandam.†††† Antiqua autem Corona, ope Matthæi Vice-Comitis a. 1319. in priſtinum locum

ſuum poſtmodum fuit reſtituta. ††††† Quadriennio poſt Canonici Modoëtienſes hanc Coronam ſub terram defoderunt, quæ dein Auenionem fuit translata a. 1345. vero Modoëtienſibus reſtituta. ††††††

* HENRICVS REBDORF. *ad a. 1326.* HENRICVS STERO *ad a. 1329.*

** ALBERTVS ARGENTOR. p. 124. *fuit autem Ludouicus Mediolani corona ferrea coronatus.*

*** GEORG. MERVLA *Antiquit. Vice-Comitum lib. VII. p. 156.* ſed addit, puerile hoc videri, talia litteris mandaſſe.

**** *De Corona ferrea cap. I.* FONTANINVS vero *cap. IV.* Coronam hoc modo deſcribit: *Eſt lamina ferrea, vix vnius digiti parui altitudinis, cuius ambitus interior extenditur ad duos palmos Romanos architectonicos, tresque vncias & ſemis, quæ menſuram quatuor digitorum efficiunt. Totus hic ambitus viginti ſeptem vncias & ſemis architectonicæ Romanæ, conficitur. Ipſa Corona eſt ex auro purisſimo, encauſto & gemmis XXII. varii coloris ditata, & ſummo vertici capitis aptanda, quæ ad trium digitorum altitudinem pertingit. Latitudo quam dicunt circumferentiam, extra laminam ipſam nequaquam progreditur. Eſt ſine vllis radiis, vittis, aut redimiculis & ſuperne vacua, vti diximus: quæ eius vetuſtatem produnt.* Brevior eſt TRISTANVS CALCHVS *Hiſt. Mediol. lib. IV. p. 157.* ſcribens: *eſt autem Circulus ferreus, quem Corona aurea gemmis, margaritisque ornata extrinſecus circumducta complectitur. Intus ferrum apparet, a quo & nomen tenet. Seruatur ea in oppido Moguntino.*

***** Plures hac de re Scriptores Italos, potiſſimum GVADVANEVM *Chron. Maiori c. 328.* adlegat MVRATORIVS *c. II.*

****** Communis hæc eſt traditio, quam comprobant SIGONIVS & TRISTANVS CALCHVS *c. I.* IOS. RIPAMONTIVS *Hiſt. Eccl. Mediol. Dec. I. lib. VIII. p. 501.* BARTHOLOM. ZVCCHIVS *in Hiſtoria Reginæ Theodelindæ ferreæque Coronæ* an. 1613. euulgata. FONTANINVS *de Corona ferrea c. II. & III.* qui in eo totus eſt, clauum iſtum Dominicum Theodelindam a Gregorio M. Papa dono accepiſſe. Licet MVRATORIVS *c. XV.* vtrumque plane refutauerit, nec FONTANINI, qui ipſius argumenta euertere adgreſſus fuit, ipſi ſatisfecerit.

******* Pro-

******* Prodiit huius Differt. *de Corona ferrea Longobardorum*, primum *Romæ 1717.* recusa postmodum *Lipsiæ 1719. 8.* vbi in titulo statim ectypus Coronæ ferreæ exhibetur. Adnexus est editioni Lipsiensi LVDOVICI ANTONII MVRATORII *de Corona ferrea Commentarius*, qui primum Mediolani separatim prodierat, & Mediolanensi vrbi honorem regiæ Coronationis tribuit.

† Demonstrat hoc ex ROLANDINO qui *lib. XI. Chron. c. V.* de Ezelino tyranno ad a. 1159. sic scribit: *burgum Moditiam attentauit intrare, volens eam priuare forsitan illa nobili dignitate Coronæ Ferreæ, quæ illic est ab antiquis nostris in honorem Lombardicæ libertatis hac de caussa reposita, vt scilicet, quandocunque fuerit Romanorum Imperator, post electionem de se factam in Regem Alemannorum, hic idem Corona illa ferrea primitus coronetur.* De Ottone IV. Imp. idem refert quod a. 1208. Modoëtiæ corona ferrea fuerit redimitus.

†† Exhibet FONTANINI *cap. V.* ex BARTHOLOMÆO ARESIO ad calcem Chronologiæ Abbatum Cœnobii Ambrosiani *p. 92.* epistolam ARNALDI de PELAGRVA Cardinalis & Legati Apostolici, ad Monachos Eiusdem Cœnobii scriptam, in qua præ ceteris hæc leguntur: *quia instat tempus coronationis, quam Serenissimus Princeps & Dominus Henricus, Dei gratia Rex Romanorum illustris recepturus est in partibus istis, reddimur corde solliciti, vt circa Coronationem ipsius adhibeamus diligentiæ studium efficacis. Sane quum idem Dominus Rex ad exquirendam vbi & in quo loco sit* CORONA FERREA, *quam habiturus est, suique habuerunt prædecessores, nec non ad perscrutandum, sciendum, & se plenius informandum de modo & forma tenendis in coronatione iam dicta*, MVRATORIVS *c. XIII. p. 90.*

††† Sic enim describitur apud IO. VILLANVM *Hist. Florent. lib. IX. c. IX. p. 384.* in Glossa de eademque dictum *cap. super.* §. *XXXVIII.*

†††† Tabulas hac de re confectas ex BARTHOLOMÆI ARESII Priuilegiis ac Diplomatibus Ecclesiæ S. Ambrosii *p. 93.* exhibet MVRATORIVS c. XIII. in quibus: *Magister Bartholomæus de Varginiana Bononiensis, & Magister Andreas de Puteo Placentinus Medici Serenissimi Regis Romanorum Domini Henrici Septimi, præsentauerunt auctoritate, voluntate dicti Regis præfato Domino Dopno Abbati Coronam Fer-*

Ferream Lauream, cum qua extitit coronatus in prædicta Ecclesia B. Ambrosii Mediolani coram Altare eius in Regem Italiæ in eodem Anno in die Epiphaniæ Domini. Volens dictus Dominus Rex, ipsam in dicto Monasterio ad perpetuam eius memoriam conseruari debere. Inter Testes nominari videmus Magistrum Landum de Senis Aurifabrum Domini Regis, qui prædictam Coronam propriis manibus fabricauit.

††††† FONTANINI *c. V. p. 60.*

†††††† Hoc latius persecutus fuit FONTANINI *c. VI.*

§. XXIX.

Binas ab isto tempore Coronas fuisse Italicas, facile concedimus. Altera Ferrea ista Henrici VII. Laurea etiam dicta, quæ adseruabatur Mediolani in Basilica Ambrosiana, altera antiqua aurea, qualem repræsentat Fontanini, cum circulo ferreo interiori in Templo S. Iohannis Baptistæ adseruata. * Dum autem subsequentes Impp. Ludouicus Bauarus, Carolus IV. Sigismundus Mediolani in æde Ambrosiana Fridericus III. an. 1452. corona ferrea fuissent redimiti, sine dubio illa Henrici VII. Mediolanensis intelligenda esse videtur, quæ in æde Ambrosiana adseruabatur. Carolus V. vero Bononiæ a. 1529. a Clemente VII. Papa Corona, quam Modoëtienses attulerant, fuit coronatus. ** Dum igitur Mediolanenses suam coronam præferri vellent, Modoëtiensem illam per contemptum dixerunt *palearem*, quasi vilipendendam. ***

* Hoc prolixius deduxit MVRATORIVS *c. XIII.*

** De hoc *super. cap.* §. *XXXIX.*

*** SIGONIVS lib. VIII. de R. Italiæ ad a. 1026. *quam* (Modoëtiensem) *coronam, Mediolanenses, inuidia perciti, ad contemptum palearem vocarunt.* Explicat hoc ANDR. ALCIATVS *in Formula Romani Imperii p. 26. Contemtus causa paleam dictam fuisse prisco loquendi more, quo viiis res & nihili palea dicitur.* Hoc modo intelligendus PASCHALIVS *de Corona lib. X. c. VII.* ait: *Modoëtiensem coronam inuenio fu-*

iffe

ipse e palea, quum illa, quæ accipiebatur Mediolani, esset ferrea, vid. FONTANINI *c. VII. p. 73.* MVRATORIVS *c. XIII. p. 83.*

§. XXX.

POMVM IMPERIALE, describente Wagenseilio, * modicum est, & quod virilis manus facile complectatur. Intus illud terra repletum esse Gothofredus Viterbiensis testatur. ** Hanc, siue materiam aliam, bractea aurea circumuestit. Ambit illud medium, circulus gemmis refertus, & talis quoque est Crux, desuper insita immobilis. SCEPTRVM Imperiale ingens quidem est, sed argenteum tantum, *** & leuiter inauratum. More vulgatorum sceptrorum, ornatu destituitur, nisi quod in summitate folia querna sex habet, quorum tria, per alternationem sursum, totidem deorsum vergunt, desinitque in querneam glandem. ANNVLI inter Imperii Insignia bini reperiuntur. Alter grandis Annulus cum ingenti pyropo, quatuor saphyris & quatuor vnionibus qui ab vno Duce Brunsuicensi inter Insignia Imperii deuenisse dicitur. Alter annulus cum vno pyropo. ****

* *c. XXVI. p. 239.*

** GOTFRIDVS VITERBIENSIS, qui Chron. p. XIX. exeunte mysticam Insignium Imperii exhibet explicationem globum aureum sic explicat:

Aureus ille globus, Pomum vel palla vocatur,
Vnde figuratum mundum gestare putatur,
quando coronatur, palla ferenda datur.
Significat mundum, forma perhibere rotundum,
Intus habet plenum, terrestri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Vt foret Imperii manibus gestanda supremis,
Hac tu is Imperium Iulius arte suum.

Taliter hunc mundum gestat manus vna rotundum,
Regius includit sic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

In Diplomate Ludouici Brandenburgici saltim vocatur: *aurum pomum vna cum aurea cruce S. Caroli.*

*** An hoc Sceptrum Caroli M. fuerit, scrupulum mouere videtur, quod iste aureo sceptro vsus fuisse dicatur. Sic enim ADEMARVS in Chronico apud LABBEVM *in Bibl. Tom. II. p. 169.* describens, qua ratione Otto III. Imp. Caroli M. tumulum aperiri fecisset, ait, quod repertus fuerit: *sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra basilicam B. Mariae. Coronatus corona ex auro & gemmis, tenens sceptrum & ensem ex auro purissimo & ipsius corpus incorruptum inventum est, quod, leuatum populis est demonstratum.* De eodem Carolo MONACHVS SANGALLENSIS lib. I. c. XIX. *sceptrum, quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus.* LVDEWIG equidem cap. VII. p. 147. nihilominus pro sceptro Caroli M. habet, cum haut raro etiam aureum dicatur, quod saltim fuit inauratum. Verum, sceptrum Caroli cum ipso fuit sepultum, nec in historia Ludouici Pii memoratur tale ipsi fuisse traditum. Aliud igitur confectum esse videtur, a quonam vero Imperatore, definire non ausim. De Ludouico Pio VITA LVDOVICI apud du CHESNE Tom. II. p. 319. *Et Lothario quidem Coronam, ensem, sceptrum auro gemmisque redimitum, eo tenore habendum misit,* Inter Insignia, quae Conradus I. moribundus Henrico Aucupi transmisit, apud LVITPRANDVM lib. II. c. VII. at que EKKEHARDVM *de Casibus S. Galli c. V.* Sceptrum etiam memoratur.

**** In Diplomate Ludouici Brandenburgici, sic describuntur. Inter Imperii autem Insignia annulum ab antiquo fuisse, docet nos HELMOLDI Chron. Slav. lib. I. c. LXXII. n. 2. 3. *missi a principibus venerunt ad regem Henricum III. dicentes: Fac nobis reddi Coronam, Annulum & Purpuram, ceteraque ad inuestituram imperialium pertinentia.* Annulus etiam hodie in coronatione Imp. cum certa formula traditur.

§. XXXI.

§. XXXI.

Tres GLADII in Coronatione adhibentur, bini adseruantur Noribergæ, tertius Aquisgrani. In gladio, qui Caroli M. esse dicitur, prægrandi, pomum manubrii rotundum, ex vno latere aquilam simplicem, ex altero Leonem ostentat, cum cauda bifurcata, in altum protensa. Vagina ex argento est deaurata, gemmis, & vnionibus ornata, Laminæ, vbi latissima est, secundum longitudinem hinc incisum: CHRISTVS VINCIT. CHRISTVS REGNAT. CHRISTVS IMPERAT. Inde CHRISTVS VINCIT. CHRISTVS REGNAT. * Gladium huncce cœlitus Carolo M. ab Angelo fuisse delatum fabula est. ** In *altero* gladio, quo vsus dicitur Mauritius Martyr, pomum in capulo cordis alicuius figuram imitatur, superne enim latum, fit deinde angustius. Huius pomi vnum latus nota caret, in altero aquila dimidia additos habet Leopardos tres, sibi inuicem impositos. In laminæ vna parte leguntur verba: BENEDICTVS DOS DES in altera: DEVS QVI DOCET MANVS. *Tertius*, qui Aquisgrani adseruatur, æque dicitur fuisse Caroli M. & formam habet acinacis, quo Imp. in Coronatione solet accingi cum baltheo. ***

* WAGENSEIL p. 241. SCHMIDT im eröfneten teutschen Audientz-Saal p. III. c. III. p. 125. Hunc FERRARIVS *in Hist. Coronationis Iosephi* describit c. V. *Das Schwerdt Caroli M. welches grösser und breiter als manches Richt-Schwerdt, hat eine silber vergüldte und mit kleinen Pörlen zu Bezeichnung gewisser Figuren, eingelegte Scheide.*

** In Supplicatione Noribergensi apud LVDEWIG App. p. 14. *Vnd darnach weiset man auch K. Caroli Schwerdt, das ihm der Engel brachte, damit er in Göttlicher Krafft gar viel Streit zu Trost der Christenheit und mächtiglichen Sieg erhalten hat.* Et Martinus V.

in Bulla sua p. 19. *Gladius magnifici Caroli Imperatoris & Angelica, vt dicitur, manu porrectus.*

*** SCHMIDT *c. IV. p. 137.*

§. XXXII.

VESTIMENTA talia esse dicit WAGENSEILIVS, * qualia a MAVRO ** describuntur. Vestimenta autem putat clericalia esse, eo quod Diaconi † munus subeant Impp. ideoque illorum more vestiantur. Licet MAMERANVS †† habitum Cæsaris talem describat, quo Pontifices Missæ sacrificium facturi indui soleant, significantem Rom. Imp. Religionis Christianæ assertorem, promotorem & defensorem semper & vbique esse debere. Quæ ratio magis videtur probanda, cum Vestimenta hæc non tam sacerdotalia, cum holoserica sint gemmis atque vnionibus exornata, quin potius ad imitationem sacerdotalium confecta. †††

* *p. 240.*

** Loco supra adlegato §. *XXIV.*

† THVANVS lib. XXXII. p. 163. de Maximiliano II. quod *diaconi instar fuerit indutus.* De eodem GOLDASTVS *Reichshandlungen* p. 167.

†† De inuestitura Mauritii sub initium apud SCHARDIVM *Tom. II. p. 509.*

††† LVDEWIG *c. VII. p. 132.* hæc regalia demonstrat esse Vestimenta.

§. XXXIII.

Inter hæc Vestimenta referendæ sunt tres Tunicæ, * quarum vna violacei coloris, contexta in manicis auro & vnionibus. Altera toga phœnicia, cum nigris aquilis. Tertia candida, ALBA dicta, eademque holoserica, in manicis contexta lapidibus & vnionibus. ** Dicitur ista etiam DALMATICA, quia in Dalmatia primum fuit adinuenta. *** Habitus iste est Regalis, verum ad instar Albæ sacerdotalis quæ vulgo ad-

adpellari ſolet *das Chor-Hembd* confecta. Sequitur STOLA Imperialis, quorum vna contexta auro, lapidibus & vnionibus altera ſimplex eſt. Iſta crucis & ſimplicis aquilæ figuras intextas refert, quæ ita ſparſæ ſunt, vt omnia fere ſpatia illius occupent repleantque. Conſiſtit iſta in duabus faſciis latis transuerſim ſuper humeros poſitis. **** Super hæc Imp. ornatur PALLIO Caroli M. quod, cum duobus leonibus contextum eſt ex auro, lapidibus atque vnionibus. ***** Hoc, quia corpus tegit a pluuia, antiqui Scriptores PLVVIALE vocant. Cingitur etiam ZONA, *dem Stolgürtel*, quæ coriacea eſt, & retinaculum eius aureum, omnia pretioſis lapidibus affabre decorata. CHIROTHECÆ cum lapidibus, vnionibus & auro. SANDALIA quoque auro & vnionibus inſigniter ſunt ornata. ****** Memoruntur quoque OCREÆ, TIBIALIA, quæ tamen non ab omnibus definiuntur. *******

* In Diplomate Ludouici Brandenburgici ſic exprimuntur. *Adeſt quoque 10) candida toga S. Caroli in manicis contexta lapidibus & vnionibus - - adeſt etiam 23) cærulea toga contexta in manicis auro & vnionibus & alia 24) phœnicia toga cum nigris aquilis.* In deſignatione Noribergenſi apud LVDEWIG *in Syllabo p. 24. Item ein braune, ein ſchwartze und weiſſe geweyhte Kleidung, genant Dalmatica, Chor-Mäntel.*

** In Enumeratione Inſignium apud LVDEWIG *App. p. 40.* vocatur *der Kayſerliche Rock. Dieſer Rock gleichet einem köſtlichem Meſsgewand, und iſt mit Perlen und Edlen Geſteinen verſezt, Dalmatica genant: Es iſt auch darbey ein Chor-Mantel und Stol-Gürtel, und vvird nach der Wahl dem neuen Kayſer oder Rœmiſchen Kœnig angezogen.*

*** Prout tradit ISIDORVS *Originum lib. XIX. c. XXII.* DVRANDVS *Rationali lib. III. c. XI.*

**** Prout in Diplomate Ludouici Brandenburgici deſcribitur.

***** Sic in eodem Diplomate. Id quidem ad imitationem vete-

ris Paludamenti Cæsarei, de quo FERRARIVS *de Re Vestiaria p. II. lib. III. c. IV.* LAZARVS BAYFIVS *de Re Vestiaria c. XI.*

****** Hæc omnia in dicto Diplomate Ludouiciano hoc modo exprimuntur. Sandalia autem a Carolo M. trahere originem conjectari licet, eo quod EGINHARDVS de ipso tradit cap. II. *Peregrina indumenta respuit Carolus M. Adriano tamen pontifice & Leone supplicante, longa tunica & chlamyde amictus, & Calceis quoque Romano more formatis induebatur. In festiuitatibus, calceamentis gemmatis ornatus, incedebat.* Singula hactenus descripta, vberius exposuit LVDEVVIG *c. VII.*

******* Plura superesse, patet ex Designatione Noribergensi apud LVDEVVIG *App. p. 14. und viel andere eim Kayser zugehœrende Ding, bey 20. Stück oder mehr.* In Diplomate dicto Ludouiciano præter dicta memorantur: *17) tria aurea calcaria. 20) pomum turibulum aureum. 21) duæ bene candidæ partes ceræ, & vnum 22) calefactiuum pomum:* Et paucis interiectis: *Adest etiam vnum deauratum 30) scrinium, in quo est 31) vnum instrumentum, seu testimonium, & vna 32) crystallus cum reliquiis, & vna 33) aurea vacua cruceda.*

§. XXXIV.

Hæc autem Imperii Cleinodia, iis exceptis, quæ Aquisgranum tenet, primitus ab ipsis Impp. adseruabantur, † qui eadem vel successoribus destinatis transmittebant, id quod ex Conradi I. Historia patet, qui Henricum Aucupem per transmissionem Insignium successorem declarauit * vel hæredes defuncti Imperatoris eadem nouo electo tradebant, prout ea Henrici II. vidua Cunigunda Conrado Salico obtulit. ** Henricus V. vero, dum patri Imperium præripere conaretur, ipsi etiam Imperii Insignia extorsit. *** Huius vidua Mathildis Imperii Insignia tenuit, ad quæ reddenda ipsam Albertus Moguntinus induxit. **** Post Lotharii Cæsaris mortem, Henricus Superbus, gener ipsius, Regalia tenebat, ad quæ tamen restituenda ipsum adigebat Conradus III. Impera-

perator. ***** Fridericus Barbaroſſa a. 1189. in Palæſtinam tendens Inſignia tradidit filio ſuo Henrico VI. ****** Hoc vero demortuo, Inſignia tenuit frater ipſius Philippus. Ottone IV. e viuis ſublato, frater ipſius Henricus Brunſuicenſis, quæ demum a. 1212. Friderico II. tradidit. † Rudolpho Habsburgico Inſignia tradita fuerunt Moguntiæ. †† Ludouicus Bauarus eadem in ſede ſua Monaci adſeruauit, quæ tamen eodem defuncto, filius ipſius Ludouicus Brandenburgicus conceſſa ipſi Marchia Brandenburgenſi Carolo IV. a. 1350. obtulit. †††

† Patet hoc etiam ex Bulla Innocentii VI. de Feſto Lanceæ Domini, in qua: *inter Sacras Reliquias, quæ Imperiales vulgariter nuncupantur, quæque tanquam precioſiſſimus Imperii Romani Theſaurus, conſueverunt per Romanum Regem ſeu Imperatorem, qui eſt pro tempore conſeruari, feruentisſime honorari.*

* VVITTICHINDVS *lib. I. p. 636.* LVITPRANDVS *lib. II. c. VII.* S. H. G. *diſſ. XI. §. XII.*

** VVIPPO p. 426. *Imperatrix Chunegunda regalia inſignia quæ ſibi Imperator Heinricus reliquerat, gratanter obtulit.* S. H. G. *diſſ. XIV. §. II.*

*** S. H. G. *diſſ. XV. §. XLVI.*

**** OTTO FRISINGENSIS de G. Friderici I. lib. I. c. XV. *Henricus V. Imperator rebus humanis ereptus eſt. Ac imperatrix Mathildis, Henrici Regis Anglorum filia, Regalia in ſua poteſtate habebat. Quam Albertus, Moguntinæ eccleſiæ archiepiſcopus ad ſe vocauit falſisque promisſionibus ad ſibi tradenda Regalia induxit.*

***** OTTO FRISINGENSIS lib. VII. c. XXII. *Dux vero Henricus, in cuius finibus obierat* (Lotharius) *Regalia reſeruauit, vt in Generali Conuentu Principum, qui in proxima Pentecoſte Moguntia indictus fuerat, præſentaret.* S. H. G. *diſſ. XVII. §. II.*

****** ARNOLDVS LVBECENSIS lib. VI. c. II. *Inter hæc Philippus, qui Imperialia tenebat inſignia, fratri ſuccedere adſpirabat.* CONRADVS VRSPERGENSIS p. 319. *Volebat Philippus tenere imperium, cum in poteſtate ſua*

sua haberet insignia imperialia, vtpote Coronam & Crucem, & alia, quæ attinebant. Non enim cautum esset sibi, vt ad alium transiret Imperium & sic tam ipse, quam patruelis suus, licet tunc paruulus, omni hereditate priuarentur.

† ALBERTVS STADENSIS ad a. 1219. *Rex Fridericus conuentu habito apud Goslariam Principes conuocauit, vbi Dux Henricus ei Imperii insignia præsentauit.* MAGN. CHRON. BELG. p. 221. *Rex Fridericus II. Coronam & Lanceam ceteraque Regalium ornatuum Insignia recepit ab Henrico Duce Saxoniæ, fratre Ottonis quondam imperatoris: Datis eidem duci vndecim marcarum millibus. Qui dux omnia, quæ fratris erant vel quæ Otto, post amissum imperium vndecunque congregauerat, post mortem fratris sui vsurpauit.*

†† CHRON. COLMAR. ad a. 1273. *Venit Moguntiam Rudolfus I. Hic præsentantur ei regalia, quæ prædecessores reges magna pecunia non poterant obtinere.*

††† HENR. REBDORF ad a. 1351. *anno Domini MCCCL. qui fuit Iubileus VI. mense Aprili Ludwicus Marchio Brandenburgensis insignia Imperialia, videlicet lanceam, qua perforatum fuit latus Domini nostri Iesu Christi, & clauos, ac gladium Karoli magni, nec non alia quæ reseruata fuerunt in oppido Monaco per Ludwicum patrem suum tradidit Karolo Regi prædicto in Nurenberg, qui in Bohemiam in ciuitatem Pragensem ipsa deducit. Vnde Innocentius Papa postea de his speciale festum indixit.* Extat Diploma dicti Ludouici, in quo Insignia sigillatim enumerat, & Caroli IV. exhibet, apud LVDEWIG *in Syllabo Monum. Noribergæ Insignium Imperialium Tutelari, adiecto p. 1.* Aliam designationem horum Insignium, quæ a Ludouico acceperit, videmus apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. 204.* & WAGENSEIL *de Rep. Noriberg. c. XXVI.* Dum igitur Imperii Insignia Carolus teneret, ex eo sine dubio fuit ortum, quod Leonem Bohemum gladio, qui alias Caroli M. esse videtur, fecerit insculpi. S. H. G. *diss. XXVII. §. XVI.*

§. XXXV.

Fuerunt etiam Impp. qui Insignia certis personis commendarent, vel eadem certis in locis voluerint adseruari. Phi-

Philippus Cæſar Conrado Spirenſi Epiſcopo eadem commiſit, qui Ottoni IV. illa haut reddidit, niſi poſtquam ſpem accepiſſet, vt in munere Cancellarii Imperialis ab eodem confirmaretur. * Fridericus II. Imp. eadem cuſtodiri voluit, ſub poteſtate Eberhardi de Tanne, Miniſterialis & Dapiferi ſui in Waldburg. ** Henricus V. cum morti eſſet vicinus, eadem vsque ad Conuentum Principum in caſtro Hammerſtein voluit adſeruari. *** Sueuici Impp. in caſtro, Rheno vicino Driesfelt voluerunt cuſtodiri. **** Otto IV. poſt Romanam Coronationem eadem a. 1209. Mediolanenſibus commiſit. ***** Agnes Alberti I. filia in caſtro firmiſſimo Kyburg repoſuit. ****** Carolus IV. licet ſub hac conditione illa accepiſſet, vt vel Francofurtum vel Noribergam transferrentur, attamen, vt ſuæ familiæ proſpiceret, illa Pragam detulit ******* atque poſtea in caſtro Karlſtein fuerunt adſeruata.

* CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 326. Heinricus vero de Scharphinberg Spirenſis epiſcopus, qui fuerat protonotarius in curia Philippi, in poteſtate habebat in caſtro Triuels coronam & crucem, & inſignia regalia, quæ nec etiam reſtituere voluit, niſi fieret cancellarius imperialis aulæ: quod & factum eſt.* Verum autem Epiſcopi nomen Conradi ſupponit LEHMANNVS *Chron. Spir. lib. V. c. LXXVII.*

** CONRADVS VRSPERG. ad a. 1221. p. 335. *& inſignia Imperii, videlicet coronam & alia, remittit in Alemanniam, faciens ea cuſtodiri ſub poteſtate Eberhardi de Tanne miniſterialis & dapiferi ſui in Walpurc.*

*** CONRADVS VRSPERGENSIS ad a. 1125. p. 284. *Henricus V. Traiecti ad extrema cœpit propinquare, vocatisque qui ſecum erant, regina Mathilde coniuge ſua, ceterisque primatibus, prout potuit, de regni ſtatu conſilium dedit. Coronam, ceteraque Regalia, vsque ad conuentum Principum conſeruanda, in caſtellum firmiſſimum, quod Hamirſtein dicitur, reponi diſpoſuit.* Licet teſte eodem VRSPERGENSI *p. 287.* penes Fridericum & Conradum, mortuo auunculo ſuo Henrico V. iuniore, inſignia imperialia remanſerint.

**** Patet hoc ex historia Philippi superius nota * adducta. Patet hoc etiam ex epistola Guilielmi Bataui ad Abbatem Egmondensem apud IO. de BECKA p. 87. *insuper accedat tibi ad cumulum gaudiorum, quod castrum Driesuelt & insignia Imperialia, diadema videlicet cum multis sanctuariis & ornatu ineffabili lanceam & coronam in nostro Dominio iam habemus & pacifice possidemus.*

***** CONR. VRSPERGENSIS ad a. 1209. p. 316. *Insignia quoque imperialia apud Mediolanum commisit, vnde magnum fauorem a Mediolanensibus acquisiuit.*

****** FELIX FABER Hist. Suev. lib. I. p. 140. *Agnes Hungariae Regina, Alberti I. Caesaris filia, in castro Kyburg capellam pulchram aedificauit in honorem depositionis dominici corporis de cruce, ad quam peregrinantur homines. Hanc capellam construxit propter Imperiales Reliquias, quae hodie Noribergae conseruantur. Quae tunc in Kyburg seruabantur tanquam in loco tutissimo.*

******* OTTO de S. BLASIO c. XXXII. *Fridericus Imperator generalem curiam Presburch, in marchia Hungariae, celebrans, exercitum peregrinorum in militiam Christi coadunauit, traditisque Regalibus Henrico regi, filio suo, diuisisque pro velle suo inter filios praediorum suorum reditibus, cunctis valedixit.* ALBERTVS STADENSIS p. 156. *Marchio quoque lanceam, clauos, partem crucis Christi, & alia insignia, quae Imperii dicuntur per Ludouicum Imperatorem patrem suum, relicta, Regi praesentauit, recepta cautione de reducendo infra triduum, vel in Nurenberg, vel in Franckfurt, per Regem: quod non fuit impletum, sed ea Pragam perduxit, de quo Bohemia nimirum gratulatur.*

§ XXXVI.

Sigismundus vero Imp. dum Hussitarum motibus Bohemia nimium concuteretur, istique vnam arcem post alteram occuparent, vt illarum securitati prospiceret, a. 1424. Imperii Insignia ex castro Bohemiae Carlstein in arcem Hungariae Vicegradensem, dictam Plintenberg, deferri iussit. Verum, nec ibi illa secura esse iudicans, consensu Martini V. Papae

Papæ Noriberga ad horum Insignium tutelam fuit destinata * eo quod locus iste esset tutior atque Christianæ pietatis laude in primis floreret. ** Tradita ista fuerunt aurigæ, quid ferret, nescio, comitantibus currum Sigismundo Stromero ac Georgio Pfentzingio, qui, dum propiores vrbi fuissent facti, misso præcursore Insignium aduentum indicant. Clero igitur per dimidium milliare obuiam procedente, Thesaurus iste hora IX. die XXI. mensis Martii 1424. magna omnium veneratione Norібergæ excipitur. *** Delatus iste primum fuit in ædem D Sebaldi, **** in eademque per tempus haud modicum fuit adseruatus, constitutis Gazophylacibus, vtroque Præposito Sancti Wilibaldi & Sancti Laurentii, quibus a Duumuiris senior adiunctus erat, ita, vt vnusquisque propriam clauem haberet, nec vnus sine duobus, nec duo sine tertio, claustra reserare possent. Postquam vero ædes S. Spiritus siue Xenodochium, quod nouum vocant, *der Hospital zum H. Geist*, super Pegnesi amnis ripas immensis opibus ad pauperum atque ægrotantium vsus fuisset extructam, eademque a Bambergensium præsule consecrata, in illam hæc Insignia deferri iussit Sigismundus, sub dictis Cimeliarchis. ***** In eadem in hunc vsque diem cistæ ferreæ e laqueari suspensæ inclusa in solemnes vsus custodiuntur ****** Martinus V. etiam Papa, singulari Bulla de a. 1425. idem Ius Tutelare Noribergensibus in æternum confirmauit, quod a Pio II. & Nicolao V. Papis fuit denuo repetitum. †

* CHRON. ELVVANGENSE. *a. 1424. Dominus rex Hungarie & Boemie sanctas reliquias, quas de Boemia in Hungariam transtulit, ad Noribergam ciuitatem transmisit. Que ibidem plebi in Non. Maii sunt ostensa cum magna solennitate.* ANDR. PRESBYTER Chron. Bauariæ an. 1424. *tempore quadragesimæ reliquie & insignia Imperialia de castro Karlstein in Bohemia per Sigismundum regem ad Vicegradum, vulgariter Plintenberg in Vngariam, propter hereticorum perfidiam*

deducta, de Hungaria in Nurnbergam, ciuitatem imperialem, sunt portatae. Vid. etiam LVDVVIG *Noriberga Tutelari cap. II. §. III.*

** Ipse Sigismundus apud ERDTMANNVM *de Sacris Reliquiis cap. II. p. 14.* his vsus fuit rationibus: *cum ciuitas illa satis vtique contra hostiles impetus munita tum temporis, omnium maxime, prae aliis Germaniae vrbibus, ac oppidis, Christianae pietatis laude, in dies magis magisque, floreret, & populus, Diuini cultus amore, totus quodammodo inflammatus, interdiu noctuque, diuinis laudibus, incredibili prorsus animorum promptitudine, vacaret.* In Bulla vero Martini V. haec habentur: *Quod Imperialis Ciuitas Nurimbergensis Bambergensis Diaecesis, prae caeteris, illarum partium Imperialibus Ciuitatibus, oppidis atque locis, Potens, Insignis & famosa, Ecclesiastico Decore conspicua, Christianae Fidei, Deuotissimis etiam, vtriusque sexus, zelatoribus, praepollens, in regenda Reipublicae Politia, singularis Prudentiae viris ornata, ac demum ipsi Regi, ex omni parte accommodatior existeret, Reliquias & Insignia ipsa, ad Ciuitatem eandem, cum debita veneratione transferenda, ac ibi ad laudem Dei, & Sacri Decorem Imperii reponenda, prouidit ac decreuit, perpetuo conseruanda.* Alias rationes, vtpote quod Sigismundus ea Noribergensibus pro 50000. florenis oppignorauerit, prout contendit CZECHOROD *in S. Metrop. Prag. radio IV. p. 405.* merito reiicit LVDEVVIG *c. III.*

***Demonstrat haec LVDEVVIG *p. 18.* potissimum ex Codice Chronici Magdeb. Imhofiani: *His temporibus* (1424) *fuerant ibi* (*in vicinia Budae*) *reliquiae, quae pertinent ad imperatoriam dignitatem. Quae postea venerunt in Noribergam, in curru cum husonibus* (*piscibus,*) *veredario nesciente. Et quando adpropauit ciuitati Norībergae, quasi per dimidium milliare, venit clerus cum crucibus & reliquiis. Et tunc primitus erat ipsi dictum, quod duxisset tantas reliquias. Qui descendit ab equo, cadens in terram, adorauit sacrum thesaurum illum & sic pedestris ducebat currum cum equis, vsque in locum, vbi adhuc sunt recondita in hospitale S. Spiritus. Et omni anno semel, scilicet feria sexta ante misericordias domini cum magno honore erat ostensio eorum.* De Noribergensium vero Deputatis ad hoc negotium ex Chronicis MStis LVDEVVIG *c. II. §. IV.*

**** Ta-

**** Tacet de eo & VVAGENSEIL & LVDEVVIG. Verum ERDTMANNVS *de Sacris Reliquiis cap. IV.* fin. hæc ex Annalibus Noribergensium MStis vt ipse ait, comprobauit, potissimum c. VII. p. 23. ex antiquo Chronico MSto: *Vbi cum anno Redemptoris M. CCCC. XXIV. Die 21. Martii, in Festo sancti Benedicti a Bambergensi Episcopo, & eius Suffraganeo, multisque aliis Prælatis, Pontificiali ritu habituque exceptus, appulissent, mirum dictu, quanto totius Cleri, populique applausu, quanto cum gaudio, quantaque omnium veneratione, in sancti Sebaldi Basilica, tantisper collocata, donec stabilis, & firma sedes, ac Domicilium, in Ecclesia noui Hospitalis S. Spiritus ita volente Imperatore Sigismundo, assignaretur. Et vt sacrosancta illa Insignia, isthinc, a nemine vnquam, cuiuscunque dignitatis aut status is esset, nisi in eo casu quo contingeret Ciuitatem totam in Hæresin degenerare, & ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate separari, singulare priuilegium, vna cum annuæ Ostensionis festiuitate, & sacrarum Indulgentiarum impertitione, Sigismundus Imperator, a Martino Quinto Summo Pontifice, impetrauit, quam etiam Nicolaus Quintus. & Pius Secundus authoritate sua, secundo ac tertio confirmarunt.*

***** Confirmat hoc idem ERDTMANNVS *c. V.* & CONRADVS CELTES de Ciuitate Noribergensi: *Xenodochium, quod nouum vocant super Amnis Pegnesi ripas, immensis opibus & structuris, ad pauperum curam ditatum & extructum est: In cuius Templo, Sacrosancta Imperatorum nostrorum Reliquia, maxime de Saluatoris cruce cum Lancea, & Caroli Magni Insignibus, quibus Imperatores nostri, hodie, ad Aquas Graneas hoc est, Apollineas, Cæsares declarantur: has Sigismundus Cæsar, in eo metu, quo Bohemia à Catholica Religione, defecerat, à Praga, Bohemorum Metropoli, securitatis & venerationis ergo, Norimbergam traduxit.*

****** THVLEMARIVS *de Octouir. c. XXV. §. XXXVIII.* PASTORIVS in Franconia rediuiua c. III. p. 251. *Wenn die Reliquien besichtiget worden sind, so thut man sie wieder in einen silbernen Kasten und zeucht sie wieder hinauf, daß sie oben im Chor in der Höhe hangen, gegen Abend des Altars. Der Kasten wird mit drey Schlüsseln aufgesper-*

gesperret, deren einen der Obriste Losungs-Herr; den andern der Hospital-Meister; den dritten der Herr Obriste Hauptmann hat.

† Extant istæ Bullæ apud ERDTMANNVM *cap. VIII.* & LVDEVVIG *app. p. 18.*

§. XXXVII.

Tantæ autem Venerationis hæc olim erant Insignia, vt rogatu Caroli IV. Innocentius VI. a. 1353. Festum Lanceæ & Clauorum Domini per totam non solum Germaniam, sed etiam Bohemiam solennis officii ritu celebrari præciperet cum multa Indulgentiarum dispositione. * Illud etiam quotannis die decimo tertio post Pascha solenni ritu fuit celebratum. ** Ordinauit insuper Sigismundus Imp. vt dum Imp. defuncto Exequiæ celebrarentur, Reliquiæ Imperiales ad publicam populi venerationem exponerentur, Indumenta vero Regalia Caroli M. feretro imponerentur. Id quod etiam in Exequiis Sigismundi a. 1438. & Alberti II. a. 1439. fuit factum. *** Postquam vero Noribergensium Vrbs Euangelicam Religionem amplexa fuisset ab anno 1523. ista Reliquiarum monstratio plane cessauit: **** hac insuper vsi ratione, ne Insignia hæc vetustate nimium corrosa, frequentiori tactu alterentur. *****

* Extat Bulla Innocentii VI. de festo Lanceæ Domini apud ERDTMANNVM *c. VI.* & apud LVDEVVIG *App. p. 3.* in qua tempus præscribitur: *Sexta feria post octauas Resurrectionis Dominicæ, Annis Singulis, a Christi fidelibus, in eisdem Almanniæ & Bohemiæ partibus, perpetuo solenniter celebretur.* Celebratum hoc festum fuit tempore Natiuitatis Wenceslai, de quo HENRICVS REBDORFFIVS ad an. 1361. *Nam & Insignia Imperialia Imperator iubet deduci de Bohemia, & solenni apparatu, & ostendit ibidem, & existentibus ibidem denunciantur magnæ indulgentiæ, quas Innocentius VI. Papa tunc gratiose concessit, videlicet easdem indulgentias, quas in vrbe Romani Pontifices in die Cœna Domini concedere consueuerunt.* Describit postmodum

modum hæc Insignia, dicens: *Et nota, quod Insignia Imperialia, quæ tunc vidi (de quibus Papa festum indixit) sunt hæc; primum ferrum Lanceæ, quæ transfixit latus Christi. Item clauus cum aliquali petia ligni S. Crucis, qua transiuit manum Christi. Item gladius Caroli Magni Primi Imperatoris Romanorum, quem tum Imperator tenebat in manibus, & corona qua coronatus est in Imperatorem a Leone Papa III. Item gladius Mauricii Martyris. Item petia brachii S. Annæ matris Mariæ virginis, & dens Iohannis Baptistæ. Item petia cordæ, qua Christus fuit ad columnam ligatus. Spongia qua fuit in cruce potatus, & aliæ plures reliquiæ sanctorum.*

** Quanam celebritate sacræ hæ Reliquiæ populo vndiquaque confluenti fuerint ostensæ, exponit ERDTMANN *c. IX. X.* Idem in *Noriberga in flore auitæ Religionis p. 29.* exhibet Ostensionem Sacrarum Reliquiarum in Imperiali vrbe Norimbergense, ex aliquo libello, a. 1458. Norimbergæ impresso. Ex quo habet LVDEWIG *in App. p. 7.*

*** ERDTMANNVS *de Sacris Reliquiis c. VII.* ex antiquo Chronico MSto hæc declarat, in quo: *Hinc etiam laudabilis illa consuetudo, iubente ac sanciente Sigismundo Cæsare, profluxit, vt quando Imperatoris defuncti Exequiæ, in nouo, Sancti Spiritus Hospitali, celebrabantur, Reliquiæ illæ Imperiales Lancea, Crux, & alia per ordinem omnia, in altari, in quo Missæ sacrificium, Pontificali ritu, solenniter celebrabatur, ad publicam populi venerationem, exponebantur: Indumenta vero Regalia, Caroli Magni, Corona, Sceptrum, Gladius, & plura huius generis decora & Ornamenta, Feretro, siue doloris Castro, quod impensa publica pereleganti, vt plurimum, artificio, ac schemate extruebatur, decentissime imponebantur. Hac ipsa caeremonia, salutis anno M. CCCC. XXXVIII. Sigismundo Cæsari, iusta Funeralia persoluta fuere: Hoc eodem modo Anno M. CCCC. XXXIX. 29. Nouembris, exhibita fuere, cum Alberto Imperatori, & aliis per ordinem successoribus ipsorum legitime parentatum.* Idem ex Chronico vernaculo demonstrat LVDEVVIG *c. VI. p. 106.*

**** ERDTMANNVS *c. XI.* hæc vberius declarat, qui etiam ex antiquo Chronico Noribergensi adducit: *Anno M. D. XXII. fuit vltima*

Reli-

Reliquiarum monstratio, anno postero XXIII. cessauit omnino, licet in aliquibus Ecclesiis officium Missæ de Armis Passionis Domini celebraretur.

***** Hanc rationem ex Chronico MSto etiam adlegat LVDEVVIG c. VI. p. 105. *Im Iahr 1524. hat man aufgehœret, das Heiligthums-Fest zu halten: Damit dieselbe durch vielen Gebrauch nicht abgenützet, und weil alles alt und mürbe, durch œfteres hin und her ræumen verdorben werden mœchten.* Quare MVLTZIVS in Repræsentatione Imperii p. II. c. XXV. §. VI. n. 168. *Lipsana imperialia Noribergæ non cuiuis ostenduntur, sed tantum ad rogationes principis imperii aut virorum magnæ dignitatis.*

§. XXXVIII.

Licet autem tantis Priuilegiis in Noribergensi Ciuitate firmata fuerint hæc Cimelia tribus tamen vicibus Ciuitas hæc Noribergensis, Insignium Imperii Tutelaris, desuper fuit impetita. Prima quidem vice, postquam purioribus sacris fuisset addicta a. 1524. Tunc enim hæreticam vrbem spoliauisse sacros Thesauros calumniabantur Pontificii. * Immo huius Tutelæ eam factam fuisse indignam, eo quod a Catholica religione defecisset. ** Deinde a. 1626. tempore belli, dum Pontificii cauillarentur, vrbem hæresi infectam, indignissimam esse custodiæ Iure Imperialium Reliquiarum. *** Demum tempore Coronationis nuperæ an. 1712. dum Aquisgranenses, ipsis potius custodiam Insignium Imperialium **** deberi publicis scriptis postularent, argumenta sumentes ab archisolii prærogatiua, cum eo in loco Insignia adseruari conueniat, vbi thronus ab antiquo regalis, etiam quod tria potiora Insignia ibidem adseruentur. Hinc, quod ex priuilegio Friderici II. Imp. de a. 1466. hæc sedes Regalis fuerit constituta ***** atque ex priuilegio, Richardi de a. 1262. Imperii Insignia Aquisgranensi vrbi

vrbi fuerint demandata. ****** Quibus tamen Noribergenſes ſingulari ſcripto reſponderunt, † atque priuilegio nituntur Sigiſmundi, ipſorum Paparum & vel trecentorum annorum poſſeſſione, ab Imp. atque Electoribus nunquam turbata. †† Licet etiam Aquisgranenſibus Iura ſua minime ſint deneganda, cum apud iſtos Capſa cum aliquot guttis ſanguinis S. Stephani, Liber Euangeliorum Caroli M. aureis litteris in corticibus arborum exaratus, atque gladius Caroli M. in formam acinacis adſeruetur, quæ etiam in loco coronationis illorum Deputati exhibent. ††† Ex quo ſatis patet, nec ad munus Ardidapiferi, †††† vel Archi Camerarii vel Archi Theſaurarii hoc Tutelæ Ius ſpectare, prout etiam ab aliis ††††† fuit demonſtratum.

* LVDEWIG cap. I. §. III. hæc exponit ex PESSINA de CZECHOROD *in S. Metrop. Prag. rad. 4. p. 405. 406.* qui ait: *Noribergæ imperiales reliquiæ in præſentem vsque diem, ſed ſine veneratione & cultu, auro inſuper, argento ceteroque pretioſiſſimo ornatu, a Lutheranis ſpoliatæ, ſeruantur.*

** Ratione ERDTMANNVS vtitur, quod in Bulla Martini V. expreſſum: *clamantes quodammodo, vt Reliquiæ & Inſignia ipſa, in eadem Ciuitate perpetuo venerabiliter conſeruentur, ita quod omnino, cuicunque Perſonæ, ſeu communitati, vel congregationi aut poteſtati cuilibet Reliquias & Inſignia ipſa, extra Ciuitatem, niſi forſitan, quod Deus auertat, contingeret populum illius a fide deuiare Catholica, nequaquam liceat exportare, vel extrahere, aut alias alienare, quoquo modo.*

*** Potiſſimum vero contra Noribergenſes binis ſcriptis egit CHRISTIANVS ERDTMANNVS. Primum Titulum habet: *Relatio Hiſtorico-Parænetica de ſacroſanctis, Sacri Romani Imperii Reliquiis & Ornamentis, quibus Romanorum Cæſares, inaugurari, coronari, ſolennique ritu inueſtiri conſueuerunt, aliisque ſacris Lipſanis, in Imperiali Theſauro collectis ac Norimbergæ aſſeruatis ad Auguſtiſſimum & inuictiſſimum Cæſarem Ferdinandum II. & Illuſtriſſimos ac Sere-*

 niſſimos

nissimos, Sacri Romani Imperii Principes Electores, quandocunque tandem, in Comitiis Imperialibus conuenturos, anno 1629. 4. Licet hoc ex IACOBI GRETSERI *Syntagmate de Imperii Insignibus* potissimum descripserit. In hoc autem demonstrare conatur, quanta in veneratione hæc Insignia semper fuerint habita, qua ratione Noribergam translata, & potissimum Imp. atque Electores admonentur, vt Insignia hæc Noribergensibus adimantur, nisi ad pristinam redierint religionem. Hic inter alia *p. 47.* Noribergensibus sacrilegium imputat. Ideoque *p. 49.* iniquum plane esse iudicat, Imperii Insignia in Acatholicorum manibus relinquere. Hinc capite vltimo Imp. atque Electoribus, pensitandum transcribit, an diuinissima illa, sacri Imperii Lipsana, & Insignia, sine omni cultu, & veneratione, sine honore omni, Norimbergensibus relinquenda, nisi Catholica Religio pristino vigori, saltem in primariis Ecclesiis restituatur, in quo floruerat, dum illis asseruanda consignarentur. Alterum vero Titulum habet: *Norimberga in flore auita Romano-Catholicæ Religionis 1629. 4.* quo per diuersa monumenta antiqua declarare conatur, qua ratione Religio Catholica Noribergæ olim fuerit continuata, & quænam olim Reliquiæ ibidem adseruatæ.

**** Accessit Diario Electionis Caroli VI. *Kurtzer Bericht über des Stuhls und des Heil. Rœm. Reichs freyer Stadt Aachen, bey denen Crœnungen der Rœmischen Kœnigen und Kaysern habender Prærogativ und Gerechtsam.*

***** In dicto Priuilegio hæc habentur verba: *vt in templo eodem sedes Regia collocaretur, & locus Regalis & caput Galliæ trans alpes haberetur, ac in ipsa sede Reges successores & heredes nostri initiarentur,* LVNIG *Reichs-Archiv p. spec. Cont. IV. p. I. p. 53.*

****** In hoc enim legauit Richardus Capellæ B. Mariæ: *vnam auream coronam, & vnum par regalium vestium de armis suis, cum vno sceptro & vno pomo deauratis in perpetuum ibidem custodiendæ. Ita, quod regalia hæc parata ibi sint ad coronandum tantummodo ibi reges omnes Alemanniæ. Ab eadem capella non amoueantur nec vendantur pro aliqua necessitate aut casu aut modo quocunque,* cuius Priuilegii tamen fidem LVDEWIG *c. V. §. VI.* multo argumentorum apparatu euertit.

† Ex-

† Exhibet illud LVDEWIG *in Appendice p. 46.* Vtraque scripta habentur in FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XX. c. VI.* & in LÜNIGII *Grund-Feste Europaischer Potentzen Gerechtsame Tom. II. p. 615.*

†† Noribergensium potissimum causam, præter HENRICVM HILDEBRANDVM, *qui Iura Reip. Noribergensis peculiaria* exposuit, suscepit IO. PETRVS LVDEWIG, qui *Noribergam Insignium Imperialium Tutelarem* prolixa Dissertatione *Halæ 1713. 4.* demonstrauit, Aquisgranensium argumenta multa cura refellit, atque Matriculam Insignium Imperii vberiori explicatione adiecta, exhibuit.

††† In Diario Coronationis Caroli VI. p. 30. sic describuntur: (1) *das andere Schwerdt oder Sabel Kaysers Caroli M.* (2) *ein uhraltes auf præparirte Baum-Rinden mit güldenen Buchstaben geschriebenes Euangelien-Buch* (3) *eine pretiose Capsul mit Reliquien des heiligen Stephani.*

†††† CHRISTOPHORVS GEVVOLDVS ita autumat *de Septemviratu c. X. p. 752. Secundo ad duces Boiariæ a temporibus Ottonis III. ac deinceps ratione & respectu huius officii* (dapiferatus) *pertinuit semper, in cura atque custodia conseruare insignia Imperii Iure hereditario,* cui tamen respondet LVDEVVIG *c. IV. §. II.*

††††† Potissimum LVDEVVIG *c. IV. §. III. & IV.* Neque ad Archi-Cancellarii Iura, munus hoc spectare idem demonstrauit §. *XII.*

§. XXXIX.

Tandem etiam de AQVILA, tanquam Insigni Imperii erit dicendum. Primis equidem temporibus propriam Imaginem sigillis suis imprimi fecerant Impp. * postea vero Insignibus Imperii plerumque fuerunt vsi. Hæc autem Imperii Insignia comprehendunt Aquilam nigram bicipitem in solo aureo, cuius rostrum & crura cocco tinguntur, ** imposita corona Imperiali. Licet enim vulgo Aquila dicatur bicorporea, contrarium tamen ex ipsa figura & legibus Imperii patet, quibus dicitur *unser und des Reichs Kayserlicher Adler mit zweyen Köpfen.* ***

* Quare in Conradi I. conceſſione Radbodoni, Traiectenſi Epiſcopo facta, apud HEDAM *Hiſt. Traiect.* p. 73. dicitur: *idem ſcriptum nominis noſtri ſigno, noſtræque imaginis ſigillo, cum manus noſtræ ſcriptione firmaremus.*

** Ita deſcribitur a SPENERO *Op. Herald. p. ſpec. lib. I. c. IX.* §. 2.

*** Ferdinandi I. Müntz-Ordnung *de a. 1559.* §. 10.

§. XL.

De origine huius Aquilæ Imperialis plurimum controuertitur. Lipſius illam a Romanis ducit, qui in columna Antonini iam aquilam bicipitem conſpici dicit. Alii hoc monſtrum * aquilæ ducunt a binis iſtis legionum aquilis, quas Romanis, duce Arminio, ademerunt Germani, ** quod tamen admitti eo minus poterit, dum Imperio noſtro nihil plane ſit commune cum antiquis iſtis Germanis, nec iſto tempore inſignia adhuc adeo fuerint certa. Plures ad Imperii diuiſionem prouocant, quaſi diuiſio Imperii Orientis & Occidentis poſt Conſtantini M. tempora facta *** innuatur, quod tamen Imperio Germanico æque non conuenit. Alii ad transactionem iſtam inter Carolum M. & Nicephorum Byzantinum initam, prouocant, † quæ certa licet, nihil tamen inde argumenti ad aquilam bicipitem. Potius eſt, vt coniunctum cum Regno Germanico Imperium Romanum inde denotari dicamus.

* SPELMANNI *Aſpilogia p. 35. 36.*

** NORDERMANN *de iure Principatus concl. XIV.* LIMNÆVS *lib. I. c. XIV. n. 16.*

*** LIMNÆVS *c. l.* BOECLER *Not. S. R. I. lib. IV. c. I.*

† SPENER *Op. Herald. lib. I. c. IX.* §. 8.

§. XLI.

Quando autem hæc aquila biceps cœperit, videndum. Sunt, qui Carolo V. primum tribuant, qui ob regnum Hiſpaniæ alterum caput adiecerit, cum tamen anterior longe ſit iſtius vſus. * Plerique ex nummis demonſtrare conantur, bici-

bicipitis aquilæ figuram ante Henrici III. tempora minime conſpici, ** licet nec tales nummi videantur eſſe genuini & ſequiori potius tempore ſimplex ſaltim aquila in nummis Impp. adpareat. Vix tamen in illorum ſigillis aquilam adhuc conſpicere licet. Ludouicus Bauarus primus eſſe videtur, qui in ſigillis ſuis ad vtrumque throni latus aquila ſimplici fuit vſus. *** Secutus eundem fuit Carolus IV. Imp. qui ſimplicem ſaltim aquilam Imperii inſigne eſſe voluit **** vsque dum Wenceslaus primus aquilam fingeret bicipitem. ***** Hac tamen poſtmodum Impp. vſi fuerunt ratione, vt Impp. poſtquam electi fuiſſent, ante Coronationem Germanicam gentilitiis Inſignibus, † poſt eam ſimplici aquila vterentur, poſt impetratam vero Coronationem Romanam duplici aquila fuerunt vſi. †† A Caroli V. temporibus Impp. ſtatim poſt electionem, duplici aquila vſi fuerunt. †††

* LIMNÆVS *addit. lib. VI. c. VI. p. 96.*

** OCTAVIVS de STRADA nummis Impp. talem exhibet, quem tamen merito reprobat HEYNECCIVS *de Sigillis lib. I. c. IX. §. LXX.*

*** Prout demonſtrauit HAYNECCIVS *c. l.* Sic etiam Clemens VI. Papa a. 1344. ſignum penſile in cera crocea Ludouici Bauari apud STEPHANVM BALVZIVM *lib. II. Miſcell. p. 274.* deſcribit: *in quo in medio ſculpta erat quædam imago hominis habentis infulam in capite ſuo, ſedentis inter duas aquilas habentis ſub pedibus eius duos leones & tenentis in manu dextra quoddam ſceptrum & in manu ſiniſtra quoddam pomum rotundum, in cuius circumferentia hæ literæ legebantur:* LVDOVICVS QVARTVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS. *Et a tergo dicti ſigilli erat quædam impresſio alterius parui ſigilli, in qua erat ſculpta quædam aquila, & in circumferentia ipſius ea literæ legebantur:* IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM. Simile Sigillum adpenſum Priuilegio Domui Brandenburgicæ die Valentini a. 1328. conceſſo, quod adſeruat Archiuum Plaſſenburgenſe. Sigillum Fœderis inter Ludouicum Bauarum & Philippum Galliæ Regem a. 1341. a parte dextra aquilam

vnam & siniſtra aliam exhibet apud LEIBNITIVM *Cod. Diplom. Tomo I. n. 81.*

**** Sic enim in litteris Caroli IV. apud VVENCKERVM Collect. Archiu. p. 467. *und unter dem Adeler, das da iſt des H. Rychs Zeichen, damit des Rychs Banier ufgerichtet wart.* Vid. etiam SCHILTER ad *Kœnigshouen p. 1125.* qui variorum ſigillorum ectypa exhibet. IOH. ZYLLESIVS etiam *in Defenſione Abbatiæ S. Maximini* p. 63. exhibet Sigillum, in quo Aquila ſaltim cum vno capite exhibetur.

***** Dubitatur, quis primus bicipite aquila fuerit vſus. FVGGERVS *Oeſterreich. Ehren - Spiegel lib. II. c. II. p. 170.* Sigillum exhibet Friderici I. Imp. in quo ad dextrum throni latus biceps aquila conſpicitur. Simile Henrici VI. reperitur apud eundem *lib. II. c. III. p. 178.* & Friderici II. *p. 185.* de horum fide tamen ſubdubitat HERTIVS *de fide Diplom. ſ. I. §. VIII.* Communis eſt opinio, Sigismundum Imp. primum ea fuiſſe vſum, & quidem cum videret, Orientalium Auguſtorum, qui bicipiti Aquila fuerunt vſi, poteſtatem inclinare, Turcis vndique eorum prouincias inuadentibus, quam MARIANVM SOCINVM ſecutus, profert du CANGE *de Infer. æui Numiſm. n. XI.* & qui eum ſequuntur HERTIVS *de fide Diplom. ſ. I. §. VIII.* atque HEYNECCIVS *c. l.* Verum, in Archiuo Plaſſenburgenſi Diploma inſpexi de a. 1381. quo vrbem Mönchsberg ex feudo Bohemico fecit Imperii Feudum Wenceslaus, cum tali ſigillo ex cera crocea adpenſo, in quo Wenceslaus cum corona aperta, ſceptro in dextra, globo in ſiniſtra throno inſidet: a dextra throni parte reperitur aquila ſimplex, a ſiniſtra Leo Bohemus. In poſtica vero ſigilli parte adparet aquila biceps cum Leone in pectore.

† Prout tradit HEYNECCIVS l. c. §. LXII. Exhibet etiam VVENCKERVS App. Archiv. p. 203. Diploma Caroli IV. cum hac ſubſcriptione: *Datum Treuiris quarta die menſis Auguſti ſub Sigillo Marchionatus noſtri Morauie, quo vtimur iſta vice.*

†† Ex ſigillis Friderici III. Imp. demonſtrauit ANTONIVS VVECKIVS *Chron. Dresd. p. 23.* In ſigillis etiam Friderici III. ÆNEÆ SYLVII Hiſtoriæ adiectis, aquila modo ſimplex, modo biceps, adparet.

††† du CANGE *c. l. n. XI.* & ex eo HEYNECCIVS *c. l.*

CAPVT

CAPVT NONVM
DE
PALATIIS ET OFFICIALIBVS PALATINIS.

§. I.

POst titulos & insignia, considerandæ sunt Sedes Imperatorum. Has autem non in terris suis hæreditariis, prout hodie, collocabant, quas plerumque adgnatis vel familiaribus suis concedebant, sed in vrbibus Palatinis. * Nec etiam perpetuas sedes in vna habebant, verum, ex vna in aliam demigrabant, vt eo melius singulis Germaniæ prouinciis possint prospicere, ** & ne ob diuturnam Cæsaris commorationem in vna vrbe, ista nimios sumptus impendere necessum haberet. Quare Saxones ab Henrico IV. Imp. postulabant, vt relicta interdum Saxonia, in qua iam a puero residens, otio atque ignauia pene emarcuisset, etiam alias Regni sui partes inuiseret. *** Sumptus enim ad sustentandam aulam Imperialem ex fiscis regalibus sumebantur. Episcopi, Abbates atque Principes vicini officia præstabant atque obsequia. ****

* LEHMANN *lib. VII. c. LXXVI.* ADLZREITERVS Ann. Boi. p. II. lib. VII. n. 85. *Cæsares præsertim Saxonici & Sueuici sanguinis, ante Ludouici tempora, nullam fixam sedem habebant, sed domesticis possessionibus heredum fidei commendatis, pro re nata in vrbibus Imperii & Episcoporum domiciliis, per vices & velut in orbem imperii negotiis dabant operam, vectigalibus & Cæsareo fisco cum principibus, qui officii caussa frequentes aderant, victitantes.* Exemplum habe-

habemus in Ottone M. qui ſtatim, poſtquam Imp. factus, Saxoniam Hermanno Billingo conceſſit. Vid. MEIBOMII *Vindiciæ Billingianæ.*

** De Henrico II. CHRON. QVEDLINB. ad a. 1023. *inde Rex Werla diuertens, aliquamdiu ibi commoratur, vt moris eſt, multa diſpoſuit.* Ei. ad a. 1025. *Inde per vrbes & loca prouinciarum profectus diuerſarum regiones nationum ſuæ ditionis imperando ſubingauit.* VVIPPO in Hiſt. Conradi II. *p. 429.* vbi eiusdem itinera deſcribit, dicit, *quod primum Aquisgranum peruenerit*, addens: *inde Baioariam & Orientalem Franciam tranſiens, ad Alemanniam peruenit. Quo tranſitu regna, pacis fœdere & regna tuitione firmisſime cingebat.* De Henrico VII. GESTA BALDVINI lib. II. c. III. *honorandæ diſpoſitionis prouiſione facta, ad regni loca perluſtranda ipſe Henricus Rex vna cum Domino Baldewino aliisque quampluribus anno Domini milleſimo treceſimo nono ante feſtum natalis Chriſti Coloniam ſecunda vice remeauit.*

*** Prout LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *p. 293.* loquitur.

**** LAMBERTVS SCHAFNAB. ad a. 1074. *Rex Natalem Domini Wormatiæ celebrauit, longe aliter ibi victitans, quam regiam magnificentiam deceret. Nam neque ex fiſcis regalibus quicquam ſeruitii ei exhibebatur, neque epiſcopi aut abbates vel aliæ publicæ dignitates conſueta ei obſequia præſtabant, ſed in ſumptus quotidianos neceſſaria ei vili precio coemebantur.*

§. II.

Tria autem potiſſimum veniunt conſideranda, vel Palatia Impp. quæ in certis vrbibus erant Palatinis, in quibus ſedes ſuas ordinarias habebant Impp. vel curiæ ſolennes & feſtiuæ, quas feſtis temporibus celebrabant, vel placita generalia, quæ nil niſi Comitia erant vniuerſalia. De binis prioribus nunc erit agendum, de tertio infra, vbi de Comitiis ſermo eſt.

§. III.

§. III.

Palatia erant ſedes regiæ, quas Reges intra terminos ditionis ſuæ, variis in locis ac prouinciis extruebant, in iisdemque ipſi, horumque Miſſi commorari ſolebant. * Primitus quidem in vrbibus Epiſcopalibus diuertebant Impp. cum pauca admodum eſſent Palatia, poſtmodum vero Ludouicus II. ſynodo Ticinenſi a. 855. conſtituit, *vt exactores reipublicæ per loca ſolita reſtaurent palatia ne grauetur eccleſia.* ** Iſtæ vero vrbes, in quibus hæc palatia, primum dicebantur *villæ regiæ*, *** poſtmodum vrbes Palatinæ, *Stadte* in quibus *die Kayſerliche Pfaltz Kayſerlicher Saal* vel *Haus.* † Licet etiam Epiſcopi ſæpe Imperialem aulam inſederint, qua tamen aduentante Imp. cedere cogebantur. ††

* LEHMANN *lib. III. c. XXXIII. Palatia dicebantur, vbicunque domus aut manſio Imp. aut Præfecti erat.*

** GOLDASTVS *Tom. II. Conſt. p. 25.*

*** MABILLONIVS *de re diplom. lib. IV. ineunte*, du FRESNE *Gloſſario T. III. p. 1332.*

† Du FRESNE *Tom. III. p. 93.* SPEC. SAXON. *art. LXII.* §. *1.* IOH. MICH. HAYNECCIVS *Antiquit. Goslar. lib. I. p. 23.* TH. REINESIVS *de Palatio Lateranenſi.* G. SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 165.*

†† GESTA BALDVINI lib. II. c. II. *Henricus VII. Imp. ad Imperialem ibi aulam diuertit, de qua Colonienſis Archiepiſcopus ipſi Regi, vt tenebatur, cedebat. Tres vero Præpoſiti Colonienſes, videlicet maior Præpoſitus Archiepiſcopo Colonienſi, Sancti Cuniberti Præpoſitus Archiepiſcopo Treuerenſi, graduum Sanctæ Mariæ Præpoſitus Archiepiſcopo Moguntinenſi, de ſuis curiis præpoſituris antedictis deputatis cedebant, vt antiquo iure tenentur.*

§. IV.

Habebant autem Impp. ſedes ſuas non in Terra immediata ſolum Rhenenſi, quam ſibi reſeruarant, in qua pleræ-

que Vrbes Palatinæ, * ſed etiam dum in ſingulis Ducatibus ſuos haberent Palatinatus, atque Terras immediatas, in iisdem quoque certæ erant vrbes Palatinæ, Impp. ſedibus deſtinatæ. In terra Rhenenſi quidem caput dicitur atque Archiſolium regni Teutonici, Aquisgranum. ** Reliquæ ſedes & palatia erant Francofurti, *** Coloniæ, Auguſtæ Treuirorum, **** Triburiæ, Wormatiæ, Spiræ, Ingelheimi, Moguntiæ, Andernaci, Argentorati, † Kircheimi †† Confluentiæ, Duriæ prope Coloniam, Metis, Theodonis Villæ ad Moſellam, Hariſtallii ad Moſam, Huxariæ. †††

* *Cap. V.* §. *III.*

** Vide ſupra *Cap. III.* §. *XXXV.*

*** *c. l.*

**** Erat hæc ſedes Comitis Palatini. Quare etiam Epiſtola Vrbani IV. Papæ de electione Richardi, apud LEIBNITIVM Prodr. p. 14. *ſed idem electus prædicto modo inunctus, conſecratus & coronatus pro Rege habetur, & ei tanquam Regi debent a ſubditis iuramenta præſtari, aſſignari ciuitates, oppida, caſtra, & ſpecialiter caſtrum de Treuelis.* Ibi LEIBNITIVS addit: *forte palatium Treuirenſe.* De hoc MARQV. FREHERVS *Orig. Palat. c. II. & XI. Not. ad P. de Andlo p. 139.*

† SCHILTER *not. ad* KOENIGSHOVEN *Chron. Argent. p. 609.*

†† Plenius hæc recenſentur a MICHAELE GERMANO apud MABILLONIVM *de Re Diplomatica* Libro Quarto, vbi ſingulæ vrbes Impp. Palatinæ ordine alphabetico recenſentur, illuſtranturque.

††† vid. SCHILTER *not. ad Kœnigshouen p. 609.*

§. V.

In Saxonia, Speculum Saxonicum * quinque ſaltim memorat vrbes Palatinas, in quibus Rex legitime Curiis debeat præeſſe. Sunt iſtæ, GRONA, haut procul a Göttinga, Brunſuicenſis ditionis, WERLITZA, ſiue Werla, trans Viſurgim,

gim, inter Lippiam & Ruram, in Arensbergico Westphaliæ Comitatu, cuius dignitas Palatina postea GOSLARIAM dicitur fuisse translata. WALHVSA, burgus in tractu Hercynio inter Querfurtum & Sangerhusam ** ALSTEDTVM Territorii Isenacensis,& MERSEBVRGVM ad Salam. *** sedes proprii Ducis. Neque tamen quinque istæ vrbes solæ apud Saxones Palatinæ, sed plures etiam fuisse, Scriptores nos docent. Sic MAGDEBVRGVM inter Palatinas vrbes memoratur. **** Vicinum nostrum DORNBVRGVM cum Palatinis vrbibus coniungit DITMARVS. ***** Sic etiam vrbs Palatina fuit ALSTADTVM, cuius palatium Regale sub Carolo M. iamdum memoratur. ****** Inter has tamen præcipuæ semper fuerunt habitæ ALSTEDTVM † & GOSLARIA, quæ Schafnaburgensi dicitur *villa regia, quam pro patria & pro Iure domestico, Teutonici Reges incolere fuerint soliti, & clarissimum Regni domicilium.* †† Licet ab his vrbibus Saxoniæ Palatinis, in quibus Impp. sedem habere atque Comites Palatini eorundem vice iura reddere solebant, probe distinguendæ sint Terræ Comitum Palatinorum hæreditariæ, vel, quæ ipsis Salarii loco fuerant adsignatæ. †††

* LANDRECHT art. LXII. *fünff Stedt sint Pfaltzen geheisen, die liegen in dem Land zu Sachsen, da der Kœnig seinen rechten Hoff haben soll, die erste ist Grüna, die ander Werla, die ist nun zu Goslar gelegen: Wallenhausen ist die dritte, Alstedt die vierdte, und Merseburg diefünffte.* Hoc fundamento nituntur BROTVFF *Chron. Merseb. lib. I. c. X.* GOLDASTVS *T. I. Const. p. 226.* FRITSCH *de Palatiis c. V.* du FRESNE *Glossario Tom. III. p. 91.* MEIBOMIVS *de Irmensula c. XIII.* SAGITTARIVS *Antiqq. Alstet §. V.* SCHVRTZFLEISCH *de antiqua Saxonum dignitate §. IX.* LEVCKFELD *Antiquit Goslar. lib. I. p. 25.* Idem *in Beschreibung der Pfaltzstadt Walhausen*, quæ Eiusdem Antiquitatibus Blanckenburgensibus accessit.

** LEVCKFELD c. l.

*** HENR. MEIBOMIVS quidem *c. l.* Merseburgum Saxonum Eresburgum fuisse iudicat, eo quod Westphalia tanquam vera Saxoniæ sedes, sede Palatina minime sit spolianda. Quin potius Merseburgum ad Salam ob quotidianas Slauorum incursiones locus fuerit intutus. Immo, dum Alstedtum & Walhusia sedes essent Palatinæ, haut opus fuisset, nouam sedem in vicinio ponere. Verum, respondet ipsi HORNIVS *diss. de Comitibus Palatinis* §. *XV.* Henricum Aucupem Merseburgi Palatium habuisse, in quo victoriam Hunnicam depingi curauit, prout testatur LVITPRANDVS *l. II. c. IX* sic etiam DITMARVS *Chron. Merseburg. lib. II. p. 390.* Merseburgum vocat vrbem Henrico II. percaram, idque sine dubio ideo, quia ibidem fuerat electus, CHRON. QVEDLINB. *ad a. 1002.* De Friderico I. HERMANNVS de LERBECKE *Chron. Schauenburg. p. 503. Friderico Imperatore Curiam apud Merseburg anno MCLII. celebrante.* Plura Comitia Merseburgi celebrata esse docet BROTVFF *Chron. Merseb. lib. I. c. XI.*

**** SÆCHSISCH WEICHBILD art. XIII. *Nu hœret und vernemet, wie ihnen der Kœnig die Pfaltz machte.* LEVBERVS equidem *de Stapula Saxonica n. 673. sqq.* & passim Iudicium quidem Palatinum in hac vrbe fuisse contendit, ipsam tamen Palatinam non fuisse. Verum, tot Diplomata ab ipso LEVBERO, MEIBOMIO, SAGITTARIO, aliisque exhibita, aliter nos credere haut permittunt, vrbem eam fuisse Palatinam, maxime, dum in eorundem subscriptione Palatii etiam fiat mentio. Tale est Diploma Ottonis M. de a. 965. quod exhibet ipse LEVBERVS *n. 1190.* MEIBOMIVS *p. 125.* SAGITTARIVS *Antiquit. Magdeburg. p. 47.* quod finit: *Actum Magdeburg Palatio in Domino feliciter Amen.* Huc sine dubio adlegari debet Diploma Ottonis M. de a. 946. *Actum in Godeburg palatio regio*, vbi forsam legendum *Magdeburg.* Apud GOLDASTVM *Constit. Imper. Tomo vno p. 226.* reperitur Diploma Ottonis II. de a. 978. *feria secunda ante Pentecosten, in Palantia Magdeburgensi*, ANDR. OCKEL *de Palatio Regio* §. *LXXXVI.*

***** *lib. V. p 368.* de Henrico II. dicens: *inde Merseburg veniens, susceptus est ab Heimone Abbate & a fideli suimet Comite Escone, qui hanc vrbem & Alstedi ac Thornburg cum appertinentiis, viuente Ekkiharto haecque grauiter ferente, viriliter vsque in praesentiam optati senioris seruauit.* Scilicet, cum ab excessu Ottonis III. Eccardus I. Misniae Marchio, ac Dux Thuringiae, regno Germaniae inhians, multas Imperii vrbes occuparet, Alstetum vna cum Merseburgo ac Dornburgo Henrico II. vindicauit Esico. SAGITTARIVS *Hist. Eccardi I. Antiquit. Alsted.* §. *IX.* De eodem Palatio ANNALES HILDESHEIMENSES ad a. 971. *hoc anno exustum est Palatium in Thornburg.* DITMARVS tamen lib. II. p. 339. ait: *in VII. autem anno templum domini in Dornburg combustum est.* Id quod etiam LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 971.* confirmat. Plures ibidem conuentus fuisse celebratos, docent Scriptores. DITMARVS *Lib. IV. p. 356.* sub Ottone III. *fit publicus in Dorneburg Abbatissae totiusque senatus in vnum conuentus.* IDEM *lib. V. p. 373.* de Henrico II. *deinde ad Dornburg veniens.* CHRON. SAXO ad a. 1024. *inde Thorneburch profectus.* SAGITTARIVS *Antiqu. Magdeburg.* §. *XLIX. & LXXIX.* bina exhibet Diplomata Ottonis M. Dornburgi scripta.

****** *Vita Brunonis n. XXX. p. 284.*

† Prout SAGITTARIVS *Antiquitatibus Alstetensibus* vberius demonstrauit.

†† *ad a. 1070.* Quare etiam HIST. B. SAXONICI apud REYBERVM *p. 210.* Goslariam sedem dicit Caesarum propriam.

††† Prout infra, vbi de Comitibus Palatinis Prouincialibus sermo erit, dicemus vberius.

§. VI.

Nec defuerunt etiam in aliis Germaniae Ducatibus vrbes Palatinae. In Franconia equidem Palatium ad Salam * iam Caroli M. temporibus fuit celebratum, siue Saltzburg, hodie Nobilibus Immediatis, *Voite von Saltzburg* dictis, parens. Licet hoc Palatium saltim fuerit, non vero vrbs Pa-

latina. Noriberga etiam, poſtquam inter Imperiales Vrbes fuerat adlecta, Burgum atque Palatium Cæſaris habuit, vbi ſæpius fuerunt commorati Impp. varias ſolennitates etiam peregerunt.** In Sueuiæ Ducatu Conſtantia villa regia memoratur.*** In Bauaria Ratisbona erat, **** vbi plura Impp. Diplomata fuerunt ſignata. In multis quoque Italiæ Vrbibus Impp. habuiſſe ſua Palatia, diuerſa teſtantur Diplomata.*****

* EGINHARDI Ann. ad a. 790. *Rex autem ne quaſi per otium torpere ac tempus terere videretur, per Mœnum fluuium ad Sala Palatium ſuum in Germania iuxta Salam fluuium conſtructum nauigauit, atque inde iterum per eundem amnem ſecunda aqua in Wormaciam reuerſus eſt.* Sequitur POETA SAXO ad a. 790. ſcribens:

Eſt iter aggreſſus Mœnum nauale per amnem,
adſcenditque per hunc, donec prope mœnia venit
magna Palatinæ ſedis Salt nomine dicta,
naſcenti vicina Salæ, nam fluminis huius
riuus adhuc modicus hæc ipſa Palatia cingit,
vix raucum per ſaxa ciens reſonantia murmur.

PETRVS ALBINVS equidem *Chron. Miſnenſi exeunte*, hæc de Salfeldo intelligit, quem ſequitur SCHLEGELIVS *de nummis Salfeldenſibus lit. d.* Verum miror ſane, eo vtrosque fuiſſe delapſos, vt ſub Sala, noſtræ Thuringiæ fluuium intelligant, cum tamen nec per Mœnum ad Salam Thuringicam, nec inde Wormatiam nauigare liceat: quare de Sala Franconiæ fluuio hic ſermonem eſſe ſatis eſt in aprico, prout etiam IVNCKERVS animaduertit *Einleitung zur Mittlern Geographie p. 136.* De hac arce Ganerbica Saltzburg IO. PETRVS LVDEWIG *de Episc. Bamberg. p. 1042.*

** Plures Conuentus, Comitia & Curias in eadem vrbe celebratas recenſet WAGENSEIL. *de Rep. Norib. c. IV.*

*** Teſtatur de eo GABR. BVCELINVS in Deſcript. Conſtantiæ ſub initium, dum ait: *licet Sedes ordinaria Cæſarum non eſſet, hoſpita tamen & diutina fuit, Regum vero Alemanniæ & Galliæ domeſtica, & diutiſſime propria.* Hinc nota eſt Pax Conſtantienſis a. 1183. a Friderico I. publicata, de qua BVCELINVS *ad h. a. S. H. G. diſſ. XVII. §. XLIX.*

§. XLIX. a. 1222. post suum ex Italia reditum, ibidem Conuentum celebrat. BVCELINVS *ad h. a.*

**** Hanc vrbem Norici Ducatus Metropolim vocat OTTO FRISING. *lib. II. c. XXVIII.*

***** Prout GOLDASTVS *Constit. Tom. III. p. 350.* adducit Diploma Friderici II. in cuius fine: *in palatio nostro apud Cremonam.*

§. VII.

Ab his distinctæ erant CVRTES IMPERIALES atque CASTRA. Illæ prædia erant Cameræ Imperialis, ex quibus reditus capiebant Impp. in vrbes Palatinas venientes, *ein Kayserliches Cammer-Gut*, exindeque Fisci regales dicti. * Qualis memoratur Poletha in Saxonia Inferiori, postea Monasterium. ** Aliæ quoque memorantur in Historiis, *** ex quo tot loca orta esse videntur, quæ nomen gerunt *Kœnigshoven.* Licet etiam quandoque pro villa regia dicatur. **** Ab his autem distincta erant Castra Imperialia, in montibus sita, quale memoratur GIFHVSA, ***** cuius rudera adhuc visuntur prope oppidum Schwartzburgicorum Kelbra.

* De quo locus LAMBERTI SCHAFNAB. *ad a. 1074.* supra adlegatus §. I. Facit huc Priuilegium Caroli M. Abbatiæ S. Maximini concessum, apud ZYLLESIVM p. III. p. 13. *Acta Padreburna fisco nostro super ipsa.*

** DITMARVS lib. VII. fin. *Curtis pars maxima Imperialis in Palathi - - combusta est.* Vid. IO. GEORG. LEVCKFELDI *Antiquitates Poeldenses.*

*** ANN. FVLDENSES ad a. 887. *Imperator Elisacia magna infirmitate adgrauatus. Postea parum conualescens ad Alamanniam proficiscitur, vergens curtem Podomam, pro dolore capitis incisionem accepit.* ANN. FVLD. ad a. 878. *Rex autem paucis secum assumptis, forum Iuliense penetrans, curtem Corontanam natale Domini celebrarunt.* CHRON. LAVRESHAM. p. 116. *& ab eo accipiens indominicatam curtem, quam ille propter suum seruitium & interuentum aliorum fidelium a Rege in proprietatem acquisierat* p. 137. *iste curtim dominicalem Stebelinmesela dictam iuri custodis Lauresbamensis assignauit.*

**** ANN. FVLD. ad a. 889. *inde itaque edictum est, in exercitum ire ad Obodridos, sed antea placitum curte regia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit.* Inter Chartas Alemannicas c. XVIII. *Actum in curte Regia Zurich.*

***** Sic enim in Diplomate Ludouici Bauari Bernhardo Ascanio a. 1320. concesso apud LVNIGIVM II. Contin. II. Fortſ. p. 166. *Insuper infeodamus praedictos de Castris Imperialibus Ghaeffhussen & Altstede cum omnibus reditibus, fructibus, iuribus spectantibus ad ipsa.*

§. VIII.

Durauit hic mos, vsque ad tempora Ludouici Bauari, qui primus in terris suis haereditariis sedem cepit, * id quidem ideo, quod reditus Imperii admodum essent diminuti, terrae immediatae Palatinatus, castra & curtes Imperiales in Ducum peruenerant potestatem. ** Hunc secuti fuerunt Carolus IV. & Wenceslaus, qui potissimum in Bohemia, Rupertus in terris Palatinis, Sigismundus in Hungaria plerumque resederunt. *** Fridericus III. equidem atque Maximilianus I. Imperiales Vrbes saepius obibant, ast propriis sumptibus victitantes. **** A temporibus vero Caroli V. Vienna sedes facta Impp. ex domo Austriaca, eo quod per Capitulationem ***** sese obligarent, ad sedes suas in Germania capiendas, nisi Status rerum aliud requirat.

* ADLZREITER *c. l.* LEHMANN *lib. VII. c. LXXVI.*

** Conqueritur de eodem Sigismundus in Procemio Reformationis apud GOLDASTVM *Tomo I. Constit. Imp. p. 170.*

*** ADLZREITER c. l. *Sigismundus Imperator sequutus exemplum Ludouici Bauari, in Hungaria plerumque regiam habuit.*

**** Patet ex vtriusque Historia passim. Quare etiam dum Fridericus III. Imp. a. 1474. Augusta Herbipolim secederet, opifices, nondum soluto omni pretio, equos currusque Imp. detinuerunt, prout FVGGERVS nos docet *lib. V. c. XXIII. n. 5.*

***** IOSEPHINA *art. XXXVI.* CAROLINA *art. XXIII.*

§. IX.

§. IX.

Neque tamen ſolum ſedes ſuas diuerſimode mutabant Impp. ſed etiam ſolennes ſæpe Curias in præcipuis anni feſtiuitatibus * celebrabant, aduocatis ad officia præſtanda, Imperii Proceribus atque Officialibus. ** Hiſce CVRIARVM nomen inditum, eo quod finitis ſacris, vt plurimum maioris momenti negotia in ipſis diſceptarentur, controuerſiæ etiam ſæpe inter Magnates dirimerentur. Hæ in diuerſis vrbibus, etiam epiſcopalibus, religionis cauſſa celebrabantur. Interdum ob ciuitatum anguſtiam & aëris gratiam, eiusmodi ſolennes Curiæ in magna quadam planitie extructis palatiis ligneis, celebrabantur. *** Et quidem inter Liturgiæ ſolennia, ab Archiepiſcopis vel Epiſcopis imponebatur Imp. corona, vt procederet coronatus. † Reges vero, vel Duces, aut Marchiones miniſtrabant. †† In his autem feſtiuæ ſolennitates, choreæ atque conuiuia peragebantur. ††† Neque tamen ad has Curias feſtiuas omnes ſemper euocabantur Principes, ſed ſæpe illi ſaltem, qui Imp. eſſent familiares. ††††

* LAMBERTVS SCHAFNABVRG. ad a. 1066. *Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit, Paſcha Quidelenburgi, Pentecoſten Coloniæ.* CHRON. QVEDLINBVRG. apud LEIBNITIVM T. II. p. 295. de Henrico II. *Tandem poſt longam deliberationem, laborioſi itineris difficultate emenſa, diem Palmarum in Alſtede dicto, feſtiue peregit.* Quandoque tamen feſtum ſine Curia fuiſſe celebratum, docet nos GODEFRIDVS MONACHVS ad a. 1179. *Imp. Natalem Domini apud Wirzeburg celebrat, curiam vero in Oct. Epiphaniæ Wormatiæ habuit pro prædicta diſſenſione Colonienſis Epiſcopi & Ducis & Principum Orientalium Saxonum, qui omnes iuſtitiam de duce a Cæſare implorabant, cum ille tamen abſens eſſet.* WIPPO in vita Conradi Salici p. 429. *omnia regis itinera, & in quibus locis ſummas feſtiuitates Natalis Domini & Paſcha annuatim celebraret.*

** DITMARVS lib. IV. ineunte, *cum Palmarum ſolennia in Magdeburg cele-*

celebrare voluisset, omnes regionis illius Principes huc conuenire rogauit, atque praecepit, tractans, quomodo se suae potestati subderent. CONRADVS VRSPERG. de Philippo p. 305. *Philippus ad partes Rheni se contulit in continenti, & natalem domini in castro Hagenau celebrauit. Vbi venerunt ad eum & officiales & ministeriales, & quidem de principibus & baronibus terrae, cum quibus habuit ministerium consilii sui.*

*** ARNOLDVS LVBECENSIS lib. III. c. IX. *in tempore illo Fridericus Imperator edixit curiam famosissimam & celeberrimam apud Moguntiam, quae celebrata est in Pentecoste.* Et paullo post: *Erat autem prope ciuitatem inter Rhenum & Mogum quaedam magna planicies. Illic Imperator propter ciuitatis angustiam, & aeris gratiam, Ecclesiam maximam & palatium de lignis honestissime fieri iusserat, & alia habitacula diuersa & innumera, vt ibi tanta solennitatis iucunditas honestissime celebraretur.* CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1122. *huiusmodi scripta atque rescripta, propter infinitae multitudinis conuentum, loco campestri iuxta Rhenum lecta,* & ad a. 1192. *sequenti anno in tempore paschali maximum festum nuptiarum celebrauit, cum multis principibus & baronibus apud Augustam in campo magno, qui dicitur Concio legis.*

† ARNOLDVS LVBECENSIS c. I. *coronatur Imperator, & cum Imperatore & filio coronato processit.* GODEFRIDVS COLON. ad a. 1235. *in die Timothei scilicet in octaua Assumtionis, Imperator diademate imperiali insignitus in Ecclesia Moguntiensi, fere omnibus Principibus astantibus, debito honore refulsit.* Patet hoc vel maxime ex Diplomate Friderici I. quod Bohemiae Regibus concessit, apud LVNIGIVM I. Cont. I. Fortf. p. 1. *decernimus itaque, & irrefragabili edicto statuimus, vt liceat praefato Duci Bohemiae Vladislao, illis temporibus, quibus nos coronam & diadema portamus, in Natiuitate Domini videlicet, & in Pascha, & in Pentecoste, Circulum portare.* WIPPO vita Conradi Salici fin. *ipso anno 1039. diem sanctum Pentecostes apud Traiectum ciuitatem Frisiae celebrauit, vbi cum sacratissimam solennitatem venerando, magnifice cum filio & Imperatrice coronatus procederet ad mensam.* OTTO FRISING. de G. Friderici I. lib. I. c. LXIII. de Conrado III. *igitur proximam Pentecosten in Confluentia, vbi & nuncios*

Regis

Regis Hispanorum iamdiu secum moratos dimisit, sub Corona incedendo celebrans. Hinc tales *Curiæ* vocantur *coronatæ* du FRESNE *Glossar. Tom. I. p. 1313.*

†† *Vid. infra §. XVII.*

††† De Friderici II. Curia Moguntinensi, GODEFRIDVS COLON. ad a. 1235. *post missarum solennia inuitans Principes omnes, & omnem Comitatum eorum ad festiuas epulas, quæ in loco campestri magnis sumptibus fuerunt præparatæ.* GESTA BALDVINI lib. II. c. III. de Curia Henrici VII. Coloniensi a. 1309. *Hic gaudia gaudiis cumulantur, hastiludia continua choreæque solemnes celebrantur. Ibidem continue ipse Rex cum Principibus & nobilibus totoque vulgo specialiter in die natalis Domini solemnissimam habens curiam conuiuando festiuauit.*

†††† ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. VII. c. XVIII.* de Ottone IV. *dominus Rex faciem suam conuertit Brunswich, vbi festum Pentecosten solenniter celebrauit. Ad quod rex amicos tantum familiares adesse voluit, Archiepiscopum videlicet Magdeburgensem, Haluerstadensem, electum Hildensemensem Episcopum, Merseburgensem Episcopum, Hauelbergensem Episcopum, Corbeiensem Abbatem, Wertinensem Abbatem. Aderat quoque totus festiuus Dux Bernhardus, Landgrauius, Palatinus Comes Rheni, Misnensis Marchio, Conradus Marchio, Wilhelmus Dux Luneburgensis, qui erat frater Regis Ottonis, Marchio de Brandenborch. Comitum vero non erat numerus, militum plurima multitudo, quibus omnibus honestissime & abundantissime de impensa regia administratum est.*

§. X.

In his igitur Curiis festiuis præstabantur officia ab Officialibus & Ministerialibus Imperii. * Hi autem duplicis erant generis, ** vel Ministeriales Palatini, *** dicti etiam Imperatoris & Imperii, † *die Ertz-und Hoff-Aembter*, vel Regni & Reipublicæ, †† qui Statum regni dirigebant, Prouinciis præerant vel Iustitiæ, quales erant Duces & Comites, de quibus inferius.

* GODOFREDVS COLON. ad a. 1189. *eodem tempore Rex* (Henricus VII.) *expeditionem Italicam iurare fecit nobiles, maxime eos, qui Ministeriales Imperii essent.* In Pacto inter Fridericum I. Imp. & Eugenium Papam apud GOLDASTVM *Tomo III. p. 332.* dicitur: *vnus de maioribus Ministerialibus Regni.* Et in subscriptione Comites distinguuntur ab Anselmo Ministeriali & Camerario Regis. In Diplomate Ludouici Pii apud LERCHIVM de Ord. Equestri, Testes distinguuntur inter eos *de aula, de Capellanis, de Clero, de Primoribus Regni, de Ministralibus Regni.* Distinguit igitur Officiales & Ministeriales CONRADVS VRSPERG. *Hist. Philippi p. 305.* & quidem *de principibus & baronibus terræ.* Idem tamen *p. 308.* dicit: *tota curia imperialis & officiales Imperii adhæserunt Philippo*, vt ideo per Officiales eos, qui summa gesserunt officia, intelligere videatur, per Ministeriales autem eos, qui minora. Quare etiam Electores dicti fuerunt Summi Officiales. HINCMARVS vero *de ordine Palatii n. 23.* istos summos Officiales æque vocat Ministeriales. Sic etiam OTTO FRISINGENSIS lib. VII. c. VIII. *Sigehardus Comes a familia Principum, qui ministeriales dicuntur, eo quod iustitiam eorum infringere diceretur, occisus est.*

** HINCMARVS in epistola ad Proceres regni, pro institutione Carolomanni & de ordine palatii *n. 12. Operum Tomo II. p. 206.* ex Adelardo, primam videlicet diuisionem esse dicens, *qua assidue & indesinenter regis palatium regebatur & ordinabatur: alteram vero, qua totius regni status secundum suam qualitatem studiosissime prouidendo seruabatur.* In Epistola Episcoporum ad Ludouicum Regem n. 12. apud BALVZIVM Capit. Tom. II. p. 114. *constituite ministros palatii, qui Deum cognoscant, ament, & metuant, qui maximam curam gerant, quatenus quicumque incestuosi palatium adierint, & per quos perrexeritis, patrem & consolatorem mirantes, gaudendo vos videre accurrant, non qualiter dicere nolumus, gemendo & maledicendo refugiant. Constituite Comites & ministros reipublicæ, qui non diligant munera* &c.

*** VITA LVDOVICI PII apud PITHOEVM *p. 416.* Sic etiam extat Capitulare de Ministerialibus Palatinis *apud* BALVZIVM *Tom. I p. 341.*

† AGO-

† AGOBARDVS *Operum p. 207.* Matfredum, vnum ex Palatii proceribus, vocat Ministrum Imperatoris & Imperii.

†† Ministri Reipublicæ vocantur in Conuentione Marsnensi apud BALVZIVM *Tom. II. p. 46.* Capit. Caroli Calui in Synodo Suessionensi *Tom. II. p. 55. 66. 67. 140.* Comites autem, potissimum Ministri erant Reipublicæ, vt ex epistola Episcoporum ad Ludouicum *n. 12.* & Edicto Pistensi *cap. I. XVII. & XX.* adparet. Ministeriales regni in alio Edicto Pistensi *a. 869. n. 11.*

§. XI.

Ministeriales Palatini erant * APOCRISIARIVS, quem *Capellanum* vel *Palatii custodem* appellant, qui omnem clerum Palatii sub cura & dispositione regebat. Cui sociabatur SVMMVS CANCELLARIVS, qui a secretis olim appellabatur, erantque illi subiecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos vero, sacrum palatium per hos ministros disponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem Stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.

* Verba sunt HINCMARI *c. l. n. 13. & 16.* a MONACHO SANGALLENSI *vita Caroli M. lib. II. c. IX.* memorantur Comes Palatii in medio Procerum, *Magister Mensæ Regiæ cum Ministris Cubicularii Imperatoris circa Magistrum suum.*

§. XII.

APOCRISIARIVS idem vulgo dicitur cum Cancellario, * cum tamen vtrumque munus Hincmarus bene distinguat, dicens, socium eiusdem fuisse summum Cancellarium. Et licet nonnunquam hæc officia in vna persona fuerint coniuncta, ** ex eo tamen non sequitur, vnum idemque fuisse officium. Dicitur autem Apocrisiarius responsalis Ecclesiastico-

rum officiorum, *** qui omnem clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat. † Hinc etiam de omni Ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de canonica vel monastica altercatione, seu quaecunque palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet. †† Posteriori tempore, sub Germanicis potissimum Impp. Archicapellani dicti, ††† cuius munus cum isto Archicancellarii potissimum fuit coniunctum. ††††

* LEHMANN. *lib. II. c. VII.*

** Exempla aliquot collegit du FRESNE *p. 785.*

*** HINCMARVS *n. 14.*

† HINCMARVS *n. 16.* Vocatur ideo a SERVATO LVPO *ep. CIX. Ecclesiasticorum Magister.*

†† HINCMARVS *n. 20.*

††† VITA LVDOVICI PII apud du CHESNE Tom. II. p. 309. *sed & Drogo frater domini Imperatoris Metensis Episcopus, nec non sacri Palatii Archicapellanus. Quem quanto sibi propinquiorem nouerat, tanto ei familiarius sua omnia, & semet credebat. Per eundem quotidie confessionis suae munus, sacrificium spiritus contribulati & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat.* Vocabatur autem Archi-Capellanus, quia Capellae Regiae, siue Archiuo praeerat, dum in Regis Oratorio Archiuum & Regni Monumenta seruarentur, prout hodie quoque fit in sacra capella Parisiensi, prout tradit MABILLONIVS *de Re Diplomatica lib. II. c. XIV.* CONCIL. FRANCOFVRTENSE a. 794. c. III. *vnde tres breues ex hoc capitulo vno tenore conscriptos fieri praecepit, vnum in palatio retinendum, alterum - - - Tertium vero in sacri Palatii capella recondendum fieri iussit.* Hinc SKENAEVS *in Legibus Baron. Scoticorum c. LIII. §. VI.* Capellam, Cancellariam regiam interpretatur. Vid. etiam du FRESNE, voce *Capella.*

†††† Du FRESNE *Glossario Tom. I. p. 785.* MALLINCROT. *de Archi-Cancellariis p. 7.* QVINQVERTIVM CAMERALE qu. V. n. X.

§. XIII.

De COMITIS PALATINI officio infra erit dicendum, vbi de Comitibus sermo * MANSIONARIO incumbebat, vt mansio-

ſiones præpararet, ad quos Impp. venturi, ſuſceptoribus opportuno tempore indicaret, ne deſit apparatus. ** Dum autem hoc munus poſtea Comitibus Stabuli ſiue Mareſchallis fuerit commiſſum, haut prolixius de eodem dicemus. Septem igitur potius hic memorandi erunt Summi Officiales, Tres Archicancellarii, & quatuor Officiales aulici.

* *cap. XX. §. VII. ſeqq.*

** HINCMARVS *c. l. c. XX. n. 23.*

XIV.

CANCELLARII duplicis erant ordinis. Primus, idemque præcipuus ARCHICANCELLARIVS, cæteris Aulæ vel Palatii Cancellariis præerat, * dictus etiam *Sacri Palatii Archicancellarius.* ** Huius munus erat, vt præceptorum regiorum curam gereret, eademque ſubſcriptione ſua recognoſceret. *** Quodſi vero ipſe in aula Imp. præſens non eſſet, vnice ipſius Cancellarius recognoſcebat. **** Primis quidem temporibus vnicus ſaltim per Germaniam erat Archicancellarius, idemque ex Epiſcoporum potiſſimum numero, ita tamen, vt ab Impp. dependeret arbitrio, quem vellent eligere. ***** Et quidem BERNHARDVS a MALLINCKROT † auctor eſt, primum hoc titulo vſum fuiſſe Cunibertum Colonienſem, qui ſeculo ſeptimo vixit. Poſtea vero Guilielmi temporibus, qui Ottonis M. erat filius, ab ipſo factus archiepiſcopus Moguntinus, obtinuit, vt perpetuis deinceps temporibus, non alii, quam Moguntini Antiſtites Romani Imperii Archi-Cancellarii conſtituerentur. †† Idque etiam ex Metropolis Prærogatiua Moguntinæ ſedi deberi videtur. ††† Quare hoc Officium continuo nexu geſſerunt, in eodemque ſæpius fuerunt confirmati †††† Primitus quidem ſaltim dicebantur Archi-Cancellarii, vsque dum Colonienſes

Archi-

Archi-Cancellarii per Italiam titulo vterentur, tunc Moguntini Archi-Cancellarii per Germaniam titulum adſumſerunt, id quod a Friderici I. temporibus fuit factum. †††††
Quandoque tamen ſaltim Notarii ſiue Secretarii vice Archi-Cancellarii ſubſcripſerunt. ††††††

* Quare ſæpius Moguntinus a Cancellario Imperiali diſtinguitur. Hinc DITMARVS lib. III. p. 342. *Mortuo quoque Roberto Moguntinæ ſedis Archipræſule, Imperator Cancellarium ſuimet, nomine Willigiſum, multis hoc ob vtilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit Eccleſiæ.* GODEFRIDVS MONACHVS ad an. 1190. *Poſt Paſcha Rex Moguntiorum Archiepiſcopum & Dietherum Cancellarium præmittit in Apuliam.*

** Charta Lotharii a. 844. in Tabulario Eccleſiæ Viennenſis *p. 3.* apud du FRESNE Tom. I. p. 30. *Agilmarus venerabilis ſanctæ Viennenſis Eccleſiæ vocatus Archiepiſcopus, & ſacri Palatii noſtri Archicancellarius.*

*** Hinc frequens formula: *Ego Archicapellanus recognoui.* In Tabula donationis, Fuldenſi Monaſterio coram Ludouico Rege factæ in BROWERI Antiqu. Fuld. lib. III. c. XVI. *Ego in Dei nomine Hatto, archiepiſcopus & Cancellarius has literas iuſſu meo ſcriptas, recognoui & manu propria ſubſcripſi.* Quare Maximilianus in Priuilegio Aſcanienſi Domui a. 1495. conceſſo: *ad Mandatum Regis proprium Bartoldus Archiepiſcopus Moguntinus Archicancellarius ſubſcripſit,* apud LVNIG *Reichs-Archiv And. Contin. III. Fortſ. p. 183.* Idem ſolus recognouit Maximiliani I. Litteras ſuper Inueſtitura Würtenbergica a. 1496. datas. Caroli IV. A. B. de Iure Succeſſionis in Electoratum Saxoniæ de a. 1376. ſolus recognouit Ludouicus Moguntinus.

**** Hoc in plerisque Diplomatibus occurrit, vtpote apud MALLINCKROT p. 9. *Amelbertus Cancellarius ad vicem Luberti, Archicancellarii recognoui.* Apud eundem p. 17. *Arnolphus Cancellarius ad vicem Luidberti Archi-Capellani recognoui & ſubſcripſi.* In Diplomate Henrici VI. apud HEDAM Hiſt. Vltraiect. p. 178. *ego Conradus Hildesheimenſis electus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Conradi*

radi Moguntinæ ſedis archiepiſcopi, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognoui, Exempla perplura recenſet MALLINCKROT & QVINQVERTIVM CAMERALE *qu. V. p. 266. ſqq.*

***** Neque etiam Archiepiſcopi vel Moguntinus, Colonienſis, vel Treuirenſis ſemper fuerunt Archicancellarii, ſed alii etiam vel Archiepiſcopi vel Epiſcopi, prout ad longum recenſet Auctor QVINQVERTII CAMERALIS *qu. V. p. 266.* Plures equidem vno tempore ſub Ottonibus potiſſimum, fuiſſe Archicancellarios, contra Mallinckrotium contendit IO. IACOBVS MASCOVIVS *de Orig. Officiorum aulicorum S. R. I. §. XI. XII.* id quod ex diuerſis Diplomatibus demonſtrare conatur. Verum, dum hoc nec nomini nec dignitati conueniat, potius crediderim, hoc munus non ſemper vitæ ad tempus fuiſſe conceſſum.

† *De S. Germ. Cancellariis §. I.* & quidem ex Donatione Dagoberti Regis S. Landelino facta, cum hac ſubſcriptione: *Anſo Cancellarius vice Cuniberti Archicancellarii recognoui.* Conradi I. Diploma Radbodoni Traiectenſi a. 914. conceſſum, ſubſcribitur: *Salomon Cancellarius ad vicem Pilgrini Archicapellani recognoui,* apud GVIL. HEDAM *Hiſt. Traiect. p. 73.* Sic Præceptum de inſtitutione Epiſcopatuum per Saxoniam de a. 789. & Præceptum pro Trutmanno Comite apud BALVZIVM *Capit. Tom. I. p. 248. 350.* ſubſcribit Hildebaldus, Archiepiſcopus Colonienſis & ſacri palatii Capellanus.

†† Prout MALLINCKROT demonſtrauit *p. 31.* Idemque per continua exempla comprobauit AVCTOR QVINQVERTII CAMERALIS *qu. V. n. 32. p. 295. ſqq.* An vero hoc expreſſo Ottonis M. Priuilegio, an vero tacito quodam ac paulatim giſcente iure fuerit factum, ſubdubitat dictus MALLINCKROT. Auctor equidem eſt SPENERVS *Op. Herald. lib. I. c. LXIV. §. XVII.* & qui eum ſequitur THVLEMARIVS *Octouiratu c. XIII. §. XXVIII.* hanc dignitatem ſpecialibus Priuilegiis in Archiuo Moguntino exiſtentibus Moguntinæ Eccleſiæ fuiſſe conceſſam. Verum, nemo id hactenus demonſtrauit, potius continuo vſu ab Ottonis M. temporibus hoc inualuiſſe crederem. Auctor QVINQVERTII equidem *p. 331.* perpetuam hanc Archi-Cancellarii dignitatem temporibus Conradi I. circa annum 913. Moguntinæ ſedi ne-

xam fuiſſe adſerit. Altius adhuc adſcendit RVTGERVS zur HORST *de Cancellariis lib. I. c. II. p. 12.* a Carolo M. hoc ducens, adlegans Diploma Confirmationis Monaſterii Gengenbacenſis in Alſatia, in quo *interuentu petitionis Lutwardi Archicancellarii* ſe ad eum permotum eſſe perhibet Carolus M. cum tamen Lutwardus fuerit Vercellenſis Epiſcopus ſecundum LEHMANNVM *lib. II. c. III.* Adducit; equidem, Auctor QVINQVERTII *p. 320.* Diploma Friderici I. Monaſterio Veteris Cellæ a. 1162. conceſſum, cum hac ſubſcriptione: *Ego Vdalricus Cancellarius, vice Reinaldi, Colonienſis Archiepiſcopi & Archicancellarii recognoui.* Sed factum hoc iſto tempore, dum de ſucceſſione in Moguntinum Archiepiſcopatum eſſet controuerſia, de qua dictus *Auctor n. 47.* Idem ſub Ottone IV. factum, de quo *p. 322.* & ſub Henrico VII. *p. 324.*

††† Quare in ANN. FVLD. ad a. 719. vocatur *Metropolis Germaniæ*, & a CONTINVATORE REGINONIS ad a. 953. *Metropolis Franciæ, regiaque Ciuitas.* A quibus hoc fuerit factum, teſtatur OTHLONVS *vita S. Bonifacii lib. I. c. XLIV.* dum ait: *quo depoſito ſtatim S. Bonifacius a ſupradictis Principibus, Karolomanno videlicet & Pipino, fratre eius, Eccleſiæ Mogonciacenſi præficitur, & vt eius dignitas eminentior foret, decreuerunt iidem Principes; Eccleſiam Mogonciacenſem, quæ prius alteri ſubiecta erat, Metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere moxque legatione facta, illud a Præſule Apoſtolico impetrauere.*

†††† Extat apud LÜNIGIVM *Spicilegio Eccleſ. I. Fortſ. p. 45.* Priuilegium Alberti I. de a. 1298. in quo: *Recognoſcentes præfatum Principem, & quemlibet eius in Archiepiſcopatu prædictæ Eccleſiæ, ſucceſſorem eſſe & fore debere Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarium.*

††††† AVCTOR enim QVINQVERTII CAMERALIS, poſtquam *qu. V. an. 10. ad 49.* exempla fere innumera adduxiſſet, quod in ſubſcriptionibus Diplomatum Archicancellariorum facta fuiſſet mentio, nullum tamen vsque ad Friderici I. tempora adducit exemplum, quod iſte Germaniæ Archicancellarius fuerit adpellatus. Ab iſto vero tempore frequenter hoc fuit factum. Primum quod noui Exemplum adparet ex Priuilegio Friderici I. quod Monaſterio S. Emerani, con-

concessit de a. 1153. in quo talis est subscriptio: *Ego Ioannes Imperialis aulae Cancellarius vice Conradi Maguntinens. sedis Archiepiscopi & Germaniae Archicancellarii recognoui*, apud HVNDIVM *Metr. Salisb. Tom. II. p. 262.* Sic enim in Diplomate Friderici I. de a. 1180. super Angariae Westphaliaeque Ducatu concesso, apud AEGIDIVM GELENIVM *de Magnitud. Coloniae Agripp. lib. I. Synt. VII. §. XXIII. p. 74. Ego Godefridus Imperialis Aulae Cancellarius vice Christiani Moguntinensis Sedis Archiepiscopi & Germaniae Archi-Cancellarii recognoui.* Et in alio Eiusdem Imperatoris, quae Priuilegia Spirensis Ciuitatis a. 1182. confirmauit, subscribit: *Ego Godefridus Imperialis Aulae Cancellarius vice Christiani Moguntinae Sedis Archiepiscopi & Germaniae Archi-Cancellarii recognoui*, apud TOLNERVM *Cod. Diplom. Palat. n. 63.* In Diplomatibus Friderici II. Imp. vocatur totius Germaniae Archi-Cancellarius, vtpote in Friderici II. Inuestitura super Erectione Ducatus Brunsuicensis de an. 1135. subscribitur: *Ego Sigfridus Ratisbonensis Episcopus, aulae Imperatoris Cancellarius, vice Domini Moguntini Archiepiscopi, totius Germaniae Archi-Cancellarii recognoui*, apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 208.* Eadem subscriptio occurrit in Diplomate Friderici II. alio apud SCHILTERVM *Inst. I. P. Tom. II. Tit. XVI. p. 121.* Vid. QVINQVERTIVM *p. 330.*

†††††† Exemplum praebet Diploma Conradi III. Monasterio Münchsmünster a. 1141. concessum, apud HVNDIVM *Metr. Salisb. T. II. p. 359.* quod talem habet subscriptionem: *Et ego Henricus Notarius Vice Archicancellarii Adelberti Moguntini Archiepiscopi recognoui.* In Diplomate Ludouici Pii, apud ZYLLESIVM *p. III. p. 14.* Donandus Diaconus recognouit, apud HEDAM *Hist. Traiect. p. 80.* Praeceptum Immunitatis Henrici Aucupis saltim subscripsit *Simon Notarius.*

§. XV.

Dum autem distincta semper Regni Italici atque Germanici Iura fuissent, ab initio statim ab hoc Archicancellario per Germaniam distinctus fuit ARCHI-CANCELLARIVS *per*

Italiam. Hoc munus olim, dum in Italia essent Imperatores, vel Moguntinus gessit, * vel hoc absente, diuersis Episcopis Germaniæ Italiæue fuit demandatum. ** Seculo iamdum XI. Piligrinus atque Hermannus Diplomata ad Parmensem Ecclesiam spectantia subsignarunt tanquam Archi-Cancellarii. *** Et licet arbitrarium adhuc fuisset Archicancellarii per Italiam munus, ab eo tamen tempore Coloniensi Archiepiscopatui nexum fuisse videtur, postquam Leo IX. Hermannum, Coloniensem Archiepiscopum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem atque Archicancellarium a. 1094. constituisset. **** Quod exemplum sine dubio Germanorum Impp. secuti fuisse videntur, dum Henrici VI. ***** temporibus, Anno Coloniensis magnæ apud Italos esset auctoritatis. Fridericus Coloniensis Pactum inter Henricum V. Imp. & Calixtum Papam a. 1122. initum, tanquam Cancellarius recognotuit. ****** Postea hoc munus Coloniensibus Archiepiscopis semper tribuitur, ******* vt ideo Diplomata Impp. apud Italos euulgata, tanquam Archicancellarii per Italiam subscriberent, vel horum vice alii Episcopi, ******** ita tamen, vt quandoque, vbi de Archiepiscopatu Moguntino esset controuersia, Colonienses Archiepiscopi in subsidium quasi Impp. Diplomata, vel alii horum nomine subscriberent. † Per Italiam autem intelligitur non solum Regnum Longobardicum, sed etiam reliquiæ Imperii Romani, Germanico idiomate *des Reichs von Querberg*, (trans Alpes) *Ertz-Cantzler.* †† Hoc etiam munus Coloniensi per A. B. fuit confirmatum. †††

* Patet hoc ex Diplomate, quod Otto M. a. 962. Romæ Abbatiæ S. Maximini concessit, quod Ludolfus Cancellarius ad vicem Wilihelmi, qui Archiepiscopus erat Moguntinus, recognouit apud ZYLLESIVM *p. III. p. 20.* Aliud Eiusdem Imp. Diploma exhibet ZYLLESIVS

SIVS p. 21. Rauennæ a. 970. in quo: *Luitgerus Cancellarius ad vicem Rotberti Archicapellani notaui.*

** Adlegat plura exempla MALLINCKROT *p. 35.* Sic in Ottonis M. Priuilegio Patauinæ Ecclesiæ concesso, subscribitur: *Luitgerus Cancellarius ad vicem Vitonis Episcopi & Archi-Cancellarii recognoui & subscripsi.* Ottonis III. Priuilegium Vercellensi Ecclesiæ an. 999. datum, subscribitur: *Heribertus Cancellarius vice Petri Comani Episcopi & Archi-Cancellarii recognoui.* Hermannus Contractus ad a. 1047. de Henrico III. *Circa idem tempus Imperator Præsules nonnullos constituit: inter quos Rauennati ecclesiæ Hunfridum cancellarium suum in Italia; Constantiensi Theodericum, per alias prouincias cancellarium suum & archicapellanum, & Aquisgrani præpositum.* In Præcepto Henrici III. de an. 1093. vocatur Burchardus Losannensis Episcopus *noster Italiæ Cancellarius.* Idem tamen subscribitur *per manus Iporiensis Episcopi, Italiæ cancellarii* apud EDM. MARTENE *Anecdot. T. I. p. 860.* Sic etiam PETRVS DIACONVS *Chron. Casinensi lib. IV. c. CXXV. Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Augustus dilectissimo fideli suo Guibaldo Casinensi Gerarchæ, & Romani Imperii Cancellario, & Magistro capellano, ac Principi pacis, gratiam suam & bonam voluntatem. Suæ fidelitati per Imperialia scripta mandamus, vt nostræ a Deo conseruandæ Maiestati Petrum Casinensem Diaconum, qui a nostra Imperiali serenitate Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius, & Capellanus Romani Imperii constitutus est, transmittere studeas.* Licet Cancellarii saltim fuerint Italiæ ab Imp. constituti. Immo adhuc Henrici VI. Imp. tabulas Venetorum Duci a. 1111. Veronæ concessas recognouit: *Burcardus Cancellarius Monasteriensis Episcopus vice Alberti Archi-Cancellarii, Moguntinæ sedis electi,* apud NIC. CRASSVM *Not. ad Donati Iannoti Remp. Venet. p. 450.*

*** Duo ad hanc Ecclesiam spectantia Diplomata, alterum Bambergæ 1035. alterum Augustæ confectum, extant apud VGHELLVM *Italia*

lia ſacra Tomo II. p. 210. 211. 212. ad quæ prouocat MASCOVIVS §. *XVI.*

**** Prout ex ſingulari Papæ Bulla conſtat, quam exhibet AEGIDIVS GELENIVS *de Admir. Magnit. Colon. lib. III. Synt. I.* §. 2. & MALLINCKROT *de Archi Cancellariis S. Rom. Eccl. c. V.* in qua: *confirmamus quoque tibi per hanc praeceptionis noſtra paginam, ſancta & Apoſtolica Sedis Cancellaturam, & Eccleſiam S. Ioannis Euangeliſta ante portam Latinam: vt te Petrus Cancellarium habeat, Ioannes hoſpitium prabeat.* Archi-Cancellarium autem hic intelligi, patet ex ſubſcriptione dicti Diplomatis, quæ talis eſt: *Data Nonas Maii, per manus Friderici Diaconi, Sac. Romana Eccleſia Bibliothecarii, atque Cancellarii, vice Domini Hermanni Archicancellarii & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis IX. Papa IV. Indictione quinta.*

***** Adducit KYRIANDER *p. II. Comment. de Auguſta Treuirorum* Diploma confirmatorium Victoris II. Papæ cum hac ſubſcriptione: *Datum die VII. Kalend. Maii, per manus Arebonis Diaconi vice Annonis Sancta Romana & Apoſtolica Sedis Archicancellarii, ſancta Colonienſis Eccleſia Archiepiſcopi, anno 3. Domini Victoris Papa 2. Indictione 10. menſe Aprili die 25.* Vid. etiam S. H. G. *diſſ. XV. §. VI. VII.*

****** Subſcribunt enim hoc pactum primo ſtatim loco Adelbertus Moguntinus Archiepiſcopus & Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus. Sed in fine hæc habentur: *Ego Fridericus Colonienſis Epiſcopus & Cancellarius recognoui*, prout Pactum hoc ex Archiuo Romano deſcripſit BARONIVS Ann. T. XII. ad a. 1122. & ex eo SCHILTERVS *de Lib. Eccl. Germ. lib. IV. §. V. §. VI. VII.* Vid. etiam MALLINCKROT *p. 41.* Exinde videmus, quid de Sigonio ſentiendum, qui lib. VII. p. 176. ait: *Rex autem*, (Otto M.) *adhibito Colonienſi archiepiſcopo, qui regni Italia Cancellarius erat, ex legum ſcitis, & iuriſconſultorum iudicio de rebus omnibus cognoſcebat.* Licet enim, dum Aulam in Italia haberet Otto, Archicancellarium Italiæ adhibuiſſet: non tamen Colonienſis erat, ſed alius Italiæ Epiſcopus.

******* Sic

******* Sic enim CHRONOGRAPHVS SAXO ad a. 1132. *Rex celebrauit assumtionem S. Mariæ in Werzeburch, & inde cum exercitu Longobardorum fines intrauit. Et quia archiepiscopus Coloniensis defuit, qui iure debet esse Cancellarius in illis partibus, Norbertus archiepiscopus Magdeburgicus huic officio deputatus est.*

******** Antiquissimum Diploma, quod cum expressa Italiæ Cancellariatus mentione se vidisse ait, ex CHAPEAUVILLII Tomo II. Rerum Leodiensium, apud Ciuitatem Tridentinam datum, adducit MALLINCKROT *p. 38.* cum hac subscriptione: *Ego Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, & Italici Regni Archicancellarius recognoui.* Patet hic titulus etiam ex GODEFRIDO MONACHO ad a. 1167. *Ecclesia Coloniensis Philippum maioris Ecclesiæ Decanum, & Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarium, cum adhuc in Italia teneretur, pontificem sibi elegit.* Apud WIGVL. HVNDIVM *Metr. Salisburg. Tom. I. p. 247.* extat Diploma Friderici I. Datum Cumæ IV. Kal. Febr. cum hac subscriptione: *Ego Vlricus Cancellarius vice Reinaldi Coloniensis Archiepiscopi recognoui.* Inter Epistolas Friderici I. Ep. VIII. IX. X. XII. reperiuntur ab eodem scriptæ cum hac epigraphe: *Reinaldus Christi Dei gratia Imperialis Curiæ Cancellarius, & Legatus Italiæ.* Arnoldus vero Coloniensis Archiepiscopus subscripsit pactum inter Fridericum III. Imp. & Eugenium Papam tanquam Cancellarius, apud GOLDASTVM *Tomo III. p. 332.* In aliis illorum temporum Diplomatibus occurrit: *Godefridus Cancellarius, vice Philippi, Coloniensis Archiepiscopi, & Italiæ Regni Archi Cancellarii recognoui*, prout Auctor Dissertationis Historicæ de Summo Apostolicæ Sedis Imperio in vrbem Comacli §. *XXXVII.* demonstrauit. Engelbertus in Diplomate de a. 1267. apud SCHATENIVM *Ann. Paderborn. lib. XI. p. 114.* se vocat: *sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopum, ac sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarium.* Apud MATTHÆVM PARISIENSEM ad a. 1257. p. 807. Archiepiscopus Coloniensis vocatur: *sacri Imperii Protho-Cancellarius.* Quare CONRINGIVS *de Officialibus Imperii §. IX.* huius muneris originem a Friderici I. temporibus ducit. Et licet AVCTOR QVINQVERTII *p. 327.* velit, inter a. 913. & 917. vel pacto vel vsu obtinuisse, vt per Germaniam

niam Archi-Cancellariatus sedi Moguntinæ, per Italiam Sedi Coloniensi, per Galliam Sedi Treuirensi adnecteretur, nondum tamen ab ipso hoc fuit comprobatum.

† Prout dictus AVTOR per Exempla demonstrauit *Qu. V. n. 32. p. 295. seqq. n. 47. p. 322. & p. 324.*

†† FREHERVS *Not. ad* PETR. de ANDLO *lib. II. c. I.* exhibet initium Chartæ de a. 1275. in qua: *Wir Syvert Ertz-Bischoff von Callen, des Reichs von Oberberge Ertz-Cantzler.*

††† *Tit. I. §. XI.*

§. XVI.

Tertius in Imperio est Archi-Cancellarius per Galliam Belgicam, sub qua potior pars Lotharingiæ comprehendebatur & Regnum Arelatense. In Gallia Belgica equidem Archi-Cancellarii Munus, prout reliqua, fuit arbitrarium, * ita tamen, vt quandoque etiam Treuirenses Archiepiscopi Archicapellani munus gererent, prout Sec. IX. & X. Ratbodus, Rutgerus & Rupertus Diplomata tanquam Archi-Capellani subscripserunt. ** Diuersa tamen Diplomata ad prouincias Galliæ Belgicæ facientia, æque subscripserunt Moguntini Archiepiscopi. *** Archi-Cancellarii vero munus in Regno Arelatensi, Treuirensi ab Ottonis M. temporibus vindicat FREHERVS, † cum tamen olim illud gesserit Archiepiscopus Viennensis, qui tantæ auctoritatis, vt ante originem adhuc regni Arelatensis, Lotharii tempore, Agilmarus Archiepiscopus Viennensis Archicapellanus Palatii diceretur. †† Hanc dignitatem iisdem archiepiscopis singulari Diplomate confirmauit Fridericus I. ††† idque ob regiæ Cathedræ excellentiam, †††† Friderici II. temporibus hæc dignitas ad Arnoldum II. Treuirensem Archiepiscopum delata videtur, qui vna cū reliquis Archicancellariis inter Electores fuit receptus. ††††† Sub Carolo IV. Imp. Boemundus hoc titulo vtitur, cuius vice etiam singularis Cancellarius Imp. Diploma recogno-

uit. †††††† Temporibus Henrici VII. Imp. ††††††† atque Ludouici Bauari hac dignitate gauisus fuit Balduinus, † qui se Archi-Cancellarium Galliæ appellauit, quæ dignitas per dictum Ludouicum & dein per A. B. demum fuit confirmata. †† Per Galliam autem hic intelligi Belgicam vel omnes adgnoscunt, ††† quod vocatur *durch Welische Land.* ††††

* NIC. ZYLLESIVS *p. III. p. 15.* adducit Diploma Lotharii Imp. Metis de a. 868. in quo: *Ego Grimlandus ad vicem Aduentii Archicancellarii recognoui.* BROWERVS *Ann. Treuir. lib. IX. n. 20.* exhibet Diploma Arnolphi Imp. Ecclesiæ Treuirensi a. 989. concessum, quod subscripsit Anspertus Cancellarius ad vicem Theomari Archi-Capellani.

** BROWERVS n. 50. habet Diploma Ludouici Infantis de a. 902. cum hac subscriptione: *Ruadmirus Notarius ad vicem Ratbodi Archi-Cancellarii*, (qui Archiepiscopus erat Treuirensis) *recognoui*, Gessit hoc munus etiam Ratbodus, dum Carolus Simplex, Gallorum Rex Lotharingiam sibi adseruisset. Quare in Eiusdem Diplomate Treuirensi Ecclesiæ a. 914. concesso, apud BROWERVM *lib. IX. n. 61.* subscripsit *Gozelinus Notarius ad vicem Ratbodi Archiepiscopi summique Cancellarii recognouit.* Aliud Eiusdem Caroli Diploma de a. 923. subscripsit *Gozelinus Notarius ad vicem Ruotgeri Archipræsulis*, (Treuirensis) *summique Cancellarii*, quod extat n. 70. Idem BROWERVS lib. X n. 39. exhibet Diploma Egberti, in cuius fine extat: *Signum benignissimi Egberti Treuirorum Archiepiscopi, Primatis & Cancellarii.* Apud ZYLLESIVM p. III. p. 16. exhibetur Ottonis M. Priuilegium Abbatiæ S. Maximini a. 940. concessum, in quo: *Poppo Cancellarius ad vicem Ruodberti Archicancellarii subnotaui.*

*** Sic Ottonis M. Priuilegium de a. 945. per quod Traiectensem Abbatiam Treuirensi Ecclesiæ restituit: *Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognouit* apud BROWERVM Ann. Treuir. lib. IX. n. 97. Aliud Ottonis III. Priuilegium Treuirensi Ecclesiæ concessum: *Hildebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willegisi Archiepiscopi recognouit* apud BROWERVM *lib. X. n. 61.* Henrici II. Priuilegium Abbatiæ S. Maximini a. 1023. concessum, *Güntherus*

Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognouit apud ZYLLESIVM *p. III. p. 32.* Immo, diuersa alia Henricorum Diplomata Treuiris scripta, atque Abbatiæ S. Maximini concessa, quæ vice Archicancellariorum Moguntinorum fuerunt recognita, ab eodem adducuntur. Bina vero Henrici IV. *p. 50. & 52.* adducit Diplomata, quæ, nulla Archi-Cancellarii mentione facta, Adelbertus Cancellarius & Bruno Cancellarius recognouit. Apud EDMVNDVM MARTENE *Anecdot. Tomo I. p. 661.* reperitur Diploma Henrici VI. pro Theoderico Flandriæ Comite, quod subscribitur: *Ego Cuonradus imperialis aulæ Cancellarius vice domni Cuonradi Moguntinensis archiepiscopi & totius Germaniæ archicancellarii recognoui.* Caroli IV. Priuilegium Vrbi Ponte Moncionis a. 1373. concessum, subscribitur: *Ego Ioannes Olomicensis Episcopus, Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius vice Reuerendi in Christo patris, Domini Ioannis Moguntini Archiepiscopi, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii, recognoui*, apud IO. IAC. CHIEFLETIVM *Comment. Lothar. c. V. p. 22.* Sententia Henrici VI. Imp. inter Ducem Brabantiæ & Episcopum Traiectensem subscribitur: *Ego Conradus Hildesbemensis electus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Conradi Moguntinæ sedis Archiepiscopi & totius Germaniæ Archicancellarii recognoui* apud GVIL. HEDAM *Hist. Traiect. p. 178.* BOECLERVS *Notit. Imperii lib. I. c. V. p. 199.* ex Actis Publicis demonstrauit, Treuirensem Moguntino quandoque fuisse substitutum. Patet hoc etiam ex KYRIANDRI *p. XV. Rerum Treuirensium p. 244.* quod Iacobus, Baro de Sirck, Archiepiscopus Treuirensis, Cancellariam Friderici III. Imp. Theodorico de Erbach, Moguntino Archiepiscopo consentiente, rexerit.

† *Ann. Treuir. lib. XVI. p. 177.* Licet ipse fateri necessum habeat, vix ante Boemundi tempora Archiepiscopos hoc titulo vsos fuisse. Idem tradit ONVPHRIVS PANVINIVS *de Comitiis Imperii c. VI.*

†† DV FRESNE *Tom. I. p. 300.*

††† Verba Diplomatis hæc sunt: *Tibi vero Stephano dilectissimo nostro venerabili Archiepiscopo dignitatem ab antecessoribus nostris collatam, indiuisam conseruantes, recognoscimus: videlicet, vt in Regno Burgundiæ sacri Palatii nostri Archicancellarius, & summus Notariorum nostrorum semper existas* apud du FRESNE *c. l.* Hinc idem Stephanus Vien-

Viennensis Archiepiscopus & Archicancellarius de Burgundia dicitur RADEVICO *lib. I. c. XI.*

†††† Sic enim ipse Fridericus in Diplomate apud CHORRIER Hist. de Dauphiné p. 789. *praefata ciuitas* (Viennensis) *Regia Cathedra excellentia, nullum, praeter nos debet habere possessorem.* Quare etiam GERVASIVS TILBERIENSIS *in Otiis Imperialibus* apud LEIBNITIVM *T. I. p. 914.* de Prouinciis Galliae Narbonensis: *Arelatensis, quae caput est Regni, Viennensis quae Cancellaria regni est.*

††††† De eo sic coniectatur BROWERVS Ann. Treuir. lib. XVI. c. 157. *cum Boëmundi scriptor, eius temporis aequalis - - primus omnium, quem equidem legerim Archicancellarii Arelatensis regni titulum Boëmundo tribuat, non absque ratione censuero, Arelatensis regni procurationem, in Archicancellarii Galliarum nomen, eo potissimum tempore adscitam, quo illud maxime regnum a Franco distrahi, & Septemuirum electio strictiore iure, in Germania celebrari coepit; atque ita quidem ab Arnoldo eius nominis secundo Archiepiscopo videri hoc munus primo susceptum; attribui autem cum ipsis titulis Boëmundo, ob controuersiam eo de regno nuper exortam.*

†††††† Extant Caroli IV. Tabulae a. 1357. Traiecti ad Mosam confectae, cum hac subscriptione: *vice Reuerendi in Christo patris, Boëmundi Treuirensis Archiepiscopi, S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarii recognoui Rodolphus de Fridenberg* apud GEWOLDVM *de Septemuiratu n. LXXIV. p. 112.* In Priuilegio Caroli IV. de an. 1356. apud CHIFFLETIVM Comment. Lothar. c. IV. *Ego Ioannes Dei gratia Luchonischlensis Episcopus, sacrae Imperialis Aulae Cancellarius, vice Reuerendi in Christo Patris Domini Boëmundi Treuerensis Archiepiscopi, sacri Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarii, recognoui.* Priuilegium Cunoni Archiepiscopo Treuirensi a Carolo IV. a. 1376. 2. Kl. Iunii Bacharaci concessum, recognouit: *Nicolaus Camerae praepositus, vice & nomine Reuerendissimi Domini, Cunonis Archiepiscopi Treuerensis S. R. I. per Galliam & Arelat. regnum archicancellarii* apud KYRIANDRVM *Rer. Treuir. p. 169.*

††††††† Prout ex epistola Henrici VII. & Electorum ad Pontificem Romanorum patet, apud LEIBNITIVM *Cod. Diplom. p. 252.* in qua:

Baldewinus D. G. Treuirorum Archiepiscopus Sacri Imperii per Regnum Arelatense Archicancellarius.

† In epistola Electorum ad Benedictum Papam de a. 1339. in HENRICI REBDORFFII *Annalibus* apud FREHERVM *Tom. I. p. 617.* Et in Diplomate apud BROWERVM *Ann. Treuir. lib. XVII. p. 225.*

†† *Tit. I. §. 12.*

††† THVLEMARIVS *Octouiratu cap. XIII. §. 3.*

†††† Sic vocatur von den Walen s. Walonen. Vid. SCHILTERVS *Inst. I. P. Tom. II. Tit. XVIII. p. 282.* Quare Balduinus in Diplomate, quod exhibui in Histor. Archiv. p. I. p. 41. se ipsum vocat: *des Heil. Ræmischen Reichs Ertz-Cantzlar durch Welschland.*

§. XVII.

Licet autem singuli Ecclesiastici Electores hosce titulos adhuc continuent, solus tamen hodie Iura Archi-Cancellarii in vniuersum exercet Moguntinus, etiam per Italiam & Galliam Belgicam, siue Germaniam Transrhenanam, eo quod aulam suam in Germania semper gerant Impp. Idem etiam contra Treuirensem Archicancellariatus Iura in Gallia Belgica prætendentem, obtinuit Moguntinus. † Et licet plerique tradant, si Imp. curiam in Italia habere contingat, tunc Iura Archicancellariatus in vniuersum competere Coloniensi, * vix tamen credendum, tunc etiam iuri suo cessurum Moguntinum. ** Hic autem, dum in aula Cæsarea præsens haut sit, ipse Elector constituit suum Vice-Cancellarium. *** Quod munus olim Imperialis aulæ Cancellarii, vti ex superioribus patet, Episcopi gesserunt, **** vsque dum etiam Doctores hoc munere ***** fungerentur, hodie etiam personæ illustres, prout hoc munus Illustrissimus Schönbornius Comes exornat.

† BROVVER *Annal. Treuir.* Lib. XVII. c. LXXIX.

* COCCEIVS *cap. X. §. 7.*

** Plenius de Archi-Cancellariis egerunt LEHMANN *lib. II. c. VII. & VIII.* BERNHARD a MALLINCKROT egregio Tractatu *de Archicancellariis Sacri Romani Imperii.* CONRING exercitatione de *Officialibus &* CHRISTFRIED WÆCHTLER *de Cancellariis Veterum.*

*** In Capitulatione Ferdinandi IV. art. XL. primum fuit insertum. *In Bestellung aber unserer Reichs-Hoff-Raths-Cantzley so wohl mit des Reichs-Vice-Cantzlers, als der Secretarien, Protocollisten, und anderer dazu gehæriger Personen, Unsern lieben Neven, dem Churfürsten zu Maynz, als Ertz-Cantzlern durch Germanien, in der ihme allein disfalls zustehenden disposition, unter was Vorwand es sey, keine Eingriff oder Verhindernüs thun, noch darin einige Ziel oder Maaß geben, sol auch, was hiebevor darwieder vorgangen seyn mag, zu keiner Consequentz gezogen, und wann inskünfftig etwas darwider gethan oder verordnet werden mæchte, vor ungültig gehalten werden.* Quod repetitur CAPIT. LEOPOLDI *art. XL.* IOSEPHI *art. XXXIX.* CAROLI VI. *art. XXV.*

**** Longum eorum Catalogum, qui sub singulis fuerint Impp. nectit Mallinkrot.

***** Quales sub Carolo V. fuerunt Nicolaus Zieglerus, Balthasar Merckelius, Matthias Heldus, Georgius Sigismundus Seldius, aliique. Tempore Maximiliani II. Io. Bapt. Weber.

§. XVIII.

Reliqua officia Palatina triplicia sunt, Summa, Hæreditaria & Aulica, vulgo *die Ertz-Aemter, Erb-Aembter und Hoff-Aemter.* Illorum quattuor ab antiquo fuerunt Camerarii videlicet, Senescalci, Buticularii, Comitis Stabuli.* Hæc autem non demum Germanorum sunt inuentum, prout putat Mallinckrot, sed iam Romanorum & Byzantinorum temporibus nota fuerunt officia. Præfectus enim Prætorio Romanorum Mareschallo; Præpositus sacri Cubiculi Camerario respondet. Sub Comite Castrensi vero reliqua bina officia

erant coniuncta, dum sub ipso essent prægustatores & pincernæ. ** Dum autem apud Romanos plura adhuc essent officia Palatina, hæc quatuor apud Francos ad demonstrandam Maiestatem suam facta fuerunt solennia, in quorum regno etiam supermanserunt, atque Officiales dicti fuerunt *Chamberlain, Seneschal, Bouteiller, Connestable.* *** Licet apud eosdem sensim iterum cessauerint.

* HINCMARVS *c. l.* Idem fere docet WIPPO in vita Conradi Salici p. 428. *in dispositione curiali quem Rex maiorem domus statueret, quos cubiculariorum magistros, quos infertores & pincernas, & reliquos officiarios ordinaret.*

** IAC. GVTHERII *Officia domus Augustæ lib. II. c. I. & lib. III. c. XXIX. & XXX.* GVIDONIS PANCIROLLI *Notitia dignitatum.* CODINVS *de Officiis Palatinis.*

*** CLAVDE FAVCHET *Origines des Dignitez & Magistrats de France.* VINCENTIVS LVPANVS *de Magistratibus & præfecturis Romanorum.* PASQVIER *Les Recherches de la France.* HERTIVS *Notit. Regni Francici Veteris c. III.*

§. XIX.

Hunc Francorum morem imitati fuerunt Germani, dum in Ottonis M. coronatione * hæc quatuor officia iam dum memorentur. Lothariorum enim Dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Euerhardus mensæ præerat: Herimannus Franco pincernis: Arnulfus equestri ordini, & eligendis locandisque castris. Eadem officia memorantur in historia Ottonis III. apud DITMARVM. ** *Celebrata prima Paschatis solennitas in Quindilinborg a Rege, vbi quatuor ministrabant Duces, Henricus ad Mensam, Conradus ad Cameram, Hezilo ad Cellariam, Bernardus Equis præfuit.* De temporibus, post mortem Ottonis III. ait, ADELBOLDVS *** *tunc temporis post Heinricum Ducem*

Ducem magnificum, maiores erant in regno, Benno Dux in Saxonia, Theodoricus in Lotarienſi regno, Ekebardus Marchio in Thuringia. In Henrici III. conſtitutione de a. 1014. mentio fit Ezonis, Comitis Palatini, Friderici Camerarii, Ezonis inſertoris, Hetzonis, Pincernarii. **** Poſt ita tempora, nulla amplius mentio horum Miniſteriorum ſolennium, ***** dum ſub Henricis caput efferre inciperent Principes, & ſine dubio miniſteria iſta denegarent, id quod creandis Subofficialibus anſam dediſſe videtur. De Lothario vero Imp. memorat OTTO FRISINGENSIS, † quod Regem Daniæ in ſignum ſubiectionis, ad decorem imperialis reuerentiæ, gladium ſibi ſub corona deferre fecerit. Tandem vero de curia a Friderico I. a. 1182. Moguntiæ celebrata, memorat ARNOLDVS LVBECENSIS, †† quod officium Dapiferi, ſeu Pincernæ, ſeu Camerarii, ſeu Mareſchalli, non niſi Reges vel Duces aut Marchiones geſſerint. In Comitiis Metenſibus a. 1356. Officiales iſti ſeu Miniſteriales Imperii miniſtrarunt. ††† Et licet in quauis ſolenni Curia hæc Ducum miniſteria requirat Carolus IV. †††† in Conſtantienſi etiam Concilio hæc fuerint adhibita, ††††† vix tamen vltra Coronationis ſolennia eadem amplius obſeruamus.

* WITTICHINDVS *lib. II. Ann. ineunte.*

** *lib. IV. p. 349.*

*** In vita Henrici II. apud LEIBNITIVM *Tom. I. p. 432.*

**** GOLDASTVS *Conſt. Tom. I. p. 42.*

***** CONRING *Not. ad Lampadium p. III. c. IV. §. 23. de Officialibus Imperii §. 13.*

† *lib. VII. c. XIX.*

†† *lib. III. c. IX.*

††† ALBERTVS ARGENTORATENSIS *ad a. 1356.*

†††† A. B. *tit. XXVII. n. 1.*

††††† Prout CHREGGRENE *in Velit. de Septem S. R. I. Officialibus n. 34. cx.*

34. ex Compilatore Concilii Constantiensis animaduertit, vbi dicitur: *Praesente Serenissimo Domino Sigismundo Rom. & Vngariae Rege, cum Insignibus Regalibus, & Nobilibus, in hoc sibi seruientibus: videlicet Dominis, Ludouico Comite Palatino Rheni, in Pomo siue Mundo: Henrico, Duce Saxoniae, in Ense: Friderico Burggrauio Norimbergensi, in Sceptro: & Andrea filio Sueuala Barone de Hungaria in Corona ministrantibus.*

§. XX.

Exinde Quatuor ista summa Imperii Officia oriuntur, Camerarii, Dapiferi, Pincernae, Mareschalli, quae vulgo dici solent *die Ertz-Aemter*. Comitis Palatii vero officium vel separatum, vel plerumque vni ex reliquis iunctum. * Praestabantur ista a quatuor Germaniae Ducibus, & innituntur certis Ducatibus. Dum enim Germania secundum quinque istos populos in quinque maiores Prouincias esset diuisa, Franciam, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Lotharingiam, ** per totidem Duces rectam, vnus ex iisdem semper Rex erat, reliqui quatuor vna cum Ducatu officium gerebant & Ducatus reditus pro salario habebant. Patet hoc satis clare ex historia Ottonis M. qui ex duce Saxoniae Rex fuit factus. Camerarius sub eodem erat Giselbertus Dux Lotharingiae, Dapifer Eberhardus Dux Franconiae, Pincerna Hermannus Dux Alemanniae, Mareschallus Arnulphus Dux Bauariae. In Historia Ottonis III. vero memorantur Dapifer Henricus Dux Bauariae, Camerarius Conradus Dux Sueuiae, Pincerna Henricus Palatinus, Mareschallus Bernhardus Saxo.

* TOLNERI *Hist. Palatina c. VI. p. 162.*
** *Cap. III. §. 2. Cap. X. §. 8.*

§. XXI.

§. XXI.

Primus ex iisdem HINCMARO memoratur CAMERARIVS,* qui alias æque *Cubicularius*** dicitur & *Præpositus Cameræ Regalis* *** Gallis *Chamberlain.* Germanis *Ertz-Kämmerer*, olim *Obrister Cammermeister.* **** Hic Cameræ regiæ præfectus, Thesauri & Cimeliorum Regis curam habebat, reditus administrabat & omnia procurabat. In partem quoque curarum vocabatur regina. † Sub eodem erant reliqui Cameræ ministri, Ianitores, & reliqui. In Coronatione & Curiis solennibus præfert Imp. sceptrum.

* ANN. FRANC. FVLD. ad a. 829. *Bernhardus Comes Barcinonensis in palatio Camerarius constitutus.* In Historia Ottonis III. apud DITMARVM *lib. IV. p. 439.* dicitur, *quod Conradus ad Cameram ministrauerit.*

** EALREDVS in vita S. Edwardi Confess. cap. II. n. 9. *Camerarius accessit ad thecam, in qua æs Regium seruabatur:* Ex mox: *hoc enim Cubiculariis nomen erat,* du FRESNE *Tom. I. p. 1285.*

*** *Reginardus præpositus Cameræ regalis* in VITA LVDOVICI *p. 370.*

**** Ludouicus Romanus se ipsum vocat *des Heil. Ræmischen Reichs Obristen Cammermeister* in Decreto apud LÜNIGIVM *Forts. der Andr. Contin. p. 8.*

† HINCMARVS ad Proceres Regni n. 22. Opp. Tom. II. p. 209. *de honestate vero palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis, ad reginam præcipue, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundum cuiusque rei qualitatem, ipsorum sollicitudo erat, vt tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diuersarum legationum, ad Camerarium adspiciebat: nisi forte iubente rege tale aliquid esset, quod reginæ ad tractandum cum ipso congrueret.* LEHMANN *lib. II. c. XI.*

§. XXII.

Alterum officium est DAPIFERI, qui *Senescalcus* * dicitur, vel *Præpositus & Magister regiæ mensæ*, ** ad cuius curam potus & victus spectabat. Hinc, cum ad mensam Regis dapes inferrent, Dapiferi vulgo *Ertz-Truchses* dicti, siue *Obrister Truchses*. *** Subiecta ipsi erant officia culinæ aulicæ, præpositi coquorum & infertores ciborum. † In coronatione præfert Imp. pomum Imperiale.

* HINCMARVS *c. l.* du FRESNE *Tom. III. p. 790. 800.*

** Autulphus ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 786.* dicitur *Senescalcus* EGINHARDO dicitur: *Præpositus regiæ mensæ*, REGINONI *princeps coquorum*, quod sine dubio pro *cacorum* legendum.

*** Ludouicus Romanus in dicto Decreto adgnatum suum, Rudolphum Palatinum sic compellat.

† Præpositi coquorum ex seruorum numero sumebantur. LL. WISI-GOTHORVM *Tit. IV. p. 4.* VVIPPONI in vita Conradi Salici p. 442. *quidam bene valens vir Conradus infertor ciborum Imperatoris* dicitur LEHMANN *lib. II. c. XIII.*

§. XXIII.

Tertium Officium est PINCERNÆ, qui & *Magister Pincernarum* * & *Buticularius* ** *regius* dicitur, Germanice *Ertz-Schenck*. Hic vinum Regi propinabat. Subiecta ipsi erant officia rei cellariæ aulicæ & rationes eo pertinentes, *** venatores & falconarii. †

* REGINO *ad a. 781.*

** CAPIT. CAROLI M. *de villis c. 16.* apud BALVZIVM *Tom. I. p. 334. volumus vt quicquid nos aut Regina vnicuique indici ordinauerimus, aut ministeriales nostri Senescalcus & Buticularius de verbo nostro aut Reginæ ipsis iudicibus ordinauerint, ad eorundem placitum, sicut eis institutum fuerit, impletum habeant.*

*** LEHMANN *lib. II. c. XIII.*

† CA-

† CAPITVLARE *de villis Caroli M. c. XLVII.* apud BALVZIVM *Tom. I. p. 338. vt venatores nostri, & falconarii, vel reliqui ministeriales, qui nobis in palatio assidue deseruiunt, consilium in villis nostris habeant secundum quod nos aut Regina per litteras iusserimus, quando ad aliquam vtilitatem eos miserimus, aut Seniscalcus & Buticularius de nostro verbo eis aliquid facere praeceperint.*

§. XXIV.

Vltimum officium erat MARESCALCI, qui *Comes Stabuli* * dicebatur, ex quo corruptum nomen *Conneſtable* ** & *Portitor enſis* Germ. *Ertz-Marſchall.* *** Sub eiusdem tutela erant equeſtris ordo, † officia ſtabuli aulici, tubicines, & qui aulam adibant extranei. Ad tres autem Miniſteriales, †† Seneſcalcum, Buticularium & Comitem Stabuli, ſecundum vniuscuiusque miniſterii qualitatem vel quantitatem pertinebat, vt cum communi conſenſu de ſuo quisque miniſterio admonendi non eſſent ſegnes, vt quantocius eſſe potuiſſet, omnes actores regis præſcirent, vbi rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto ſpatio manere debuiſſet, propter adductionem, vel præparationem: ne forte tarde ſcientes, dum in opportuno tempore, vel cum nimia feſtinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam, ſine neceſſitate opprimeretur. ††† In coronatione præfert Imp. enſem.

* HINCMARVS *c. l.* GREGORIVS TVRONENSIS *lib. IX. c. XXXVIII. lib. X. c. V.* PAVLVS DIACONVS *Hiſt. Miſc. lib. XVI.* p. 491. Biduarium, Iuſtini II. Cæſaris fratrem, *Imperialium Stabulorum Comitem* adpellat. Sic CHRON. HIEROSOL. *lib. VIII. c. VI. Conradus Stabularius Henrici III. Romanorum Imperatoris.*

** REGINO ad a. 807. *eodem anno Burchardum comitem ſtabuli ſui, quem corrupte Conſtabulum appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam.*

*** Ita se adpellat Rudolphus Saxoniæ Elector in epistola Electorum ad Benedictum XII. apud REBDORFIVM *Ann. ad a. 1339.*

† VVITTICHINDVS *lib. II. Ann. Arnulphus equestri ordini praerat*, LEHMANN *lib. II. c. XIII.*

†† Verba sunt HINCMARI *c. XXIII.*

††† Iura Mareschallorum plenius exponuntur a THVLEMARIO *de Octouiratu cap. XXI. §. 19. & seqq.* Vid. & AVGVSTI ADOLPHI ab HAVGVVIZ Tractatus prolixus *de regni & aulæ Mareschallis.*

§. XXV.

Sub Carolingis quidem, hos quatuor Officiales, præter officia aulica, etiam bellica quandoque gessisse, varia commonstrant exempla. Sic Eghartus mensæ præpositus, cum Anshelmo, Comite Palatino & Rolando, sub Carolo M. expeditioni Aquitanicæ præfuerunt.* Autulphus Senescalcus aduersus Britones missus.** Burchardus, Comes Stabuli in Corsicam.*** Cuius tamen sub Teutonicis Impp. vix exemplum reperiemus.

* EGINHARDVS *vita Caroli M. c. IX.* Idem EGINHARDVS Ann. ad a. 782. *Carolus accitis ad se tribus ministris suis, Adalgiso Cubiculario, Geilone Comite Stabuli, & Worado Comite Palatii, praecepit, vt sumptis secum Orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Slauorum audaciam quam celerrime comprimerent.*

** ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 786.*

*** REGINO *ad a. 807.*

§. XXVI.

Hæc autem officia arbitraria erant, & pro arbitrio Impp. primitus mutabantur,* vt exinde Duces in præstandis officiis videamus variare. Sic Camerarii munus sub Ottone M. gessit Dux Sueuiæ. Et quidem videtur, Camerarii munus vt plurimum illum gessisse, sub cuius tutela locus solennis curiæ erat. Id quod verba WITTICHINDI indicant. *Lotha-*

rio-

riorum Dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Inde etiam ortum esse videtur, quod Marchio Iuliacensis, in Coronatione Caroli IV. Aquisgrani facta, eo quod vrbs ista in clientela ipsius, Brandenburgico de sceptro ferendo & Camerarii munere litem moueret, quæ tamen pro Brandenburgico fuit decisa, ita quidem, vt in actu Coronationis sceptrum Regi præferret, in actu vero inuestiturae de feudis regalibus Marchio Iuliacensis sceptrum teneret.** A temporibus enim Conradi III. & Friderici I. hæc Camerarii dignitas Brandenburgicæ domui obuenit, *** cui dein per A. B. **** fuit confirmata.

* WIPPO *vita Conradi Salici p. 428. similiter in dispositione curiali, quem Rex maiorem domus statueret, quos Cubiculariorum magistros, quos infertores & pincernas, & reliquos officiarios ordinaret.*

** HENR. REBDORFFIVS *Ann. ad a. 1348.* AVENTINVS *Ann. Boi. lib. VII. p. 655.* FREHERVS in *Not. ad Petrum de Andlo de Imperio Romano lib. II. c. VIII.*

*** Latius illud demonstrauit IO. PETRVS LVDEWIG *Form. Duc. Brandenburg p. 66.*

**** *Tit. XXIV.*

§. XXVII.

Dapiferatus officium sub Ottone M. gessit Eberhardus Francus, Comes Palatii, * sub Ottone III. dux Bauariæ. ** Tandem vero ad Palatinos Rheni rediit, in qua familia per A. B. fuit confirmatum. Pincernatus Officium sub Ottone M. Sueuiæ Duces gesserunt, post ad Palatinos Rheni venit, *** vsque dum Conradus III. hoc munus Vladislao II. Regi Bohemiæ concederet. **** Mouit tamen Henricus Bauarus postmodum Regi Bohemiæ controuersiam de Officio Archipincernatus, & adnexo iure electionis, sed a Rudolpho Habsburgico † a. 1290. pro Bohemo fuit decisum, idemque

per Carolum IV. & Rupertum non singulari solum constitutione, a. 1348. sed etiam in A. B. fuit confirmatum. ††

* Vide supra §. *XVIII.* WENC. HAGECIVS equidem *Chron. Bohem. p. I. f. 99.* tradit, Boleslaum istum a. 964. ab Ottone M. factum fuisse Archi-Dapiferum, quem sequitur GOLDASTVS *de R. Bohemiæ lib. II. c. III. §. XVI.* sine fide tamen certa.

** TOLNERVS *Hist. Palatina c. VI. p. 165.*

*** TOLNERVS *c. l.*

**** Facile hoc ex eo adparet, quod in electione Friderici I. Conradi III. successoris, Vladislao præcipuæ partes, tanquam Officiali tribuuntur apud DVBRAVIVM *Hist. Bohem. lib. XII. f. 72.* Hinc etiam ARNOLDO LVBECENSI *lib. III. c. IX.* inter Officiales sub Friderico I. Reges memorantur TOLNERI *Hist. Palatina c. VI. p. 171.*

† Extat Rudolphi Constitutio apud GOLDASTVM *Tom. II. p. 85.*

†† GOLDASTVS *Constit. Tom. II. p. 93.* A. B. *Tit. VII. §. 2.* LIMNÆVS *lib. III. c. VIII.*

§. XXVIII.

Mareschallatus Officium sub Ottone M. dux Bauariæ gessit. † Lothario Imp. in Curia Martisburgensi a. 1135. Boleslaus, Poloniæ Dux gladium prætulit. †† Friderico I. Martisburgi a. 1152. Pentecosten celebranti gladium prætulit Suenco Rex coronatus, qui etiam Petrus vocatur. ††† In Coronatione Philippi Imp. Prebislaus Bohemiæ Rex gladii regii dicitur baiulus. †††† Hic tamen honos gladium Imp. præferendi Regibus saltim videtur esse relictus, qui inter Imperii Officiales ideo minime sunt referendi. Potius hoc Archi-Mareschalli Officium ad Ascanios, Duces Saxoniæ peruenit, & quidem coniectura haud leuis est, Bernhardum iamdum, postquam proscripto Henrico Leone, Saxoniæ Ducatum fuisset adeptus, factum fuisse Archi-Mareschallum, ††††† licet Rudolphus I. Alberti II. filius primus hoc titulo vsus fuisse hactenus dicatur. †††††† Post Interregni vero tempora perpetu-

petuum hoc munus domui Saxonicæ, quæ etiam per A. B. confirmationem in eodem obtinuit. Tempore Ludouici Bauari Brabantiæ Dux, ensem Imp. prætulit, dum Rudolphus, Saxoniæ Elector iuris sibi competentis conscius haud esset, qui tamen postmodum a.1340.desuper fuit protestatus. ††††††† A. 1356. in Metensi Curia litem iamdum Saxoniæ Duci mouit Wenceslaus Luxenburgicus. Cum vero de Brabantiæ Ducatu nondum fuisset inuestitus, Collegium Electorale pro Wenceslao Saxone, dato tamen vtrisque Saluatorio, vt iura sua coram Imp. prosequerentur, pronuntiauit. †††††††† Dum Wenceslaus, Caroli IV. filius, a. 1376. Aquisgrani in Regem Romanorum coronaretur, Wenceslaus, Dux Brabantiæ, qui Caroli IV. erat frater, Wenceslao, Saxoniæ Electori litem mouet, an ipse ratione Ducatus Brabantiæ & Lotharingiæ, an vero Elector Saxoniæ ratione Officii sacri Mareschallatus Imperii, ensem Imperialem coram Rege, tam in sua coronatione, quam in aliis solennibus actibus præferret. Et cum inde tumultus exoriretur, Carolus Imp. Sigismundum, Marchionem Brandenburgicum, filium suum secundogenitum, tunc iuuenem, & non nisi decem annos habentem, ensem imperialem ante se præferri iussit. † Postmodum vero Sigismundus Imp. speciali Constitutione de a. 1415. Rudolphum Saxoniæ Electorem in hoc iure gladium præferendi confirmauit. ††

† Vide supra §. *XVIII.*

†† CHRON. MONTIS SERENI ad a. 1135. *Imperator Assumtionem S. Mariæ in Mersenburg celebrat, vbi Bolizlaus, Dux Poloniæ, & Otbilricus, Dux Bohemiæ, cum cæteris Principibus, adfuerunt, vbi etiam Bolizlaus gladium Imperatori reportauit.*

††† OTTO FRISINGENSIS lib. II. c. V. de hoc Petro: *ita corona Regni, per manum Principis sibi imposita, in die S. Pentecostes, ipse coronatus gladium Regis, sub corona incedentis, portauit.*

††††Ex-

†††† Extat Atteſtatum, quod Ludouicus Bauarus Rudolpho Electori ſuper hac Proteſtatione a. 1340. dedit, apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich dem V. p. I. c. VI. §. XIX.*

††††† MÜLLERVS §. XX.

†††††† Exhibet SCHVRZFLEISCHIVS *de Vitriciis Eccleſiæ §. VIII.* Diploma Alberti II. in quo nullus Archi-Mareſchalli Titulus §. VII. vero Diploma Rudolphi I. de a. 1339. in quo Rudolphus dicitur: *Dux Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ, Comes in Bren Sacri Imperii Archi-Mareſchalcus.* Hunc igitur primum ſe ſcripſiſſe p. 785. ait: *S. I. Archimareſchallum.* Apud EDMVNDVM MARTENE equidem *Anecdotorum Tomo I. p. 1132.* reperiuntur Litteræ Iohannis, Saxoniæ Ducis, quibus confirmationem terrarum Aloſt a Rudolpho Habsburgico Iohanni de Aueſnis factam, ratam habet, cum hac epigraphe: *Iohannes Saxoniæ Ang har Waſteffaliæ Dux Burgrauius, magiſter de Burg, ac imperii mareſcalcus.* Quo minus tamen hoc Diploma pro genuino habeam, facit Titulus plane inſolitus, quem animaduertere alias haut licet. Poſſideo eiusdem Iohannis nummum, eundemque quod noui, vnicum, in quo vocatur: DVX IOHAN IN SAX. Inſignia quæ in vtroque nummi latere adparent ſaltim aquilam dimidiatam, cum trabibus Ballenſtedtenſibus repræſentant. Deinde Chronologia non coincidit, dum Datum ſit XIII. Kl. Septembris 1272. cum tamen Rudolphus Habsburgicus demum exeunte Septembri 1273. fuiſſet electus.

††††††† Reperitur in Cimeliarchio Arnſtadtienſi nummus Bernhardi, in quo ipſe gladium prægrandem manu tenens conſpicitur, cum inſcriptione BERNARDVS DVX SAXONIÆ MOSI, quod FRIDERICVS LVCAE *im Fürſten Saal p. 17.* explicat *Mareſchallus Ordinatus Sacri Imperii.* Verum, ex coniectura hacce non adeo fundata, argumentum petere ſane nollem. Potius certum, Bernhardum Aſcanium, pro illorum temporum more, vna cum Saxoniæ Ducatu officium quoddam obtinuiſſe, geſſit autem vel Dapiferi vel Mareſchalli munus, dum Camerarii & Pincernæ officium Friderici temporibus iamdum Bohemis atque Brandenburgicis fuerit relictum.

†††††††† ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. VI. c. II.*

† Hanc controuerſiam late narrat Auctor MAGNI CHRONICI BELGICI *p. 326.* CHIFFLETIVS *Comm. Lothar. p. 98.* †† Ex-

†† Extat Diploma apud LVNIGIVM *im teutschen Reichs-Archiv p. spec. II. p. 5.* MÜLLERVM *c. l.* §. *XXII.*

§. XXIX.

Licet autem olim hæc Officia essent arbitraria, ad quatuor Germaniæ prouincias adstricta, posteriori tamen tempore facta fuerunt hæreditaria, ita, vt Archipincernatum hodie gerant Reges Bohemiæ, Archidapiferatum Bauarus, Archi Mareschallatum Saxo, Archicamerarii dignitatem Brandenburgicus. Sed de eo nunc disquirendum, quo tempore ista facta fuerint hæreditaria. Sunt, qui cum Mallincrotio hoc ad tempora Friderici II. referant, * qui, cum Ludouico Palatino Bauariæ Ducatum concessisset, pincernæ officium Bohemo contulerit, relicto Palatinis Dapiferatu, cum tamen Bohemus iam ante tempora Friderici II. officialis fuerit Imperii. Conringius illud a temporibus Friderici I. ducit. ** Alii hæc iura Officiorum hæreditaria a Conrado III. repetunt. *** Licet autem officiorum mutatio Conradi temporibus fuerit facta, ipsum tamen ius hæreditarium vix ante Interregni tempora reperiemus. Scilicet, Conradus III. Sueuiæ simul Dux erat atque Franconiæ, vt ideo tres saltim superessent Duces Officiales, Palatinus, Bauarus & Saxo. Bauariam autem atque Saxoniam coniunctim possidebat Henricus Superbus. Primus itaque inter officiales adlectus fuit Albertus Vrsus, qui proscripto Henrico Superbo, a Conrado III. Saxoniam obtinuit, vna cum officio adiuncto. Ex quo varia exorta fuerunt bella, dum præter Bauariam, Saxoniam etiam recuperare conaretur Superbus, contranitente tamen Alberto, iniustum esse perhibens, quenquam Principum duos possidere Ducatus. † Restituto autem Henrico Leone in Saxoniam, Marchiam Brandenburgensem obtinuit Albertus Vrsus, atque insimul inter officiales fuit adlectus. Et cum

postea Palatinatus Bauariæ iunctus, vnicum saltim officium præstaret, in Pincernatus officium, quod sæpe a Bauaris gestum, successit Bohemus. †† Dum autem nulla exhibeatur constitutio, & Scriptores plane taceant, coniectandum, ipsis Interregni temporibus, vna cum iure Electorali, hæc Officia familiis, quæ tum temporis eadem possidebant, facta fuisse hæreditaria. Licet ante seculum XV. vix reperiamus, istos dictos fuisse Archiofficiales. †††

* TOLNERI *Hist. Palatina cap. VI. p. 169.*

** *De Officialibus Imperii §. XV.*

*** TOLNER *p. 170.* COCCEIVS *cap. XII. §. 7. & sqq.*

† HELMOLDVS *lib. I. c. LIV.* KRANZIVS *Saxonia lib. VI. c. VIII.* SAGITTARIVS *Hist. March. Soltwedel. §. LII.*

†† Hinc exprimuntur per versus sequentes:

Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus.

††† Tituli hodie consueti occurrunt in Bulla Sigismundi apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 143.*

§. XXX.

Accessit post pacem Westphalicam, quintum Officium ARCHI-THESAVRARII. Dum enim Palatinus Electoratum suum Bauaro cedere necessum haberet, * dubitabatur, an etiam Archidapiferatus Electoratui nexus. Bauari, vel ex iure antiquo, vel ob voculam *officiis*, quæ in Instrumento Pacis occurrit, hoc adfirmabant, Palatini tamen negabant, ea ex ratione, quod Archidapiferatus Palatinatui nexus, eo quod Albertus Stadensis ** dicat, *Palatinus eligit, quia Dapifer est.* Immo Carolus IV. Imp. hoc Officium singulari Diplomate de a. 1356. Palatinatui adnexerat. *** Quare etiam Carolus Ludoui-

douicus, Palatinus Elector, adhuc anno 1650. Archidapiferi titulo fuit vsus. **** Speciali tamen transactione hoc quoque Archidapiferatus Officium Palatinus Bauaro cessit, atque nouum ipsi Archithesaurarii munus fuit attributum, † ipseque de eodem d. 5. Augusti 1652. inuestitus. †† Proscripto autem 1701. Bauaro, Palatinus, archidapiferatus officium denuo obtinuit, Archithesaurarii munere, in Hannoueranum delato, misso, quod antea adpetebat Archiuexilliferatus munere, quod olim Palatinum non erat. Dum autem per Pacem Badensem restitutus fuisset Bauariæ Elector, in hoc etiam Archidapiferatus officium restitui petit. Licet, dum Hannouerano Electori de nouo Officio prospectum nondum fuisset, neque hic Archithesaurarii munus, neque Palatinus Archidapiferi dimittere hactenus voluerunt. Deliberatum equidem hactenus fuit in Comitiis, de munere Archistabularii Imperii Brunsuicensi Electori deferendo, idque per conclusum Collegii Electoralis nuper demum fuit decretum, contradicente tamen Saxoniæ Electore.

* INSTRVM. PACIS *art. IV. §. 3.*

** *ad a. 1240.*

*** Extat Diploma apud LÜNIGIVM *p. spec. p. 570.* in quo: *das die Chur und Stimme auf das Fürstenthum und auf das Land der Pfalentz, und auch das ehegenannte Truchsassen-Amt also gegrundvestigt sind, das ihr eins ohne das andere nicht geseyn mag.*

**** In Confirmatione priuilegii *des Kesler Handwercks*, quod integrum adducit THVLEMARIVS de Octouiratu *c. XVIII.* §. *46.*

† THEATRVM EVROPÆVM *Tom. VII. ad a. 1651. p. 10.*

†† THEATRVM EVROPÆVM *p. 286.* THVLEMARIVS *c. XV.* §. *13. 14.*

§. XXXI.

In Coronatione & actibus solennibus Imp. præfert hodie Archithesaurarius coronam. In Comitiis Noribergensibus a. 1300. olim Rex Bohemiæ ex superabundanti, vt Pin-

cerna, Coronam Cæſari prætulit: ſuper quo facto mox priuilegium accepit ac teſtimoniales apices, quod ad hoc Rex Bohemiæ non eſſet Regi Romanorum obligatus. * Licet Limburgius tanquam Subpincerna coronam ab Imp. depoſitam, durante Coronatione Maximiliani I. Ferdinandi III. tenuerit, idemque in Ioſephi Coronatione prætenderit. ** Poſtea tamen in A. B. *** conſtitutum: *portabuntur etiam immediate ante Archiepiſcopum Treuirenſem ſuo loco transeuntem, primo Aquisgranenſis, ſecundo Mediolanenſis corona, & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui iam eſt Imperialibus infulis decoratus: quas geſtabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi.* Poſtea tamen nouo Electoratui hoc munus acceſſit.

* Confirmant hoc verba Chronici MSti MEISTERLINI *p. II. c. VI.* adlegante WAGENSEILIO *de Rep. Noribergenſi cap. IV. p. 23.*

** Vide ſupra *c. VII. p. 338.* Geldriæ olim Ducibus a Ludouico Bauaro a. 1339. Priuilegium fuit conceſſum: *vt coronam imponat Romanis Regibus, cum Aquisgrani, Mediolani, vel Romæ coronentur eamque iterum tollat, ac in proceſſione geſtet*, prout Diploma reperitur apud LEIBNITIVM *Cod. Iur. Gent. Diplom. p. I. p. 151.* & apud IO. IS. PONTANVM *Hiſt. Gelr. lib. VII. p. 228.* ſed ab iis nunquam exercitum.

*** *Tit. XXVII. §. 4.*

§. XXXII.

Habent autem ſinguli Officiales ſummi ſuos Officiales ſubſtitutos, * *die das Erb-Amt führen. Regis Bohemiæ* quidem Subofficialis ab antiquo eſt Dominus de Limpurg, ** qui S. Rom. Imperii hæreditarius Pincerna dicitur, *des Heil. Röm. Reichs Erbſchenck.* Dum autem illuſtris hæc familia paucos ante annos fuiſſet extincta, Imp. Auguſto menſe an. 1714. munus hocce Michaeli Ioanni Comiti ab Althan atque

que hæredibus ipsius masculis detulit. *Palatini*, nunc *Bauari* Vicarius olim fuit Magister Coquinæ de Nortenberg, † postea hoc officium ad Seldeneccios †† peruenit. Dum autem Seldenecciorum familia interitum minaretur, Ludouicus Palatinus Elector iamdum a. 1538. in casum deficientis Seldenecciorum stirpis, Waldburgios de hoc officio inuestiuit, qui etiam in horum postea locum successerunt. ††† Licet isti iam ante ista tempora sub Sueuicis Impp. hoc munus gesserint †††† atque nunc S. Rom. Imp. Truchsesii hæreditarii, *des Heil. Röm. Reichs Erb-Truchsas* dicuntur.

* Ita dicuntur in A. B. *tit. XXIX.* Electorum in officiis substituti. In Capit. Iosephina *art. XLV.* audiunt die *Amts-Verweser.* Hi diuersimode variasunt. In Diplomate Friderici II. Imp. apud HVNDIVM *Metr. Salisb. T. II. p. 408.* tanquam Testes adducuntur: *Anshelmus de Iustine, Marschalcus Imperii, Waltherus Pincerna Imperii, Wernherus Dapifer de Bolandia, Dietho de Rauensburch Camerarius Imperii.* Apud CVSPINIANVM *Austria p. 27.* De Friderico II. CONRADVS VRSPERGENSIS p. 355. *Insignia Imperii, videlicet coronam & alia, remittit in Alemanniam, faciens ea custodiri sub potestate Eberhardi de Tanne ministerialis & Dapiferi sui in Walpurc.* Diploma vero Conradi III. de a. 1145. apud HEDAM *Hist. Traiect. p. 167.* subscribunt. *Henricus de Papenheim Mareschallus, Arnoldus de Rodenbach dapifer, Conradus Pris pincerna, Tibertus Camerarius.*

** SPENER *Op. Herald. p. spec. lib. I. c. LIII. §. 2.* auctor est, iam anno 1180. mentionem fieri cuiusdam Godefridi, Domini Limpurgici & Sacri Rom. Imperii hæreditarii Pincernæ. Quare etiam subscriptio Aureæ Bullæ Friderici II. apud GOLDASTVM Tom. I. p. 74. *VValterus Sepf, Pincerna Imperii*, de eodem intelligenda, vt notet *Semperfrey.* In Diplomatibus Sueuicis tamen sæpius occurrunt Pincernæ de Winterstetten DOCVM. VVÜRTENB. *p. 381. 382. 464. 801.* qui etiam Imperialis Aulæ dicuntur Pincernæ *p. 459.* De his CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 335.* de Friderico II. Imp. *Filium quoque suum Henricum iam circiter VIII. annos habentem, nutriendum & gu-*

bernandum commisit Conrado de Tanne, Pincernæ & ministeriali suo in castro Wintersteten. Sic & Dnus LVDEVVIG *im Vorzug des Kolbischen VVartenbergischen Hauses p. 62.* demonstrauit, Wartenbergios olim quandoque fuisse Pincernas, licet hoc potius Bohemiæ Regnum tangere videatur.

† Chron. Australe ad a. 1307. *Nobilis de Ortenburg, dictus Dapifer, victus & captus per Marchionem Misnensem,* vbi sine dubio legendum, *Nortinberg* cum ex FABRICII *Orig. Saxon. lib. VI. p. 618.* pateat, Albertum Imp. legatum suum Comitem Nortinbergium contra Fridericum Misnensem Marchionem misisse. Confirmantur isti per A. B. *Tit. XXVII.* §. *6.* THVLEMARIVS *Octouiratu cap. XXI. §. 3.* In Diplomate Friderici II. occurrit Wernherus dapifer de Bollanda, DOCVM. VVÜRTENBERG *p. 380.* & in alio Euerhardus dapifer de Tanne *p. 729.*

†† In Historia Coronationis Maximiliani I. apud FREHERVM Tom. III. p. 29. dicitur, quod pomum exceperit *Philippus de Selmick Imperii dapifer.* Corrupte admodum in vernacula Coronationis Historia apud MÜLLERVM Reichs-Tags-Theatro cap. I. p. 7. *Item Herr Philips von Selmick, Ertz-Druchses und Küchen-Meister des heiligen Rœmischen Reichs, hielt den Apfel der Keyserl. Maiest. von des Pfaltzgraven wegen,* vbi nullus alius quam Seldeneccius intelligi debere videtur. In Historia Inuestituræ Pomeraniæ Ducum, apud GEORGIVM COELESTINVM *Historia Comit. Augustanorum Tomo II. p. 249.* nobilis a Seldeneck dicitur Electoris Palatini Archidapiferi locum tenens. In SIMONIS SCHARDII Hist. Coron. Maximiliani II. apud GOLDASTVM *Polit. Imper. p. 145.* memoratur Comes a Seldeneck *Romani Imperii Vice Dapifer.*

††† Memoratur iamdum sub Philippo Imp. *Henricus dapifer de VValpurg* apud OTTONEM de S. BLASIO *c. I.* & CONRADVM VRSPERGENSEM *p. 308.* Priuilegium ab Henrico VII. Austriæ Ducibus a. 1228. concessum subscripsit *Eberhardus Dapifer de VValpurg.*

†††† De hoc vberius VVAGENSEIL *de Summis Officialibus c. XIII. §. V.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Electoris Saxoniæ Vicarius olim erat Mareſchallus de Calatin, * ex qua familia oriundi Pappenheimii. ** Hic autem Vice-Mareſchallus curam ſuam non ſolum exercet in actu coronationis & ſolennibus aliis, ſed in quauis etiam curia ſolenni de re annonaria & alio adparatu proſpicit. In Comitiis, legatis hoſpitia adſignat, quod vocatur: *Ius Adſcripionis, dic Anſchreibung.* Tempus conſultationibus deſtinatum indicit, quod vocatur *die Anſage,* Status Imperii in Collegia ſolenniter introducit, iurisdictionem in legatorum miniſtros exercet, Vota in Principum collegio colligit. † Dicitur etiam *Imperii Vice Mareſchallus.*

* Sic Henricus de Calandina, Mareſchallus Imperii ſubſcripſit Friderici II. Auream Bullam apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 74.* CONRADVS VRSPERG. *ad an. 1209.* memorat Mareſchallum de Calatin.

** Vid. MATTHÆI a PAPPENHEIM de origine & familia Dominorum de Calatin Tractatus. SPENER *Oper. Herald. p. ſpec. lib. III. cap. XXVIII.*

† Plenius hæc exponuntur a THVLEMARIO *de Octouiratu c. XXI. §. 19. & ſeqq.*

§. XXXIV.

Electoris Brandenburgici Vicarius olim fuit Dominus de Falckenſtein, idemque per A. B. * conſtitutus. His extinctis, munus hocce ad Winsbergios Dynaſtas peruenit. ** Horum ſtirpe cum Conrado an. 1516. extincta, Georgius Baro a Seinsheim Subcamerarius fuit conſtitutus. *** Hoc vero ſine liberis extincto, primus hoc munus in familiam ſuam introduxit Eitel Fridericus, Comes ab Hohenzollern, qui etiam ſingulari diſpoſitione inter filios facta, definiuit, vt omnes quidem hoc titulo vterentur *des Heil. Röm. Reichs Erb-*

Cam-

Cämmerer. **** Senior vero ex filiis saltem munus gereret. ***** Quod munus in hac Familia adhuc residet quæ superiori seculo Principum dignitate ornata Palatinus. Vicarium habet Comitem de Sinzendorf, *des Heil. Röm. Reichs Erb-Schatzmeister.* ******

* *Tit. XXVII. n. 6.* In Diplomate Friderici I. apud GOLDASTVM *p. 332.* occurrit Anselmus Ministerialis & Camerarius Regis.

** In Coronatione Maximiliani I. apud FREHERVM Tomo III. p. 29. *Sceptrum vero Schenck Philippus de VVinspurg Camerarius tenuit.* In Descriptione inaugurationis Felicis IV. Pontificis Basileæ 1440. facta, quæ extat apud FRANC. MODIVM *Pand. Triumphalibus Tom. I. lib. IV. tit. XII.* fit mentio Conradi de Winsberg, Imperii hæreditarii Camerarii: In Descriptione Comitiorum Wormatiensium a. 1495. apud BERNH. HERTZOG *Elsass Chronic. p. 152. auf der lincken Seiten stunde Philips, Herr zu Weinsperg Erb-Kämmer des Heil. Reichs und hielt den Scepter in obgemeldter massen, wann ein Marggraff oder sein Anwald nicht gegenwertig ware.*

*** CONRADVS DINNERVS *de ortu, vita & rebus gestis Georgii Ludouici a Seinsheim lib. I. p. 45.*

**** IO. VLR. PREGIZER *Teutscher Regierungs- und Ehren-Spiegel p. 114.*

***** Extat apud LIMNÆVM *ad A. B. c. XXVII. §. VI. Obs. V.* SPENERVM *Op. Herald. p. 576.* BESOLDVM *Thes. Pract. voce Erb-Aemter.* WAGENSEILVM *de Officialibus, c. XI. §. XI.*

****** Vid. pluribus THVLEMARIVS *c. XXI.* VVAGENSEIL *de Sacri Romani Imperii summis Officialibus & Subofficialibus.* Hos Imperii Subofficiales sequentes versus indicant:

Nunc Bavarus Dapifer, Palatinusque Monetam
Spargit. Si quando contingit abesse Bohemum,
Gaudet obire vices Limburgius; atque Ciborum
Pro Bavaro Lator VValdpurgius; & tibi Saxo
Pappenheim Gladium fert; sed vero Hohenzollern
Affundit lympham, cum Brandenburgius ipse
Comparet minime, sic Sinzendorfius aurum
Pro Palatino in vulgus per compita iactat.

§. XXXV.

§. XXXV.

Originem hæc Officia vicaria habere videntur sub Francicis & Sueuicis Impp. Thesaurario excepto, qui nouiter demum accessit. Postquam enim Duces elatiores facti, Impp. hæc officia denegarent, ipsi Impp. minores sibi elegerunt Officiales, qui ipsis in solenni curia præsto essent. Ista autem primitus hæreditaria non fuerunt, atque æque ac summa ab Impp. dependebant arbitrio, qui fit, vt in subscriptionibus Diplomatum priorum temporum sæpius hæc Officia in familiis varient. Francici quidem Impp. eosdem ex Francis, Sueuici ex Sueuis sumebant, id quod maxime ex titulo Pappenheimiorum adparet, qui *Romani Imperii & Ducatus Sueviæ* dicuntur *Mareschalli.* * Waldburgii *& Sueuiæ Ducatus & Imperii* fuerunt *Dapiferi.* ** Postmodum vero ii, qui sub Sueuicis Impp. hæc Subofficia fuerunt nacti, eadem quoque Interregni temporibus sibi adquisiuisse videntur.

* CRVSIVS *Ann. Sueu. p. III. lib. III. c. VIII.*

** Prout vberius demonstrauit VVAGENSEIL *de Officialibus cap. XIII. §. VI.*

§. XXXVI.

Licet autem eiusmodi Subofficiales primitus ab Impp. ipsis constituti esse videantur, * Electores tamen, postquam hanc dignitatem hæreditario iure fuissent adepti, in eosdem quoque Ius sibi sumserunt, vt ratione subofficii ab iisdem constituerentur atque dependerent. ** Patet hoc ex litteris Inuestituræ Ludouici Palatini Truchsesiis de Waldpurg de officio Truchsesii hæreditarii a. 1528. & 1594. factæ. *** Carolus Ludouicus in Comitiis Ratisbonensibus a. 1653. Comites Sintzendorfios de Thesaurarii hæreditarii officio ex libero arbitrio inuestiuit. **** Leopoldus Imp. tanquam Bohemiæ Rex a. 1678. Limburgios Comites de officio Pincernatus hæreditarii inuestiuit. ***** Iidemque Comites se huius officii ratione a Bohemiæ Regibus dependere adgnoue-

runt. ****** Legatus Brandenburgicus a. 1690. in Comitiis Ratisbonensibus vicario nomine Electoris, Hohenzolleranos de officio Camerarii hæreditarii *des Heil. Röm. Reichs Erb- und Vnter-Cämmerer-Amt* solenniter inuestiuit. *******

* Patet hoc etiam ex A.B. *Tit. XXIX.* §. *I. cum ergo ipsi Principes Electores cunctis Imperialis Curiæ præsint officiis, suos etiam habentes in huiusmodi officiis substitutos, datos ad hoc a Romanis Principibus & dotatos.*

** Adgnoscit hoc IO. LIMNÆVS ad A. B. c. XXIX. §. I. obs. VIII. dicens: *si ad hodiernos respiciamus mores videri in Electoris arbitrio consistere, casu, quo familia substitutorum deficit, aliam eligere, quam velit.* THVLEMARIVS *de Octouir. c. XXI.* WAGENSEIL *de Summis Officialibus c. XIX.*

*** Apud LÜNIG *von Grafen und Herren VI. Abtheil. p. 350.* Quare BESOLDVS p. VI. Cons. CCLVIII. n. 4. ait: *Solches Erb-Küchenmeister- und Truchsessen-Amt haben die von Seldeneck zu Lehen getragen von dem Churfürsten bey Rheyn, und hat anno 1538. Churfürst Ludwig Pfaltzgrafe wegen besorgenden Abgang des Seldeneckischen Stammes solches Amts Anwartschaft denen von VValdburg verliehen.*

**** THVLEMARIVS *c. XVIII.* §. *XLVIII.* GABR. SCHVVEDER *de Sereniss. Com. Palat. Prærogatiuis* §. *XIV.*

***** LÜNIG *c. l. p. 504.*

****** ELECTA I. P. *Tom. XII. p. 879.*

******* Prolixam hac de inuestitura relationem inseruit LÜNIGIVS *Supplem. von Fürstl. Häusern p. 5.*

§. XXXVII.

Illud autem ex ratione antiquitatis Germanicæ concludendum, hæc etiam Subofficia certis feudis inniti. Et licet hodie subofficium per Seniorem semper familiæ præstetur, omnes tamen qui ex eadem familia, hunc titulum gerunt. * Munia ipsorum in eo consistunt, vt absentibus Electoribus, vices eorum in officiis aulæ, præferendis scilicet insignibus, & circa administrationem reliquorum solennium in coronatione potissimum, gerant, atque in eo Legatis præferantur, ** nisi quod Legatus Brandenburgicus hæc iura præ

Ho-

Hohenzollerano prætendat, eademque quandoque obtinuerit. *** In regni vero negotiis & consultationibus legati semper excludunt Subofficiales. Immo præferuntur Officialibus, qui in aula sunt Imp. **** qui illis etiam praeiudicium adferre nequeunt. *****

* Prout vberius demonstrauit THVLEMARIVS *Octouir. c. XXI. §. VI.*

** Plura exempla allegat THVLEMARIVS *cap. XXI. §. 11. & sqq.* quod Subofficiales legatis fuerint prælati. Vid. COCCEIVS *cap. XI. §. 15.*

*** Vide supra *c. VII. §. XXXI.* Addi potest Exemplum Comitiorum Wormatiensium de a. 1495. apud BERNH. HERTZOG *Elsass. Chronic. p. 152. Item auch in Angesicht der Königl. Maiestat ist gestanden Graf Iohann von Lindaw, Herr zu Tappin, und hat gehalten das Sceptrum wegen Hertzogen Iohannen Churfürsten zu Brandenburg Ertz-Kammerer des Ræm. Reichs.*

**** In Comitiis Electoralibus a. 1623. Controuersia exorta fuit de præcedentia der Erb- und Hoff-Aemter, de quo extat Consultatio apud LONDORPIVM *Tomo II. p. 738.* & LÜNIGIVM *Staats-Consiliis Tomo II. p. 59.*

***** CAPIT. CAROL. *art. III. VVir wollen auch die Verfügung thun, wann der Churfürsten Amts-Verwesere und Erb-Aemter bey Vnsern Kayserl. Hoff begriffen, das dieselbe iederzeit, und insonderheit, wann und so offt wir auf Reichs-VVahl und andern dergleichen Tægen Kayserl. Hoff begeben, oder Sachen vorfallen, darzu die Erb-Aemter zu gebrauchen seyn, im gebührenden Respect gehalten, und ihnen von Vnseren Hoff-Aemtern keines weges vor oder eingegriffen werde.*

§. XXXVIII.

Vltimo loco consideranda sunt officia Impp. quotidiana aulica, quæ adhuc ab arbitrio Imperatoris dependent, ita tamen, vt per Capitulationem obligetur Imp. ex natione potissimum Germanica suos constituere Ministros. * Tales olim ab Impp. inter Commensales subinde recipiebantur. ** Potissimum vero Impp. sæpius Principes & Comites Imperii, qui ipsis in aula sua essent a Consiliis adhibuerunt, *** qui factum, vt cum Priuilegia, aliaque Diplomata ex aula Impe-

ratoria expedirentur, hæc clausula adiecta: *sano Principum, Baronum, Procerum & Nobilium suorum & S. R. Imperii accedente consilio.* **** Sub quibus verbis nulli alii, quam Principes & Proceres, qui ad negotia Imperii in aula Impp. erant destinati, intelligebantur. ***** Summum hodie aulæ Imperatoriæ officium est penes Supremum Aulæ Magistrum, *dem Obristen Hoffmeister,* secundo loco est Aulæ Mareschallus, qui iurisdictionem suam in omnes aulicos exercet, & qui aulam sequuntur. Deinde habet etiam Imperator suos Dapiferos & Pincernas. Hi autem absentibus etiam Subofficialibus, horum officium in solenni Curia exercent, † ita tamen, vt fructus & emolumenta relinquant Subofficialibus. ††

* CAPIT. IOSEPHI *art. XXXIX.* CAROLINA *art. XXIII.*

** Patet hoc ex Diplomate Caroli IV. Raymondino de Lupis a. 1366. concesso, quod reperitur apud LÜNIGIVM *II. Contin. III. Forts. p. 793.* in quo: *Te in Consiliarium, Secretarium familiarem, domesticum, & commensalem nostrum, & Imperii Sacri cum sex Equis, & totidem personis de certa nostra scientia recipimus, & aliorum Nobilium Consiliariorum familiarium domesticorum, & commensalium nostro Collegio præsentibus aggregamus.*

***. Supremos aulæ Cæsareæ ministros sub Leopoldo recenset IMHOF in mantissa, notitiæ Procerum Imperii adiecta. Singulatim, statum qui fuit a. 1705. describit RINCKIVS *in vita Leopoldi p. 148.*

**** MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich den V. p. I. c. XXIII. §. XLI. p. 323.* plenius hoc confirmat, atque ex Archiuo Vinariensi Exemplum Caroli IV. adducit, qui per singulare Diploma filiis Rudolphi, Saxoniæ Electoris ex Ascaniis, facultatem concessit iudicia exercendi in terris suis, eo quod Rudolphus pater ipsi in negotiis Imperii sit a consiliis. Eadem ratione Henricus Iulius, Dux Brunsuicensis, in aula Rudolphi II. Imp. negotiis fuit adhibitus, de quo S. H. G. *diss. XXXIV. §. XXXVII. XL.*

***** Plura exempla allegat MÜLLERVS *c. l. p. 324.*

† A. B. Tit. XXVII. fin. *Si tamen ipsi* (Subofficiales) *in tali Imperiali seu Regali Curia præsentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret. Si vero ipsi vel eorum aliqui a præfata Curia se duxerint absentandos, ex*

tunc

tunc Imperialis vel Regalis Curia quotidiani ministri, vice absentium, puta quilibet in loco eius absentis cui in vocabulo seu officio communicat, sicut gerit officium, sic tollat in præmissis & fructum. Dum autem hi aulæ Cæsareæ Officiales quandoque præiudicium adferrent Subofficialibus, Lis de eodem orta, & Consultatio quæ extat apud THVLEMARIVM *cap. XXI.* §. *18.* LIMNÆVS *lib. III. c. VII. n. 70.*

†† Hoc enim per CAPIT. LEOPOLDI *art. XLVI.* IOSEPHI *art. XLV.* fuit definitum. CAROL. *art. III.*

§. XXXIX.

Præter hos Germaniæ Officiales, alios quoque *in Italia* habuerunt Impp. Memoratur enim Henrici VI. & Friderici II. temporibus Marquardus Senescalcus Imperii, Dux Rauennæ & Molisii, Marchio Anconitanus, qui, licet Germanus natione, ex stirpe Dynastarum de Annewil, magnæ tamen apud Italos fuit auctoritatis.* Nec dubitandum, reliquos etiam tres officiales apud Italos fuisse, a Germanis distinctos, qui officia sua in solenni apud Italos curia præstiterint, & in Coronatione Impp. Italica insignia prætulerint, quod etiam in coronatione Caroli V. videmus ab Italicis potissimum Principibus insignia fuisse prælata.** Suos quoque Officiales habuit proprios *Regnum Arelatense.* Sic Humbertus Delphinus Imperii per regnum Burgundiæ dicitur Seneschallus*** Geruasius Tilberiensis se ipsum vocat Mareschallum Regni Arelatensis.**** Meraniæ Duces Comites Palatini fuerunt Regni Burgundici eandemque dignitatem extinctis a. 1248. Ducibus, Adelheida Ottonis III. vltimi Ducis soror, Hugoni, Sabaudiæ Comiti marito suo contulit.*****

* Auctor Gestorum Innocentii III. quæ præmissa epistolis Innocentii III. a STEPH. BALVZIO editis *p. 3. n. 9.* & in Innocentii III. *Ep. CLXVIII.* OTTO de S. BLASIO *c. XXVIII.* CONRADVS VRSPERGENSIS *ad a. 1195.* PAND COLLENVTIVS, *Hist. Neap. lib. IV. p. 141.* Plenius de eodem egi in Dissert. *de Origg. & elogiis Hoenloicis* §. *XVIII.*

** AGRIPPA Hist. Coron. Caroli V. apud SCHARDIVM *Tom. II. p. 267.*

*** In litteris Rudolphi I. a. 1291. apud CHORRIER *Hist. de Dauphiné p. 788.*

**** Sic enim Otia sua Imperialia inscripsit: *Ottoni quarto, Romanorum Imperatori semper Augusto, Geruasius Tilleberiensis vestri dignatione Mareschallus Regni Arelatensis.*

***** SAMVEL GVICHENON *Hist. Genealog. de Savoye p.I. c.XIII.p.296.*

§. XL.

Alii quoque sequiori tempore orti fuerunt Officiales, a Francorum potissimum & Sueuicorum Impp. temporibus. Horum equidem officia certis feudis æque fuerunt adnexa, in eo tamen a summis differunt, quod in castris saltim & Comitatibus resideant, dum summa, magnis Germaniæ prouinciis fuerint nexa. Et licet primitus fuerint arbitraria, postmodum tamen eadem tanquam hæreditaria sibi vindicarunt, ex quo factum, vt hodie plures quandoque Familiæ vnicum gerant officium. Patet hoc ex Venatoris Imperii munere, quod Carinthiæ Duces * non solum gerunt, sed etiam ratione Comitatus Auracensis Duces Würtenbergenses. ** Carolus IV. singulari priuilegio a. 1350. Thuringiæ Landgrauios & Misniæ Marchiones constituit *eines Ræmischen Reichs Obriste Jæger-Meister.* † Quare etiam in Comitiis Metensibus 1356. idem munus exercuisse Marchionem Misnensem dicit Lehmannus. †† Caroli IV. Priuilegium a. 1708. a Iosepho fuit confirmatum, licet in confirmatione saltim de regali venandi iure dicatur. †††

* MEGISERVS *Ann. Carinthiæ lib. I. c. II. p. 12. lib. VII. c. I. p. 678.* AENEAS SYLVIVS *Europa c. XX.*

** CRVSIVS *Ann. Sueu. p. III. lib. III. c. XVI. p. 190.* WALTZ *Würtenberg. Stammes und Nahmens Vrsprung lib. I. c. X. p. 59.*

† LVNIG *Teutschem Reichs-Archiv p. spec. IV. f. 2. n. 79. p. 246.*

†† *Chron. Spir. lib. VII. c. XXXV.* postquam recensuisset, qua ratione seculares Electores officia sua præstitissent, addit: *Endlich kamen geritten der Marggraff von Meissen, und Graf von Schwartzenburg beyde Jæger-Meister, führten die besten Hunde mit sich, machten mit ihren Jægern und Jæger-Hornen ein groß Gethæne, erlegten in*

in Gegenwart des Kaysers einen trefflichen Hirsch, und ein überaus groß wild Schwein.

††† LVNIG *c. l.*

§. XLI.

Sic Comites Schwartzburgici dicuntur Stabularii, siue Archippocomi Imperii, *Reichs-Stallmeister.* Vnde etiam in insignibus eorum furca & pecten adparet. * Et quidem ambas has tesseras ratione dynastiæ Leutenbergensis, cui hoc officium hæreditario iure olim fuerit nexum, geri traditur, licet non desint, qui pecten antiquorum Comitum Keuernburgensium insigne fuisse velint. ** Luxenburgicis equidem Ducibus a Carolo IV. concessum fuit frenum Imperialis dextrarii a latere dextro gubernare,*** licet ab iisdem nunquam exercitum. Sic etiam Ostiariorum olim notus erat Magister, quod officium a Francorum temporibus innotuit, **** postea Henricus IV. Imp. illud Hermanno de Werther vna cum prædiis quibusdam contulisse dicitur, licet recentius adhuc esse videatur. † Vt taceam alia munia, quæ tamen Palatina non erant, vtpote Munus Vexilliferi, quod Dux Würtenbergensis ratione castri Grüningensis gerit, †† & quod in Italia Castrutio Lucensi concessit Ludouicus Bauarus. ††† Præfecti aggerum munus *Reichs-Dückmeister* Comitibus Oldenburgensibus olim competebat. †††† Piscatorum Imperii titulum gerunt Basilienses, adeoque hamo piscatorio pro insignibus vtuntur.

* SPENER *Op. Herald. p. spec. lib. III. c. XXXIV.* §. 7. dicitur tamen in Diplomatibus *der gelb hültzern Rechen*, WEBER *app. ad exam. art. Herald. p. 6.*

** WEBER *c. l.*

*** Extat Diploma apud LEIBNITIVM Cod. I. Gent. Tom. I. p. 208. *Duces L. qui pro tempore fuerint, frenum imperialis seu regalis dextrarii nostri, a latere dextro gubernare, & prospicere debita fidei diligentia debeatis, & in recubitu mensæ nostræ cibos regios, qui in solemni-*

solemnibus curiis nostris administrati fuerint, coram nobis incedere, vt sic tanquam Principes & fideles Imperii, guerrarum & pacis in tempore, nostri curam & custodiam habeatis.

**** EGINHARDVS *Ann.* ad an. 821. *Ludouicus Lotharium in Italiam misit cum quo Walachum monachum & Gerungum ostiariorum magistrum, quorum consilio & in re familiari, & in negotiis ad regni commoda pertinentibus, vteretur.* ANNALES BERTINIANI ad a. 872. *Carolus* (Caluus) *filio suo Hludowico Bosonem fratrem vxoris eius Camerarium & Hostiariorum Magistrum constituens.* Vid. Sagittarii *analecta in librum de Ianuis veterum p. 27.* Dnus VV. G. PACHELBL. a GEHAG *im Teutschen Reichs-Staats vrkundlichen Nachrichten* probare contendit, Burggrauios Noribergenses olim fuisse Magistros Ostiariorum Imperii.

† PETRI ALBINI *Historia der Herren von VVerther p. 7.* Licet ipse *p. 19.* dicat, Antonium de Werther seculo XIII. primum hoc munere fuisse donatum, qui in monumento suo sepulcrali dicitur *Minister Cæsaris.* Hoc munus tamen Iohanni de Werther a Sigismundo Imp. fuit confirmatum ALBINVS *p. 33.* Inde in monumentis sepulcralibus dicuntur *S. Rom. Imperii Archicubicularii,* ALBINVS *p. 44. 47.* Illustris etiam hæc Familia a Maximiliano I. in hoc officio fuit confirmata, prout testatur Comes a VVVRMBRAND *de Officialibus Austriæ Hæred. C. IX.* per Leopoldum Imp. denuo de eodem officio fuerunt inuestiti, & Seniori familiæ iniunctum, vt hoc officium per aliquot hebdomades in persona præstet. Extant Litteræ Inuestituræ in LVNIGII *Anhang zu der II. Continuation p. 31.*

†† Dicendum de eodem inferius, vbi de Expeditionibus Imperii.

††† Diploma Concessionis extat apud FREHERVM *Tom. I. Rer. Germ. p. 667.*

†††† STYPMANN *de iure maritimo p. I. c. VII.* Licet alii eos Imperii Architectos fuisse dicant. HOEPPING *de Iure Insignium c. VI. p. VII. §. 2. n. 904.* SPENER *Op. Herald. lib. III. c. XII. §. 14.* HERMANNVS HAMELMANNVS *Chron. Oldenburg. p. 35.* Comites vocat: *des Keysers und Reichs-Baumeister sonderlich an der Seekant.*

CAPVT

CAPVT DECIMVM DE REDITIBVS ET IVRIBVS IMPERATORIS ET SPECIATIM IVRE SACRORVM.

§. I.



EXaminatis iis, quæ ad constitutionem & honorem faciunt Impp. nunc etiam commoda, quæ ex Imperio capiunt, erunt consideranda. Hæc autem vel in Reditibus consistunt, vel Potestate. Reditus Impp. olim varii erant, & petebantur vel ex bonis domanialibus, vel tributis & censu, vel certis iuribus.

§. II.

Domania olim dicebantur, bona fiscalina, quæ Principi ad tuendam dignitatem suam, populi voluntate, fuerunt attributa, * vulgo etiam *Fiscus regius*, ** quo faciunt villæ regalis fisci, de quibus dictum fuit superius. *** Hæc bona regni erant, a patrimonio regis distincta, quæ Ducibus atque Comitibus primum administranda, vel etiam ministerialibus in feudum fuerunt concessa, a quibus demum iure hæreditario possessa, exceptis terris immediatis, quas sibi seruabant Imperatores.

* HOTTOMANNVS *Francogallia c. VIII.* LEHMANN *lib. VII. c. XLIV.*

** CAPITVLARE CAROLI M. de Villis c. IV. *Franci autem, qui in fiscis aut villis nostris commanent.* Quare de Arnolpho tradit REGINO

 ad

ad a. 887. quod deposito Carolo Crasso concesserit ad sustentationem *nonnullos fiscos in Alemannia.* Du FRESNE *Gloss. Tom. II. p. 453.*
*** *cap. IX. §. VI.*

§. III.

Sequuntur *Terrae tributariae*, de quibus ad partem regiam quidpiam dabatur. Haec autem bona erant tributo obnoxia, quod a quouis possessore erat soluendum, * nobis *steuerbahre Güter.* Huic adfinis erat *census regalis*, ** quem de capite vel rebus suis, prout statutum erat, soluere tenebantur, quare tales *terrae* dicebantur *censuales.* Hic autem vel in pecunia constabat, *** vel in pecore, exinde *vaccae inferendales*, **** quae tamen quandoque pecunia luebantur. Praecipue vero Ciuitates Imperiales ad certas praestationes annuas die Martini praestandas tenebantur, quod vocabatur *der Reichs-Schilling, die Reichs-Steuer*, † quae quandoque certis Ducibus cedebantur. †† Ab his tamen pleraeque vel gratia, vel interueniente pretio fuerunt exemtae. ††† Licet Impp. per Capitulationes obligentur, vt in easdem inquirerent iterumque vindicarent. †††† De certis quoque Monasteriis annuus Canon regiae Camerae erat inferendus. †††††

* CAPIT. lib. IV. c. 37. *quicunque terram tributariam, vnde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum quod inde soluebatur, omni modo ad partem nostram persoluat, nisi forte talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.* CAPIT. CAROLI CALVI *tit. XXXVI. c. 28.* LL. LONGOBARD. *lib. III. Tit. VIII. c. 2.*

** CAPIT. CAROLI M. de a. 805. c. 20. *census regalis vndecunque legitime exiebat, volumus, vt inde soluatur, siue de propria persona hominis, siue de rebus,* CAPIT. *IV. c. 14.* LEHMANN *lib. II. c. XLIV. p. 192.*

*** ANN. BERTINIANI ad a. 864. *Lotharius Lotharii filius de omni Regno*

gno suo quatuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum multa pensione farinæ, atque pecorum, nec non vini ac siceræ, Rodulfo Normanno Herioldi filio ac suis locarii nomine tribuit. Et ad a. 866. *Karolus* (Caluus) *cum eisdem Nortmannis in quatuor millium libris argenti ad pensam eorum paciscitur, & indicta per Regnum suum conlatione ad idem exsoluendum tributum, de vnoquoque manso ingenuili exiguntur sex denarii, & de seruili tres, & de accola vnus, & de duobus hospitiis vnus denarius, & decima de omnibus quæ negociatores videbantur habere, sed & a Presbyteris secundum quod vnusquisque habuit, vectigal exigitur, & heribanni de omnibus Francis accipiuntur. Inde de vnoquoque manso tam ingenuili quam & seruili vnus denarius sumitur: & demum per duas vices iuxta quod vnusquisque Regni Primorum de honoribus habuit coniectum tam in argento, quam & in vino ad pensam, quod ipsis Nortmannis pactum fuerat, persoluendum contulit.*

**** AIMOINVS lib. IV. c. XXVI. de Saxonibus: *quingentas vaccas inferendales a Clothario seniore, Clodouei filio Chilperici patre, regiæ mensæ inferre iussi fuerunt: quæ ideo inferendales dicebantur, eo quod singulis inferrentur annis.*

† LIMNÆVS *ad Capit. Caroli V. ad art. XXIII.* AVCTOR ACT. LINDAV. *f. 78.* KNIPSCHILD *de iure Ciuitat. Imp. lib. II. c. XVII. n. 21.* & SCHILTERVS *Iuris Publ. Tom. II. p. 99.* VVENCKERVS *App. Archiv. p. 301.*

†† Sic Rupertus cessit die Reichs-Steur zu Eslingen Ludouico Palatino, apud SCHILTERVM *Tom. II. p. 99.* PONTANVS Hist. Dan. lib. VII. p. 477. ad a. 1350. *Transcripsit per eosdem dies Dux Saxoniæ Ericus regi VVoldemaro vrbis Lubecensis certum tributum Stuergeldt vocitatum, quod ille quotannis accipere ab iis erat solitus nomine Ludouici Marchionis, qui id ab imperatore Ludouico parente suo acceptum ipsi pignori concesserat.*

††† Plura exempla adlegant Auctor Actorum Lindauiensium & KNIPSCHILDIVS. Patet illud potissimum ex priuilegiis Argentoratensium apud LIMNÆVM *lib. VII. c. III. n. 11. zum andern ist die Stadt Strasburg also frei, das sie keinen Rœmischen Kœnig oder Kayser schuldig ist, des*

Reichs Schilling, oder einige Grundzinſs, Schatzung oder Tribut zu geben, als gemeiniglich andere Reichs-Stadte thun müſſen. Hac ratione Memmingenſes hoc Ius reluerunt tempore Maximiliani I. de quo litteræ extant apud MVLLERVM *Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian dem I. Tom. I. p. II. c. LXXI.* in quibus, *das ſie des heiligen Ræm. Reichs Stewr benantlich drey hundert Pfund Schwebiſcher Häller, ſo dann alle Iaer ierlich in ſeiner Kænigl. Mai. und des Heil. Reichs-Cammer von iren Stat Memmyngen vallen ſolten.*

†††† CAPIT. CAROLI VI. *art. XI.*

††††† De hoc CHRON. LAVRISHAMENSE p. 91. *vt ſeruitio centum marcarum, quod Regiæ Cameræ ſingulis annis ex eadem, (ſicut & aliis quibusdam Eccleſiis) iure antiquo inferebatur.*

§. IV.

Huc faciunt etiam regna & prouinciæ Imperio tributariæ, qualis erat Polonia. Hinc Lotharius II. Imp. in Saxoniam diuertens, Polonorum ducem cum multis muneribus obuiam habuit: quem tamen non ante dignatus eſt ſuo conſpectui præſentari, quam tributum XII. annorum, hoc eſt D. libras ad ſingulos annos perſolueret. * Sic etiam Fridericus I. regem Poloniæ ad cenſum, iam per aliquot annos neglectum, reddendum compulit. ** Vt reliqua taceamus.

* OTTO FRISING. *lib. VII. c. XIX.*

** OTTO de S. BLASIO *c. VII.* LIMNÆVS *l. c.* FREHERVS *Not. ad Petrum de Andlo p. 156.*

§. V.

Tertio Reditus capiebant Impp. ex certis iuribus. Inter hæc præcipuum erat *Ius Vectigalium*, quod per vniuerſum Imperium ſoli olim competebat Imp. * Senſim autem certa telonea Impp. conceſſerunt Epiſcopis, de quo totidem Diplomata teſtantur, quare etiam Electores Rhenani præcipua telonea

telonea ad Rhenum fuerunt adepti, quæ vindicare quidem conabatur Albertus Austriacus, frustraneo tamen cum successu, eo quod Electores ad concessionem antecessorum & longi temporis præscriptionem prouocarent. ** Id quod reliquum erat, Electoribus ad Rhenum oppignorauit Carolus IV. pro summa ob electionem Wenceslai promissa, *** vt nec de vectigalibus quidpiam amplius supersit, quod non a Statibus possideatur.

* SPEC. SVEV. lib. I. Tit. XII. *das alle Zoll, und alle Müntzen, die im Ræmischen Reich sind, die seind eines Ræmischen Kænigs, und wer sie will haben, er sey Pfaff oder Ley, der mus sie haben von dem Ræmischen Reich, und von dem Ræm. Kænig.*

** CHRON. COLMAR. apud VRSTISIVM *p. alt. p. 61.* S. H. G. *diss. XXIV.* §. *XVIII.*

*** MVTIVS ad a. 1370. *post electionem, cum Carolus soluendo non esset, Principibus Electoribus obligasse pignoris loco, vectigalia, oppida & telonea Imperialia.* S. H. G. *diss. XXVII.* §. *XXIX.*

§. VI.

Sic soli Imp. competebant *Iura metallifodinarum.* Quo facit constitutio Henrici VI. de argentifodinis: * *cum omnis argentifodinæ ad iura pertinet Imperii, inter regalia nostra sit comparata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inuenta, ad nostram totaliter spectet distributionem, vnde in ea nulli hominum quicquam iuris recognoscimus, nisi hoc a nostra liberalitate valeat specialiter impetrare. Mandamus igitur omnibus vobis & singulis sub obtentu gratiæ nostræ præcipientes, vt nullus vestrum se de prædicta argentifodina intromittat, nec aliquid iuris sine nostra licentia sibi in ea vsurpet. Quod si quis temerario ausu forte attemptauerit, indignationem nostram se nouerit incursurum.* Inde va-

rii hoc ius ab Impp. ſpeciali Diplomate obtinuerunt, ** vsque dum Carolus IV. idem per A. B. *** ſingulis Electoribus in illorum terris concederet, quod ſinguli Status demum vſu atque præſcriptione ſibi vindicarunt.

* GOLDASTVS *Tom. III. Conſt. Imp. p. 363.*

** Hinc Ludouicus Bauarus per ſingularem Auream Bullam Romæ 18. Febr. 1328. Friderico Noribergenſi Burggrauio conceſſit: *omnes mineras auri, argenti, cupri & ferri, nec non cuiuslibet alterius materiei & generis metalli quod in terris tuis vbicunque auri, argentifodinis, & modis aliis ſubterraneis, aquaticis, petroſis vel cauernoſis locis, quantumcunque arte, ſtudio & labore contigerit reperiri, ſicut alias noſtris regalibus literis tibi & tuis heredibus ex te legitime deſcendentibus in feudum perpetuum concedimus.* Simile eſt Priuilegium Caroli IV. ſuper Metalla, Romæ 1355. Indictione octaua Non. Aprilis. Ludouico Palatino hoc Ius Fridericus II. Imp. conceſſit per litteras ſingulares, quas exhibet MARQVARDVS FREHERVS *Origg. Palat. lib. II. c. XVII.* in quibus: *de mera liberalitate noſtra donauimus ſibi & heredibus ſuis & in rectum feudum conceſſimus, omne genus metalli tam in auro & argento quam in aliis, quod in terris patrimonii & feudi ſui fuerit repertum, cum omni iure & vtilitate exinde perueniente, & quam nos & Imperium, percipere deberemus.* Conradus III. Imp. Wicboldo, Corbeienſi Abbati & Succeſſoribus concedit venas metalli, videlicet auri, argenti, cupri, plumbi & ſtanni apud SCHATENIVM *Ann. Paderborn. lib. VIII p. 786.* Fridericus II. Imp. Militibus Teutonicis Ius Fodinarum concedit, MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter Kayſer Fridrich dem V. p. 441.*

*** *tit. IX.*

§. VII.

Tertium ius obueniebat ex *Succeſſione in bona mobilia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum*, quæ Imp. ab antiquo conueniebat, excluſis illorum ſucceſſoribus vel adgnatis. * Accedebant ſtipendia primi anni ex Epiſcopatu vacan-

vacante, vsque dum electus Regalia ab Imp. accepisset. ** De vtroque Vrbanus III. Papa, habito cum Friderico I. colloquio conquerebatur, *** Imp. tamen ad veteres leges atque exempla antecessorum prouocante. † Huic iuri licet illud sibi primum vindicasset, postmodum Otto IV. instantibus potissimum Electoribus renunciauit, †† quod per A. B. suam confirmauit Fridericus II. †††

* EKKEHARDVS *de Cas. S. Galli c. I.* de Hattone, Moguntino Archiepiscopo seculi X. *Paru post tempore confectus Italica febre, cruce non exacta diem obiit. Egit tamen ille* (Salomon Episcopus Constantiensis) *pro anima eius precibus & opibus, quantumcunque potuit: Scrinia eius* (Hattonis) *Palatio addicta sibi non proderant.* De Adalberti Bremensis Archiepiscopi morte ADAMVS BREMENSIS Hist. Eccles lib. IV. c. XXXVI. *Praeter libros, SS. reliquias, & vestimenta sacra, fere nihil inuentum est in thesauris eiusdem viri, quae tamen omnia Rex accipiens, vna cum praeceptis Ecclesiae.* CHRON. LAVRISHAM. *p. 150.* de Henrico Abbate XL. *Frumentum & vinum quod eo anno abundantissime prouenerat, cum his quae ab anno praeterito more suo copiose conseruarat, partim ab ipso distributum, partim temere distractum, partim Imperiali munificentia successori suo donatum est.* De hoc HENR. MEIBOMIVS *in Dissertatione super quodam antiquo & antiquato Caesarum Germanicorum iure in decedentium maiorum Praelatorum relictis Possessionibus.*

** Sic enim Fridericus II. adhuc in Diplomate, Cremonae a. 1238. dato: *quod in Curia nostra, dictante sententia Principum, & de speciali petitione conquirentium sit obtentum, quod quilibet Imperator in indicta curia percipere debet integraliter ex vacantibus Ecclesiis omnia, vsque ad concordem electionem habere, donec electus ab eo regalia suscipiat.*

*** ARNOLDVS LVBEC. lib. III. c. XVI. *affirmabat* (Papa) *quod Episcoporum exuuias iniuste acciperet, quae dum ipsis mortuis de ecclesiis rapiantur, ecclesiae quasi corrosae & expoliatae ab Episcopis subintrantibus inueniuntur, ita vt ea necessitate quadam raptores iniusti inueni-

ueniantur, dum ablatis stipendiis, quæ confiscata fuerant, de nouo resarcire cogantur. IDEM cap. XVII. *vnde etiam videtur Domino Apostolico, quod iustam contra vos caussam proponat, quod mortuis Episcopis confiscantur Ecclesiæ, ita vt ablatis omnibus mobilibus & stipendiis præsentis anni Episcopus subintrans omnia exinanita & euacuata inueniat.* LEHMANN *lib. V. c. LXVII. p. 536. 542.* GOLDASTVS *Rationali p. 74.* LVDEVVIG *de Iure Annatarum cap. I. §. 40.* Auctor est PETRVS de MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imperii p. 1184.* Principes via facti paullo ante Concilium Trosleianum 909. Spolia Episcoporum occupare cœpisse, Vsumfructum vero Redituum Ecclesiasticorum *p. 1213. 1217.* demum introductum fuisse post Calixti II. constitutionem a. 1122. qua Regibus potestas fuerit tributa, exigendi a Prælatis vniuersa officia & obsequia, quæ ratione Feudorum alii exhibere tenentur. Plenius de hac materia agit MEIBOMIVS & REINHARDVS *de Iure Principum circa Sacra c. IV. §. XII. sqq.* qui etiam hoc Ius a Saxoniæ Principibus exercitum fuisse, per exempla demonstrat.

† Patet hoc ex ipsius Diplomate, quod Brunsuigæ a. 1208. concessit Alberto Magdeburgensi Archiepiscopo, apud MEIBOMIVM in citato Scripto *p. 61.* in quo: *Cum igitur ex antiqua & antiquata consuetudine omnium Episcoporum decedentium, qui de iurisdictione sunt Imperii, in quibuscunque reditibus, reliquia fisco cedere debeant Imperiali.*

†† In Registro Innocentii III. de electione Ottonis n. 2. Apud GOLDASTVM *Tom. I. Constit. p. 72.* LÜNIGIVM *Spic. Eccl. Tom. I. p. 167.* ***prauam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se mouentibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum hucusque seruauerunt, penitus extirpans, nos Ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione Regali beneuolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus*** *seruanda liberaliter statuit.* Vide supra *Cap. VI. §. VIII.*

††† *n. 4.* quæ extat apud GOLDASTVM *p. 73.* Huc etiam spectare videtur, quod MAGN. CHRON. BELG. ad a. 1194. de Henrico VI. dicitur: *ordinauit etiam, ne Imperator manus mortuas Ecclesiasticarum personarum vltra expostularet*, cum manus mortuæ nonnunquam etiam de mobilibus dicantur.

§. VIII.

§. VIII.

Quartum Ius Imp. erat ex *censu Iudæorum*, qui olim per vniuersam Germaniam solius Imp. iurisdictioni subiecti, atque serui Cameræ Imperialis dicebantur. * Postea vero ius recipiendi Iudæos, vigore A. B. etiam Electoribus fuit concessum. Fridericus III. Imp. singulari Diplomate a. 1470. in specialem dedit protectionem Comitis Würtenbergici ** Iudæos in terris Moguntinis, Treuirensibus, Salisburgensibus & Bisontinis habitantes. Postea per R. I. Augustanum de a. 1548. *** & Ordinationem Politicam Francofurtensem de a. 1577. † fuit definitum, vt omnes hoc iure vtantur, qui Regalia habeant ab Imperio, vel speciali priuilegio id obtinuerint. Dum autem onerosa potius fuerit hæc receptio, cum vtilitas ad Imp. spectaret, multi sibi Priuilegiis prospexerunt, ne cogi possent ad recipiendos Iudæos, vsque dum Statibus etiam concessum ius Iudæis tributa imponendi. †† Præstare tamen adhuc Iudæi Imp. solent aurum Coronarium. †††

* SCHWÆBISCH LANDRECHT c. CCCXLVI. *dieselben gab der Künig Titus zu eygen in des Künigs Kamer, und davon sollend sy noch des Reichs Knecht sein, und er soll sy auch schirmen.* Et in Diplomate Friderici II. apud LAMBECIVM Bibl. Cæs. lib. II. c. V. p. 80. *Cum Imperialis auctoritas a priscis temporibus ad perpetuam Iudaici sceleris vltionem eisdem Iudæis perpetuam indixerit seruitutem.* Quare Carolus IV. Iohannem & Albertum Burggrauios Noribergenses a debitis & fideiussionibus quibus obligati fuerant, ex plenitudine potestatis liberauit, eo quod opes omnium Iudæorum in vnius Imp. manu, potestate ac iure essent, secundum LIMNÆVM *Tom. III. Add. ad lib. V. c. VII. n. 138.* Wencenlaus a. 1391. ad Ciuitates Imperiales rescripsit: *das allen Edelleuchen ihre Briefe und Pfande, so dem Jüden in Stædten versezt, wieder gegeben werden, und sie nur Haupt-Gut geben und Schadens ledig seyn solten,* referente CASPARE A LERCH *von des Adels Herkommen p. 42.* Vid. etiam MVLLER *Maximilian.*

IV. Vorst. c. XLIV. GOLDASTVS *p. II. der Reichs-Satzungen p. 69.* & in Constitutione Conradi IV. de Priuilegiis Iudæorum apud GOLDASTVM *Const. Tom. II. p. 85.* & LEIBNITIVM *Cod. I. Gent. Prodr. p. 10.* LEHMANN *lib. VII. c. XLII.* In LVNIGII *Reichs-Archiv p. Spec. Cont. I. p. 586.* reperitur Priuilegium Ferdinandi I. de a. 1566. per quod etiam anteriora ipsis concessa Priuilegia confirmantur.

** Extat Mandatum Friderici III. von der Iüdischeit im Heil. Reich apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen Tomo I. p. 186.* in quo: *VVo nun die gemelt Iüdischheit uns als Rœmischen Keyser on mittel zugehœrig, allein unserm gewaltlichen Gerichtzwang untertan ist.* Et paucis interiectis: *bevelhen wir und geben dir auch hiemit gantzen vollen Gewalt von Rœmischer Keyserlicher macht, ernstlich und vestenlich gebietent, das nun hinfüro auf uns und unser Nachkommen am Reich wiederrieffen, oder ander geschæfft, all und iede in den obgeschriben Provintzen wonent, von uns und des heiligen Reichs wegen, in unsern und dein Schutz, Schirm und Frid empfahest, und nach deinem besten Vermügen bewarest.* Fridericus I. Imp. Priuilegio Domui Austriacæ a. 1156. concesso, quod extat apud LVNIGIVM *p. Spec. Cont. II. p. 5.* inseruit: *vt possint in terris suis omnibus tenere Iudæos & vsurarios publicos, quos vulgus vocat Gewerthein, sine Imperii molestia & offensa.*

*** *Tit. XX.*

† *Tit. XX.*

†† LIMNÆVS *Comm. ad Capit. Caroli V. p. 257.*

††† Vid. MVLZIVS *Repræsent. Imperii p. II. c. XV. n. 45.*

§. IX.

Alia erant *Iura fisci & mulctæ.* Sic *bannus dominicus* 60. solidis constabat, * quibus banni seu legis infractor puniebatur, quem pro qualitate delicti dupliciter quandoque vel tripliciter componere debebant. ** *Freda* † mulctæ pecuniariæ erant, quæ pro publicis delictis soluebantur. Sic etiam

etiam ex venditionibus atque oppignorationibus bonorum Imperii, insignes thesauros sibi adquisiuerunt Impp.

* Vid. du FRESNE *Tom. I. p. 461.* LEHMANN *lib. II. c. XLIV.* VADIANVS *de obsc. Alem. vocum signif.*

** CAPIT. CAROLI CALVI tit. XXIX. c. 3. *quod qui temerare proterue praesumpserit, triplicem legem, & triplex bannum nostrum persoluat.*

† Du FRESNE *Glossario Tom. II. p. 537.* LEHMANN *c. l.*

§. X.

Quae iura & reditus olim fuerint ex Italia, optime descripsit RADEVICVS, * vbi de Friderico I. loquitur: *Deinde super iustitia regni, & de regalibus, quae longo iam tempore seu temeritate peruadentium, seu neglectu Regum Imperio deperierant, studiose differens, cum nullam possent inuenire defensionem excusationis, tam Episcopi, quam primates & ciuitates vno ore, vno assensu, in manum Principis regalia reddidere, primique resignantium Mediolanenses extitere. Requisitique de hoc ipso iure quid esset, adiudicauerunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Consulatus, Monetas, Telonia, Fodrum, Vectigalia, Portus, Pedatica, Molendina, Piscarias, Portus, omnemque vtilitatem ex decursu fluminum prouenientem: nec de terra tantum, verum etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisque omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores vsus est liberalitate, vt quicunque donatione Regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio, & regni nomine id ipsum perpetuo possideret. Ex his tamen qui nullo iure, sed sola praesumptione, de regalibus se intromiserant, XXX. millia talentorum, plus minusue reditibus publicis per singulos annos accesserit.*

* *lib. II. c. V.* OTTO de S. BLASIO *c. XIV.* LEHMANN *lib. V. c. LXVII.*

§. XI.

Inter hæc, quæ ex Italia obuenerunt, tributa, potissimum referenda, *Fodrum*, * *Parata & Mansionaticum.* ** Fodrum, summa quædam frumenti fuit, quam aduenienti in Italiam regi soluere tenebantur, pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur. Parata, sumptus, quem iidem in vias, pontesque fluminum, qua transiturus, aut quo aditurus rex erat, reficiendos impendere. Mansionaticum, sumptus in tecta, & cætera, quæ regio exercitui in agro hospitanti necessaria, præbere iubebantur. Præstabatur autem fodrum etiam ex terris & a subditis Papæ. ***

* VITA LVDOVICI PII ad a. 796. *inhibuit a plebeiis vlterius Annonas militares, quas vulgo Foderum vocant, dari.* OTTO FRISING. lib. II. c. XIII. *mos antiquis, ex quo Imperium Romanum ad Francos deriuatum est, ad nostra vsque deductus est tempora, vt quotiescunque Reges Italiam ingredi destinauerint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas ciuitates seu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum regalem spectant, quæ ab accolis Fodrum dicuntur, exquirant.* Et paucis interiectis: *Tantam ei quoque iudices terræ recognoscere dicuntur iurisdictionem, vt ex omnibus quæ terra producere solet, vsui necessariis, exceptis vix bubus & seminibus ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum necesse fuerit, militi profuturis, ad regios vsus suppeditare æquum arbitrentur.* SIGONIVS de regno Italiæ lib. VII. p 175. Et lib. XIV. ad a. 1183.

** In Præcepto Caroli M. in CHRON. LAVRISHAM. p. 99. *nec mansiones aut paratas faciendum.*

*** Nuntii enim Papales a Friderico I. postulabant: *De dominicalibus Apostolici Fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ Coronæ*, apud RADEVICVM *lib. II. c. XXX.* Patet hoc magis ex Epistola Friderici II. Imp. quam ex Archiuo Vaticano exhibet AVCTOR DISSERT. HISTOR. *de summo Apostolicæ sedis Imperio in vrbem Comacli* §. CXLII. in qua: *volumus etiam declarari, & specificari iura*

iura nostra, quæ habemus, & habere debemus in Marchia, & Ducatu, & alia terra, quam Ecclesia tenet, videlicet de exercitu cabalcata, & parlamento, mercato, & procuratione, quæ nos tanquam Aduocati, Patroni, & Defensores Ecclesiæ habere debemus de terra prædicta. Et paucis interiectis: *Super declaratione facienda super iure, quod habemus in terra Ecclesiæ petiuimus expresse apponi de exercitu, parlamento, cabalcata, fodro, & procuratione, aut si prædicta expressim designare noluerint, contenti sumus, quod seruentur nobis ea omnia, quæ Principes Imperii habent in terris Ecclesiarum, quarum ipsi sunt Aduocati, & super hoc stabimus testimonio Principum prædictorum.*

§. XII.

Ex his igitur singulis tantum prouenit, quantum aliqui vt coniectantur, * Friderici Barbarossæ temporibus ex Germania atque Italia sexaginta auri tonnæ fuerint illata, quæ tamen Interregni tempore, & per immunitatem plerisque Italiæ ciuitatibus concessam, Rudolphi Habsburgici temporibus ad viginti tonnas vsque fuerint diminuta. Inde Carolus IV. plura bona Imperii vel vendidit vel oppignorauit. Pleræque etiam Collectæ Imperiales (*Reichs-Steuren*) ex ciuitatibus Imperialibus Ducibus vel Comitibus vicinis fuerunt adsignatæ, vt de iisdem vix viginti florenorum millia hodie supersint, ita, vt haut immerito de hisce Imperii decrementis conquerantur Consiliarii Cæsarei in Reformatione Sigismundi ** Facta autem hæc decrementa, vel Impp. indulgentia, dum vrbes Imperiales, Telonea, aliaque Imperii Domania, Regaliaque diuersis Statibus, pretio interueniente, concederent, vel negligentia, dum Statibus conniuerent, vt ista ad se raperent. Et licet in Capitulationibus † definitum, Imp. curaturum, vt Collectæ Imperia-

 les,

les, aliique reditus, qui certis Statibus obuenerunt, iterum vindicentur, beati tamen hucusque fuerunt possidentes.

* SCHNEIDEWINVS *ad Tit. Inst. de success. ab intestato tit. de success. fisci n. 5.* KNIPSCHILD *de ciuitatibus Imper. l. II. c. IV. n. 34. & lib. II. c. XVIII. n. 20. 10.* EBERHARD PREGIZZER *de Domanio S. Romano-Germanici Imperii, Tubingæ 1703.*

** In Procemio apud GOLDASTVM Tom. I. n. 170. *die hæchsten Haupter sind nit zu ermahnen, wann sy haben, das Vnrecht in mit Gewalt. Vnser Herr der Keyser oder Künig mægen ihren Staat nit mer behalten. Der hochwirtige Staat ist abgezogen dem Reych von den Kurfürsten, und das unser Reych kranck, blœd und schwach ist.* Quare etiam MICH. COCCINIVS de B. Maximiliani cum Venetis in FREHERI Tomo II. p. 564. *At Principes Germaniæ tenentes nunc vectigalia & cætera Imperii iura, singuli veluti ipsi essent Imperatores, ea quæ tenent, & possident, tanquam peculiari iure tenerent, Imperatori in nullo accepta referunt, ac in omnibus liberi esse conantur.* Et p. 565. *Tempore namque Maiorum, Imperatores habuerunt vectigalia, telonia, & (vt nunc vsitatis verbis loquar) datias, angarias, gabellas, pedagia, & alia Imperii iura, quæ vos nunc tenetis, vnde olim Imperatores amplissimum exercitum alere potuerunt.* Deplorat hæc Imperii decrementa NIC. de CVSA *de Concordia Catholica lib. III. c. XXX.* IVLIVS PFLVG *de Statu Germaniæ,* AVGVSTINVS PATRITIVS *de aduentu Friderici III. Romano n. XXV.*

† CAROLI V. . *art. XXIII.* IOSEPHI *art. XXVIII.* CAROLI VI. *art. XI.*

§. XIII.

Pauciores igitur hodie ex Imperio nostro habet reditus Imperator. Præter enim paucas istas Collectas Imperiales ex Ciuitatibus Imperialibus, & subsidia charitatiua Nobilitatis immediatæ, quandoque certæ summæ ex Imperii Collectis (*denen Römer-Monathen*) Imp. adsignantur, prout ad nuperum bellum Turcicum fuit factum. Quæ ex inuestituris

turis feudorum Imperialium, priuilegiis & iuribus concessis obueniunt, potius Officialibus aulæ Cæsareæ cedunt, quam ipsi Imperatori. Feuda maiora Imperio aperta in patrimonium eiusdem referenda, e quibus reditus Imperatori adsignantur. * Ast, cum de singulis iamdum per pacta successoria & concessas expectatiuas prospectum, nec de his aliquid sperandum. † Nouimus tamen Impp. ex terris Statuum proscriptorum reditus sibi vindicasse. Id quod exemplo Bauariæ, Mantuæ, Mirandulæ, Coloniensis & Leodiensis terræ bello præterito, patet. †† Potiora quæ ab Imperio commoda habet Imp. sunt auxilia bellica, mulctæ, & tributa Italiæ. Præstiterunt enim Status auxilia ad bella Vngarica, quæ tamen Imperium non adeo tangunt, quod etiam de bello Hispanico dicendum. Deinde etiam mulctæ ob adulteratam monetam, aliaque delicta, de quibus Status Imperii cum Imp. paciscuntur, haut minima Cameræ Cæsareæ intulerunt. Tertio tributa prouinciarum Italiæ Imperio adhuc subiectarum maximo fuerunt emolumento. Accedunt Dignitates, Priuilegia atque Iura Imperii, quæ secundum certam Taxam in Iudicio aulico præscriptam, ††† lui debent.

* CAPIT. CAROLI V. *art. XXIV. & XXIX.*

† EVROP. HEROLD. *p. I. p. 138.*

†† Quid circa feuda Italiæ fuerit actum, explicauit PAVLVS GERTZWEILERVS in Designatione feudorum Imperii apud ITTERVM *c. VI. p. 263.*

††† Hanc exhibet VFFENBACH *de Iudicio Aulico, Append. p. 41.*

§. XIV.

A Reditibus pergimus ad potestatem Imp. & Iura, & primo quidem dicendum, vnde suam potestatem habeat Imperator. A temporibus siquidem Henrici II. Imp. Papæ ab Impp. fidelitatem postularunt. * Postea, imperante Henrico

rico IV. iidem tantum iuris sibi sumserunt, vt sub beneficio Impp. Imperium tenere dicerent, ** ex quo potissimum orta est discordia inter Sacerdotium atque Imperium. Inde, vt iura sua in Impp. magis eueherent, Lotharium Imp. in genua coram Papa procumbentem in palatio Lateranensi pingebant, cum hac inscriptione:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante, Coronam,

Fridericus Barbarossa tamen ab Adriano Papa obtinuit, vt hæc pictura aboleretur. *** Dum autem idem Adrianus Papa in litteris ad Fridericum Barbarossam scriptis, Imperialem dignitatem ipsi a Romano Pontifice fuisse collatam profiteretur, Imperii hoc ordines inique admodum tulerunt. **** Nec cessarunt reliqui Papæ sibi iura in Imp. & Imperium perperam vindicare, prout Innocentius III. sibi de Imperii Iuribus prouisionis Ius competere, adserere non erubuit.***** Patet hoc ex eo, quod, dum Ferdinandus I. post abdicationem Caroli V. Imp. factus, rem improbaret Paulus IV. eo quod non interuenerit ipsius auctoritas, cui claues cælestis ac terreni Imperii creditæ sint, sine quibus nec Carolus legitime Imperio solutus, nec Ferdinandus recte in Imperium successisse dici queat. † Ipse tamen Innocentius III. Papa †† fateri necessum habuit, electum esse verum Imperatorem. Adipiscitur igitur Imperator omne ius & potestatem suam per electionem, ††† quam primum eandem sub conditionibus in Capitulatione præscriptis acceptauerit. Id quod etiam Ludouico Bauaro imperante, in Comitiis Francofurtensibus anni 1339. fuit decretum. ††††

* DITMARVS lib. VII. ineunte, de Henrico II. *antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanæ patronus esse & defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis.*

** Vid.

** Vid. RECHENBERG *de Totatu Hildebrandino.* S. H. G. *Diss. XV. §. XXVI.*

*** RADEVICVS *lib. I. c. X.* S. H. G. *Diss. XVI.* §. *XXV.*

**** RADEVICVS *c. l.* ÆNEAS SYLVIVS *Hist. Friderici III. p. 24.* S. H. G. *Diss. XVII. §. XXVIII.*

***** Varie hac de re loquitur INNOCENTIVS III. potissimum ep. XXIX. XXX. XXXIII. *nouimus etenim & vos nostis, quod eius* (Imperii) *prouisio principaliter & finaliter nos contingit: principaliter quidem, quia per Ecclesiam de Græcia pro ipsius specialiter fuit defensione translatum; finaliter autem, quoniam etsi alibi coronam regni accipiat, a nobis tamen Imperator Imperii recipit diadema, in plenitudinem potestatis.*

† THVANVS *lib. XXI. p. 628.*

†† Patet hoc ex Registro Innocentii III. ep. XV. *cum autem Imperialis corona sit a Romano Pontifice concedenda, eo rite prius electo in Principem, & prius in Regem legitime coronato, talem secundum antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus, & iis de more perfectis, quæ ad coronationem Principis exiguntur, eam sibi faciente Domino, solenniter conferemus.*

††† GESTA BALDVINI lib. II. c. III. *de antiqua enim consuetudine in Regem Romanorum electus sine omni confirmatione habet & potest regalia ministrare, vt habetur XCVI di. Cum ad verum & cap. Duo sunt, & cap. Si Imperator XCIII. di. cap. Legimus super hoc verbo Imperator in Glossa.* Hinc Germaniæ Principes, qui Philippum Sueuum elegerant, in Registro Innocentii III. ep. LXI. conqueruntur, quod Episcopus Prænestinus, Papæ Legatus, se Imp. electioni immiscere conatus fuerit, vbi aiunt: *Romanorum Regis electio si in se scissa fuerit, non est superior iudex cuius ipsa sententia integranda, sed eligentium voluntate spontanea consuenda.* Adgnouit illud ipse Vrbanus IV. Papa in epistola de electione Richardi apud LEIBNITIVM Cod. Iur. Gent. Prodr. p. 14. *in qua electione taliter celebrata, electus si electioni consenserit, ante Aquisgranum per dies aliquos facta mora, infra annum & diem post celebrationem eamdem, quando electus voluerit, per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam corona-*

tur: quo facto cuilibet via praecluditur contra electionem, vel electum, iam Regem Romanorum effectum, dicendi aliquid, vel etiam opponendi: sed idem electus praedicto modo inunctus, consecratus & coronatus pro Rege habetur, & ei tamquam Regi debent a subditis iuramenta praestari, assignari ciuitates, oppida, castra, & specialiter castrum de Treueles, ac aliqua iura Imperii infra annum & diem a tempore coronationis eiusdem: ita quod si qui de Vasallis Imperii ei homagia non praestiterit consueta, & non reddiderint ciuitates, castra & alia supradicta, illis, qui ab Imperio tenent eadem, sint eo ipso priuandi. Neque tamen a sola Imp. coronatione potestas ipsius erit petenda, prout late demonstrauit LVPOLDVS de BEBENBVRG, *de Iuribus Imperii c. XVI.* atque HIERONYMVS BALBVS *de Coronatione.*

†††† *Cap. VI.* §. *V.* Hoc etiam singulari Consultatione demonstrauit GEORGIVS SIGISMVNDVS SELDTIVS quae extat inter LVNIGII *Staats-Consilia Tomo I. n. XLVI.*

§. XV.

Obtinuit tamen, vt Imperator, postquam coronatus, legatos Romam mitteret, qui Caesarem erga Pontificem & sedem Romanam eo animo dicerent affectum, quo maiores sui patroni fuissent atque defensores ecclesiae Romanae, eundemque ad obedientiam solitam praestandam esse paratum. * Otto IV. ** atque Rudolphus Habsburgicus *** Iuramentum quidem Papae praestiterunt, ast, de Iuribus saltim Ecclesiae defendendis. Henricus VII. postquam Imp. factus, fidem Papae per legatos iurato promisit, atque obedientiam. **** Per Decretum Rensense Ludouici Bauari prohibitum fuit Papae fidem iuramento adstringere. ***** Fridericus III. Imp. inuitis licet Statibus plerisque, artibus Aeneae Syluii inductus, Eugenio IV. Papae iamiam morituro per eundem a. 1446. Obedientiam praestitit. ****** Idem anno insequenti Nicolao

colao V. ipsius Successori fuit factum. † Carolus V. dum Romam tenderet ad Coronationem, coram legatis Pontificis ita iurauit, vt se de iure suo nihil decessurum testaretur. †† Ferdinandus I. adhuc Legatum Obedientiæ Pio IV. misit. ††† Idem a Maximiliano II. postulabat Pius IV. Papa, saltim ratione Hungariæ, Bohemiæque & reliquarum prouinciarum hæreditariarum, Imp. tamen hoc denegante, vsque dum per legatum amorem saltem polliceretur atque reuerentiam. †††† Ferdinandus II. Vrbano VIII Papæ obseruantiam saltem, non vero obedientiam promittere voluit. ††††† Nec reliqui etiam Impp. nec Leopoldus, †††††† licet sedi pontificiæ addictissimus, talem legatum misit, sine Papali confirmatione Imperatoriam dignitatem Maiestatemque gerens, id quod etiam speciali pacto a Clemente XI. Iosepho nostro fuit remissum. Carolus VI. per Legatum suum ordinarium Marchionem de Priè d. 16. Febr. 1714. obseruantiam promisit. *

* Patet hoc etiam ex litteris quorundam Principum, qui fauebant parti Philippi, in REGISTRO INNOCENTII III. ep. LXI. *Vobis enim, Pater sanctissime, insinuare decreuimus, quia electionis nostræ vota in serenissimum Dominum nostrum Philippum Romanorum Regem & semper Augustum vna voce, vno consensu contulimus, hoc spondentes, hoc firmiter promittentes, quod a vestra & Romanæ sedis obedientia non recedet, & eam Deo & vobis sua deuotio reddet acceptum, & filialis eum timor imbuet, & defensoris eum strenuitas commendabit. Vnde petimus vt veniente tempore & loco, sicut vestri officii est, vnctionis ipsi beneficium non negetis.*

** Reperitur Sacramentum ab Ottone IV. exhibitum in REGISTRO *ep. LXXVII.* S. H. G. *Diss. XIX. §. XVIII.*

*** S. H. G. *Diss. XXIII. §. XII.*

**** Prout ex Actis patet apud LEIBNITIVM *Mant. p. 251.* S. H. G. *Diss. XXV. §. I.*

***** Extat Decretum apud GOLDASTVM *Tomo III. p. 409.* in quo: *Ipsum* (Imp.) *contra Maiestatem Reip. decus Imperii, Legatos ad Sacerdotem Roman. vt author fiat, copiam administrandi concedat, mittere; eidem Iureiurando fidem astringere, atque petere ab eo Vsum Regii diadematis religio est: nullum harum rerum ius omnino est Pastori, qui seruus ouium est & in consecrando Domino gregi seruit. Quippe iure suffragiorum, beneficio Electorum, atque populi, quisque imperat.*

****** ÆNEAS SYLVIVS de Statu Europæ c. LIV. *prius tamen quam obiret* (Eugenius IV) *Germani, qui postquam duos de Pontifice contendere animaduerterunt, neutralitate quadam vtentes, vtrique recusauerent obedire destinatis Romam legatis, inter quos & Ego vnus eram, a Friderico Imperatore missus, obedientiam Ei, iamiam morituro restituerunt.* Vid. MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro p. III. c. VIII.* §. *II.* S. H. G. *Diss. XXX.* §. *XII.*

† S. H. G. *Diss. XXX.* §. *XVII.*

†† S. H. G. *Diss. XXXII.* §. *XXXVI.*

††† THVANVS *lib. XXI. p. 628.* S. H. G. *Diss. XXXIII.* §. *X.*

†††† PAVLVS SARPIVS *Hist. Concilii Tridentini lib. VIII. p. 609.* S. H. G. *Diss. XXXIII.* §. *XIX.*

††††† De hac caussa BECKER *I. P. lib. I. c. IV.* §. *2.* atque addit: *Res tandem ita composita, vt Pontificii verbo obedientiæ, Legatus vero obseruantiæ verbo, in suis orationibus vterentur.*

†††††† CONRADVS OLIGENIVS *de Primariis Precibus Imperialibus* §. *LXX.*

* Extat Oratio ad Papam cum huius responsione in ELECTIS IVR. PVBL. Tomo VI. p. 955. in quibus: *eandem sanctitatem vestram per me de constanti filialis suæ erga sanctitatem vestram sedemque apostolicam obseruantiæ studio certiorem fieri voluit: quod, vt maiorum suorum exemplo, quacunque opportunitate, testatum reddere, omniaque ea quæ obedientissimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium strenuumque eiusdem aduocatum ac defensorem, decent, reipsa præstare promittit, ita vicissim sanctitatem vestram enixe reuerenterque rogat, vt quicquid eiusdem prædecessores in rei Imperialis & Austriacæ com-*

commodum & incrementum quouis modo contulerunt, ac deinceps conferendum esset, id quoque sanctitas vestra sacræ suæ Cæsareæ Maiestati, Augustaque domui Austriacæ liberaliter impertiri velit.

§. XVI.

Neque tamen illimitata est Impp. potestas atque Monarchica, sed per Leges Imperii admodum limitata, & cum Electoribus vel Statibus communicata. Nihilominus, licet ad Imperii consensum esset adstrictus, ipsi tribuitur ius decernendi ex plenitudine potestatis: *aus Kayserlicher Macht und Volkommenheit*, idque ratione Iuris Imperatorii, quod ipsi competit publicandi ea quæ Statuum consensu fuerunt conclusa. * Iura igitur Imperatoris fiunt triplicia. Alia ipsi sunt reseruata, alia cum Electoribus communicata, alia cum Statibus, quæ dicuntur iura Comitialia.

* REFORMATIO FRIDERICI III. de a. 1442. Procemio: *Setzen, und gebieten Wir von Ræm. Königl. Macht, Krafft und Gewalt ernstlich und vestiglich mit diesen Brieff, und ermahnen auch alle und iegliche unser und des Heil. Reichs Vnterthanen, in welchen Würden, Stand oder Wesen die seynd, solcher Treu und Pflicht, als ihr GOtt dem H. Reich, auch uns als einen Ræmischen Kænig, eurem hæchsten Herrn, gemeinen Nutz, und euch selbst, schuldig und verbunden seyd.* L. B. de LYNCKER *de Consensu Electorali §. III. Imperator ex plenitudine suæ potestatis agere dicitur, si quando vel maxime Electorum Consensus interuenit.* MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro p. I. c. VI.* §. *XVI.*

§. XVII.

RESERVATA Imp. sunt, quæ a solo ipsius arbitrio dependent, eademque sine consensu Electorum vel Statuum exercet, secundum Leges tamen Imperii. Hæc autem vel in Iu-

re Sacrorum consistunt, vel in iure circa dignitates & regimen Imperii, vel denique in iure circa priuilegia.

§. XVIII.

Imperatori conuenire IVS SACRORVM nemo forsan ex Protestantibus negabit, dum satis certum, Principi Maiestatem ciuilem habenti competere hoc ius sacrorum. * Aliud tamen est Imperium circa sacra, aliud Regimen, aliud administratio sacrorum. Imperium circa sacra cum omni iure patronatus regio sine dubio competit Principi, summam potestatem habenti circa regimen in constituendis ecclesiæ Ministris, sacrisque ordinandis concurrit populus: ** administratio vero sacrorum solis conuenit sacerdotibus.

* Vid. DAVID BLONDELLVS *de la Primauté en l' Eglise.* HVGO GROTIVS *de Imperio Summarum Potestatum circa sacra.* PETRVS de MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imperii.* THOMASIVS *vom Recht Euanglischer Fürsten.*

** Vid. DAVID BLONDELLVS *de Regimine in Ecclesia.*

§. XIX.

Quod si ius Sacrorum, prout fuit antiquiori tempore, consideremus, patebit, Impp. Germanicos fuisse Aduocatos sedis Romanæ, indixisse Concilia, sanxisse Leges ecclesiasticas, inuestitura Episcopali atque omni iure Patronatus regio fuisse gauisos. De primo certum omnino est ex historia Caroli atque Ottonis M. De altero testatur historia celeberrimi istius Concilii Francofurtensis anno 794. in caussa imaginum a Carolo M. instituti, * aliaque Concilia Regum etiam Germaniæ, ** potissimum historia synodi Romanæ a. 963. ab Ottone M. super depositione Iohannis XII. & electione Leonis VIII. institutæ. *** Idem ius adhuc exercuerunt reliqui

Impp.

Impp. qui statim ac Romam prima vice venerunt, synodum Episcoporum conuocare solebant **** & praecipue Henricus III. Imp. Sic etiam concilium adhuc Moguntiam a. 1131. indixit Lotharius, † & celebre est Concilium Papiense a Friderico Barbarossa a. 1160. celebratum. †† Post ista vero tempora, suppressa potissimum Friderici I. auctoritate, sensim hoc Ius sibi vindicarunt Papae. De Legibus ecclesiasticis non solum Capitularia Regum Francorum testantur, sed etiam totidem Leges & Constitutiones Ecclesiasticae Germanicorum Impp. a Goldasto aliisque collectae.

* Vid. IO. GEORG. DORSCHAEI *collatio ad concilium Francofurtense* & FRID. SPANHEMII. *historia imaginum restituta* S. H. G. *Diss. VII.* §. *IX.*

** Qua ratione Synodus Nationalis Germanica sub Ludouico Rege fuerit celebrata docent ANNALES FVLDENSES ad an. 852. *habita est autem & Synodus ex voluntato atque praecepti eiusdem serenissimi principis in ciuitate Mogontia metropoli Germaniae, praesidente Hrabano venerabili eiusdem vrbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciae, Baioariae & Saxoniae: & illi quidem absoluendis quaestionibus ecclesiasticis tractatum habebant, Rex vero cum principibus & praefectis prouinciarum publicis caussis litibusque componendis insistens, postquam synodalia eorum decreta suo iudicio comprobauit & legationes Bulgarorum Sclauorumque audiuit & absoluit.* Ad an. 870. *habita est autem synodus in ciuitate Colonia iussu Hludouici regis VI. die Kal. Octobris praesidentibus Metropolitanis episcopis prouinciarum.*

*** LVITPRANDVS *lib. VI. c. VI.* REGINO ad a. 963. *tunc Roma in plura diuisa, partim Imperatori fauentes, (multi enim a praedicto Papa iniuriis se opprimi cnnquerebantur) partim Apostolico blandientes, licet diuersa sentirent, Imperatorem tamen cum honore debito vrbem intromittunt, seque per omnia, datis obsidibus, illius ditioni subiungunt. Imperator vero plurimorum collecta multitudine synodum coadunauit.* LAMBERTVS SCHAFNABVRG. ad a. 963. *magna synodus facta est*

est Romæ, cui Otto Imperator præsidebat, cum multitudine magna Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Clericorum ac Monachorum. Idem dicit ADAMVS BREMENSIS *Hist. eccles. lib. II. c. 5.* FRODOARDVS *Chron. ad a. 965.* Acta huius Synodi reperiuntur apud GOLDASTVM *Constit. Tom. I. p. 30.*

**** GOLDASTVS *Rationali, p. 27.*

† DODECHINVS *app. ad Marianum Scotum ad a. 1131.* Similia ex Chronico Cassinensi tradit LEHMANN *lib. V. c. LXVII.*

†† RADEVICVS *lib. II. cap. LXIV.* in quo Imp. inducit loquentem: *quamuis nouerim officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis: (hoc enim & Constantinus, & Theodosius, nec non Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otto Imperatores fecisse memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi & summi negotii, vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo.* Immo *lib. II. c. LIV.* auctoritatem congregandi concilii exemplo antiquorum Impp. Friderico vindicat OTTO de S. BLASIO *cap. XIII.*

§. XX.

Maxima vero olim fuit controuersia de Inuestitura Episcopali. De primis quidem Impp. res omnino certa est, ipsos inuestituras Episcoporum fecisse, dum & ius haberent ordinandi Papam, id quod Romani Carolo M. atque Ottoni M. singulari pacto concesserunt. * Seculo IX. quidem ausi sunt Episcopi contra Constitutionem ab Impp. factum murmurare,** neque tamen contra eandem se opposuerunt, potius Impp. Investituram Episcoporum per annulum & baculum vsque ad Henrici IV. tempora vsu continuo exercuerunt. *** Ast, prima de eodem controuersia mota fuit a Gregorio VII. Papa, qui demum in synodo Romana **** a. 1078. decreuit, vt nullus clericorum inuestituram Episcopatus vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicuius Laicæ personæ, viri vel fœminæ suscipiat.

Exinde

Exinde hæc controuersia scriptis ***** & armis fuit agitata, vsque ad mortem Henrici IV.

* Prout ex *cap. I. §. III.* patet. Hinc Iura sua in Papam constitutione adseruit Ludouicus Pius, de quo diximus s. H. G. *Diss. VIII. §. III.* & Lotharius *§. XXIV.* Henricus III. sub quo Romani iterum iurarunt, se sine eius, successorumque consensu, nunquam Papam esse electuros, s. H. G. *Diss. XIV. §. XVIII.* Adseruit hoc Ius Imp. ordinandi Papam STEPHANVS BALVZIVS *Vita Mauritii Burdini in Miscellaneis Lib. III. p. 492.* Plenius hæc per Exempla demonstrauit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XV. §. XXII.*

** Prout patet ex HVGONIS FLAVINIACENSIS Chronico, apud LABBEVM *Noua Bibl. MSCtorum Tom. I. p. 121.*

*** Patet hoc Exemplis fere innumeris. De Ludouico Iuniore ANNALES BERTINIANI ad a. 877. *Ludouicus accepto nuncio in Andriaca villa de morte patris sui, quòd potuit, conciliauit sibi, dans eis Abbatias & Comitatus, ac villas, secundum vnius cuiusque postulationem.* De Henrico Aucupe FRODOARDVS ad an. 927. *ibi etiam Heinricus Episcopium Mettensium, contemta electione ipsorum, cuidam, vt ferebatur, Dei seruo dedit, cognomento Bennoni.* GERHARDVS PRESBYTER in vita S. Vdalrici n. VII. *post quindecim annos defuncto Hiltino Episcopo machinatione nepotis sui Burchardi Ducis & aliorum propinquorum suorum, Henrico Regi præsentatus, eiusque sublimitate nota facta est decessio Episcopi, supplicatumque est, vt præfato domino Vdalrico Episcopalis potestas ab eo concederetur. Rex vero intuens herilitatem staturæ illius & comperiens doctrinæ suæ scientiam, petitioni eorum assensum præbens, regio more in manus eum accepit, munereque Pontificatus honorauit. His vero ita peractis hilari animo de Rege reuertente, & ad Augustam peruenientes secundum Regis edictum potestatiue manu inuestituram Episcopatus sibi perfecerunt. Succedente vero tempore natiuitatis Domini in die solennitatis innocentum consuetudinario ritu ordinatio eius peracta est.* De Henrico II. DITMARVS lib. V. p. 374. *Confestim in maiorem, conuenientibus Ecclesiam cunctis Rex baculo Arnulphi Præsulis clerum & populum Tagmoni, venerando patri, cum redditura summo*

 iudi-

iudici ratione, commisit, eundemque in cathedram Episcopalem ipse constituit, astantibus vniuersis,& laudes domino canentibus. Et lib. VI. ineunte de eodem Henrico II. *conuocans ad se omnes regni primates, dedit Episcopatum sanctæ Mersburgensis Ecclesiæ Capellano suimet Wigberto, cum Archiantistitis baculo Tagmonis.* Ipse DITMARVS de se p. 385. *qui cum electione præsentium pastoralem mihi curam* (in Merseburg) *immerito commisit cum baculo & prostratus veniam petii.* Et p. 395. *ibi tunc regali petitione, & salua in posterum electione, Gero communiter eligitur, & in Ecclesia se primitus altari prodens, & communionem fratrum decem mansis acquirens, baculum a Rege accepit pastoralem, & mox inthronizatus ab Eido, vnctus est Episcopo, nobis confratribus prædictis eum adiuuantibus.* De Conrado II. Imp. BECKA Hist. Traiect. p. 39. *tradidit eidem presbytero* (Bernulpho) *Traiectense pontificium consimiliter & inuestituram per annulum & pastoralem baculum.* Immo sub Henrico IV. Imp. adhuc ipse Gregorius VII. Papa petiit, vt Episcopos ordinaret, de quo LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad a. 1075. p. 228. *Interea Romanus pontifex crebris legationibus & Babenbergenses clerici assiduis supplicationibus vehementer regi imminebant, vt iam diu vacanti ecclesiæ Babenbergensi rectorem prouideret.* Moris autem erat, vt annulus & baculus post Episcopi mortem ad Imp. mitteretur, de quo GRETSERVS vita Ottonis Bambergensis lib. I. c. VI. *nec multo post annulus cum virga pastorali Pramensis episcopi ad curtem regiam perlata est,*& c. VII. *itaque, cum, vt diximus, virga pastoralis & annulus episcopi Pramensis imperatori offerretur.* MONACHVS SIGEBERGENSIS vita S. Annonis Coloniensis lib. I. c. IV. *Animum exhalante Hermanno Coloniensi, Imperator apud Confluentiam morabatur, & ecce, adsunt Optimates & Capita Populi Coloniensis, Baculum Episcopalem Regi restituentes, inque locum defuncti, idoneum Successorem, supplici prece, vnanimiter postulantes.* Hinc GVILIELMVS TYRIVS lib. I. Hist. Hierosl. c. XIII. *inoleuerat consuetudo, præsertim in Imperio, quod, defungentibus Ecclesiarum Prælatis, Annulus & virga Pastoralis, ad Dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde postmodum vnum quemlibet de Familiaribus & Capellanis suis, inuestiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat; vt ibi Pastoris fungeretur officio,*

officio, non expectata Cleri electione. De Raynaldo vero Casinensi Abbate, postquam ab Innocentio II. fuisset depositus PETRVS DIACONVS Chron. Casin. lib. IV. c. CXXII. *sic iussu illorum* (Cardinalium) *praesente Imperatore, & vniuersis Imperii Magnatibus, virgam & annulum, nec non & regulam supra corpus sanctissimi Benedicti deposuit.* Postquam autem ab Imp. fuerant inuestiti, Pallium a Papa obtinuerunt Archiepiscopi, de quo infra *cap. XVIII.* §. *VIII.*

**** SCHILTERVS *de Libert. eccles. Germ. lib. IV. c. III.* §. *7.* B. PARENTIS *Synt. Iur. Feud. cap. III.* §. *7.* S. H. G. *Diss. XV.* §. *XXVI.*

***** Caussam Imp. potissimum defenderunt IVO *epistola de inuestitura Episcoporum & Abbatum,* IO. WALTRAMVS *de inuestitura Episcoporum* & alii, quos congessit MELCH. GOLDASTVS *in apologia pro Henrico IV.*

§. XXI.

Recruduit vero controuersia sub eiusdem filio Henrico V. Hic enim primum cum Paschali II. pactus fuit, vt episcopi decimis & oblationibus contenti essent, Rex vero praedia, terram & regalia, quae hucusque possederant, reciperet, ne amplius Episcopi regali manu inuestirentur. * Pactum tamen hocce Germaniae episcopis improbantibus, Rex denuo, tradente SIGEBERTO: ** *Romam vadit, propter sedandam discordiam, quae erat inter regnum & sacerdotium, quae coepta a papa Gregorio septimo, qui & Hildebrandus nominatus est, & exagitata a successoribus eius, Victore & Vrbano, & prae omnibus a Paschali, magno scandalo erat toti mundo. Rex autem vti volens authoritate & consuetudine & authoralibus priuilegiis imperatorum qui a Carolo Magno, qui post de regibus Francorum imperauit Romanis, iamque per trecentos & eo amplius annos imperauerant sub 63. apostolicis, dabat licite episcopatus & abbatias, & per annulum & per virgam. Contra*

tra hanc maiorum autoritatem censebant papæ synodali iudicio, non posse nec debere dari per virgam vel per annulum episcopatum aut aliquam ecclesiasticam inuestituram a laicali manu. Et quicunque ita episcopatum aut aliam ecclesiastici iuris inuestituram accipiebant excommunicabantur. Propter hanc præcipue caussam rex Romam tendebat, & si qui Longobardorum quoque modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. In reconciliatione autem quæ facta est inter imperatorem & papam, (nam ipsum papam cum episcopis & cardinalibus ceperat) die Paschæ Henrico in imperatorem coronato post lectum Euangelium, tradidit ei papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium principum priuilegium de inuestitura episcopatuum vel abbatiarum, tam per annulum quam per virgam, scilicet vt regni eius episcopis vel abbatibus libere præter violentiam & Simoniam electis, inuestituram virgæ & annuli conferat, post inuestitionem vero canonice consecrationem accipiat ab episcopo, ad quem pertinuerit.

* DODECHINVS *app. ad Mar. Scoti Chron. ad a.* 1110.

** *ad a.* 1111. Pacta inter Imp. & Papam reperiuntur apud GOLDASTVM *Rationali p.* 58. S. H. G. *Diss. XVI.* §. *IV.*

§. XXII.

Licet igitur Imp. postea inuestituras Episcoporum iterum exerceret, tantas tamen turbas mouebant Papæ, vt demum Henricus V. eidem quoque renuntiare necessum haberet. Romano enim Imperio multis modis in se attrito, Imperator propter anathema deficere a se regnum videns, patrisque metuens exemplum, congregato a. 1122. iuxta Vormaciam maximo Principum conuentu, inuestituram Episcoporum legato sedis Papalis Lamperdo, qui postquam summus Pontifex factus, Honorius est dictus, resignauit, per eumque

que ab anathematis vinculo est absolutus. Priuilegium desuper Calixto II. atque Ecclesiæ Romanæ scribitur, Henrico vero a Papa, vt omnes electi tam cisalpini, quam transalpini, non prius ordinentur Episcopi, quam regalia de manu eius, per sceptrum susceperint, scripto confirmatur. * Hoc tamen Imp. insuper fuit reseruatum, vt si forsan in eligendo partes fiant, Regis arbitrii sit, Episcopum quem voluerit, ex Primatum suorum consilio ponere. ** Hoc etiam & hodienum suum adhuc habet valorem, quo ipso graui detrimento Germaniæ, Episcopi magis magisque se subducere tentarunt Impp.

* Verba plerumque sunt OTTONIS FRISINGENSIS *Chron. VII. c. XVI.* Ipsas Conuentionis tabulas exhibent ALBERICVS *ad a. 1122.* CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 280.* ex Tabulario Romano. BARONIVS *Ann. Tomo XII. ad a. 1122.* & plures alii. Vid. S. H. G. *Diss. XVI. §. X.* Vberius hanc materiam pertractauit HENR. MEIBOMIVS *de Iure Inuestituræ Episcopalis, Imperatoribus Romanis a Pontificibus per vim & tyrannidem adempto.*

** OTTO FRISINGENSIS *de G. Friderici I. lib. II. c. VI.* prout infra *Cap. XVIII. §. IV.* plenius patebit.

§. XXIII.

Lotharius II. quidem Imperator inuestituras episcoporum repetere tentabat, maxime, dum ipsius opem implorabat Papa Innocentius: dissuadebat tamen Bernhardus Claræuallensis, ne Papæ illud videatur extorsisse. * Reliqui Impp. Fridericus Barbarossa, qui Conradum atque Christianum Moguntinis dedit Archiepiscopos, ** Otto IV. Ludouicus Bauarus idem tentarunt, sed tantis turbis a Papis concitatis, fuerunt exagitati, vt tandem succumbere necessum haberent. Licet etiam ipsi Episcopi hoc Ius Impp. iterum vindicare

conarentur. *** Episcopos Italiæ adhuc ab Impp. dependisse, patet ex postulato Hadriani IV. vt Episcopi Italiæ solum sacramentum fidelitatis faciant Imp. sine hominio. ****

* SIGONIVS *lib. XI. p. 264.* OTTO FRISING. *lib. VII. c. XVIII.* S. H. G. *Diss. XVI. §. XXIV.*

** GODEFRIDVS COLON. *ad a. 1163.* S. H. G. *Diss. XVII. §. XL.* Licet Fridericus I. hanc cessionem Papæ factam ipse adgnosceret, de quo ARNOLDVS LVBECENSIS lib. III. c. XVI. *In veritate compertum habemus, quod prædecessores nostri antiqui Imperatores, hoc iuris habuerunt, vt defunctis Episcopis inuestituram Pontificalem sine alicuius præiudicio probatis personis liberrime locauerint. Sed quia hoc ipsorum voluntate mutatum inuenimus, ratum habemus.*

*** Quare Vicelinus, Altenburgensis Episcopus Henrico Leoni tali modo respondet, apud HELMOLDVM *lib. I. c. LXIX. Episcopos inuestire, solius Imperatoriæ Maiestatis est.* Et paucis interiectis: *primum ergo in hoc negotio pensari decet, qualiter inuestituræ Pontificum Imperatoriæ tantum dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens & post Deum in filiis hominum præeminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisiuit.* Abbates vero per ferulam inuestiebantur, de quo EKKEHARDVS *de Casibus S. Galli c. X.* inuestituram Burcardi de Abbatia S. Galli ab Ottone M. factam, describens: *collectaque continuo facta, ferulam exigens, tribuit ei verbis quibus solitum est Abbatiam.*

**** RADEVICVS *lib. II. c. XXX.*

§. XXIV.

Dum autem Papæ iura sua magis extenderent, orta exinde fuerunt diuersa Statuum Grauamina contra eosdem. Huc faciunt *Auisamenta Constantiensia*, Sigismundo Imp. a. 1416. in Concilio Constantiensi a Statibus exhibita, * & *Auisamenta Moguntina*, quæ tempore Concilii Basileensis concepta a. 1440. Moguntiæ in publico Conuentu deliberata, atque Sigismundo exhibita. ** Insecuta eodem anno *Sigismundi Imp.*

Imp. Reformatio per ipsius consiliarium, Fridericum a Landskron composita, *** sed parum prouaIuit. In Concilio quoque Basileensi ad hæcce Grauamina nationis Germanicæ fuit responsum, † neque tamen omnis adhibita fuit medela. Tandem vero in Comitiis Aschaffenburgensibus inter Fridericum III. Imp. & Nicolaum V. Papam d. 17. Februarii 1448. CONCORDATA NATIONIS GERMANICÆ fuerunt conclusa, †† quæ potissimum decretis Concilii Basileensis aduersantur. Et licet pauciores saltim Status in eadem consenserint, reliquis postulantibus, vt exemplo Regum Francorum, pragmatica sanctione Germaniæ contra deprædationes Paparum prospiceretur.

* Extant apud GOLDASTVM *Stat. & Rescript. T. I. p. 151.* & cum Commentario HENRICI LINCKII. LÜNIG *P. Gen. p. 53.* MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich p. I. c. XXVII. p. 359.*

** GOLDASTVS *p. 155.* & MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro p. I. c. IV. p. 52.*

*** GOLDASTVS *p. 170.*

† GOLDASTVS *p. 202.*

†† Impressa Coloniæ apud IO. GYMNICVM *a. 1597.* Extant apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 207.* Accesserunt SCHILTERI *Instit. Iuris Canonici.* Edidit illa cum obseruatis Historico-politicis ADAMVS CORTREIVS, & HERMANNVS von der HARDT *Concil. Constant. Tomo I. Proleg. c. XV.* & germ. apud LÜNIG *p. Gen. Cont. p. 29.* S. H. G. *Diss. XXX. §. XVII.*

§. XXV.

Quatuor autem hæc Concordata constant Capitulis. Primum est, quod Episcopatus, prælaturas & beneficia, apud sedem pontificiam vacantia, a Pontifice sint conferenda. Secundum, vt electio secundum canones fiat a Capitulo, ita tamen, vt ordinatio atque inuestitura petatur a Papa. Quod si vero secundum Canones non fuerit electus, se de dignio-

ri esse prouisurum. Tertium est, *Alternatiua mensium,* dum beneficia ecclesiastica Ianuario, Martio, Maio, Iulio, Septembri & Nouembri vacantia Papæ relinquuntur conferenda, quæ vero Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri & Decembri vacant, a Capitulo, vel iis, qui ius conferendi habent, conferantur. Exinde Menses vel Papales fiunt, vel Capituli. Quartum concernit Ius Annatarum. Scilicet, *Annatæ* primum iuris Impp. erant, dum mortuis Episcopis, & prælatis non in bona solum mobilia eorundem succederent, sed etiam stipendia primi anni caperent, prout iam antea dictum. * Hoc ius capiendi stipendia primi anni ex episcopatu vel prælatura sibi postea sumserunt Papæ, atque sub nomine iuris Annatarum exercuerunt, cuius initia ad Clementem V. ** ducuntur. In his autem Concordatis decretum, vt defuncto Episcopo vel prælato, non amplius reditus primi anni Papæ obueniant, sed pro annatis certa pecuniæ summa secundum taxam Cancellariæ solueretur, quæ nunquam augenda, licet etiam plures vno anno decederent Episcopi vel Prælati. ***

* §. VII.

** LVDEWIG *de Iure Annat. cap. I. p. 49.* Prodiit haut ita pridem *Traité des Annates a Amsterdam 1718.* licet apud Gallos fuerit impressus, quo de illorum Iustitia insimul tractatur.

*** STRAVCHIVS *Dissert. Exot. V. §. 16. 27.* CORTREIVS *Obseruat. ad Concordata.*

§. XXVI.

Dum autem contra hæc atque alia Pacta sæpius contrauenirent Pontifices, denuo sub Friderico III. adhuc a. 1457. ad Rhenum conuenerunt Electores, Grauamina Nationis Germanicæ contra sedem Papalem collegerunt, atque Imp. exhibuerunt. His autem acerrime se opposuit Æneas Syluius, ipse postmodum sub Pii II. nomine Papa factus. *

Status

Status Imperii decem Grauamina vna cum remediis & auisamentis a. 1510. Maximiliano I. exhibuerunt. ** His deinde accesserunt centum Grauamina nationis Germanicæ, Noribergæ a. 1522. Pontificis Nuntio exhibita. *** Nihilominus tamen vsu inualuerunt hæc Concordata, & per Capitulationem Cæsaream fuerunt adprobata, salua tamen Protestantibus Pace Religionis & Westphalica. † In Tractatibus Pacis Westphalicæ Status Protestantes hæc Concordata aboleri volebant, nihil tamen obtinuerunt, quam vt in ipsorum Terris plane cessarent. ††

* Hac de re diuersa scripta exhibuit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich dem V. p. III. c. VIII.*

** Extant apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 119.* in FREHERI *Tomo II. Script. Rer. Germ. f. 373.* LVNIG. *Cont. p. Gen. p. 299.*

*** Extant apud HORTLEDERVM *de C. B. G. lib. I. c. I.* GOLDASTVM *Const. Imp. a Carolo V. f. 36.* LVNIG *Cont. p. Gen. p. 408.* Hæc Grauamina, vna cum ipsorum Historia vberius exposuit IACOBVS FRIDERICVS GEORGII singulari Dissertatione, Præside IO. FRANCISCO BVDDEO nuper demum ventilata.

† Caroli V. *art. XVI.* Iosephi *art. XVIII.* Caroli VI. *art. XIV.*

†† *art. V. §. 19.*

§. XXVII.

Licet igitur Ius Sacrorum vi regiæ potestatis Imp. omnino conueniat, illud tamen per artes Paparum ita fuit restrictum, vt non nisi paucas eiusdem iuris adhuc habeat reliquias Imperator. Consistunt istæ potissimum in Iure decernendi in caussa Religionis, in iure Aduocatiæ Romanæ, in iure Precum primariarum, & quod quandoque exercuerunt, Iure dispensandi. Primum ipsi cum Statuum Imperii consensu competit, reliqua solus exercet.

§. XXVIII.

Primum consistit in *Iure decernendi in causis religionis*, id quod cum Statuum consensu exercet Imperator. Patet hoc ex diuersis Recessibus Comitiorum, quibus dicitur Imperatori competere, controuersias de religione definire,* ex declaratione Religionis a Carolo V. Imp. in Comitiis Augustanis 1548. exhibita, vulgo *dem Interim.* Idem testatur Pax Religionis in Comitiis Augustanis 1555. definita. Porro hoc constat ex pace Westphalica, per quam etiam controuersiæ de Religione fuerunt definitæ, tot Episcopatus seculo addicti. Dein ex Grauaminibus de Religione, quorum medela in Comitiis Imperii petitur. Denique ex feriis & Iure Calendarii, ** cuius exemplum in Calendario emendato, quod communi Statuum Protestantium consensu in Comitiis adhuc durantibus fuit receptum. Huc referendum est Augustissimi nostri Imp. Caroli VI. Edictum d. 18. Iulii 1718. signatum, per quod in vtriusque Religionis adseclas omnes iniuriæ calumniæque inhibentur. ***

* Præcipue in R. I. Spirensi de a. 1544. §. 77. *derhalben uns rühmlich und nützlich wäre, das die Streitige Religion, durch was Christliche Wege und Mittel das immer mæglich, ohn langer ufziehen, zu Christlicher Vergleichung und Erærterung gebracht werden mægte, immassen dann Wir, in Krafft unser obliegenden Kayserlichen Amts zu befordern schuldig.*

** R. I Nou. §. 158 *in puncto Calendarii eine gemeine Reichs Vergleichung hochnæthig.* Et in Decreto Imp. de a. 1664. apud FRITSCHIVM *Electis Iur. Publ. p. I. c. XV.* ANT. FABRI *Staats-Cantzelley T. IV.* LÜNIGS *Reichs-Archiv Contin. P. Gen. Cont. II. Forts. p. 284. Staats Consilia Tomo II. p. 1307. 1320. sqq.* IAC. BRVNNEMANN *de Iure XI. dierum Calendario subtractarum.*

*** Extat illud apud ANT. FABRVM *T. XVI. p. 728.*

§. XXIX.

Alterum consistit in Iure ADVOCATIÆ ECCLESIASTICÆ. Duplici ratione hæc Imp. Aduocatia, quam Maiestatis iure exercet, erit consideranda. Alia est Aduocatia vniuersæ Ecclesiæ Christianæ; alia Aduocatia vel Romanæ, vel Germanicæ etiam Ecclesiarum. De illa testatur sententia Exauctorationis Wenceslai Imp. * in qua inter alias caussas adducitur, quod pacem in Ecclesia non promouerit, quanquam id summa Orbis Christiani necessitas, nec non ipsius ceu Aduocati & Defensoris Ecclesiæ munus efflagitarit. Docent de eo Leges Imperii ** atque Capitulationes, *** in quibus Imp. vocatur: *Vogt und Schirm-Herr der Christlichen Kirchen.* Aduocatia vero Sedis Romanæ a temporibus Caroli M. obtinet, quæ in Iure Protectionis consistit, & per Capitulationes **** fuit confirmata. Cum autem de ea post Reformationis tempora protestarentur Saxo atque Brandenburgicus, haut simul stare posse proponentes, Ecclesiam Romanam protegere, & Protestantium iura conseruare, clausula Capitulationi Rudolphi II. fuit adiecta, Protestantes in hoc minime consentire. Quod dein in Capitulatione Leopoldina atque Iosephina vlterius fuit extensum, ne scilicet ista Aduocatia vergat in præiudicium Pacis profanæ, Religiosæ atque Westphalicæ. ***** Ex eodem capite Imp. competit Ius Aduocatiæ in Episcopatus atque Monasteria Germaniæ, immo ipsam Religionem Protestantium sartam tectam conseruare tenetur. †

* Apud GOLDASTVM *Constit. Imp. Tom. I. p. 140.* De hac vniuersali Aduocatia Vrbanus IV. in Epistola ad Richardum Regem apud LEIBNITIVM Prodr. Cod. I. Gent. p. 13. *vt Imperii Romani fastigium, & eius culmini præsidens, specialis Aduocati & defensoris præcipui, circa Ecclesiam gerat officium, & in ipsius fortitudine brachii*

defensentur Ecclesiæ libertates, & iura manuteneantur ipsarum, extirpentur hæreses, cultus Christianæ fidei amplietur & inimicis consternatis eiusdem, in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus & in requie opulenta quiescat.

** R. I. Treuir. atque Colon. de a. 1512. *p. I. Tit. I. §. 4.* R. I. Wormat. de a. 1518. *Proœm.* R. I. Spirensis de a. 1529. §. *1.* R. I. Augustæ de a. 1530, §. *9.* & §. *10.* R. I. Spiræ *de a. 1541.* §. *19.* R. I. Augustæ *de a. 1548.* § *19.*

*** *art. I.*

**** Art. I. *das wir in Zeit solcher unserer Kœnigl. Würden, Amt und Regierung, die Christenheit, und den Stuhl zu Rom, auch Pæbstliche Heiligkeit, und Christliche Kirchen, als derselben Aduocat, in guten treulichen Schutz und Schirm halten wollen.*

***** CAROLINA Art. I. *So viel aber in diesem Articul den Stuhl zu Rom und Pæbstl. Heiligkeit betrifft, wollen die der Augspurgischen Confession zugethane Churfürsten vor sich und Ihre Religions-Verwandten, Fürsten und Stænde Vns damit nicht verbunden haben, gestalten denn auch gedachte Aduocatia dem Religion- und Profan- auch dem Münster- und Osnabrückischen Friedens-Schluß zu Nachtheil nicht angezogen, noch gebraucht sondern denen obgedachten Churfürsten und sæmtlichen ihren Religions-Verwandten im Reich gleicher Schutz geleistet werden solle.*

† Plenius hæc nuper demum demonstrauimus in Præfatione *de Aduocatia Maiestatica*, Mageri Operi de Aduocatia Armata præmissa.

§. XXX.

Vigore istius Aduocatiæ Maiestaticæ competunt Imp. Canonicatus in diuersis Imperii Romano-Germanici Episcopatibus. Sic ipsum statim post Coronationem in numerum Canonicorum recipi supra iamdum memorauimus. * Spiræ & Argentorati Imp. Ius Patronatus circa duas præbendas competere Scriptores adserunt. ** Ista quidem Præbenda in Ecclesia Cathedrali Argentoratensi dicebatur *Königs-Pfründe*

Pfründe des Chor-Königs. *** Sic Rupertus Imp. ſub ingreſſum Imperii a. 1401. conceſſit præbendam ſuam regalem in eccleſia S. Gertrudis Niuellenſi Leodienſis Diœceſis Io. Noet, Decretorum Doctori. **** In Eccleſia Traiectenſi Impp. prima Præbenda competebat quam per duos ſacerdotes deſeruire faciebant. ***** Immo, Bambergæ atque ad D. Petrum Romæ Imp. in numerum Canonicorum fuiſſe adſcriptum, traditur. ******

* *cap. VII. §. XXXI.*

** Patet hoc ex IACOBI REGII Epiſtola ad Maximilianum apud MELCH. GOLDASTVM *Polit. Imp. P. XXIII. p. 1042.* in qua: *Inter cætera vero Ioannem Collaurum de vno ſingulariter reddidi certiorem, quod fel. recordationis prædeceſſor tuus Henricus Romanus Cæſar, præbendam quandam (quæ ob id Regia vocatur) in Argentinenſi Eccleſia fundanerit, cuius omnes in Imperio Romano ſucceſſores iure fundationis procul dubio collatores fuerunt, & adhuc eſſe deberent, ſicut & hodie Cæſarea tua Maieſtas duarum ſimilium præbendarum, quas progenitores tui in templo Spirenſi de ſuis erexerunt, ius patronatus habet.*

*** IAC. von KÖNIGSHOVEN *Strasburg. Chron. p. II. §. 162.*

**** SCHILTER *Inſt. Iur. Publ. lib. I. Tit. XVIII. §. III.*

***** Extat Diploma Conradi III. Traiectenſi Eccleſiæ conceſſum, apud HEDAM *Hiſt. Traiect. p. 164.* in quo: *attendentes etiam nos & anteceſſores noſtros Reges & Imperatores in dicta Eccleſia a fundatione eius inter Canonicos primum locum obtinere, noſtramque præbendam in eadem duos deſeruire ſacerdotes, pro noſtra ſalute & Regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes.* Idem confirmatur in Diplomate Henrici VI. apud HEDAM *p. 150.*

****** Hæc ex mente ſaltim MARQVARDI FREHERI ſcribimus, dum ad Petrum *de Andlo lib. II. p. 175.* ſic commentatur: *ibi Imperator fit Canonicus D. Petri: vt antea ex coronatione apud Aquisgranum factus erat Canonicus eius Collegii, nec non & maioris Eccleſiæ Colonienſis, vt in coronatione Maximiliani Imp. I. legimus. Quin &*

audio fieri Canonicum Bambergensis Ecclesiæ, ex instituto Imp. Henrici sancti.

§. XXXI.

Vltimum demum est IVS PRIMARIARVM PRECVM, *quod est facultas, vi Maiestatis, Imperatori competens, in plerisque Ecclesiis vel Monasteriis Imperii immediatis vel etiam mediatis vnam personam, idoneam tamen, ad beneficium ecclesiasticum maius vel minus, primo vacaturum, præsentandi.* Preces dicuntur, quia per modum Precum * Imperator easdem præscribit: primariæ, quod semel duntaxat, siue vnica vice conceduntur. Vulgo dicuntur *die Panis-Brieffe*, quia panis quasi iisdem conceditur. Ast MVLTZIVS ** has litteras a primariis precibus distinguit, dicens, quod sint prouisiones ab Imp. personis laicis concessæ, vt alimenta ex cœnobio quodam habeant.

* Patet hoc ex formula Precum Rudolphi I. apud GOLDASTVM Tom. I. p. 93. *dieweil aus alter und bestatigter lang hergebrachter Gewohnheit der Kayser und Kœnig, auff uns kommen ist, das in ieder Kirchen auf unser Bitt ein Pfrund gelieben werden.* Formulam Ferdinandi I. exhibet IO. a CHOCKIER *de Prim. Prec. p. 7.* Formulam Ferdinandi II. AHASV. FRITSCHIVS *de Prim. Prec. Mant. I.* Alias exhibet AD. CORTREIVS *Not. ad Concordata c. II. n. 35. sqq.* Licet tenor Litterarum Iosephi, quæ reperiuntur apud OLIGENIVM *p. 3.* potius in præcepto consistat quam precibus.

** In *Repræsent. Maiest. Imper. p. II. c. XXXIII. n. 253.*

§. XXXII.

Sed, de eo nunc erit disquirendum, quo iure Imp. facultas primarias preces conferendi competat. Plerique Scriptores antiqui & recentiores, * etiam Pontificii ** tradiderunt, competere hoc ius Imp. tanquam Aduocato ecclesiarum,

rum, quod etiam tanquam reliquias iuris ſacrorum conſideramus, idque eo magis, quod preces primariæ Concordatis ſint antiquiores, quibus Papæ alias potiora iura circa beneficia eccleſiaſtica conceduntur. Immo, alii Status idem ius ſine Pontificum indultu exercent. Confirmatum etiam hoc Ius Imp. fuit per ſingulare Decretum Concilii Baſileenſis a. 1437. *** Suborta tamen haut ita pridem controuerſia, cum Ioſephus litteris die XIX. Iunii 1705. datis, Ferdinando Raesfeld, eccleſiæ Mindenſis Canonico preces ad obtinendum in Cathedralis eccleſiæ Hildesheimenſis Capitulo locum conceſſiſſet, interceſſit non ſolum Nuntius Papalis, qui Coloniæ commoratur, atque litteris die XVIII. Nouembris ad Hildesheimenſe Capitulum miſſis, preces Cæſareas ſine papalis ſedis conſenſu inualidas eſſe voluit, ſed etiam ipſe Papa d. VI. Martii 1706. Capitulo Hildesheimenſi interdixit, ne precibus Imp. ſatisfacerent. **** Inde Iuſtus Fontaninus, ſub Conradi Oligenii nomine, ſingulari tractatu de primariis precibus Imperialibus † probare contendit, hoc Ius Imp. non niſi ex Pontificum indultu competere, exempla potiſſimum proferens litterarum, quibus indultum petierunt Impp. idemque a Pontificibus obtinuerunt. Aſt, licet verum ſit, a temporibus Friderici III. indultum petiiſſe Impp. a Papa ſuper primariis precibus, priores tamen Impp. ad inueteratam prouocarunt conſuetudinem, †† nec vnquam a Pontifice indultum petierunt. Ad quam inueteratam conſuetudinem æque Sigismundus, Fridericus III. & Succeſſores prouocant. ††† Quod autem Fridericus III. & ſucceſſorum quidam indultum petierint, hæc ſubeſſe ratio videtur, quod ipſius temporibus multa Grauamina nationis Germanicæ circa beneficia eccleſiaſtica, & Clerus potius Papæ faueret, quam Imperatori, hic etiam Papæ nimium eſſet addictus. Quo itaque preces primarias

marias eo certius impetrarent, Papæ auctoritatem addere voluerunt, idque non citra cœcam reuerentiam, quæ olim obtinebat. Postquam autem per Instrumentum Pacis Westphalicæ Ius primariarum precum Imp. fuit confirmatum, nec Ferdinandus III. nec Leopoldus & Iosephus nec Augustissimus Imp. Carolus VI. de indultu Pontificis amplius fuerunt solliciti. ††††

* AHASV. FRITSCHIVS & GERHARDVS VON STÖCKEN, IO. EHRENFRIED MAYER *de Iure primariarum precum.* SIXTINVS *de regalibus lib. I. c. IX. §. 62.* KLOCKIVS *Tom. I. Conf. IV.* BESOLDVS *Thes. Pract. Voce, primariæ preces.* IO. HENR. STAMMLER *de reseru. eccles.* §. 51. CONRING *ad bullam Innocentii X.* CORTREIVS *Obseru. ad Concordata p. 140. sqq.*

** STEPHANVS GRATIANVS *discept. for. cap. CDLXXVII.* IO. CHOCKIER *de primariis precibus.* HERM. HERMES *Fasc. iur. publ. cap. XI. qu. XXXVIII.* MVLTZ *Repræsent. Maiest. XXXIII.*

*** Extat Decretum in LÜNIGII *Spicilegio Ecclesiastico Tom. I. p. 277.* in quo: *auctoritate vniuersalis Ecclesiæ tenore præsentium ordinamus, quod ex nunc Cæsarea Mai. tua, semel tantum quoad vixerit, nec non singuli alii Romani Reges & Imperatores, qui ex nunc in antea fuerint, canonice tamen intrantes Priuilegio & consuetudine Imperiali huiusmodi quoad preces siue nominationes, vt præfertur faciendas, perpetuis futuris temporibus libere & plenarie vti & gaudere possint & valeant.*

**** OLIGENIVS §. *III. & XXXV.* GRIBNER *diss. de primariis precibus* §. *II.*

† Prodiit, vti titulus præfert, *Friburgi Brisgoiæ 1707. 8.* sed ex Italia fuit aduectus. Opposuit eidem singularem Dissertationem *de primariis precibus imperialibus sine pontificis indultu validis* MICHAEL HENRICVS GRIBNERVS, *Lipsiæ 1707. 4.* Iura quoque Imp. defendit ADAMVS CORTREIVS *in Repræsentatione Iuris Primariarum Precum Sacratissimis Impp. sine prauio Pontificis assensu competentis,* & L. B. de LYNCKER *Vindiciis Primariarum Precum Cæsareæ Maiestati proprio Iure*

Iure competentium. Extant etiam Indulta Pontificum super Primariis Precibus Impp. concessa, apud LÜNIGIVM *Spicil. Eccles. Tom. I. p. 337. sqq. 362. 438. 440. 511. 520. 530. 532. 536.*

†† Testantur de eo Rudolphi Habsburgici preces in PARALIPOMENIS ad CONRADVM VRSPERGENSEM *a. 1286. p. 362.* in quibus: *Cum ex antiqua & approbata, ac a Diuis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, qualibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super vnius collatione beneficii, precum nostratum primarias admittere teneatur.* Faciunt huc Litteræ Rudolphi Habsburgici ad Ciuitatem Bisuntinam, apud CHIFLETIVM Vesontione p. I. p. 231. *Ceterum cum nos pro honesto viro Cantore Luceburgensi Capellano nostro dilecto, Capitulo Bisontino, primarias porreximus preces nostras, fidelitatem vestram, de quo plene confidimus, rogamus plenissimo ex affectu, quatenus eidem Capellano nostro, immo nobis, & Imperio, apud idem Capitulum vestri fauoris & promotionis auxilium taliter impendatis, quod prædictus Capellanus noster vestro fauore promotus suæ intentionis propositum consequatur, ac nobis laudabilis, & approbata consuetudo Imperii conseruetur illæsa.* Et Caroli IV. Literæ Monasterio in Reuengersburch, Moguntinæ Diœceseos concessæ, apud GOLDASTVM Const. Imper. Tomo I. p. 343. *Cum itaque nobis tam de iure quam antiqua & approbata consuetudine, a diuis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus obseruata, competat, quod ex coronationis nostræ solemniis ad Romanorum regnum, quæ in nobis nutu diuino dudum sunt completa, in quolibet Monasterio in Imperio constituto vnam tantum personam virtute primariarum precum nostrarum ad beneficium Ecclesiasticum facere possimus promoueri.* Et paucis interiectis: *ius nostrum & dictam consuetudinem in præmissis nobis taliter seruaturi, prout iura, gratias & liberalitates vobis & dicto vestro monasterio a diuis Romanorum Impp. & regibus prædecessoribus nostris datas & concessas nos delectet non minuere sed augere.*

††† GOBELINVS PERSONA Cosmodromio æt. VI. c. XCIV. fin. *postquam Iohannes depositus fuit de Papatu, Rex dedit gratias ad beneficia*

ecclesiastica exspectatiuas, eo sub colore, quod ipse de consuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum ad ecclesiasticas personas spectante.

†††† CORTREIVS *p. 188.*

§. XXXIII.

Exercet igitur Imp. illud ius, quandocunque voluerit, in omnibus Germaniæ Episcopatibus immediatis, etiam Capitulis, quæ iisdem subsunt, cuius Exemplum præbet Archiepiscopatus olim Magdeburgensis, dum Imp. hoc ius non solum in ecclesia Cathedrali, sed etiam reliquis Capitulis Magdeburgensibus exercuisset. * Post pacem Religionis & præcipue in Tractatibus Pacis Westphalicæ disceptabatur, an Imp. hoc ius etiam in Terris & Capitulis Protestantium exercere debeat, qui immunitatem ab hoc iure ideo petebant, quod ipsis bona sua libere possidere per pacem Religionis ** concessum. Ast, cum ista quieta possessio potissimum dogmata concerneret religionis, contradicebat Imperator, idque per Instrumentum Pacis obtinuit, vt, quibus in locis Cæsar olim hoc ius exercuit, exerceat imposterum, dummodo decedente Aug. Conf. addicto, in eius religionis Episcopatibus Aug. Conf. addictus ad normam Statutorum & obseruantiæ idoneus precibus fruatur. † Eodem modo in quibus fundationibus etiam mediatis Imp. anno 1624. die prima Ianuarii primarias preces exercuit, exerceat eas inposterum. †† Testatur de eo Exemplum nuperum, dum Imp. per Primarias Preces Capitulo S. Cyriaci Brunsuicensi Georgium Adamum Willium commendaret, hoc tamen easdem haut acceptante, eo quod idem Ius Impp. a.1624. minime exercuerint. †††

* Hoc variis Exemplis demonstrat CORTREIVS *Obs. ad Concordata p. 157. sqq.*

** *art. XX.*

† *art. V. §. 18.* Hinc etiam Carolus VI. in precibus suis hac Formula vtitur: ex inueterata consuetudine etiam Pacificatione Osnabrugensi confirmata in ELECTIS I. PVBL. *T. VII. p. 976.*

†† *art. V. §. 26.*

††† Extant Acta in ELECTIS I. P. *T. VII. p. 966. T. IX. p. 430.*

§. XXXIV.

Effectus harum precum primariarum hic est, quod Precista Imperialis legitimo tempore, si beneficium quoddam vacet, in quocunque etiam mense * hoc fiat, siue Papali siue Capituli, recipiatur, & licet alius etiam iamdum expectatiuam præbendæ habeat. Iisdem requisitis, eademque religione instructus esse debet Precista, quæ in quouis episcopatu requiruntur, secundum Statuta & normam Capitulorum. **

* CORTREIVS *p. 143.*

** INSTR. PACIS *art. V. §. 26.* CORTREIVS *p. 252.*

§. XXXV.

Debet autem Precista intra mensem a die notitiæ præbendam esse vacantem, eandem acceptare, id quod formula precum Imperatoriarum his verbis indicat: *quam intra mensem a die notæ sibi vacationis duxerit acceptandam.* Quod si vero Precistæ facultas concessa, beneficium collatum acceptandi, quodcunque & quandocunque duceret, prima omissa, reseruato tamen sibi iure, acceptare poterit secundam vel tertiam. * Quod si Precista moriatur, antequam præbenda vacet, Imperatori liberum erit, alium commendare. Moriente etiam Imp. antequam Preces sortiantur effectum, Successor in Imperio curare debet, vt in effectum ducantur Pre-

ces. ** Immo Precista ius per preces ipsi tributum ex more resignandi beneficia ecclesiastica, aliis potest cedere. †

* CORTREIVS *p. 232.*

** CORTREIVS *p. 235.* MAYER *de prim. prec.* §. *LXXXI.*

† CORTREIVS *p. 249.*

§. XXXVI.

Cessat igitur effectus precum, si Precista, dum earum executio pendet, moriatur, si preces repudiet, aut iisdem renuntiet, vel verbis expressis, vel tacite, dum intra mensem beneficium vacans non acceptet, vel patiatur, vt alius ipsi praeferatur, si contrahat matrimonium, exceptis Collegiis Canonicorum Protestantium, in quibus etiam vxorati admittuntur. In singulis hisce casibus alium nominare poterit Imperator, dum alias defectu destituerentur ipsius preces. *

* FRITSCHIVS *de primariis precibus c. V.* 10. a CHOCKIER *de Prim. Precibus p. 24.*

§. XXXVII.

Exercet hoc Ius non Imp. solum, sed etiam absente eodem ex eiusdemque indultu, Rex Romanorum, qui eiusdem vices gerit, & Augusta in beneficiis, quae ab Abbatissis conferuntur. Sunt etiam, qui Vicariis hoc tribuunt. * Immo Imp. huius iuris exercitium in certo districtu aliis potest concedere. Sic Wenceslaus Imp. Ruperto Seniori, Electori Palatino a. 1376. indulsit, vt suo nomine primarias Preces per Ciuitatem & dioecesin Spirensem ac Wormatiensem dirigat. **

* De eo infra dicendum, vbi de Rege Romanorum, Augusta & Vicariis.

** Integrum Diploma Concessionis extat apud FREHERVM *Not. in Petrum de Andlo lib. II. c. V. p. 177.* CORTREIVS *p. 189.* licet hic pro Ruperto male supponat Rudolphum.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Ius primariarum precum in terris ſuis hæreditariis ab antiquo tempore ſibi æque vindicant Electores Brandenburgici. Quare ab eo ſtatim tempore ac Fridericus Guilielmus, Elector poſſeſſionem Halberſtadienſis Epiſcopatus ſub Principatus titulo accepit, Imperatoriæ preces non amplius fuerunt admiſſæ, ſed Electorales ſurrogatæ. Id quod etiam in Capitulis Magdeburgenſibus factum, in ſingulis primarias preces, excluſis Imperatoriis, exercente Friderico Guilielmo & Succeſſoribus. * Qui tamen alternatiuam menſium non attenderunt, ſed Preciſtam beneficio primo, quod in menſe Capituli vacet, proſpici voluerunt. ** Sic etiam Boruſſiæ Reginæ competit ius primariarum precum in cœnobiis virginalibus. † Hoc autem ex inueterata potius conſuetudine ita inualuit, quæ ad terras per Pacem Weſtphalicam accedentes, contradicente licet Imp. fuit extenſa, quam iure ſuperioritatis territorialis, †† dum alias ſingulis Statibus conueniret.

* SCHEPLITZ *p. I. Conſuet. March. Tit. I. §. II.* LIMNÆVS *Tom. V. c. IV.* Plura exempla vide apud CORTREIVM *p. 120.* Vid. & THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XVI.* § 21. B. STRYK *de Iure Papali Principum cap. IV.* §. 5. EVROP. HEROLD. *Tom. I. p. 282.* LVNIG *Fortſ. der II. Contin. p.* 174. 197.

** In edicto Electorali Potsdami de a. 1681. *das ihr aber dieſelbe ad vtrumque Menſem zu extendiren begehret, darunter koennen wir euch nicht fügen, zumahlen wir die in Menſe Epiſcopali ſich erledigende Præbenden iure ordinario zu conferiren, und derentwegen einige Preces zu gebrauchen gar nicht vonnœthen haben.* Vid. CORTREIVS *p. 219.*

† CORTREIVS *c. l.*

†† Licet contrarium adſerat GRIBNER *de prec. prim. Vicar. Imperii* §. 4.

§. XXXIX.

Sunt etiam, qui Electoribus, Moguntino atque Colonienſi hoc ius tribuant, prouocantes ad exempla, dum Gerlacus

Moguntinus archiepiſcopus, a. 1346. Sophiam Schirmers per preces ad Cœnobium Sanctimonialium in Huſtorf commendauerit. * Hoc tamen minime extra controuerſiam fuit, dum eadem perſona poſt biennium nouas preces a Carolo IV. impetrare neceſſum habuerit. ** Aſt a. 1605. Io. Suicardus ad eccleſiam Collegiatam S. S. Petri & Alexandrini in vrbe Aſchaffenburgenſi tales preces direxit. †

* SIGISMVND A VORBVRG *Prælim. Iur. Can. p. 116.* THVLEMARIVS *de Octouir. c. X §. VI. & c. XII. §. 14.*

** SCHILTER *addendis ad lib. VI. c. V. §. 11. de libert. eccl. Germ.*

† CORTREIVS *p. 230.* aliud exemplum pro Capitulo Collegiato Eccleſiæ B. Mariæ Virginis in Monte in Ciuitate Francofurtenſi ad Mœnum.

§. XL.

Exercuit etiam Imperator Ius Patronatus regium, dum vi Aduocatiæ Maieſtaticæ, quæ ipſi in Epiſcopatus atque Monaſteria Germaniæ competit per Pacem Weſtphalicam cum Statuum conſenſu, tot Epiſcopatus, & Abbatias ſeculo addiceret, contradicente licet Papa. * Egregium hoc exercitium Iuris Sacrorum, ex quo facile etiam argumentari licebit ad alia.

* BVRGOLDENSIS Diſc. ad Inſtr. Pacis p II. d. IX. p. 74. RHETIVS de Secularisatione.

§. XLI.

Sic Legibus Imperii definitum adhuc Imperatori eſt Ius Concilii. Nouimus enim, quantum curæ in congregando Concilio Conſtantienſi adhibuerit Sigismundus. * Agnouerunt hanc Imp. in Concilia poteſtatem ipſi Patres Concilii Baſileenſis ſingulari Decreto a. 1437. euulgato. ** Nec deficiunt Edicta Maximiliani I. circa Concilium Piſanum. *** Immo, in Receſſibus Imperii diuerſimode ſtatutum, vt, non niſi cum Imperatoris conſenſu concilium poſſit reſtitui. **** Quod ſi vero Papa ad inſtinctum Imperatoris Concilium edicere

cere nolit, ipsi hoc competit in Germania, immo Ius præsidendi conceditur. † Colloquia vero de Religione a solo Imperatore fuerunt indicta, prout exemplum colloquii Ratisbonensis testatur. ††

* Vid. S. H. G. *Diss. XXIX.* §. *X.*

** Extat illud in LÜNIGII *Spicilegio Eccles.* T. I. p. 277. in quo: *& cum defensor & Aduocatus vocaris Ecclesiæ ita egisti, vt nomini opera iugiter impensa conuenirent, & vt hæc ageres, impendiis minime pepercisti, nouissime huic sanctæ Basil. Synodo tuos solicitos ad Dei Ecclesiam fauores impendere non desistis a primordio enim nascentis huius sacri Concilii illud tuo munimine est tutatum, illud fauoribus & auxiliis in soliditate firmissima conseruatum.*

*** GERARDVS a ROO Hist. Austr. lib. I. p. 587. *Maximilianus neminem Pisas legauit, sed episcopos suos Augustæ Vindelicorum super hoc negotio consultare iussit.*

**** *R.* I. Noribergæ de a. 1524. §. 28. *eines gemeinen freyen Vniuersal-Concilii der Christenheit, so durch Pæbstliche Heiligkeit mit unser Bewilligung, aufs allerfœrderlichst so solches immer mæglich beschehen kan, an gelegene Mahlstadt in teutscher Nation, wie sichs gebührt, verkündigt und ausgeschrieben werden.* De eodem etiam Status Imp. petierunt R. I. Augustæ *de a. 1525.* R. I. Spiræ *de a. 1544.* §. *78.*

† R. I. Spir. de a. 1529. §. 2. *wo aber auf bestimte Zeit das General-Concilium, aus zufälliger Verhinderung Pæbstlicher Heiligkeit oder sonst ie sein Fortgang nicht haben mægte, das alsdann Ihre Maiestæt ein gemein Versammlung, aller Stænd teutscher Nation, und anderer, so darzu zu erfordern die Nothdurft erheischen wird, auf ængeregte Zeit, und obbestimte Mahlstadt eine in Teutschland ausschreiben lies. Vnd das Ihro Maiestæt, als das Haupt, bey solcher Versammlung aller Sachen zu gut eigner Person auch seyn wolt.* Idem repetitur R. I. Ratisbonæ *de a. 1532. tit. II.* §. *5.*

†† R. I. Wormatiæ *de a. 1545.* §. *7.*

§. XLII.

Sic in *caussis ecclesiasticis atque matrimonialibus* iura sua nonnunquam exercuerunt Imperatores. Exemplo nobis sit Ludoui-

douicus Bauarus, qui ſuper gradibus conſanguinitatis inter Ludouicum, Marchionem Brandenburgenſem & Margaretham, Carinthiæ Duciſſam diſpenſauit, & quidem, prout verba Diplomatis * habent: *per noſtram auctoritatem atque ſententiam.* Idem etiam, cum Margaretha iſta a Iohanne filio regis Bohemiæ vellet ſeparari, iudicium formauit atque pro Tribunali etiam, non comparente Iohanne, ſententiam diuortii tulit. **

* Extat illud integrum apud FREHERVM *T. I. Script. Rer. Germ. p. 621.*

** Extat apud FREHERVM *p. 620.* S. H. G. *Diſſ. XXVI.* §. *XXXII.*

§. XLIII.

Obligantur etiam Imperatores * ad conſeruanda Statuum iura in Eccleſiaſticis, ne ſcilicet vel in beneficiis vel iuribus eccleſiaſticis, vltra pacta & modum procedant Pontifices. Præcipue vt Grauaminibus Statuum hac de re medela adferatur. Hinc Imp. competit ius, Protectorem nationis Germanicæ conſtituendi, qui Germanici iuris contra Pontificum attentata curam haberet, qui vigore Capitulationis ipſe Germanus eſſe debet, **

* CAPIT. IOSEPHINA *art. XVIII.* CAROLI VI. *art. XIV.*

** CAPIT. IOSEPHINA *art. XXXIX.*

§. XLIV.

Ex dictis pateſcit, integrum Ius Sacrorum competere Imperatori, licet non in vniuerſum exerceat, idque ex vulgata Pontificiorum opinione, quæ a temporibus Gregorii VII. inualuit, ad laicos hoc non ſpectare. Conſeruauit tamen libertatem ſuam adhuc noſtra Germania, * in tantum, vt non ſolum Euangelici Status ab omni iugo Papæ ſint liberati, atque hoc Ius Sacrorum in terris ſuis plene exerceant, ſed etiam ipſi pontificiorum ſacris addicti Status minime tantum adhuc hodie concedant Papis atque Epiſcopis, quantum olim, vt tacite iterum in priſtinum reſtituatur Ius Sacrorum.

* Egregius plane hac in re eſt tractatus IO. SCHILTERI *de Libertate Eccleſiarum Germaniæ.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM DE RESERVATIS IMP. CIRCA DIGNITATES ET IVRA IMPERII.

§. I.


Lterum Ius, quod Imp. ab antiquo est reseruatum, Dignitates concernit Imperii. Istæ vel illustres sunt, quæ constituunt *den Herren-Stand*, sub quo Duces, Principes, Comites, Barones:* vel minores, Equites, Nobiles, Comites Palatini, Doctores, Notarii, Poëtæ. Primo autem dicendum, an Imp. ius regiam dignitatem conferendi competat. De eo quidem olim maxime disputabatur, an Pontifici hoc ius esset proprium, prout ipsius adseclæ contendebant, an vero Imperatori. Pontificii quidem capiti suo hoc ius tribuunt, ea potissimum ex ratione, quod titulus Christianissimi, Catholici, & reliqui olim a Papis concessi. Immo prouocant ad exempla declarationis regiæ, vt putant, a Pontifice factæ, in medium proferentes reges Lusitaniæ, Hungariæ, Arragoniæ, Nauarræ Bohemiæ, Hiberniæ, qui hanc dignitatem a Papa fuerunt adepti. Verum, tituli, quos impertitus est Papa, pietatis sunt, quos ex cœco obsequio olim ab eodem petierunt imperantes. Exempla adlata de adprobatione potius Papæ testantur, quam declaratione, cum singuli iam antea, populi consensu dignitatem

tatem regalem obtinuissent. Immo, dum in alienis prouinciis nec Comites, nec Barones, nec Nobiles Papa creare potest, qua ratione sibi potestatem sumeret, regiam dignitatem concedendi. **

* Quare etiam in Regiments-Ordnung zu Wormbs a. 1495. quæ tamen effectum sortita haut fuit, apud MÜLLERVM *Reichs-Tags-Theatro p. II. p. 382.* Imp. inter alia reseruatur: *die der Wirde Vnser Kan. Mai. anhangen, als Fürsten, Grafen, Freyen Herren oder Edel zu machen oder ander Wirde oder Eere zu geben.*

** Vid. IO. PETRVS LVDEWIG *de auspicio regio cap. IV.* prolixe.

§. II.

Quantum ad Imperatorem, habet ille ius Regiam dignitatem concedendi illis, qui ab ipso vel Imperio plane dependent. Patet illud non solum ab antiquo isto tempore, dum soli Impp. olim declarabant Augustos, sed etiam a mediæ & recentioris ætatis temporibus. Exemplum nobis reliquit Carolus Caluus, qui Bosonem constituit Regem Burgundiæ, vt priscorum Impp. more Regibus videretur dominari,* Bolislao Poloniæ Duci regiam dignitatem concessisse dicitur Otto III. de quo tamen Scriptores coæui tacent. ** Quin potius sub Henrico IV. Imp. Boleslaus contra Leges ac Iura Maiorum regium nomen, regiumque Diadema imprudens adfectaret. *** Bohemiæ Regem Wratislaum in Comitiis Moguntinis Henricus IV. a. 1076. primum declarauit. **** Et licet successores ipsius regium titulum intermisissent, eundem tamen in Comitiis Ratisbonensibus a. 1158. Ladislao denuo concessit Fridericus Barbarossa. † Philippus deinum Imp. Ottocaro in Comitiis Moguntinis iterum regiam coronam imposuit, †† eandemque regiam dignitatem singulari Diplomate confirmauit Fridericus II. †††

* REGINO *ad a. 877.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 878.* S. H. G. *Diss. IX. §. VII.*

** S. H. G. *Diss. XIII. §. XIII.*

*** Verba ſunt LAMBERTI SCHAFNABVRGENSIS *ad an. 1077.*

**** COSMAS PRAG. *lib. II. Chron. ad a. 1086.* BOHVSLAVS BALBINVS *Miſcell. R. Bohem. lib. VII. ſect. I. c. XXIII.*

† RADEVICVS *lib. I. de geſtis Friderici I. c. XIII.* OTTO de S. BLASIO *c. XXVIII.*

†† DVBRAVIVS *lib. XV. hiſt. Boh. p. 119.* FRAGMENTVM HISTOR. apud VRSTISIVM *ad. a. 1298.*

††† Extat illud *lib. I. Dec. I. Miſcell. Bohem. vol. I. p. 7.*

§. III.

De Hungariæ Regibus idem dicitur, quod dignitatem ſuam Imp. debeant Maieſtati, cum tamen prima eiusdem fundamenta potius populi conſenſu Stephanus, primus Rex, ipſe iecisſe videatur. * Idem dicendum de Danorum regibus, qui iam ante fuerunt, quam Ottoni M. ſe ſubiicerent. ** Lotharius tamen conſtituit Canutum Regem Obotritorum *** Fridericus I. a. 1164. Barraſonam Iudicem olim Ciuitatis Ebronex pro magna pecuniæ ſumma Regem Sardiniæ conſtituit, promittentem & iurantem Imp. fidelitatem. **** Philippo Bono Burgundiæ Duci regiam dignitatem offerebat Fridericus III. Imp. quam modeſte renuebat. ***** Ipſius filius Carolus Audax cum Friderico III. egit, vt eum in Regem ſolenniter declararet, ad quæ etiam omnia iamdum erant præparata, licet poſtea, Gallis disſuadentibus, res ſucceſſu caruerit. † Fridericus II. etiam Imp. Fridericum II. Auſtriæ Ducem ſingulari Diplomate a. 1245. ad regale ſolium euexit †† idque, prout Diplomatis verba habent: *de poteſtatis noſtræ plenitudine & magnificentia ſpeciali promouemus in Regem.* Licet nec iſte, nec ſucceſſores regio titulo fuerint vſi.

 * PE-

* PETRVS RANTZANVS *de Origin. Hungar. Tom. I. p. 102.* Vid. tamen LVDEWIG *de auspicio regio p. 87.*

** LVDEWIG *p. 93.* hoc tamen certum, quod Fridericus Barbarossa Petro Danorum regi coronam imposuerit. OTTO FRISING. *lib. II. de Gest. Friderici I. c. V.* OTTO de S. BLASIO *c. XIII.*

*** HELMOLDVS *lib. I. c. XLIX.* de Canuto: *adiit ergo Lotharium Imperatorem, emitque multa pecunia regnum Obotritorum, omnem scilicet potestatem, qua præditus fuerat Henricus. Et posuit Imperator coronam in caput eius, vt esset Rex Obotritorum, recepitque eum in hominium.*

**** ACERBVS MORENA *ad a. 1164.* ALBERICVS *ad a. 1164.* SIGONIVS *lib. XIII. p. 316.* FELLER *Monum. ineditis Trim. I. p. 14.*

***** LVDEWIG *p. 103.*

† ARN. de LALAING *hist. congressus Caroli Burgundi cum Friderico III.* apud FREHERVM *Tom. II. p. 155.* PONTVS HEVTERVS *Rer. Burgund. lib. V. c. VIII.* S. H. G. *Diss. XXX. §. XIV.*

†† Extat Diploma apud PETRVM de VINEIS *lib. VI. ep. XXVI.* & ex eodem habent GOLDASTVS *Const. Tom. I. f. 85.* FVGGER *Spiegel der Ehren lib. II. c. III. p. 181.* LVDEWIG *p. 106.* S. H. G. *Diss. XX. §. XIV.*

§. IV.

Hæc autem regna Imperio olim fuerunt subiecta, eo potissimum tempore, quo regia dignitas petebatur. Quod si autem Dux quidam supremus Imp. non fuerit subiectus, nec eiusdem declarationem petere tenetur. Si quis enim terram possidet atque Principatum supremi iuris, proprio iure sibi regium titulum poterit vindicare, eundemque a subditis suis postulare, populo maxime consentiente, cuius plura habemus exempla, regum Longobardorum, Arragoniæ, Portugalliæ, Algarbiæ, Castiliæ, Nauarræ, Hiberniæ, * quorum Terræ e Comitatibus cum populi consensu in regna fuerunt euecta. Dum autem exteris hoc iniungere nequeant

ant noui Reges, vt ipsos pro talibus habeant, agnitio Gentium accedere debet, de qua esse solent solliciti, eandemque per pacta vel alios modos impetrare conantur. Et cum magna semper fuerit Imp. auctoritas, de eiusdem consensu atque adgnitione potissimum solliciti esse solent noui Reges, dum eiusdem exemplum vniuersa sequatur Germania, immo exteri quoque Reges, impetrato Cæsaris consensu, haut facile suum quoque denegent. Id quod exemplo Regis Borussiæ constabit.

* De singulis hisce exemplis plenius egit LVDEWIG *de auspicio Regio cap. III.*

§. V.

Post Reges veniunt ELECTORES, quorum numerus cum Legibus Imperii definitus, Imp. haut licebit eundem sine expresso consensu Electorum vel Statuum reliquorum adaugere. Id quod exemplo noui Electoratus Hanouerani atque redintegrata admisfione Bohemi, constat, qui non nisi expresso, eodemque Comitiali Statuum consensu inualuit.*

* Adgnouit hoc ipse Imp. Litteris ad Moguntinum 1700. scriptis, in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. V. p. 254.* verbis: *keine andere neue Chur künfftighin ohne vorhergehenden Comitial-Consens gesamter Churfürsten und Stände einzuführen.* Conclusum Trium Collegiorum hac in caussa videri potest apud FABRVM *Tomo XIII. p. 410.* De quo infra, vbi de Electoribus Sermo erit *Cap. XVII.* §. *XLI.* Vid. de hac caussa prolixe L. B. de LYNCKER *ad* A.B. *p. 36.* & LÜNIGS *Grundfeste der Gerechtsame p. I. p. 206.*

§. VI.

ARCHIDVCALEM dignitatem sola domus Austriaca gerit, eandemque Friderico III. Imp. debet * DVCVM dignitatem ab Impp. sæpius fuisse delatam, extra controuersiam

est. Carolus Caluus Guidonem & Berengarium a. 876. Spoleti & Fori Iulii Duces constituit. ** Lotharius Imp. a. 1130. Ludouico III. concessit cum vexillorum festiua exhibitione Thuringiam, ipsique nomen Principis imposuit & Thuringiæ Landgrauium ab omnibus fecit adpellari. *** Austriæ Marchiones Fridericus Barbarossa a. 1156. Duces creauit. **** Ottonem Puerum Fridericus II. Imp. a. 1235. constituit Ducem Brunsuici. ***** Ludouicus Bauarus Gelriæ Comites in Comitiis Francofurtensibus a. 1339. Duces fecit. ****** Sic etiam Albertum & Iohannem Mecklenburgicos Carolus IV. in Ducum fastigium ******* a. 1349. euexit. Ex Comitatu Luzelburgensi Carolus IV. Metis 1354. Ducatum fecit. ******** Marchiones Iuliacenses Carolus IV. in Comitiis Metensibus 1356. Duces fecit. † Comites Montenses per Wenceslaum Imp. Duces fuerunt constituti †† Sigismundus Imp. Amadeum VIII. a. 1416. ex Comite Sabaudiæ Ducem creauit. ††† Christianus I. Daniæ Rex a Friderico III. a. 1474. ex Comite Holsatiæ Dux fuit factus. †††† Eberhardus Barbatus a Maximiliano I. in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. factus Dux Würtenbergensis & Teccensis. ††††† Ex quibus patet, hanc declarationem Ducalem olim fuisse solennem, & dum statim in Comitia introducerentur, cum Principum consensu factam. Nec desunt exempla in Italia, dum Ludouicus Bauarus Castrucium ex Vicario constituisset a. 1328. Ducem Lucensem. * Wenceslaus Io. Galeacium Vicecomitem transmisso sceptro & pileo, Ducem Mediolanensem creauit. ** Fridericus III. Imp. Borsium Estensem ex Imperii Vicario Mutinæ ac Regii Ducem & Rouigii Comitem a. 1451. creauit. ***

* Patet hoc ex Diplomate Friderici III. de a. 1453. verbis: *ex nunc in antea, Archiduces dici & nominari*. Vid. vberius G. H. G. *Diss. XXX. §. LXI.*

** ANN. BERTINIANI *ad a. 876.* S. H. G. *Diss. IX. §. VII.*

*** AVCTOR APP. MARIANI SCOTI *ad a. 1130.* sequitur cum AVCTOR HIST. LANDGR. THVR. *c. XVIII.* S. H. G. *Diss. XVI. §. XXIX.*

**** FVGGER *lib. II. c. II. p. 163.* S. H. G. *Diss. XVII. §. XXI.*

***** GODEFRIDVS COLON. *ad a. 1235. Otto de Luninburg nepos magni Ducis Henrici, nouus Dux & Princeps efficitur: quem diem rogauit Imperator omnibus annalibus ascribi, eo quod tunc Romanorum auxisset Imperium nouum Principem creando, consensu omnium Principum accedente.* Licet apud LVNIGIVM *Fortf. der anderen Contin. p. 252.* reperiatur Diploma de a. 1233. cum hoc titulo: *Dei Gratia Otto Dux de Brunswich.*

****** TRITHEMIVS *Chronic. Hirsaug. ad a. 1339.* extat Diploma apud LEIBNITIVM *Cod. Dipl. p. I. n. LXXVIII.* S. H. G. *Diss. XXVI. §. XXXII.*

******* DVBRAVIVS *Hist. Bohem. lib. XXII. f. 137.* SCHVRTZFLEISCH *de reb. Mecklenb. c. X.* S. H. G. *Diss. XXVI. §. XXXII.*

******** Diploma erectionis reperitur apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 211.*

† TRITHEMIVS Chron. Hirsaug. ad a. 1356. *Willhelmus, Marchio Iuliacensis, consensu principum, in ducem a Carolo sublimatus est, & Marchionatus eius de Iuliaco in ducatum cum ingenti pompa commutatur.*

†† TRITHEMIVS *Chron. Spanheim. ad a. 1389.*

††† GVICHENON *Hist. de Savoye lib. II. c. XXV. & Tomo VI. p. 252.* S. H. G. *Diss. XXIX. §. XXIX.*

†††† Diploma erectionis reperitur apud MEIBOMIVM *Tom. III. p.* 213. S. H. G. *Diss. XXX. §. XLIV.*

††††† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. VI. cap. I. p. 1097.* S. H. G. *Diss. XXXI. §. VI.*

* Diploma concessionis vide apud FREHERVM *Tom. I. p. 165.*

** IOS. RIPAMONTIVS *Hist. Mediol. p. 580.*

*** ÆNEAS SYLVIVS *Hist. Friderici III. p. 94.* S. H. G. *Diss. XXX. §. XXII.*

§. VII.

§. VII.

Post Duces veniunt PRINCIPES, quod olim quidem generalis vox erat, vt omnes Proceres sub ista comprehenderentur. * Hodie vero Ducibus ordine sunt inferiores, dum isti potissimum, qui ex Comitum dignitate euehantur, saltim dicantur Principes. Antiquissimi inter Principes sunt Anhaltini, de cuius dignitatis origine quidem non adeo certum est, nisi quod Henricus ex Ascaniis princeps a Friderico II. creatus dicatur. ** Bertholdum Comitem Hennebergicum Henricus VII. Imp. in Comitiis Francofurtensibus anno 1310. creauit Principem. † Posteriori tempore plures Principes fuerunt creati. Maximilianus II. creauit Arenbergios. Matthias Lichtensteinios. Ferdinandus II. Hohenzolleranos, Eggenbergicos, Lobkowitzios, Salmenses, Dietrichsteinios. Ferdinandus III. Nassouios, Auersbergicos, & Frisios. Leopoldus Fürstenbergios, Schwartzenbergios, Oettingenses, Waldeccium, Saræpontanos, Schwartzburgicos. †† De Comitibus & Baronibus nunc dicere supersedemus.

* Infra de hoc pluribus dicendum, vbi de Principibus Imperii, *c. XIX. §. I.*

** SAGITTARIVS *Hist. Princ. Anhalt. cap. II. §. 2. & 3.* BROTVFF *lib. IV. cap. I. p. 116.* BECMANNS *Anhalt. Historie p. IV. c. II. §. III.*

† Extat Diploma apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 208.* S. H. G. *Diss. XXV. §. VIII.*

†† Plures recenset LIMNÆVS *Addit. Tom. pr. ad lib. II. c. IX.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVI. §. XIII.*

§. VIII.

Olim quidem titulus Ducis vel Principis, & iura Status coniuncta erant, ita, vt, qui Principis titulo fuisset ornatus,

tus, iura insimul Imperii adquireret. Patet hoc ex eo, quod talis dignitas non nisi cum Principum consensu in Comitiis delata, vt statim insimul introducerentur in Comitia. Concedebantur itaque omnia iura Principum, tam in ingressu quam egressu ad Imperialem deliberationem, in sententiis conueniendis, dictandis, pronuntiandis, in iure ciuili & plebiscito, quod vulgo dicitur *Landrecht.* * Hodie vero, dum Impp. titulum Principis & Comitis Imperii concedunt sine Statuum consensu, isti Iura Status inde non adipiscuntur, nisi bona caracteri suo digna adquisiuerint, atque expresso Statuum consensu in Collegium titulo conueniens fuerint introducti. ** Neque etiam hodie concesso Feudo Regali statim eiusmodi dignitas Ducis vel Comitis obtinetur, *** nisi hæc prius ab Imp. fonte dignitatum Germaniæ fuerit collata. Quare Würtenbergici Comites, adquisitis licet Terris Teccensibus Ducalibus, Comitis saltim Titulo fuerunt vsi, vsque dum a Maximiliano I. Principum Diploma adipiscerentur. Licet hodie Ascanii Principes ob prætensiones, quas in Terras Lauenburgenses mouent, Ducalem Titulum adfectent, dignitate saltim Principali gaudentes. De medii tamen æui temporibus res omnino certa est, quod concesso vno ex quinque Germaniæ Ducatibus, etiam Ducalis Dignitas fuerit concessa. Non autem concessa dignitate Ducali vel Principali, illorum Terræ statim in Ducatus Principatusue euehuntur, sed personalis sæpe concedi solet dignitas, vnde originem traxerunt *die Gefürsteten Grafen.* ****

* Verba sunt Diplomatis Hennebergici apud MEIBOMIVM *Tomo III. p. 209.*

** CAPIT. IOSEPHINA *art. XLIII.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. II. §. 19.*

*** In MVLLERI *Staats-Cabinet Ersten Eræffnung c. II.* continetur: *Bedencken, ob mit Verleihung eines Feudi Regalis auch zugleich die Dignitas Regalis conferiret werde.* Idem LVNIGIVS inseruit *Staats-Consiliis Tomo II. p. 1523.*

**** Vide infra *c. VI. p. 402.*

§. IX.

Curare autem debet Imp. vt non nisi bene meritis hæ Dignitates conferantur, & ne per concessam nouam dignitatem aliis Statibus adferatur præiudicium. * Id quod monitis suis ad Capitulationem Leopoldi ** primum proposuerunt Status, postea etiam Iosephinæ fuit insertum, *** hac ratione, ne minores Status maioribus pares reddantur. Inde conquestus olim Rex Daniæ a 1621. postquam Ferdinandus II. Imp. Comitem Schauenburgensem sub titulo Holsatiæ Principis, in Principum Imperii numerum recepisset. † Cautum etiam, ne per euectam dignitatem aliorum Statuum Iuri Territoriali, sub quo noui Principes & Comites bona sua possident, derogetur, sed salua semper maneat iurisdictio Territorialis, †† prout exemplo Domus Schwartzburgicæ patet, quæ Principalem dignitatem fuit adepta, saluo Territorii Iure Domus Saxonicæ, quod in Terris Schwartzburgicis competit. Requirunt etiam Capitulationes, vt Diplomata ex Cancellaria Imperii expediantur. †††

* CAPIT. IOSEPHINA *art. XLIII.* CAROLINA *art. XXII.*

** *art. XLV. n. 5.*

*** *c. l.*

† LIMNÆVS *addit. Tom. I. ad lib. II. c. IX. p. 249.*

†† art. XLV. verbis fin. *soll auch durch eines oder andern unter Chur-fürsten und Standen des Reichs Gesessenen und Begüterten zu hæherer Stands-Erhebung dem Iuri Territoriali nicht nachtheilig seyn, und die Ihm zugehærige und in solchen Landen gelegene Güter einen als den*

den andern VVeg unter voriger Lands-Fürstlicher Iurisdiction verbleiben. Idem repetitur in CAPIT. CAROLINA *art. XXII.* in qua etiam hæc verba adiiciuntur: *VVie dann, wo ein oder anderer Stand erweislich darthun würde, das er gegen solches bis daher gravirt, und an seinen Gerechtsamen, durch neue Standes-Erhæbungen beeinträchtiget worden, derselbe mit seinen habenden Beschwerden gnüglich gehœret, und das unbillich vorgegangene geændert und abgestellet werden solle.*

††† CAPIT. CAROL. *art. XXII.*

§. X.

Præter dignitates Imperii illustres, aliæ supersunt inferiores. Inter has primo loco considerandi sunt Equites & Nobiles. EQVITES primis temporibus dicebantur MILITES, illi scilicet, qui militiæ cingulo donati, * Germ. dicuntur *Ritter.* Inualuit autem ab antiquis Germanorum temporibus hic mos creandi equites, vt ipsi etiam olim Impp. solenni more, antequam inaugurarentur, ab aliquo Equite, qui eximiæ auctoritatis, ense accingerentur & militiæ dignitate ornarentur, idque pro defendenda fide Christiana. ** Plerique tamen Reges vel Impp. filios suos ipsi creabant Equites. Sic Carolus M. Ludouicum filium iam appellentem adolescentiæ tempora, gladio accinxit. *** Ludouicus Pius in Carisiaco a. 839. Carolum Caluum, armis virilibus cinxit. **** Fridericus I. celebrauit solennem curiam Moguntiæ a. 1182. vt filium suum Henricum Regem militem declararet & gladium militiæ super femur eius potentissimum accingeret. † Sic etiam Fridericus II. filium suum cognominem Antiochiæ principem, propriis manibus gladio accinxit. †† Quandoque alii Reges militiæ cingulum donabant. ††† Immo quiuis miles alios poterat creare milites. †††† Episcopi etiam & Abbates fauore religionis milites creandi potestatem sibi adrogabant. †††††

 * La-

* Late du FRESNE *Glossario Tomo II. p. 531.* LAMBECIVS *Not. ad lib. II. Origg. Hamburg. p. 4.*

** IO. BECKA Hist. Vltraiect. p. 77. de Guilielmo Batauo: *quoniam idem adolescentulus electionis suae tempore fuit armiger, ideoque cum repentina festinatione praeparata sunt omnia quaecunque sibi fuerint necessaria, vt secundum ritum Christicolarum Imperatorum miles fieret, antequam Aquisgrani diadema regni susciperet.*

*** VITA LVDOVICI PII *ad a. 791.*

*** Auctor VITAE LVDOVICI PII apud PITHOEVM *Ann. p. 426.* AIMOINVS *lib. V. c. XVII.*

† ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. III. c. IV.*

†† PAND. COLLENVTIVS *Hist. Neapol. lib. IV. p. 168.*

††† OBS. HAL. *Tom. II. obs. IV.* §. 2.

†††† OBS. HAL. *Tom. II. obs. VI.* §. 6.

††††† OTTO FRISING. de g. Friderici I. lib. I. c. XXXII. *altera die Rex in praedicto campo ad quandam ligneam Ecclesiam accedit, ibique ab Episcopis (nam eo vsque in puerilibus annis positus, nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta armis accingitur.* Plura exempla patent ex OBS. HAL. *obs. IV.* §. 4.

§. XI.

Neque tamen solummodo Reges & Principes equestri dignitate fuerunt auctorati, sed & quiuis alii nobiles, dicti olim armigeri, *die Knights.* Quandoque inter praelia atque in expeditione nonnunquam creabantur milites. * Germanorum autem Impp. ** constitutionibus milites creari non poterant, nisi, qui ex militum genere prognati, licet in eo etiam dispensare potuerint Imperatores. *** Isti vero equites aurati **** dicebantur, ab auratis, quae gestabant, calcaribus. Gladio enim cingebantur milites, calcaria adaptabantur & alapa collo ipsorum infligebatur. †

* HIST.

* HIST. LANDGRAV. THVRING. c. CXLV. *in qua expeditione* (Pragensi) *Fridericus Landgrauius Thuringiæ miles factus est, cum multis aliis nobilibus de Thuringia & militaribus.*

** Leges Maximiliani I. apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. 10.* vbi sub Tit. V. *der Ritter halb wer zugelassen und geschlagen werden soll* dicitur: *welcher von seinen vier Anen Edel und Wapensgenos ist, und sonst keiner.* Idem repetitur Legibus Caroli V. *tit. XIV. p. 57.*

*** Talem dispensationem habemus in PETRI de VINEIS lib. VI. ep. XVII. in qua simul hæc verba: *quanquam nostris constitutionibus caueatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non nascuntur.*

**** TRITHEMIVS *Hist. B. Bauar.* apud FREHERVM Tomo II. p. 99. *Rex autem Maximilianus obtenta contra Boemos victoria milites plures creauit auratos.*

† LAMBERTVS ARDENSIS *eidem comiti in signum militiæ gladium lateri, & calcaria sui militis aptauit, & alapam collo eius inflixit.* Hæc vocabatur *alapa militaris*, vid. du FRESNE *Gloss. p. 118.*

§. XII.

Maxime vero Equites creare olim fuit solenne in Impp. inauguratione. Romæ quidem Imp. cum veniret super pontem Tiberis, iuxta castellum S. Angeli equites creare adsolebat. * In coronatione Germanica, in sede regia Rensensi olim creabant Equites, hodie peracta coronatione, in eodem templo, gladio Caroli M. creat Imp. Equites, dictos auratos. Habent autem Equites non solum Proedrias ius præ nobilibus, sed etiam in ornatu equorum & vestium ipsis præferuntur. ** Ab aliquo tempore inualuit, vt Equitis S. R. I. titulus etiam extra coronationis solennia concederetur, quod dicitur: *in den Ritter-Stand erheben*, atque Diplomati inseri solent hæc verba: *gleich als ob sie von uns mit dem Schwerdt, und denen hierzu gewæhnlichen Solennien zu Rittern geschla-*

gen wären. Hi autem non omnes nobilium antiquæ prosapiæ prærogatiuas nanciscuntur, cum nec ad Canonicatus possint admitti, nec Equites Iohannitici fieri, nec ad alia, ad quæ speciatim Maiores requiruntur.

* PETRVS de ANDLO *lib. II. c. VI. fin.* ÆNEAS SYLVIVS Hist. Friderici III. p. 81. *Cæsar in pontem Adriani profectus est: vbi Albertum fratrem pluresque Duces & Comites ad militiæ prouexit honorem, ter quemque gladio percutiens, trecenti eo die percussi milites referuntur.* LVDOV. CAVITELLIVS *Ann. Crem. ad a. 1452.*

** REFORM. AVGVSTÆ *de a. 1540. tit. XIV. §. 3.* REFORM. AVGVST. *de an. 1544. tit. XI. §. 3.*

§. XIII.

NOBILES vero pro arbitrio suo creare potest Imperator, qui etiam Ius Maiorum solet concedere. * Et licet hoc Ius ad Reseruata ipsius omnino sit referendum, poterit tamen Ius nobiles faciendi aliis etiam concedere. Sic Austriæ Archiduces per priuilegium Caroli V. non nobiles solum, sed etiam Comites ac Barones possunt creare. ** Quare in Capitulatione *** definitum, vt Diplomata desuper in Cancellaria Austriaca confecta in vniuerso Imperio adgnoscantur. Palatino quoque hoc ius ex inueterata consuetudine tribuitur. **** Sic etiam Vicarii idem Ius sibi vindicarunt.

* In Diplomate, Georgio Sabino super Nobilitate concesso, apud LVNIGIVM *Contin. I. p. 602. Te igitur, Sabine, liberosque ac posteros tuos omnes harum litterarum testimonio renunciamus vere nobiles, tanquam de domo ac prosapia Nobilium a quatuor paternis & maternis auis procreatos.*

** LIMNÆVS *lib. V. c. II. n. 31.*

*** IOSEPHINA *art. XLIII.*

**** FREHERVS *Not. ad Pet. de Andlo lib. II. c. XI. p. 62.* THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XVIII. §. 35.*

§. XIV.

Sequuntur COMITES PALATII LATERANENSIS, qui vulgo & perperam dici solent *Comites Palatini.* Hi alias dicuntur *Comites sacri Consistorii Imperiales, Comites aulæ palatiique Cæsarei, des Reichs Hofgrafen, Kayserliche Hof-Pfaltzgraffen.** Habent isti nomen a Palatio Lateranensi. Hoc autem duplex erat, vel Romanum, vel Aquisgranense Germanicum. Illud a Fausta, Constantini vxore constructum, vel secundum Nicephorum, ** ab ipso Constantino, atque sedes primum Impp. quam tamen postea inter turbas Italiæ Pontifices sibi vindicarunt, qui diutius in eodem sedem suam habuerunt, vsque dum eandem in Vaticanum transferrent. Immo hodie adhuc reliquum est Templum S. Iohannis Lateranensis. Illud tamen postea Ludouicus Bauarus sibi vindicauit palatium, atque Castrucium Lucensium Ducem eidem præfecit. Ad eiusdem imitationem aliud Aquisgrani a Carolo M. sine dubio extructum, dictum Lateranense. ***

* SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 225.*

** *Hist. Eccles. lib. VII. cap. XLIX.* ALEX. DONATVS *de vrbe Roma lib. III. c. XII.*

*** Huc facit Procemium Capitularis Aquisgranensis: *anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. imperii vero gloriosissimi Principis Hludouici quarto, VI. Idus Iulias, cum in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures vna cum suis resedissent monachis.* De eodem conuentu loquitur etiam LEO OSTIENSIS *in Chron. Casinensi lib. I. c. XVI.* atque dicit: *Aquisgrani in Palatio.* Facit huc EGINHARDVS in vita Caroli M. c. XXI. *regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vsque ad obitum perpetim habitauit.* Aedes has *Lateranas* vocant ANN. MOISSIACENSES *ad a. 796.* Vid. MABILLONIVS *de re Diplom. lib. IV. p. 246.*

§. XV.

§. XV.

Alia autem plane ratio fuit Comitis Palatii Lateranenſis Romani, alia Lateranenſis Germanici. Illius munus potiſſimum in eo conſtabat, vt in coronatione atque vnctione Imp. quæ Romæ in Templo Iohannis Lateranenſi peragebatur, * aſſiſteret. ** Iura vero erant, prout ex Diplomate Caſtrucio conceſſo, patet, milites conſtituendi & militari cingulo decorandi, & Iudices ordinarios & Notarios publicos creandi & ordinandi, ac conficiendi : filios & filias naturales, tam ſpurios quam vulgo quæſitos, ex damnabili coitu natos legitimandi, & cum ipſis ſuper natalium defectu, & alio quolibet diſpenſandi. *** Et licet non deſint, qui eundem faciant Comitem Palatii cum Vicario Italiæ, † facile tamen ex hiſtoria Caſtrucii patebit, plane eosdem fuiſſe diſtinctos, dum iſte ſingulari Diplomate a. 1324. Vicarius in Tuſcia fuerit conſtitutus a Ludouico Bauaro, †† poſtmodum vero a. 1328. Comes Palatii Lateranenſis. Quod ſi tamen Vicarium Imp. in vrbe Roma quis dixerit hunc Comitem, me facile haberet adſentientem, dum in plerisque Italiæ vrbibus ſingulares fuiſſent Vicarii. Hanc autem Comitiuam ſibi plane vindicarunt Pontifices vsque dum Ludouicus Bauarus, iura Imperii vindicans, tempore Coronationis ſuæ eandem reſtitueret, & Caſtrucio, duci Lucano, hæreditario iure ††† concederet: *Comitatum ſacri Lateranenſis Palatii, quem ad fiſcum noſtrum & ſacrum Romanum Imperium iuſtis & legitimis cauſis deuolutum & applicatum pronuntiamus & declaramus, & ad omnem dubietatem tollendam deuoluimus & applicamus,* prout verba habent Diplomatis.

* Patet hoc ex epiſtola Henrici VII. ad Iohannem de Elnbogen Abbatem Waldſaſſienſem de coronatione Romana apud GOLDASTVM *Conſtit. Tom. I. p. 94.* Hinc etiam CHRON. BELG. *ad a. 1212. f. 87.* teſta-

testatur, Henricum VII. in Templo Lateranensi fuisse coronatum, & præcipue ALBERTINVS MVSSATVS *Hist. Henrici VII. lib. VIII. p. 45.* Postea tamen, licet in Vaticano coronaretur Imp. tamen ad S. Iohannem Lateranensem equitare solebat, vbi manere consueuit, PETRVS de ANDLO *lib. II. c. VI.* Quare etiam NIC. BVRGVNDVS lib. II. p. 105. *cœperunt deinde cogitare, nihil rite agi posse sine Comite Palatii Lateranensis, qui tunc Romæ nullus habebatur.*

** Patescit hoc ex verbis Diplomatis Ludouici Bauari, qua Comitiua sacri Palatii Lateranensis Castrucio Lucensi conceditur: *declarantes ex nunc per hoc nostræ serenitatis indultum, tibi & prædictis successoribus tuis, ex prædicta comitatus dignitate competere ius assistendi perpetuo benedictioni, sacræ vnctioni & coronationi successorum nostrorum Principum Romanorum, & omnibus & singulis ipsius coronationis solennitatibus.*

*** Diploma extat apud FREHERVM *T. I. Script. Rer. Germ. p. 665.*

† SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 216.*

†† Extat Diploma apud FREHERVM *Tom. I. Script. rer. Germ. c. l.*

††† ADLZREITER *Ann. Boi. p. II. lib. II. n. 19. Porro, quod Comitis Palatii Lateranensis præsentia inaugurationi necessaria antiquis legibus moribusque haberetur, Cæsar Castrucium auxit ea dignitate cum baltheo manu sua præcinctum aurea prius bulla donasset.* Integrum Diploma extat apud MANVTIVM vita Castrucii, & FREHERVM notis ad Petrum de Andlo *p. 178.* quod datum Romæ 14. die mensis Martii 1328. In Diplomate vero concessæ dignitatis Ducalis, quod datum Romæ XV. die mensis Februarii iamdum dicitur Comes sacri Lateranensis Palatii. Ex quo patet, dignitatem hanc primitus ipsi saltim concessam temporariam, postmodum hæreditariam. NIC. MACHIAVELLVS *vita Castrucii p. 513.*

§. XVI.

Castrucio vero defuncto, Paulus Guinigius, quem hæredem dignitatum pariter ditionumque reliquit, sicut virtute inferior, ita & fortuna fuit, quod haut multo post obitum Castrucii Pistoriensium & Pisanorum dominio exciderit, Lu-

censes vero ægre continuerit. * Inde factum videtur, quod, decrescente potissimum indies Impp. apud Italos potestate, Pontifices curam Palatii Lateranensis sibi iterum vindicarent. Et licet in Cæremoniali Romano, ** quod tempore Caroli IV. a. 1355. fuit obseruatum, nulla plane mentio fiat Comitis Palatii, in coronatione tamen Friderici III. Romana adhuc mentio fit eiusdem, *** qui Imp. vna cum primicerio iudicum Romanorum hinc inde deduxerit. In coronatione Caroli V. nihil de eodem reperimus.

* VBERTVS FOLIETA *Hist. Genuens. lib. VI. ad a. 1329.* SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 223.*

** Subnexum hoc est MARQVARDI FREHERI *notis ad Petrum de Andlo p. 226.*

*** PETRVS de ANDLO *lib. II. c. VI.*

§. XVII.

Prout autem officia regni Germanici plerumque distincta fuerunt ab iis Regni Italici, sic idem obseruamus circa Comites Palatii. Hanc enim Comitiuam Palatii Lateranensis, quod Aquisgrani est, iam Caroli M. ætate fuisse notam, patet ex Eginhardo, * qui tamen controuersiis determinandis præerat. Distinctam autem eam fuisse ab Italica, ** patet ex eo, quod Ludouicus Bauarus eandem in Italia contulerit Castrucio Lucensi, in Germania Bertholdo Hennebergico Comiti, *** vt & ipsi & eius posteri, singuli, dum viuerent, XXV. bastardos legitimare & V. notarios creare possent. Primum quidem illustribus saltim viris hæc Comitiua fuit concessa, & potissimum Vicariis, dum Impp. Romam irent, ad capessendam coronam. Patet illud ex Diplomate Ruperti † Ludouico Palatino concesso, quo singula hæc iura, notarios creandi, legitimandi atque alia omnia concedit. Fridericus Sapiens

piens quoque, Saxoniæ Elector, palatii Comitiuam an. 1500. accepit a Maximiliano I. Imp. ampliore tamen iurium prærogatiua, quam communis est Palatinorum conditio. ††

* *Vita Caroli M. c. XII.* HINCMARVS *in epistola ad Proceres regni de Ordin. Palatii n. 13.*

** Adgnouit illud iam olim LIMNÆVS *lib. V. p. 189.*

*** SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic. lib. V. p. 189.*

† Extat apud FREHERVM *Not. ad Petrum de Andlo p. 200. & Origg. Palat. lib. I. c. XVI.*

†† Extat Diploma Comitiuæ in ELECTIS I. P. *Tom. IV. p. 329.*

§. XVIII.

Sensim tamen mos inualuit, vt etiam priuatis ob bene merita, Impp. hanc Comitiuam concederent. Carolus IV. enim nouo exemplo Ioanni Amadi Patauino, in sanctiore Consistorio suo Senatori, Pragæ 1363. Comitiuam Palatii Lateranensis dedit, vt non iudicialia solum impertiret beneficia, manumitteret, emanciparet, adoptaret, arrogaret, tutores, curatores, iudices ordinarios institueret, ciues Romanos, milites armatæ militiæ, Doctores crearet, Capitaneos, Valuasores, Comites Palatii efficeret. Neque solus Iohannes de Amadis beneficium ita consecutus est, vt cum eius vita terminaretur, sed hoc omni familiæ masculæ datum, vsque dum floreret, & capacia tantæ dignitatis ingenia proferret. Quare etiam Ferrandus de Amadis Paulum Melissum, consiliarium Palatinum & Bernhardum Prætorium reip. Noribergensis Syndicum, S. Cæsareæ Maiestatis, totiusque Romani Imperii nomine, ciuem Romanum & militem armatæ militiæ ac Comitem Palatinum fecit. *

* SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 230.*

§. XIX.

Decoratur igitur hodie hac dignitate vel Familia, vel integrum Corpus & Collegium, vel ſinguli. Circa familias exemplum habemus in Caſtrucia, Amadea, Hennebergica, Ortenburgica, Fuggerorum & Schwartzburgica, Ferdinandus III. etiam Imp. a. 1650. Chriſtiano, Comiti de Ranzau Comitiam Palatinatus conceſſit. * Inter Collegia reperimus certas Academias, quæ hoc iure vtuntur. Iuliæ Academiæ dum perpetui Rectores ſint Principes Brunſuico-Lüneburgici, comitiuam etiam palatii Lateranenſis, qua pollet hæc ſchola, Maximiliani II. Imp. beneficio, ſibi propriam eſſe voluerunt, eiusque poteſtatem in notariis creandis Prorectori hactenus fecerunt. Eandem habet poteſtatem Kilonienſis Academia, quam per Rectores ſuos aut Prorectores etiam exercet, ampliore tamen prærogatiua, cum præter iudices ordinarios, tabelliones, quos illa creat, poëticam lauream quoque concedat, & ſpurios legitimet. Ordinis Iuridici in Academia Roſtochienſi Decanus Notarios creat. Gieſſæ ac Marpurgi eiusdem ordinis Decani Notarios creare poſſunt nomine Haſſiæ Landgrauiorum, quibus idem iuris a Cæſare datum. Viennæ Auſtriacorum Collegium Oratorum ac Poëtarum ex ſingulari Maximiliani I. gratia, hanc etiam prærogatiuam habet, vt eius Rector Comes Palatii ſit, ac laurea, ſi quos dignos reperiſſet, redimire queat. Nationis Germanicæ Procurator in Academia Bononienſi Caroli V. beneficio habet, quod ſacri Palatii Lateranenſis, Aulæ & Imperialis Conſiſtorii Comes audiat, huiusque tituli vi Notarios creet, ac iudices ordinarios, naturales item ac baſtardos legitimis natalibus reſtituat. Priuatorum Comitiua a temporibus Friderici III. frequentior facta, cuius antiquiſſimum Diploma reperitur Io. Reuchlini. Licet particulare

lare saltim olim fuerit priuilegium, dum ipsi modo ius factum X. doctores idoneos ad hoc munus renuntiandi. **

* Extat Diploma apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 189.*

** Integrum hunc paragraphum debemus B. Præceptori atque Antecessori, GEORGIO SCHVBARTO *de Comitibus Palatinis p. 241.* qui etiam plura exempla adducit, Diploma Reuchlini in fine *p. 329.* adnectit. Aliud Exemplum Comitis Palatini priuati sub Friderico III. facti, adducit GOBELLINVS Comment. Pii II. lib. I. p. 17. *inter eundum cum Ferrariam Æneas appulisset, Iacobum Tholomaeum fratrem suum patruelem inuenit, insignem iurisconsultum, & curiæ Ferrariensis iudicem, quem postea Cæsar sacri palatii Lateranensis Comitem creauit.*

§. XX.

Iura Comitum Palatii hodie sunt diuersa, & cum non nisi ab Impp. concessione dependeant, vlterius progredi Comes Palatii non poterit, quam ipsi in Comitiua fuerit concessum. Frequentiora esse solent, ius creandi Notarios, Poëtas, Doctores, Licentiatos & Magistros, qui a concesso Diplomate, bulla corroborato, dicuntur bullati, licet hoc, non nisi præuio examine rigoroso, nec gradus conferendi potestas in Academiis conceditur. * Ius legitimandi, etiam filios naturales proprios, ius famæ & in integrum restituendi, ius ætatis veniam concedendi, licet neque hæc iura in Statuum territoriis libere concedantur ** sine Status consensu, dum contra hæc Comitum Palatii decreta, Status contraria edicta publicauerint. Habent præterea ius tutores atque curatores ordinandi, remouendi, vniones prolium, adoptiones, arrogationes, emancipationes, manumissiones, contractus varios confirmandi, decreta interponendi. Quibusdam conceditur ius nobilitandi, insignia concedendi, atque in eadem inquirendi. ***

* Exempla inhibitionis in Academia Ienensi atque Lipsiensi recenset MVLLERVS *Ann. Sax. p. 546.*

** Hæc latius demonstrauit IO. HENRICVS BERGERVS *de iure legitimandi Comitum Palatinorum*, & HORNIVS *prud. Iur. Publ. cap. XLIV. §. 11.*

*** Plenius de singulis iuribus egit SCHVBARTVS *p. 252. sqq.* & ARNOLDVS HENRICVS SAHME in Dissertationibus binis *de Comitibus Palatinis, Regiomonti 1702. 4.*

§. XXI.

Istæ concessiones, dum nomine Impp. factæ, per vniuersum Imperium valent. Ipsorum autem priuilegia olim varia erant. Primarium, vt in omnibus locis, vbi velint, libera ipsis facultas concedatur sedem figendi. Secundum, vt exemti sint ab omnibus muneribus & oneribus personalibus, realibus, mixtis, ordinariis & extraordinariis, cum clausula derogatoria iurium in contrarium euntium. Tertium, vt contra eosdem nec arresta nec repressaliæ nec oppignorationes valeant, sed ordinaria iuris via procedatur. Quartum, vt eximantur a iurisdictione iudicii Rothwilensis, atque aliorum Imperii subalternorum. Quintum, vt valeant castris suis noua nomina imponere. * Hæc tamen hodie fere in desuetudinem abierunt. **

* De singulis plenius SCHVBARTVS *p. 316. & sqq.*

** Prout L. B. de LYNCKER *vol. I. Resp. XLI.* vberius demonstrauit.

§. XXII.

Amittitur hæc dignitas vel crimine læsæ Maiestatis, abusu * & morte, nisi quandoque ad certas generationes fuerit extensa, prout exemplum præbet Fritschiorum familia, quæ in sex generationes vsque, hac dignitate vtitur. Quidam etiam facultatem nacti fuerant substituendi.

* In

* In Capitulatione Carolina art. XXII. vbi sermo est *von Palatinaten*, de nouo insertum est, *auf deren Mißbrauchung absonderlich Obachtung zu halten, und die Mißbrauchere empfindlich zu bestraffen seynd.*

§. XXIII.

Competit æque Imp. *ius conferendi Gradus academicos.* Licet enim Statibus ius Gymnasia atque Academias instituendi omnino competat, istæ vero pleno vigore destituuntur, nisi gradus academicos conferendi habeant potestatem. Hanc demum Priuilegiis Impp. adipiscuntur. Primis quidem temporibus, noti saltim erant *Magistri*, quod nomen illis dabatur, qui doctrina & præstantissimarum rerum scientia reliquis antecellebant. * Postea quam Irnerius iurisprudentiam Iustinianeam restaurasset, ortum fuit, vt illi, quos ad docendi munus digni iudicarentur, non nisi certis ritibus inaugurarentur. Hic ritus a Iureconsultis transiit ad Theologos atque Medicos, idque semper auctoritate Imperatoria. Ne itaque Impp. hoc ius solum relinquerent Papæ, certos iuris Canonici Doctores constituerunt, qui accepto pro insigni doctrinæ baculo & imposita corona laurea, dicti fuerunt *Baccalaurei.* ** Ex hac ratione factum, vt priuilegia etiam a Papis peterent Academiæ, cuius exempla præbent Erfurtensis, Tubingensis, Ingolstadtiensis, Francofurtana, Lipsiensis. Nostra vero Academia prima ex Protestantibus priuilegia Papalia omisit. Videmus itaque adhuc hodie, Gradus Academicos non nisi Imperatoris auctoritate conferri. Reliqua omnia vero a plena dependent Statuum potestate. Priuilegia Doctorum potissima sunt, vt nobilibus æquiparentur. † Quare etiam vna cum iis in Canonicatus quosdam recipiuntur, galea aperta vtuntur & ornatu nobilium, licet de abusu collationum iam olim conquestus fuerunt Æneas Syluius. ††

* SCHV-

* SCHVBART *de Comit. Palatinis p. 288.*

** Vid. late CONRING *antiquitatibus Academicis* & IO. MABILLONIVS *de ſtudiis Monaſticis.*

† REFORM. POLIT. AVGVST. *de a. 1530. tit. XV. & de anno 1548. tit. XII.*

†† Hiſt. Friderici III. p. 81. *ſed neque Doctoratus ipſe ſincerus eſt, indoctos quam plures doctores nouimus multosque Cæſar in Italia promouit, quibus aurum pro ſcientia fuit.*

§. XXIV.

Notariorum miniſterium idem olim cum Cancellario, vel Secretario. * Hi legibus eruditi & bonæ opinionis requirebantur, & iurare debebant, quod nullum ſcriptum falſum faciant. ** Verſabantur primum in aulis, poſtea in ſingulis locis. *** Reſtaurato potiſſimum Iuſtinianeæ iurisprudentiæ ſtudio, per ſingulas vrbes foraque tales conſtituti fuerunt Notarii. Inſtituto autem Spiræ Tribunali, horum munus atque conditionem peculiari conſtitutione in Comitiis Colonienſibus 1512. † publicata, in ordinem redegit Maximilianus I. quæ conſtitutio adhuc hodie ſuum habet valorem. Creabantur olim a ſolis Imperatoribus, & quidem per pennæ atque calamarii traditionem, recepto primum ab illis pro Cæſare & ſacro Imperio debitæ fidelitatis iuramento. †† Hodie potiſſimum a Comitibus Palatinis creantur. Potiores tamen ſunt Notarii Immatriculati, qui, non niſi præuio examine atque iuramento, in Matriculam Cameræ ſuerunt relati.

* Du FRESNE *Gloſſ. Tom. II. p. 758.* SCHVBART *de Comit. Palatinis p. 255.*

** LL. LONGOBARDORVM *lib. II. Tit. LIII. n. 24.* CAPIT. LOTHARII *Tit. V. n. 31.*

*** CAPIT.

*** CAPIT. TERT. *a. 803. n. 3. vt Missi nostri Scabinos, Aduocatos, Notarios per singula loca eligant.*

† Reperitur ista apud GOLDASTVM *Tom. I. Const. f. 222.*

†† SCHVBART *de Comitibus Palatinis p. 260.* de officio illorum dicetur infra, vbi de Iudiciis.

§. XXV.

Poëtas coronandi mos ab Agonibus Capitolinis a Domitiano institutis, ducitur. Primus, qui apud Italos poëta creatus, erat ALBERTINVS MVSSATVS, qui hanc lauream solenni pompa a Pagano Turriano antistite & ab Alberto Saxoniæ Duce, tunc Patauini Gymnasii moderatore, obtinuit.* Hunc secutus FRANCISCVS PETRARCHA & plures alii. Primus apud Germanos ** poëta CONRADVS CELTES, qui procurante Friderico Sapiente Saxone, in Comitiis Noribergensibus 1491. ipsis Kal. Maii lauream poëticam a Friderico III. Imp. obtinuit.*** Ab eodem Imp. eandem obtinuerunt Æneas Syluius & Ioachimus Vadianus. Hinc Maximilianus I. a. 1501. singularem promulgauit constitutionem de honore & priuilegiis Poëtarum, **** quæ hodie fere in desuetudinem abierunt. Hodie creantur plerumque per Comites Palatinos.

* SCARDEONIVS *antiquit. Patauinis p. 228.*

** Ita vocatur in constitutione Maximiliani I. *n. 2.* GVNDLING. *Obs. sel. Tom. I. obs. I.*

*** ROO *p. 522.* FVGGER *lib. V. c. XXXIX. n. 10.* MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro p. VI. c. XXXIII.*

**** Extat apud GOLDASTVM *Tom. III. p. 482.*

§. XXVI.

Sunt alia Imp. Reseruata circa Iura Imperii. Inter hæc primum est *Ius proponendi in Comitiis*, quod vel ipsi Imp. competit, vel Commissario ipsius. * Licet ipse Comitia,

non niſi communicato prius cum Electoribus conſilio, ipſis conſentientibus, conuocet.

* Vid. *cap. XXII.* §. *XIX.*

§. XXVII.

Habet etiam Imp. *Ius bellum* defenſiuum Imperii nomine *gerendi*, ſi neceſſitas ita vrgeat. * *Ius legationis* Imp. nomine Imperii etiam competit, ** ita tamen, vt de re per legatos exponenda non ſolum in Comitiis antea agatur, ſed etiam, niſi negotium legationis inſtituendæ atque mittendæ ſoli Imp. fuerit permiſſum, Status Imperii habeant *Ius adlegandi.* *** Legatos etiam ab exteris miſſos, Imperator recipit, eosdemque de rebus ad Imperium ſpectantibus audit, licet cum iisdem ſine Statuum conſenſu Comitiali nihil agat, nec concludat.

* Patet hoc ex CAPIT. LEOPOLDINA & IOSEPHINA art. XIII. qua ſpeciatim prohibetur, ne ſine Statuum conſenſu bellum gerat Imperator, vbi tamen additur: *wo wir aber von des Reichs wegen, oder das Heil. Reich angegriffen und bekrieget würden, alsdann mægen wir uns aller Hülffe gebrauchen.* Vid. *c. XXIII.* §. *XIII.*

** HIPPOLYTVS A LAPIDE *p. I. c. XIV. ſect. 2.* hoc Ius Imp. plane adimit.

*** Vid. IO. PETRVS LVDEWIG *de iure adlegandi.*

§. XXVIII.

Competit etiam Imp. *Ius inueſtiendi Status*, * *Membra & Vaſallos Imperii*, in tantum, vt etiam in feudis regalibus excludat Vicarios. Sunt autem feuda vel regni Germanici vel Italica. Iſta ſunt vel feuda Officialium, quæ vulgo dicuntur Regalia, vel miniſterialium, quæ dicuntur non regalia. Feuda regalia, quæ dignitatem quandam habent nexa, ſunt

vel ecclesiastica vel secularia. Ista Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum. Secularia vero comprehendunt Electoratus, Ducatus, Principatus, Comitatus, Baronias. Feuda minora sunt nobilium Imperii immediatorum. **

* Hoc enim sibi reseruarunt Impp. licet etiam ius inuestiendi de feudis minoribus aliis concederent, vti patet ex Constitutione Caroli V. *vom Regiment zu Worms de a. 1521. §. 4.*

** De his Feudorum differentiis videri potest ITTERVS *cap. III. Hist. Iuris c. VII. §. VIII.*

§. XXIX.

De singulis hisce inuestit Imperator, more tamen inuestiendi diuerso. Primis temporibus quidem solennes erant inuestiturae, quae in publicis peragebantur Comitiis, ita, vt in manus Imp. suas manus commendarent Vasalli, & super reliquias sanctorum vasallagium praestarent, * prout adhuc hodie in Gallia obtinet. Postmodum Feuda sub dio in Comitiis concedebantur, ecclesiastica quidem primum per virgam, siue annulum & baculum, ** postea per traditionem sceptri. *** Secularia vero per vexillum, † ita, vt totidem vexilla secum ferret vasallus, quot prouincias possideret, de iisdemque inuestiri cuperet. †† Exinde ista dicta *Scepterlehn*, haec *Fahnenlehn*. Principes autem in solenni hoc Inuestiturae actu habitu Principali induti incedebant, dum Imp. throno insidens habitu Imperiali, Electores thronum circumsedentes habitu Electorali compararent. †††

* EGINHARDVS ad a. 757. *Illuc* (Compendium) *& Tassilo Dux Baiouariorum cum primoribus gentis suae venit: & more Francorum in manus regis in Vassaticum manibus suis semetipsum commendauit, fidelitatemque tam ipsi regi Pipino, quam filiis eius Carolo & Carolomanno, iureiurando supra corpus sancti Dionysii promisit: & non non solum ibi, sed & super corpus sancti Martini, & sancti Germa-*

 ni

ni simili sacramento, fidem se prædictis dominis, diebus vitæ suæ seruaturum est pollicitus. Similiter & omnes primores ac maiores natu Baioarii, qui cum eo in præsentiam Regis peruenerunt, fidem se Regi & filiis eius seruaturos, in prædictis venerabilibus locis promiserunt.

** ITTERVS *de feudis Imperii cap. IX. §. 33.* du FRESNE Gloss. *voce Inuestitura.* Vide supra *c. XI. §. XIX.*

*** SPEC. SVEV. lib. I. tit. XXXII. *der Kayser soll leysten allen geistlichen Fürsten ihr Recht mit dem Scepter, und allen weltlichen Fürsten mit der Fahnen.* Licet quandoque etiam Ducatuum inuestitura per sceptrum fuit facta, vti patet ex Diplomate Inuestituræ Castrucio, de Lucensi Ducatu facta, apud FREHERVM *T. I. p. 665. de præmissis ducatu & vexilliferatu, per sceptrum, quod in manu tenemus præsentialiter inuestimus & infeudamus.* Solennem inuestituræ actum describit CHRON. REICHERSP. ad a. 1174. a Friderico Barbarossa in curia Ratisbonensi exercitum, dicens: *statim omnis illa congregatio Salzburgensis, quæ aderat, simul cum ministerialibus, omnes quendam Heinricum, Præpositum tunc Perthesgadinensem cum fauore Principum & Imperatoris electum collaudant, conclamant, & inthronizant, nihil reluctante illo, Imperator etiam sine mora iustitiam suam ei recognouit, & Ecclesiæ Salzburgensi toto Episcopatu cum omnibus regalibus per sceptrum ei concessis, valde solenniter coram omni illi curia & Principibus. Qui & omnes a primo Duce Bauariæ & Saxoniæ incipientes, beneficia sua ab eo cum multa reuerentia & honore requirentes, & hominia facientes, coram Imperatore acceperunt.*

† DVBRAVIVS Hist. Bohem. lib. XIX. f. 122. *simulque solennia Principatus, quæ fieri per vexillorum traditionem solent, a Cæsare impetrata.* MONACHVS WEINGARTENSIS Hist. de Guelphis c. XIII. *ibi Baronibus terræ illius VII. Comitatus cum tot vexillis dedit.*

†† OTTO FRISING. de gest. Friderici I. lib. II. cap. XXXII. de Henrici Leonis inuestitura: *erat hæc summa Concordiæ, Henricus maior natu, ducatum Baioariæ per 7. vexilla resignauit. Quibus minori traditis, illi duobus vexillis marchiam Orientalem cum Comitatibus ad eum ex antiquo pertinentibus reddidit.* Fridericus III. sub dio Feuda

da concessit FREHERVS *Tom. III. p. 21.* TRITHEMIVS Chron. Hirsaug. ad a. 1495. p. 558. *In eodem Conuentu* (Wormatiensi) *XIV. die mensis Iulii, Maximilianus Rex ornamentis regalibus ex more indutus, & sedens in solio Maiestatis loco eminentiori ad hoc fabricato ex tabulato ligneo, in ea planitie vrbis, per quam de S. Martino itur ad Carmelitas in suburbanum, circumdantibus imprimis Principibus electorii ordinis, ac postea quibusdam aliis, in multa Principum, nobilium & populi frequentia, quibusdam nouellis Principibus regalia seu feudalia ex antiqua consuetudine postulantibus concessit.* In Historia Electionis Maximiliani I. apud FREHERVM Tom. III. p. 28. *Die Martis quarta decima mensis Februarii diuus Fridericus Romanorum Imperator sedens in Maiestate in alto cunctisque patenti ædificio, omnium Principum, Comitum atque Baronum, præterea innumerabili procerum stipatus caterua, magna interueniente solennitate, feuda regalia gratiose concessit, primum Archiepiscopo Moguntino, deinde Philippo Duci Bauariæ, Comiti Palatino Rheni, tum Henrico Duci Brunswicensi; Et postremum Episcopo Wormatiensi.* Plura de his Inuestituris exhibent BERNHARD HERZOG *im Elsassischer Chronic. p. 152.* & MÜLLERVS *im Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian p. II. c. LVI LVII. LVIII.* qui etiam plura exempla Inuestiturarum adducit, ex quibus patet, Iohannem Treuirensem & Hermannum Coloniensem Bertholdum Moguntinum etiam tunc per Vexilla fuisse inuestitos. De iisdem Inuestituræ actibus agit IO. PHIL. DATTIVS *de Pace Publica lib. III. c. XII. n. 88. sqq.* MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrichen p. VI. c. XXX.* diuersos solennes Inuestituræ Actus in Comitiis Noribergensibus a. 1487. sub Friderico III. Imp. celebratos, describit. Qua ratione Ferdinandus I. a Carolo V. Imp. in Comitiis Augustanis a. 1530. fuerit inuestitus, describitur in GOLDASTI *Reichs-Handlungen p. 126.* In iisdem Comitiis Pomeraniæ Duces & Gualterus Cronbergius Borussiæ Magister solenni ritu fuerunt inuestiti, prout solennitates hasce descripsit GEORGIVS COELESTINVS *Hist. Comitiorum Tom. II. p. 251.* & GOLDASTVS *Polit. Imper. p. VI. p. 361.* Sic Mauritii solennem inuestituram in Comitiis Augustanis 1548. a Carolo V. cum decem vexillis factam, singulari tractatu descripsit NICOLAVS MAMERANVS. Augustus Elector in Comitiis

Augustanis 1566. a Maximiliano II. fuit inuestitus, SCHARDIVS *Tom. IV. p. 48.* Eberhardi Würtenbergensis inuestituram in Comitiis Wormatiensibus 1495. a Maximiliano I. factam, descripsit HORTLEDER *lib. III. c. I.* FVGGER *Spiegel der Ehren p. 1097.* Inuestituram Ernesti Coloniensis a. 1594. in Comitiis Ratisbonensibus a Rudolpho II. Imp. factam, descriptam videmus in LVNIGII *p. Gen. App. p. 116.* Inuestituram Maximiliani, primi Bauariæ Electoris in Comitiis Ratisbonensibus 1623. solennem adhuc describit ADLZREITER *Ann. Boi. p. III. Tit. VIII n. 14.* & THVCELII *Electa Iuris Publici T. I. p. 250.* vbi etiam alia exempla solennium Inuestiturarum. LVDOLFFIC *Schau-Bühne lib. XXIII. c. II.* & LÜNIGII *Reichs-Archiv. p. Gen. App. p. 117.* Vid. GVNDLING *de Feudis Vexill.*

††† Patet hoc ex actu Inuestituræ, Alberti Austriaci in Comitiis Augustanis 1282. a Rudolpho Habsburgico factæ, quem describit FVGGER *Spiegel der Ehren lib. I. c. XIII. p. 114.* atque dicit: *Auf bestimmten Tag sezten sich der Kayser und die Churfürsten, in ihren Keyserl. und Churfürstlichen Ornat, an ihre Stellen. Darauf kame erstlich Albertus, auf einem herrlich geziert n Ros, im Fürstl. Habit.* THVLEMARIVS equidem *de Octouiratu c. XXIII. §. XXIX.* auctor est, in his Comitiis demum Maximilianum Principum ordini certum vestitum præscripsisse, dum antiquiorem illum esse Inuestitura Alberti nos doceat. Vberius de eo egit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian p. II. c. LXIII.* Ipsum vero habitum Principalem describemus *c. XIX. §. XVIII.*

§. XXX.

Hodie vero nulla amplius differentia est inter inuestituram feudorum ecclesiasticorum & secularium. In vtrisque enim Vasallus præstito iureiurando fidelitatis, gladium, quem Imp. manu tenet, adprehendere & extremum eius conum osculari debet. * Hæc autem est differentia. Principes, vel horum

rum Legati geniculatim inuestiuntur ab ipso Imp. Prælati, Comites, Barones, Nobiles, stantes inuestiuntur a Iudicio aulico. Principes Italiæ ab eodem Iudicio, sed geniculatim. ** Fit autem inuestitura nomine Imperii, quod indicant verba Vasallagii: *dem Heiligen Reich, und dessen Haupt getreu, hold und gehorsam zu seyn.* Quare etiam dicuntur feuda Imperii, *die Reichs-Lehn.* ***

* ITTER *de feudis Imperii c. IX. §. XXXIII.* THVCELII *Electa Iuris Publici Tom. I. p. 240.*

** VFFENBACH *de Iudicio Aulico c. XI. p. 113.* ITTERVS *c. IX. §. XXXVI.*

*** CAPIT. CAROLINA art. XI. *noch die Reichs-Lehn-Pflicht auf unser Hauß zugleich richten.*

§. XXXI.

Petenda est ista Inuestituræ renouatio casibus iure Feudali præscriptis, siue persona Imperatoris, * siue uasalli fuerit mutata, & quidem intra annum & diem, ** ita, vt si præfinitum tempus elapsum, atque inuestitura non petita, pœna feudalis locum habeat. *** Inuestitura Minorum etiam a Tutoribus infra annum & diem est petenda, sed non repetenda post maiorennitatem, prout apud priuatos. **** Imp cum a se ipso de Terris hæreditariis inuestituram petere nequeat, de eo singulari scripto cauet, quod Electoribus tradit, ne in præiudicium hoc vergat. ***** Obtinent etiam adhuc circa Feuda Imperii Ius Feudale Saxonicum atque Alemannicum, & si hæc moresque deficiant, Ius Longobardicum. †

* In Rescripto Principum Imperii ad Innocentium III. de electione Ottonis IV. apud GOLDASTVM Tom. I. p. 72. *nos autem Principes qui iam dictum Dominum in Regem elegimus, Feuda nostra, quæ ab*

ab Imperio tenemus, a manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus & fidelitatem iurauimus.

** Patet hoc ex Epistola Vrbani Papæ ad Richardum Regem, apud LEIBNITIVM Prodr. Cod. I. Gent. p. 14. in qua: *sed idem electus prædicto modo inunctus, consecratus, & coronatus pro Rege habetur, & ei tamquam Regi debent a subditis iuramenta præstari, assignari ciuitates, oppida, & castra, & specialiter castrum de Treueles, ac aliqua Iura Imperii infra annum & diem a tempore coronationis eiusdem ita quod si qui de Vasallis Imperii ei homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint ciuitates, castra & alia supradicta illi, quæ ab Imperio tenent eodem, sint eo ipso priuandi.*

*** GESTA BALDVINI lib. II. c. III. de Henrico VII. *Colonia secunda vice remeauit, & ibidem omnia sua feoda requirere volentes spectauit, præsidens iudicio sententias contra rebelles sua feoda non requirentes, seruato iuris ordine promulgauit.*

**** CAPIT. CAROLINA art. XI. *Dargegen sollen und wollen wir sie, Minderiæhrige, nach erlangter Pubertat und Maiorennitæt zu anderwärtiger Empfængniss solcher Leben und Regalien, wie auch Lehns-Eyd nicht, vielweniger einer doppelten oder weiteren Entrichtung des Lehn-Taxes anhalten, sondern sie bey obgedachter erster, denen Vormündern ertheilten Belehnung allerdings lassen.*

***** Definitum hoc CAPIT. FERDINANDI II. *art. XXIX.* FERDINANDI III. *art. XXXIII.* FERDINANDI IV. *art. XXXI.* LEOPOLDI *art. XXXI.* & clarius in IOSEPHINA *art. XX.* CAROLINA *art. X.* Vberius MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian p. IV. c. LII.*

† *Hist. Iuris cap. VIII. §. XXIX.*

§. XXXII.

Peragitur inuestitura Principum Imperii ex hodierna consuetudine in Anticamera Imp. vel reliquorum qui Principes non sunt, in iudicio aulico, & quidem Status plerumque per legatos & procuratores suos inuestituram petunt, qui ab-

abſentiam Principalis * ſui modeſte excuſant. Licet ab hac excuſatione Electores, qui Regiam dignitatem fuerint adepti, hodie ſint immunes.** Nec Status Imperii ad accipiendam inueſtituram extra Germaniam ſunt vocandi. *** Ritus **** conſiſtunt in modo Inueſtituræ, formulis & iuramento fidelitatis. ***** Habent tamen quidam Status priuilegia ſpecialia. Regis ſiquidem Bohemiæ priuilegium eſt, ne vltra quindecim milliaria Germanica extra Regnum inueſtituram accipiat. ****** Archi-Duces Auſtriæ extra Auſtriæ fines inueſtituram petere haut tenentur, immo tecto capite cum pileo ſuo archiducali, ſceptrum manu tenentes ac equo inſidentes, inueſtituram petere poſſunt. † Saxonica Domus Lineæ Erneſtinæ a Leopoldo Imp. a. 1688. per pacta Inueſtituræ adiecta obtinuit, vt mutata quidem Imp. perſona *bey Thron-Fällen,* Renouatio Inueſtituræ peteretur, non vero in caſibus feudalibus, *bey Lehn-Fællen*, vsque dum omnes, qui tunc temporis inueſtiti ſuperfuerint, qui tunc erant Guilielmus Erneſtus & Io. Erneſtus, Vinarienſes, Io. Georgius & Io. Guilielmus, Iſenacenſes, & Io. Guilielmus Ienenſis, ita tamen, vt poſt mortem vnius ex hiſce inueſtitis, eius mors Cæſari ſignificaretur. †† In Domo Brunſuico Luneburgenſi communis æque eſt Inueſtitura Senioris, qui exiſtentibus caſibus feudalibus ſingulis, eandem ab Imp. accipit, vulgo, *Sambt-Lehn,* prout ſingulari priuilegio hoc a Carolo V. Imp. a. 1555. fuit conceſſum, idemque a Leopoldo a. 1667. confirmatum. †††

* CASSANDRI THVCELII *Electa I. P. Tom. I. p. 237.* FABRI *Staats-Canzelley Tom. II. p. 197.*

** Prout demonſtrauit LVDEWIG *de ſuffragio Bohemiæ R. c. II. §. XIV. p. 106. ad A. B. p. 220. 500.*

*** CAPIT. CAROL. *art. XVI.* Licet olim hoc factum fuerit, dum Fridericus Bellicoſus a Sigiſmundo Imp. a. 1425. Budæ fuiſſet inueſtitus, S. H. G., *Diſſ. XXIX. §. XXIX.*

**** WAGENSEIL *de Summis Officialibus c. V. §. XIV.* describit Ritum Inuestiturae Friderico III. Palatino Electori a Ferdinando I. Imp. in Aula Caesarea a. 1559. concessae & *c. VI.* Inuestituram Friderici V. a Matthia Caesare a. 1613. factam. In ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. VIII. p. 97.* describitur Ritus Inuestiturae de a. 1714.

***** Varia Iuramenta Fidelitatis a Saxoniae Electorum Ducumque Legatis praestita, exhibet LVNIG *p. spec. II. Theil. p. 225.*

****** LIMNAEVS *lib. IV. c. VII. n. 21.*

† Definitum hoc priuilegio Rudolphi & Caroli V. apud LIMNAEVM *lib. V. c. II. n. 30.* Integrum actum Inuestiturae Alberti Austriaci describit FVGGER *lib. I. c. XIII. p. 114.*

†† Prout MÜLLERVS nos docet *Ann. Sax. ad 19. Octobr. 1688.* Integrum actum Communis Saxonicae vtriusque domus Inuestiturae 1660. factae, filius ipsius IO. IOACHIMVS MÜLLER *Staats-Cabinet II. Eroeffn. c. II.* e Diario descripsit.

††† Extat apud LVNIGIVM *p. spec. IV. Abtheil. p. 143.*

§. XXXIII.

Inuestiuntur de Territoriis potissimum, quae in litteris inuestiturae solent exprimi. Falsum itaque est, quod tradit BVRGOLDENSIS, * Episcopos Germaniae non de Principatibus, sed de Regalibus saltim ab Imp. inuestiri, cum semper territoria exprimantur. Quandoque tamen in litteris inuestiturae addi solet *mit aller regalischen Landes-Fürstlichen Obrigkeit und Herrligkeit.* ** Fiunt autem per inuestituram non solum vasalli, sed etiam subditi. †

* *p. I. disc. XX. m. 2. n. 27. circa fin.*

** Vid. *differt. de allodiis Imperii §. L.*

† Quare saepius vocantur *Vnterthanen,* Ord. prof. *de a. 1521. pr.* Vid. late ITTERVS *cap. XIX. §. 6. sqq.* Vberius de eo dicendum erit Capite XV. sub finem.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Inueſtituræ actu ad finem perducto, confici deſuper ſolet Inſtrumentum, primæ inueſtituræ tenori conformandum, niſi per pacta adiecta, quidpiam fuerit immutatum, quod vocari ſolet *der Lehn-Brief.* Tenentur etiam vaſalli ad certum cenſum ſoluendum, *den Lehn-Brief aus der Reichs-Hof-Cantzelley zu löſen, und den Lehen-Tax zu erlegen.* * Immunes ab hac taxa ſunt Electores ** & Auſtriæ Archi-Duces. Solent tamen iſti minoribus miniſtris aulæ Imperatoriæ certum quid ſoluere. Principes autem Magiſtro Curiæ † exſoluunt 63. Marcas argenti cum quadrante, qui hanc ſummam inter Imperii ſubofficiales atque aulæ Imperatoriæ Officiales ex præſcripto diſtribuit, id quod hodie ad mille octoginta vnum florenos ſolet referri. Electi autem vel Poſtulati Adminiſtratores Epiſcopatuum A. C. addicti, vltra taxæ ordinariæ ſummam dimidium inſuper eiusdem pro infeudatione ſoluere tenentur. ††

* CAPIT. MATTHIAE *art. XL.* IOSEPHI *art. XXXVIII.* CAROL. *art. XI.* ITTERVS *cap. XI.* §. *8.*

** A. B. *c. XXIX.* §. *1.*

† A. B. *c. XXIX.* §. *3.* ITTERVS *cap. XI.* §. *10.*

†† INSTRVM. PACIS *art. V.* §. *21.*

§. XXXV.

Competit etiam Imp. *Ius definiendi Controuerſias Statuum de præcedentia.* Id quod pluribus Imperii Legibus fuit confirmatum, * nec ipſi Status Imperii denegant, ita tamen, vt quandoque Statuum adhibeat conſilium. ** Rarius autem videmus, tales controuerſias ab Imp. definiri, *** quin

potius per amicabilem transactionem componantur, vel alternatio placeat. Quandoque etiam protestatio contra aliorum locum priorem obtinet.

* R. I. Ratisbonæ *de a. 1541. §. 80. de an. 1567.* §. *68. de an. 1654.* §. *196.*

** R. I. *de an. 1500.* §. *51.* ZWANZIGS *Theatrum Præcedentiæ p. II. tit. CII.*

*** Factum hoc tamen per sententiam Iudicii aulici Viennæ 30. Aprilis 1662. per quam Aichstadtiensi Episcopi Proedrias Ius præ Spirensi fuit decretum.

§. XXXVI.

Competit etiam Imp. *Ius puniendi delinquentes circa monetam.* Quod si enim illi monetam cudi faciant, qui illud Ius non habent, vel deficiat pondus & intrinseca bonitas, Imp. incumbit, hoc non solum prohibere, sed etiam contrauenientibus certam mulctam imponere, immo, plane illos iure cudendi monetam priuare, ita tamen, vt Statibus Imperii illud, Electorum consensu, possit restitui, secus de iis, qui Status non sunt. *

* CAPIT. IOSEPHI *art. XXXIII.*

§. XXXVII.

Olim inter Reseruata Imp. spectabat *Ius dandi Ciuitatem.* Sic Rudolphus I. Boëmundo, Treuirensi Archiepiscopo petente, quinque oppida eius diœceseos ciuitate donauit. * Ludouicus Bauarus Friderico Noribergensium Burggrauio an. 1322. facultatem concessit Grindelachum iure ciuitatis donandi. Idem Imp. concessit Gerhardo, Episcopo Spirensi potestatem pagum Vdenheimensem muris cingendi atque Ius ciuitatis dandi. ** Hodie vero ad iura Superioritatis Statuum hoc omnino est referendum, quod ipsi a longissimo iam tempore exercuerunt. ***

* BROWER Ann. Treuir. lib. XVI. p. 172. *Ipse* (Rudolphus) *Boëmundo*

mundo petente, quinque diœcesis oppida, legibus atque hominum conuentibus iam nunc frequentari cœpta, Montaborium, Beroncastellum, Wittelichum, Saraburgum, & Billichum, regali authoritate libera pronuntiauit, signatisque sigillo suo Diplomatis, ius eius libertatis id omne confirmauit, quo ciuitates & oppida donare consueuit. Hæc eadem priuilegia publicis item codicillis affirmarunt inclyti Reges Adolphus & Albertus, Rudolphi vestigiis hærentes.

** LIMNÆVS *lib. II. c. IX. §. 128.*

*** Vid. infra *c. XXVI.* §. *LV.*

§. XXXVIII.

Ius Postarum per vniuersum Imperium soli adhuc hodie competit Imperatori, & dicitur *die Kayserliche Post.* Et licet olim solæ quoque istæ fuerint in Imperio, a superiori tamen seculo, non sine Imp. contradictione, Status instituerunt Postas suas Prouinciales, non solum in suis territoriis, sed etiam per pacta cum vicinis, in alienis. * Protector Postarum Imperialium est Elector Moguntinus, vt Imperii Archicancellarius, cui etiam incumbit prouidere, vt Postis sua conseruentur priuilegia. Primarius Postarum Præfectus per vniuersum Imperium est Princeps de Taſſis, qui *General Reichs-Erb-Postmeister* audit, quod munus feudi titulo hæreditario iure hæc poſſidet familia, exercet semper eiusdem Senior.** Idemque in Capitulatione Leopoldi atque Iosephi fuit confirmatum, saluis tamen iuribus Statuum. *** Hic suos habet subministros, die *Reichs-Postmeister,* quales constituit in præcipuis Germaniæ vrbibus Francofurti, Coloniæ, Augustæ, Noribergæ, Vlmæ, Bremæ, Hamburgi, qui iterum suos sub se habent præfectos inferioris conditionis. †

* Dicendum de eo inferius, vbi Iura Statuum exponentur.

** In LVNIGII *Reichs-Archiv. p. Gen. p. 440.* extat Priuilegium Caroli V. & Ferdinandi I. Taxiorum familiæ conceſſum. Merita Familiæ describuntur dans *les Marques d' Honneur de la Maiſon de Taſſis. f.*

*** Vid. HÖRNIGK *de regali Postarum iure*. FRITSCHIVS *Electis I. P. p. 330.*

† LEOPOLDI *art. XXXV*. IOSEPHI *art. XXXIV*. CAROLI VI. *art. XXIX*. De hoc infra *c. XXVI*. §. *LXII*. dicetur vberius.

§. XXXIX.

Competit demum Impp. ſuprema poteſtas iudiciaria. Hæc autem vel in *iure cognitionis* conſiſtit, vel in *extrema prouocatione*. Illud locum habet, ſi reus ſit Status Imperii. Hoc dicitur, ſi cauſſæ a iudiciis Statuum per Adpellationem deferantur ad Imperatorem. Vtrumque olim ſoli Imperatori competebat, ita, vt iudicia nomine Impp. exercerent Comites, ita tamen, vt Palatii Comites cauſſas Principum deciderent. Hinc certa conſtituta fuerunt iudicia prouincialia Imperialia, quæ tamen a ſolo dependebant Imperatore. Poſtea vero Maximilianus I. hanc iudiciariam poteſtatem ex parte cum Statibus communicauit, dum ſcilicet horum quoque poteſtati Camerale iudicium inſimul ſubiiceret.

§. XL.

Reſeruata tamen Imp. adhuc eſt iudiciaria poteſtas. Dum ipſi conueniat *ius cognoſcendi in controuerſiis Feudorum regalium*, licet feudis priuare Statum nequeat, ſine reliquorum conſenſu. Communis etiam eſt regula: Cauſſæ, quæ ad Reſeruata Imp. ſpectant, ipſius iurisdictioni ſolum ſubiiciuntur. Exinde ſolus habet *Ius cognoſcendi de controuerſiis priuilegiorum*, quæ ſolus conceſſit. Licet, ſi de violatione priuilegiorum Imperialium agatur ad pœnam, æque Camera decernat. Sic etiam ſolus cognoſcit in *controuerſia vectigalium*. Cauſſæ Italicæ ad ſolam Imp. ſpectant cognitionem, dum Camera ſolummodo iudicium ſit nationis Germanicæ. In ſingulis hiſce Imp. cognoſcit per iudicium aulicum, quod a ſolo Imp. dependet, vti etiam reliqua Imperium concernentia iudicia, vtpote Rotwilenſe & ſimilia, excepto ſolo iudicio Camerali. In hoc tamen æq; Imperator iudicem conſtituit atque Præſides. Solus etiam Imp. concedit priuilegia de non adpellando, de ſingulis infra, vbi de iudiciis* agendum, pluribus.

* *c. XXIV.*

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM DE RESERVATIS IMP. CIRCA PRIVILEGIA, ET IVRIBVS CVM ELECTORIBVS COMMVNICATIS.

§. I.

IVs concedendi Priuilegia Imperii vniuerſalia, quorum effectus ſeſe extendit per vniuerſum Imperium, ſoli competit Imperatori, tanquam Capiti Imperii. * Eademque libere poterit impertiri, ita tamen, ne Statuum iuribus inde quidpiam detrahatur. ** Quare etiam priuilegia ab Imp. conceſſa contra priuilegia Statuum in ipſorum Territoriis nihil operantur. *** Immo reſtringitur Imp. poteſtas per Capitulationes circa Priuilegia de non adpellando, **** monopolia, ***** & exemtiones ****** quæ non amplius concedendæ. Quod ſi autem ſuper priuilegio ab Imp. conceſſo controuerſia oriatur, ſolius eſt Imp. eandem definire. Si vero de illius violatione agatur, Camera quoque in iudicando concurrit. † Licet negandum non ſit, Priuilegia ſuper cauſſis maioris momenti olim ab Electoribus ſingulis fuiſſe confirmata, †† quod tamen hodie non amplius obſeruatur, ſæpius tamen Priuilegia ab Imp. conceſſa Cameræ inſinuantur, quo ſecundum eadem pronuntietur.

Pro

Pro hac insinuatione Procuratores vigore specialis Procuratorii solent supplicare, & vna cum supplicatione Priuilegia illa vel iudicialiter vel extraiudicialiter exhibere, quo facto, insinuatio accepti Priuilegii decretumque iudiciale interponi consueuit, & originali restituto exemplum in Archiuis adseruatur. †††

* Communis hoc testatur Doctorum Iuris publici schola atque obseruantia quotidiana. Patet etiam ex CAPITVLATIONE IOSEPHINA *art. XLIV.* verbis: *Concessiones der Priuilegien.* CAROLINA *art. XXII.* verbis: *und andere Priuilegien.* Clarius vero hoc exprimitur R. I. VLT. §. *115.*

** Hoc enim cauetur CAPIT. IOSEPHINA *art. III.*

*** Vide infra *c. XXVI.* §. *LVIII.*

**** CAPIT. CAROLINA *art. XVIII.*

***** CAPIT. CAROLINA *art. VII.*

****** CAPIT. CAROLINA *art. XVIII.*

† GAILIVS *lib. I. obs. I.* IAC. BLVMVS *Proc. Camer. Tit. XXXIX.*

†† Patet hoc ex Rudolphi I. Confirmatione Priuilegiorum Austriacorum de a. 1283. apud LVNIGIVM *Cont. I. sect. IV p. 9.* in qua: *hoc fecimus & confirmauimus ac confirmamus etiam omnes literas, libertates & gratias in eisdem literis comprehensas, de voluntate & adsensu Principum Electorum.* Dietericus Moguntinus a. 1444. confirmauit cessionem Terrarum Brandenburgicarum Burggrauiis Noribergensibus factam *als ein Churfürst und Ertz-Cantzler des Heiligen Rœmischen Reichs*, LVNIG *P. spec. p. III. p. 12.* Idem a. 1487. fecit Bartholdus Elector Moguntinus *p. 19.* atque 1495. Fridericus III. Elector Saxoniæ *p. 26.* Philippus Palatinus a. 1500. *p. 27.* Sic Electores singuli permutationem quorundam bonorum inter Carolum IV. & Proceres quosdam Bohemiæ factam a. 1360. confirmarunt. *p. spec. I. Contin. I. Forts. p. 52.* Bullam Sigismundi Imp. de Successione Palatina, Aquisgrani a. 1414. concessam, confirmarunt singuli Electores, prout MARQVARDVS FREHERVS in Commentario ad hanc Bullam *p. 571.* demonstrauit. IO. IACOBVS CHIFLETIVS *in Comment. Lothar. p. 36.* exhibet confirmationem Transactionis Noribergensis

inter

inter Ferdinandum I. & Antonium, Lotharingiæ Ducem initæ. In Appendice Actorum Veterum in causa Comaciensi *p. 152.* reperitur Confirmatio Electorum super Priuilegio Rudolphi Cæsaris Nicolao II. Papæ concesso. Priuilegia Friderici III. Imp. Austriacæ Familiæ concessa, a. 1442. confirmarunt singuli Electores, prout ista Confirmatio exhibetur a LVNIGIO *p. spec. s. IV. p. 28.* Confirmationes priuilegiorum Saxonicorum ab Electoribus factas, exhibet MVLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich dem V. p. I. c. XXIII. p. 318.* atque alias in *Historia Maximiliani Tom. II. c. LXXI.*

††† IAC. BLVMIVS *Proc. Camer. Tit. XXXIX. §. XIII.* Exemplum præbent ELECTA IVRIS PVBLICI *Tomo VI. p. 113.*

§. II.

Competit præter hæc Imp. Ius confirmandi Pacta, Contractus & Testamenta * Statuum Imperii, si in iis de successione in terras & feuda Imperii disponatur, dum qualitas feudalis circa inita pacta consensum Domini directi requirat.** Quod si vero Pactis Gentilitiis nihil de successione in terras feudales fuerit dispositum, ista Imp. confirmatione haut indigent. *** Licet etiam in Terris allodialibus quæ iuribus Imperii subsunt, eandem confirmationem necessariam esse crederem. ****

* Dispositionem Wilhelmi Thuringiæ Landgrauii, dum Friderico, Noribergensi Burggrauio, Adfini suo, vrbes Voigtsberg, Oelsnitz, Wiedersberg, Adorf, Thierstein & Thiersheimb legat, Wenceslaus cum Principum consilio Würtzburgi an. 1397. confirmauit. MÜLLER *R. T. Theatro unter K. Fridrich dem V. p. 324.* Extat Confirmatio Testamenti Christiani Ducis Merseburgensis a Leopoldo Imp. a. 1689. facta, apud LVNIGIVM *p. spec. II. p. 234.*

** IO. WOLFG. TEXTOR *de Pactis Gentilitiis Procerum §. XXV. XXVI.* KLOCKIVS *conf. CII. n. 135.* SCHVBART *de Confirmatione Pactorum c. III. §. V. & VI.* Prout etiam Pactum de successione in Electoratum Palatinum inter Carolum Palatinum & Philippum Guiliel-

mum Neoburgensem an. 1685. initum, confirmauit Leopoldus, LVNIG *p. spec. p. 734.*

*** Prout etiam demonstrauit KLOCKIVS *Tom. II. conf. XVII. num. 2. 3. 4.*

**** Prout iamdum demonstraui in Diss. *de Allodiis Imperii* §. XIII.

§. III.

Spectant huc potissimum dispensationes istæ vniuersales, quas petentibus & promerentibus concedit Imperator, vel nomine Imp. Comites Palatini, quibus id iuris in Diplomate concessum. Has equidem in Territoriis suis æque concedunt Status Imperii, ita tamen, vt illorum concessiones saltim effectum sortiantur in ipsorum territorio, Imperatoriæ vero concessiones sint vniuersales. Immo, ea quæ personas concernunt illustres, a solo conceduntur Imperatore, ita, vt Comitibus Palatinis circa easdem nihil concedatur.

§. IV.

Primum erit *Ius concedendi veniam ætatis*, quo Imp. minori tribuit ius legitimæ ætatis, vt tanquam maior rebus suis præesse, de iisdemque possit disponere. Concedit veniam ætatis Imp. Principibus, Comitibus atque Baronibus Imperii, ad capiendam suarum terrarum administrationem, vt suppleat defectum ætatis, quæ alias ad maiorem ætatem Regiminis capacem secundum consuetudines cuiuslibet prouinciæ requiritur, quæ in terris plerisque est annus 25. in terris Saxonicis annus ætatis 21. Landgrauii Hassiæ ex speciali priuilegio anno ætatis 18. fiunt maiorennes. * In quibusdam Protestantium Episcopatibus Merseburgensi potissimum & Numburgensi anno ætatis 18. locum habet, *die Stiffts mündigkeit.*** Nouiter veniam ætatis ab Imp. a. 1692. obtinuit Fridericus Guili-

Guilielmus, Dux Megapolitanus anno ætatis 17. Eberhardus Ludouicus, Dux Würtenbergensis a. 1693. Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgensis anno 1694. ætatis 16. annorum. *** Electoribus vero quantum ad electionem Imp. veniam ætatis minime concedit Imp. quia ipsorum ætas legitima annorum decem & octo per A.B. fuit definita. †

* De hoc plenius DIETERICVS HERMANNVS KEMMERICHIVS *de Maiori Principum ætate*, atque infra dicetur sub finem capitis XXVII.

** Sic enim in Capitulatione Numburgensi perpetua de a. 1678. apud LVNIGIVM *p. Spec. Cont. II. T. I. p. 805. So bald aber der Postulatus das XVIII. Iahr seines Alters erfüllet, soll bey Kayserl. Mai. er selbst um die Belehnung auf Art und Weise, wie der vorhergehende dritte §. erfordert, instændig anzuhalten schuldig seyn, auch nach Erfüllung solchen XVIII. Iahrs, wie es ie vor Zeiten anders nicht gehalten worden, die Stiffts-Regierung selbst antreten.* In Episcopatu Merseburgensi vero sub initium huius seculi desuper controuersia fuit mota.

*** PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. II. §. 20.* KEMMERICH *§. XXVI.*

† *Tit. VII. §. 4.*

§. V.

Petitur hæc venia ætatis ab Imp. adductis simul rationibus, atque si opus fuerit, testimoniis, petentem ad regendas terras suas esse capacem. Re itaque coram iudicio aulico examinata atque decreta, in Cancellaria Imperii Diploma conficitur, vna cum mandato ad Regimen vel Status Prouinciales, vt liberam Principi vel Comiti concedant regiminis administrationem. * Adipiscitur etiam per hanc veniam ætatis, fratrum suorum natu minorum tutelam. Dum enim ipsi regimen prouinciæ concedatur, facilius admitti poterit ad ea, quæ adhuc minoris sunt. Id quod etiam exemplo Mauritii Friderici, Comitis Hohenloici patet, cui anno

 ætatis

ætatis 20. etiam cura fratrum minorum fuit demandata. **

* Extat Diploma & Mandatum Leopoldi a. 1693. Eberhardo Ludouico Würtenbergensi concessum.apud LVNIGIVM *Forts. der II. Contin. p. 764.*

** Integrum Diploma exhibet LIMNÆVS *addit. Tom. pr. ad lib. II. c. IX. n. 151.*

§. VI.

Alterum est *ius Legitimandi filios naturales & spurios.* Filios quidem personarum illustrium non nisi solus legitimat Imperator. Recentissimum exemplum Antonii, Comitis Oldenburgensis, qui ab Imperatore Ferdinando III. natalibus fuit donatus, atque in Comitiis Ratisbonensibus anno 1654. S. R. Imperii Comitis dignitate ornatus. * Effectus legitimationis est, vt tales legitimati filiorum legitimorum instar habeantur, ita tamen, vt in feudis, in adgnatorum praeiudicium minime succedant. Reliqui, qui minoris sunt conditionis, legitimantur a Comitibus Palatinis. ** Licet etiam Principes Imperii vel ex concessione Imp.*** vel in Territorio suo idem Ius Legitimandi exerceant, prout a. 1716. in Ducatu Vinariensi fuit factum. **** Talis etiam Legitimatio, si personis subditis a Principibus Imperii fuerit facta, ex mutua beneuolentia ab aliis Statibus adgnosci solet. †

* ITTERVS *de feud. Imp. c. XIV.* §. 5.

** Exemplum, actumue legitimationis ab ipso factæ exhibet IACOBVS OTTO *in Hypotyposi Legitimationis p. 96.*

*** Prout Maximilianus I. Ottoni & Hermanno, Comitibus Hennebergicis concessit ius legitimandi sex personas illegitimas, prout Priuilegium exhibetur in ELECTIS IVRIS P. *T. IX p. 579.*

**** Litteræ legitimationis extant in ELECTIS IVRIS PVBLICI *T. IX. p. 585.* Sic etiam KNIPSCHILD *de Iure Ciu. Imper. lib. II. c. IV.*

c. IV. n. 101. docet, quod Ioachimus II. quendam legitimauerit, qui postea in Collegium *der Gewandt-Schneider* fuerit receptus.

† Prout etiam docetur in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. IX. p. 573.* & apud OTTONEM *p. 17.*

§. VII.

Tertium est *Ius restituendi famam*, siue infames pristino honori famæque restituendi. Infamia vel facti vel iuris est. Ista ex turpi facto citra legum notam oritur, & per vitæ emendationem aboletur. Iuris vero infamia ex lege oritur vel ciuili, vel prouinciali, vel Imperii. Quod si ex lege Ciuili infamia oriatur, Imp. est ius famæ restituendi, licet etiam hoc, quantum ad subditos competat Statibus Imperii.* Si infamia ex lege Prouinciali oritur, Statibus hoc æque licebit, eo quod non excedat ista territorium. Infamia vero, quæ ex Legibus Imperii fuit orta, vt apud bannitos videmus, non nisi consensu Electorum atque Statuum Imperii poterit aboleri, dum contra Leges Imperii solus Imp. nihil valeat. Restitutio fit vel ad præuias supplicantis preces, re prius coram iudicio aulico examinata, vel tacite, si Imp. tales infames sciens ad officia promoueat: In Diplomatibus autem inseri solent hæc verba: *wir setzen ihn in den vorigen Stand, Würde, Ehre und Herrligkeit.* **

* Hoc pro merito adseruit Dnus GRIBNERVS *Diss. de Iure restituendi famam Principibus Imperii vindicato.* Singulare exemplum in R. I. Spir. *de a. 1526.* §. *6.* vbi Statibus Imperii relinquitur potestas subditos rebelles restituendi.

** Vid. LYNCKERI *Dissert. de iure restituendi famam.*

§. VIII.

Quartum est *Ius absoluendi a iuramento, quantum ad effectum agendi.* Quo Imperator alicui iuramentum inique

 extor-

extortum relaxat, vt sine periurii metu possit agere. Quod si enim quis iniuste se incarceratum putet, sed præstita Vrpheda dimissus, de illata iniuria velit conqueri, impeditur iuramento. Petit itaque a superiori relaxationem. Pontificii quidem Papæ, tanquam supremo in ecclesiasticis iudici hoc relaxandi ius tribuunt, qui etiam olim Imp. a iuramento in Pacis Instrumentis exteris Imperantibus præstito absoluerunt, * vel per Cardinales ** atque Nuntios suos hoc Ius, exercuerunt. Verum, per R. I. nouissimum *** res decisa, & iudicibus secularibus fuit concessa. Conceditur autem hæc relaxatio vel ab Imperatore, vel a Camera, vel ratione Territorii etiam a Statibus **** in caussis saltim ciuilibus, ***** non in criminalibus. Effectum talem habet, vt remisso iuramento, petens habilis reddatur ad agendum, & ius suum persequendum.

* Sic Iohannes VIII. Papa, Ludouicum II. Imp. absoluit a iuramento, Adalgiso, Beneuentanorum Tyranno præstito, de quo REGINO ad a. 872. *Ioannes Papa Imperatorem iuramento, quo se obligauerat, authoritate Dei, & S. Petri absoluit, adfirmans, nihil obesse, quod, ob mortis periculum euadendum coactus fecerat, nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reipublicæ, quamuis cum multis execrationibus fuerit prolatum.* Qua ratione Clemens VII. Papa Franciscum I. a iuramento Madriti præstito a. 1526. absoluerit, diximus in S. H. G. *Diss. XXXII. §. XXVIII.*

** Sic Iulianus Cardinalis Papæ nomine Vladislaum atque Vngaros a iuramento Turcis præstito a. 1444. absoluit, S. H. G. *Diss. XXX. §. XIII.* Hugo Cardinalis Episcopum, Clerumque Argentoratensem Alexandri IV. nomine a iuramento absoluit, prout apud WENCKERVM *de Archiuis p. 166.* formula reperitur.

*** §. 164. *fin. dasienige was die Stænde wegen der Nuntiorum Absolutionen a Iuramentis, und dergleichen Relaxationes in den Gerichten, sie geschehen dann von dem ordentlichen Richter ad effectum agendi nicht zu attendiren seyn sollen, hierbey erinnert, beobachten.*

**** Vid.

**** Vid. FABRICIVS *ad Mynsing. Cent. III. obs. 99. p. 566.* MYLER *de Stat. Imp. cap. XLIV. §. 4.*

***** Hinc minime in iure Gentium locum habet. Haut igitur adeo probamus, quod Carolus V. Imp. Mauritium Saxonem & Ioachimum Brandenburgicum a fide Philippo Hasso data absoluerit THVANVS *lib. VI. p. 198.*

§. IX.

Quintum est *Ius concedendi litteras moratorias*, quibus debitoribus obæratis ad certum tempus dilatio conceditur. Vocantur litteræ vel Rescripta moratoria, Litteræ Gratiæ, Securitatis, vulgo *Quinquennel*, quia vt plurimum ad quinque annos solent concedi. Germ. *Anstands-Briefe*, potius *eiserne Briefe*, quia iisdem quasi munitur debitor contra creditorem. *

* WILHELMVS ANTONIVS FREVNDEBERG *de rescriptis moratoriis.* IO. FRIDERICVS MOHR *de rescriptis dilatoriis.* BESOLDVS & SPEIDELIVS *voce Quinquennel.*

§. X.

Conceduntur tales Litteræ moratoriæ petentibus debitoribus, qui sine sua culpa, sola fortunæ iniuria facultatibus lapsi, *die aus unversehenen zugestandenen Vnfallen ihre Leib und Güter verdorben und aufgestanden sind.* Et quidem exponenda in litteris supplicibus desuper exhibitis iactura, qualitas debiti, præsens soluendi difficultas, testimonia Magistratus atque intentio debitoris de soluendo adhuc debito, post lapsum induciarum tempus. *

* Exprimuntur REFORM. POLITICA AVGVSTANA *de a. 1518. §. 22.*

§. XI.

Non autem solum Mercatoribus tales litteræ conceduntur, sed aliis quoque, immo integris Collegiis. Sic etiam

Status

Status Imperii tales obtinuerunt. Ferdinandus II. Goslariensi ciuitati octennales concesſit inducias. Argentoratensi atque Wormatiensi Reipublicæ tales fuiſſe conceſſas, traditur. † Ferdinandus III. Electori Palatino reſcriptum moratorium, reſpectu debitorum antiquorum a. 1654. ad viginti annos indulſit. †† Idem Imp. a. 1644. vniuerſæ Sileſiæ Moratorium Generale concesſit. ††† Comitibus Naſſouio Saræpontanis Leopoldus duodecennales moratorias eſt largitus, easdemque a. 1678. ad decennium vsque extendit. †††† Ex quo etiam videmus, tempus vel annale eſſe poſſe, vel plurium annorum, pro arbitrio ſcilicet Imp. Fruuntur hoc iure æque Principes & Status Imperii qui in ſuis territoriis, ſpeciales ſaltim concedunt moratorias. †††††

† Refert BALTH. VENATORIVS *relat. Cameralibus III. n. 31.* Ipſæ litteræ moratoriæ extant apud LIMNÆVM *lib. VII. c. XIX.*

†† Hoc etiam R. I. nou. *de a. 1654. §. 176.* fuit definitum.

††† Extant Litteræ apud LVNIGIVM *P. ſpec. p. 809.*

†††† PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. II. §. 35.*

††††† MYLER *de Stat. Imp. p. II. c. LV. n. 1.*

§. XII.

Incipiunt hæ litteræ a tempore concesſionis, atque ſuſpendunt executionis ſolutionem, ita, vt debitor aut eiusdem bona per vniuerſum Imperium, currente induciarum tempore, nulla ratione a creditoribus posſint turbari, immo nec vſuræ peti. Locum tamen minime habet in debitis priuilegiatis, iuratis atque iis, in quibus expreſſe huic beneficio fuerit renuntiatum, niſi etiam iisdem hæc clauſula fuerit inſerta, *iuramento, renunciatione non obſtante.* *

* LIMNÆVS *lib. IV. c. VIII. n. 333.*

§. XIII.

§. XIII.

Dum bello tricennali multi Germaniæ ciues bonis fuerint lapsi, iniquum videbatur, hos creditorum arbitrio relinquere, quare in Instrumento Pacis * constituebatur, vt Imperator tam Iudicii aulici quam Cameralis vota & consilia quæ in futuris Comitiis proponi, & in Constitutionem certam redigi possint, requireret. Inde in Comitiis Ratisbonensibus an. 1654. Imp. vtriusque Iudicii vota cum Statibus communicauit, qui consilium Imperialis Cameræ potissimum secuti, debitoribus æque ac creditoribus prospexerunt, ita, vt particularis solutio locum haberet, nec vsuræ vltra alterum tantum peti debeant. **

* *art. VIII. §. fin.*

** R. I. Nou. §. *171. sqq.* Commentatus de eadem materia est HENRICVS HAHNIVS. Durante vero bello tricennali plures in fauorem debitorum prodierunt Tractatus, de quibus in BIBL. IVRIS *cap. VI. §. LVIII.*

§. XIV.

Sextum est *ius concedendi Protectoria*, quibus impetrans in Cæsaris ac Imperii peculiarem tutelam contra omnem vim ac molestiam sub graui pœna violantis, maioris securitatis causa recipitur. Germ. *Kayserliche Protectoria, Schutz- und Schirm-Brieffe.* Conceditur hoc Ius Imp. in Capitulatione, * ita tamen, ne vergant in præiudicium Statuum & Imperii. Tempore belli plura reperimus exempla datorum ab Imp. Protectoriorum. ** Sic etiam Status in suis territoriis concedunt protectoria.

* Ferdinandi IV. *art. VI.* Leopoldi & Iosephi *art. VIII.*

** Plura recenset B. ROSLERVS eleganti Tractatu *de Protectoriis Cæsareis.* Tale Protectorium Academiæ nostræ Ratisbonæ d. 3. Ianuarii 1637. concessit Ferdinandus II. MÜLLERI *Ann. Sax. p. 354.* Sic etiam idem

MÜLLERVS ad d. 11. Iulii 1674. tradit: *ist von dem Kayser Leopolden der Vniuersitat Iena ein dergestaltiges Protectorium ertheilet worden, das, so offt es derselben gefallig, oder die Nothdurfft erfordere, sie den Kayserlichen Adler, zum Zeugnüß dero Kayserlichen Special-Schutzes, an ihre Güter, Remda, und Apolda anschlagen lassen dœrffen.* Fridericus II. Imp. Argentoratenses in specialem Imperii Tutelam suscepit, prout Diploma WENCKERVS exhibet *de Registraturis p. 161.*

§. XV.

Septimum est *Ius concedendi nundinas solenniores.* Nundinarum nomen contractum est a Romanorum Nouendinis. Istæ autem feriæ erant paganorum, nono quoque die celebratæ, quibus agrestis plebs in vrbem conueniebat, venalia permutabat, iure inter se agebat, ac suffragia ferebat de negotiis publicis.* Inde Romani suas nundinas tanquam Christiani hebdomadas numerabant. Hinc, dum mercatus in iisdem agerentur, nundinarum nomen ad omnes mercatus fuit tractum.

* DIONYSIVS HALICARN. *lib. VII. p. 463.* MACROBIVS *Saturn. I c. XVI.* SYNTAGMA ANTIQVITATVM *cap. IX. p. 447.* ERYCIVS PVTEANVS *de Iure Nundinarum.*

§. XVI.

Diuiduntur istæ Nundinæ in solennes & minus solennes. Solennes, sunt mercatus publici ab Imp. priuilegiati, quorum priuilegia per vniuersam se extendunt Germaniam, atque Mercatores & merces omni gaudent securitate Germ. dicuntur *freye œffentliche Kayserliche Messen.* Rationem nominis ducunt vel a missis siue legatis Imperatoriis, vel ab *Ausmessen* vel potius a Missis pontificiis. Nundinæ minus solennes sunt *Iahr-und Wochen-Marckte.*

§. XVI.

§. XVII.

Habent enim hæ ſolennes Nundinæ ſuam originem a certis conuentibus feſtiuis & peregrinationibus religioſis. Dum enim quædam loca ob miracula, quæ credebant, copioſo hominum confluxu certis diebus frequentarentur, mercatores eo quoque venerunt, & ſenſim mercatum inſtituerunt, qui a frequentibus miſſis, quæ in locis iſtis celebrarentur, æque dictæ fuerunt miſſæ, eædemque poſtea priuilegiis Imperatoriis confirmatæ. Quare etiam tales mercatus primitus monaſteriis ſaltim conceſſi. Patet illud exemplis. In Francia quidem Dagobertus Rex, poſt feſtiuitatem Dionyſii & ſociorum, annualem mercatum eidem monaſterio conceſſit.* Sic Otto M. monaſterio S. Nazarii Laureshamenſi conceſſit mercatum in Wezenloch. ** Idem Otto Eccleſiæ Oſnabrugenſi conceſſit mercatum in loco Widdenbrugge. *** Clarius hoc patet ex Diplomate Conradi II. a. 1128. **** *Becelino viro venerabili Hammaburgenſi archipræſuli, ſuis ſucceſſoribus licentiam dedimus conſtruendi mercatum in loco, Heslingia nuncupato, in pago Eilangoa: eo ſcilicet tenore, vt aduocatus eiusdem Eccleſiæ, his diebus, quibus annualis mercatus inibi celebrari & confluentia populi maxima ſolet fieri, videlicet in feſtiuitate ſancti Viti martyris poteſtatem habeant banno noſtro conſtringendi omnes, qui illuc conuenerint, ad omnem iuſtitiam faciendam.* Quod poſtea ab Henrico III. fuit confirmatum. † Otto M. a. 966. Adalgago Archiepiſcopo licentiam concedit conſtruendi mercatum in loco Bremum, †† quod Conradus II. a. 1035. confirmauit, ††† ea lege, vt bis in anno omnes, qui illuc mercandi cauſſa veniunt, vna vice ſeptem dies ante Pentecoſten, ſecunda vice ſimiliter ſeptem dies ante feſtiuitatem S. Willehadi annualem mercatum illic habeant, eadem ratione mercatum Magdeburgenſem, qui

§. XIX.

Concedit itaque Ius Nundinarum ſolennium ſolus Imperator, * dum nundinas minus ſolennes, quarum priuilegia haut vltra territorium ſe extendunt, omnes Status concedant. Nec tamen facile concedit Imp. niſi auditis prius vicinis, & quorum poſſit intereſſe. ** Priuilegia *** nundinarum ſolennium potiora ſunt, quod Mercatores ad eadem tranſeuntes, publica ſecuritate per vniuerſum Imperium gaudeant, atque ad ipſorum petitum conduci debeant, quod vocatur *das Meß-Geleit*. Deinde durantibus iis, vsque dum ſignum campana datum, *bis die Meſſe ausgelautet;* nemo ob debitum priuatum arreſtari debeat. Excluduntur tamen ab hac immunitate banniti, homicidæ, fures ſaccularii, immo quiuis etiam huic priuilegio poterit renuntiare. †

* Patet hoc quodammodo ex R. I. Ratisbonæ de an. 1576. §. 219. vbi de libertate commerciorum, verbis: *das alles zu unſerer Kayſerl. beſondern Hoheit und Reſeruaten.* LEVBER *de Iure Stapulæ n. 487.*

** GAILIVS *obſ. LXIX. n. 24. 25.* LEVBER *c. l.*

*** Vid. pluribus FRITSCHIVS *de regali nundinarum Iure.*

† Hinc hodie Litteris cambialibus ſæpius ſolet inſeri, *mit Begebung der Meß-Freyheit.*

§. XX.

Sunt etiam qui Imp. tribuunt *Ius viarum publicarum, Kayſerliche freye Heerſtraſſen zu haben*, quod tamen hodie ſpectat ad Superioritatem Territorialem. † Concedunt æque *Ius aperturæ* in ſingulis in Imperio ſitis Ciuitatibus & caſtris, quod olim petierunt Carolus V. & in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1623. Ferdinandus II. neque tamen obtinuerunt. Hoc autem certum eſt, Status Imperii, præſertim Ciuitates Imperiales, pacis

pacis tempore, hoc ius aperturæ reuerentiæ & cultus ergo minime denegare posse. Quare etiam Ciuitates Imperiales Cæsari vel Regi Romanorum vrbem intranti claues offerre solent, quas tamen statim reddit. †† Huc etiam refertur *Ius Albergariæ*, ††† *die Atzungs Gerechtigkeit*, quo incolæ alicuius loci Dominis cum familia & comitibus aduentantibus non tantum hospitium, sed esculenta & potulenta præstant, quod tamen non obtinet, dum Ciuitates Imperiales Cæsari transeunti saltim certa munera, vna cum vino, piscibus & auena offerre soleant.

† Per R. I. Augustæ *de a. 1559. §. 33. 34.*
†† VITRIARIVS *lib. III. Tit. XIX.* §. *121.*
††† HORNIVS *prud. I. P. cap. XLIV.* §. *25.*

§. XXI.

Præter hæc Iura, soli Imp. reseruata, sunt etiam quædam, in quibus Electorum consensum requirere tenetur, quæ cum Electoribus communicata dicuntur. Huc refertur primo loco *Ius deliberandi de Imperii negotiis*, si res magni sint præiudicii, ita tamen, vt pleraque non nisi communi Statuum consensu possint decerni. *

* CAPIT. IOSEPHINA art. XXXVIII. *Wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen, so das Reich betreffen, und von hohen Praiuditz und weiterm Auffsehen seyn, bald Anfangs der Churfürsten, als Unserer innersten Rathen, Gedancken vernehmen, auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten und Standen Rath Bedenckens Uns gebrauchen, und ohne dieselbe hierin nichts vornehmen.*

§. XXII.

Secundo loco *Ius indicendi Comitia* non nisi cum Electorum consensu Imp. habet, licet solus in Comitiis proponat.

ætatis 20. etiam cura fratrum minorum fuit demandata. **

* Extat Diploma & Mandatum Leopoldi a. 1693. Eberhardo Ludouico Würtenbergensi concessum.apud LVNIGIVM *Forts. der II. Contin. p. 764.*

** Integrum Diploma exhibet LIMNÆVS *addit. Tom. pr. ad lib. II. c. IX. n. 151.*

§. VI.

Alterum est *ius Legitimandi filios naturales & spurios.* Filios quidem personarum illustrium non nisi solus legitimat Imperator. Recentissimum exemplum Antonii, Comitis Oldenburgensis, qui ab Imperatore Ferdinando III. natalibus fuit donatus, atque in Comitiis Ratisbonensibus anno 1654. S. R. Imperii Comitis dignitate ornatus. * Effectus legitimationis est, vt tales legitimati filiorum legitimorum instar habeantur, ita tamen, vt in feudis, in adgnatorum praeiudicium minime succedant. Reliqui, qui minoris sunt conditionis, legitimantur a Comitibus Palatinis. ** Licet etiam Principes Imperii vel ex concessione Imp.*** vel in Territorio suo idem Ius Legitimandi exerceant, prout a. 1716. in Ducatu Vinariensi fuit factum. **** Talis etiam Legitimatio, si personis subditis a Principibus Imperii fuerit facta, ex mutua beneuolentia ab aliis Statibus adgnosci solet. †

* ITTERVS *de feud. Imp. c. XIV. §. 5.*

** Exemplum, actumue legitimationis ab ipso factæ exhibet IACOBVS OTTO *in Hypotyposi Legitimationis p. 96.*

*** Prout Maximilianus I. Ottoni & Hermanno, Comitibus Hennebergicis concessit ius legitimandi sex personas illegitimas, prout Priuilegium exhibetur in ELECTIS IVRIS P. *T. IX. p. 579.*

**** Litteræ legitimationis extant in ELECTIS IVRIS PVBLICI *T. IX. p. 585* Sic etiam KNIPSCHILD *de Iure Ciu. Imper. lib. II. c. IV.*

c. IV. n. 101. docet, quod Ioachimus II. quendam legitimauerit, qui poſtea in Collegium *der Gewandt-Schneider* fuerit receptus.

† Prout etiam docetur in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. IX. p. 573.* & apud OTTONEM *p. 17.*

§. VII.

Tertium eſt *Ius reſtituendi famam*, ſiue infames priſtino honori famæque reſtituendi. Infamia vel facti vel iuris eſt. Iſta ex turpi facto citra legum notam oritur, & per vitæ emendationem aboletur. Iuris vero infamia ex lege oritur vel ciuili, vel prouinciali, vel Imperii. Quod ſi ex lege Ciuili infamia oriatur, Imp. eſt ius famæ reſtituendi, licet etiam hoc, quantum ad ſubditos competat Statibus Imperii.* Si infamia ex lege Prouinciali oritur, Statibus hoc æque licebit, eo quod non excedat iſta territorium. Infamia vero, quæ ex Legibus Imperii fuit orta, vt apud bannitos videmus, non niſi conſenſu Electorum atque Statuum Imperii poterit aboleri, dum contra Leges Imperii ſolus Imp. nihil valeat. Reſtitutio fit vel ad præuias ſupplicantis preces, re prius coram iudicio aulico examinata, vel tacite, ſi Imp. tales infames ſciens ad officia promoueat: In Diplomatibus autem inſeri ſolent hæc verba: *wir ſetzen ihn in den vorigen Stand, Würde, Ehre und Herrligkeit.* **

* Hoc pro merito adſeruit Dnus GRIBNERVS *Diſſ. de Iure reſtituendi famam Principibus Imperii vindicato.* Singulare exemplum in R. I. Spir. *de a. 1526. §. 6.* vbi Statibus Imperii relinquitur poteſtas ſubditos rebelles reſtituendi.

** Vid. LYNCKERI *Diſſert. de iure reſtituendi famam.*

§. VIII.

Quartum eſt *Ius abſoluendi a iuramento, quantum ad effectum agendi.* Quo Imperator alicui iuramentum inique

 extor-

extortum relaxat, vt ſine periurii metu poſſit agere. Quod ſi enim quis iniuſte ſe incarceratum putet, ſed præſtita Vrpheda dimiſſus, de illata iniuria velit conqueri, impeditur iuramento. Petit itaque a ſuperiori relaxationem. Pontificii quidem Papæ, tanquam ſupremo in eccleſiaſticis iudici hoc relaxandi ius tribuunt, qui etiam olim Imp. a iuramento in Pacis Inſtrumentis exteris Imperantibus præſtito abſoluerunt, * vel per Cardinales ** atque Nuntios ſuos hoc Ius, exercuerunt. Verum, per R. I. nouiſſimum *** res deciſa, & iudicibus ſecularibus fuit conceſſa. Conceditur autem hæc relaxatio vel ab Imperatore, vel a Camera, vel ratione Territorii etiam a Statibus **** in cauſſis ſaltim ciuilibus, ***** non in criminalibus. Effectum talem habet, vt remiſſo iuramento, petens habilis reddatur ad agendum, & ius ſuum perſequendum.

* Sic Iohannes VIII. Papa, Ludouicum II. Imp. abſoluit a iuramento, Adalgiſo, Beneuentanorum Tyranno præſtito, de quo REGINO ad a. 872. *Ioannes Papa Imperatorem iuramento, quo ſe obligauerat, authoritate Dei, & S. Petri abſoluit, adfirmans, nihil obeſſe, quod, ob mortis periculum euadendum coactus fecerat, nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem Reipublicæ, quamuis cum multis execrationibus fuerit prolatum.* Qua ratione Clemens VII. Papa Franciſcum I. a iuramento Madriti præſtito a. 1526. abſoluerit, diximus in S. H. G. *Diſſ. XXXII.* §. *XXVIII.*

** Sic Iulianus Cardinalis Papæ nomine Vladiſlaum atque Vngaros a iuramento Turcis præſtito a. 1444. abſoluit, S. H. G. *Diſſ. XXX.* §. *XIII.* Hugo Cardinalis Epiſcopum, Clerumque Argentoratenſem Alexandri IV. nomine a iuramento abſoluit, prout apud WENCKERVM *de Archiuis p. 166.* formula reperitur.

*** §. 164. *fin. dasienige was die Stende wegen der Nuntiorum Abſolutionen a Iuramentis, und dergleichen Relaxationes in den Gerichten, ſie geſchehen dann von dem ordentlichen Richter ad effectum agendi nicht zu attendiren ſeyn ſollen, hierbey erinnert, beobachten.*

**** Vid.

**** Vid. FABRICIVS *ad Mynsing. Cent. III. obs. 99. p. 566.* MYLER *de Stat. Imp. cap. XLIV.* §. 4.

***** Hinc minime in iure Gentium locum habet. Haut igitur adeo probamus, quod Carolus V. Imp. Mauritium Saxonem & Ioachimum Brandenburgicum a fide Philippo Hasso data absoluerit THVANVS *lib. VI. p. 198.*

§. IX.

Quintum est *Ius concedendi litteras moratorias*, quibus debitoribus obæratis ad certum tempus dilatio conceditur. Vocantur litteræ vel Rescripta moratoria, Litteræ Gratiæ, Securitatis, vulgo *Quinquennel*, quia vt plurimum ad quinque annos solent concedi. Germ. *Anstands-Briefe*, potius *eiserne Briefe*, quia iisdem quasi munitur debitor contra creditorem. *

* WILHELMVS ANTONIVS FREVNDEBERG *de rescriptis moratoriis.* IO. FRIDERICVS MOHR *de rescriptis dilatoriis.* BESOLDVS & SPEIDELIVS *voce Quinquennel.*

§. X.

Conceduntur tales Litteræ moratoriæ petentibus debitoribus, qui sine sua culpa, sola fortunæ iniuria facultatibus lapsi, *die aus unversehenen zugestandenen Vnfällen ihre Leib und Güter verdorben und aufgestanden sind.* Et quidem exponenda in litteris supplicibus desuper exhibitis iactura, qualitas debiti, præsens soluendi difficultas, testimonia Magistratus atque intentio debitoris de soluendo adhuc debito, post lapsum induciarum tempus. *

* Exprimuntur REFORM. POLITICA AVGVSTANA *de a. 1518. §. 22.*

§. XI.

Non autem solum Mercatoribus tales litteræ conceduntur, sed aliis quoque, immo integris Collegiis. Sic etiam

Status

Status Imperii tales obtinuerunt. Ferdinandus II. Goslariensi ciuitati octennales concesſit inducias. Argentoratenſi atque Wormatienſi Reipublicæ tales fuiſſe conceſſas, traditur. † Ferdinandus III. Electori Palatino reſcriptum moratorium, reſpectu debitorum antiquorum a. 1654. ad viginti annos indulſit. †† Idem Imp. a. 1644. vniuerſæ Sileſiæ Moratorium Generale concesſit. ††† Comitibus Naſſouio Saræpontanis Leopoldus duodecennales moratorias eſt largitus, easdemque a. 1678. ad decennium vsque extendit. †††† Ex quo etiam videmus, tempus vel annale eſſe poſſe, vel plurium annorum, pro arbitrio ſcilicet Imp. Fruuntur hoc iure æque Principes & Status Imperii qui in ſuis territoriis, ſpeciales ſaltim concedunt moratorias. †††††

† Refert BALTH. VENATORIVS *relat. Cameralibus III. n. 31.* Ipſæ litteræ moratoriæ extant apud LIMNÆVM *lib. VII. c. XIX.*

†† Hoc etiam R. I. nou. *de a. 1654. §. 176.* fuit definitum.

††† Extant Litteræ apud LVNIGIVM *P. ſpec. p. 809.*

†††† PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. II. §. 35.*

††††† MYLER *de Stat. Imp. p. II. c. LV. n. 1.*

§. XII.

Incipiunt hæ litteræ a tempore concesſionis, atque ſuſpendunt executionis ſolutionem, ita, vt debitor aut eiusdem bona per vniuerſum Imperium, currente induciarum tempore, nulla ratione a creditoribus posſint turbari, immo nec vſuræ peti. Locum tamen minime habet in debitis priuilegiatis, iuratis atque iis, in quibus expreſſe huic beneficio fuerit renuntiatum, niſi etiam iisdem hæc clauſula fuerit inſerta, *iuramento, renunciatione non obſtante.* *

* LIMNÆVS *lib. IV. c. VIII. n. 333.*

§. XIII.

Dum bello tricennali multi Germaniæ ciues bonis fuerint lapsi, iniquum videbatur, hos creditorum arbitrio relinquere, quare in Instrumento Pacis * constituebatur, vt Imperator tam Iudicii aulici quam Cameralis vota & consilia quæ in futuris Comitiis proponi, & in Constitutionem certam redigi possint, requireret. Inde in Comitiis Ratisbonensibus an. 1654. Imp. vtriusque Iudicii vota cum Statibus communicauit, qui consilium Imperialis Cameræ potissimum secuti, debitoribus æque ac creditoribus prospexerunt, ita, vt particularis solutio locum haberet, nec vsuræ vltra alterum tantum peti debeant. **

* *art. VIII. §. fin.*

** R. I. Nou. §. *171. sqq.* Commentatus de eadem materia est HENRICVS HAHNIVS. Durante vero bello tricennali plures in fauorem debitorum prodierunt Tractatus, de quibus in BIBL. IVRIS *cap. VI. §. LVIII.*

§. XIV.

Sextum est *ius concedendi Protectoria*, quibus impetrans in Cæsaris ac Imperii peculiarem tutelam contra omnem vim ac molestiam sub graui pœna violantis, maioris securitatis causa recipitur. Germ. *Kayserliche Protectoria, Schutz- und Schirm-Brieffe.* Conceditur hoc Ius Imp. in Capitulatione, * ita tamen, ne vergant in præiudicium Statuum & Imperii. Tempore belli plura reperimus exempla datorum ab Imp. Protectoriorum. ** Sic etiam Status in suis territoriis concedunt protectoria.

* Ferdinandi IV, *art. VI.* Leopoldi & Iosephi *art. VIII.*

** Plura recenset B. ROSLERVS eleganti Tractatu *de Protectoriis Cæsareis.* Tale Protectorium Academiæ nostræ Ratisbonæ d. 3. Ianuarii 1637. concessit Ferdinandus II. MÜLLERI *Ann. Sax. p. 354.* Sic etiam idem

MÜLLERVS ad d. 11. Iulii 1674. tradit: *ist von dem Kayser Leopolden der Vniuersitæt Iena ein dergestaltiges Protectorium ertheilet worden, das, so offt es derselben gefællig, oder die Nothdurfft erfordere, sie den Kayserlichen Adler, zum Zeugnüß dero Kayserlichen Special-Schutzes, an ihre Güter, Remda, und Apolda anschlagen lassen dœrffen.* Fridericus II. Imp. Argentoratenses in specialem Imperii Tutelam suscepit, prout Diploma WENCKERVS exhibet *de Registraturis p. 161.*

§. XV.

Septimum est *Ius concedendi nundinas solenniores.* Nundinarum nomen contractum est a Romanorum Nouendinis. Istæ autem feriæ erant paganorum, nono quoque die celebratæ, quibus agrestis plebs in vrbem conueniebat, venalia permutabat, iure inter se agebat, ac suffragia ferebat de negotiis publicis.* Inde Romani suas nundinas tanquam Christiani hebdomadas numerabant. Hinc, dum mercatus in iisdem agerentur, nundinarum nomen ad omnes mercatus fuit tractum.

* DIONYSIVS HALICARN. *lib. VII. p. 463.* MACROBIVS *Saturn. I c. XVI.* SYNTAGMA ANTIQVITATVM *cap. IX. p. 447.* ERYCIVS PVTEANVS *de Iure Nundinarum.*

§. XVI.

Diuiduntur istæ Nundinæ in solennes & minus solennes. Solennes, sunt mercatus publici ab Imp. priuilegiati, quorum priuilegia per vniuersam se extendunt Germaniam, atque Mercatores & merces omni gaudent securitate Germ. dicuntur *freye œffentliche Kayserliche Messen.* Rationem nominis ducunt vel a missis siue legatis Imperatoriis, vel ab *Ausmessen* vel potius a Missis pontificiis. Nundinæ minus solennes sunt *Iahr-und Wochen-Marckte.*

§. XVI.

§. XVII.

Habent enim hæ ſolennes Nundinæ ſuam originem a certis conuentibus feſtiuis & peregrinationibus religioſis. Dum enim quædam loca ob miracula, quæ credebant, copioſo hominum confluxu certis diebus frequentarentur, mercatores eo quoque venerunt, & ſenſim mercatum inſtituerunt, qui a frequentibus miſſis, quæ in locis iſtis celebrarentur, æque dictæ fuerunt miſſæ, eædemque poſtea priuilegiis Imperatoriis confirmatæ. Quare etiam tales mercatus primitus monaſteriis ſaltim conceſſi. Patet illud exemplis. In Francia quidem Dagobertus Rex, poſt feſtiuitatem Dionyſii & ſociorum, annualem mercatum eidem monaſterio conceſſit.* Sic Otto M. monaſterio S. Nazarii Laureshamenſi conceſſit mercatum in Wezenloch.** Idem Otto Eccleſiæ Oſnabrugenſi conceſſit mercatum in loco Widdenbrugge.*** Clarius hoc patet ex Diplomate Conradi II. a. 1128.**** *Becelino viro venerabili Hammaburgenſi archipræſuli, ſuis ſucceſſoribus licentiam dedimus conſtruendi mercatum in loco, Heslingia nuncupato, in pago Eilangoa: eo ſcilicet tenore, vt aduocatus eiusdem Eccleſiæ, his diebus, quibus annualis mercatus inibi celebrari & confluentia populi maxima ſolet fieri, videlicet in feſtiuitate ſancti Viti martyris poteſtatem habeant banno noſtro conſtringendi omnes, qui illuc conuenerint, ad omnem iuſtitiam faciendam.* Quod poſtea ab Henrico III. fuit confirmatum.† Otto M. a. 966. Adalgago Archiepiſcopo licentiam concedit conſtruendi mercatum in loco Bremum, †† quod Conradus II. a. 1035. confirmauit, ††† ea lege, vt bis in anno omnes, qui illuc mercandi cauſſa veniunt, vna vice ſeptem dies ante Pentecoſten, ſecunda vice ſimiliter ſeptem dies ante feſtiuitatem S. Willehadi annualem mercatum illic habeant, eadem ratione mercatum Magdeburgenſem, qui

vulgo dicitur *die Heermesse*, cœpisse testatur Gryphiander, †††† qui priuilegio Ottonis M. fuit confirmatus. ††††† Similem Mercatum Henricus III. Imp. an. 1056. Abbatiæ S. Maximini concessit. †††††† De Nundinis etiam Querfurtensibus testatur Spangenbergius, ††††††† easdem ex peregrinationibus religiosis suam traxisse originem. Hinc etiam Mercatus, qui in die inaugurationis Templorum institui solent, hodie adhuc dicuntur †††††††† *die Kirch-Messen*.

* MONACHVS S. DIONYSII *Gestis Dagoberti c. XXXV.* MABILLONIVS *lib. VI. n. 28. 44.* KRANZIVS *Saxonia lib. I. c. XXXII.* Sic enim Charta Dagoberti apud DOVBLETVM lib. III. c. III. *vt in honore Domini & gloriosi patroni Dionysii mercatus constituatur ad Missa ipsa.*

** Extat Diploma apud FREHERVM *Origg. Palat. p. 174.* & in TOLNERI *Cod. Diplom. n. 17.*

*** KRANZIVS *Metrop. III. c. XXV.*

**** Extat Diploma inter Diplom. LINDENBROGII *n. 20. p. 137.* & apud LVNIGIVM *Fortf. der II. Contin. p. 433.*

† LINDENBROGIVS *n. 21.*

†† *n. 9. p. 131.*

††† *n. 19. p. 137.*

†††† *de Weichbildis Saxonicis c. LXXIV. n. 29.*

††††† Extat Diploma apud LEVBERVM *de stapula n. 1190.*

†††††† Extat Diploma apud LVNIGIVM *Spicil. Eccles. Fortf. I. Theils p. 274.*

††††††† *Chron. Querfurt. lib. II. c. X.*

†††††††† Vid. HERTIVS *de Super. Territ. §. XXI.*

§. XVIII.

Præcipuæ maiores Nundinæ, quas hodie habemus, sunt Lipsienses, Francofurtenses ad Mœnum & Viadrum, Numburgenses, & quæ tempore Leopoldi accesserunt, Brunsuicenses. De Francofurtensium quidem Nundinis, easdem Moguntia a Friderico II. Francofurtum fuisse translatas auctor est

eſt Goldaſtus, * atque miſſam S. Bartholomæi dictam. Carolus IV. vero, dum Francofurtenſes Günthero Schwartzburgico adhæſiſſent, easdem Moguntiam reuocauit, quibus Güntherus Fridbergenſes nundinas Paſchales ſubſtituit. Sed Carolus in Imperio confirmatus, vtrasque & Moguntinas autumnales & Fridbergenſes vernales poſtea Francofurti reſtituit & confirmauit. ** Lipſienſes ſenſim cœperunt, & primum quidem per Theodericum Marchionem Landsbergi varia priuilegia mercatoribus fuerunt ceſſa, poſt vero a Friderico III. Maximiliano I. & Carolo V. Ius Stapulæ & Nundinarum ipſis fuit confirmatum, addito Priuilegio, ne intra quindecim milliaria, Ius Stapulæ vel Nundinarum ſolennium vlli ciuitati concedatur. *** Francofurtenſes ad Viadrum priuilegium ſuum obtinuerunt ab **** Alberto I. Imp. Treuirenſes etiam Nundinarum Ius ab Henrico VII. Imp. obtinuerunt, quod tamen ab ipſis minime fuit exercitum. †

* *Notis ad conſtitutionem Conſtantini Tom. III. Conſt. Imp. p. 1.* Priuilegium autem Friderici & Ludouici Bauari de his nundinis exhibet LIMNÆVS *lib. VII. c. XVI. n. 24.*

** S. H. G. *diſſ. XXVII.* §. *XI. XIV.*

*** Vid. late SCHNEIDERI *Chron. Lipſienſe p. 352. ſqq.* MÜLLERI *Ann. Sax. ad a. 1507.*

**** PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. II.* §. *40.*

† GESTA BALDVINI Lib. II. cap. V. *Nam etiam a fratre Henrico Rege nundinas nundinarumque libertates, vt Frankenfordienſes habent, quando eis exſpirant, videlicet a natiuitate beatæ Mariæ Virginis vsque in diem beati Remigii in capite Octobris duraturas, ciuitati Treuericæ ob eius & circumiacentis terræ meliorationem donari & indulgeri ſub ſigillo regio impetrauit, quam nundinarum libertatem Treuerenſis ſaltem circumquaque proximam per leucam, vt dicitur, eis bannitam obſeruare & defendere recuſarunt.*

 §. XIX.

§. XIX.

Concedit itaque Ius Nundinarum ſolennium ſolus Imperator, * dum nundinas minus ſolennes, quarum priuilegia haut vltra territorium ſe extendunt, omnes Status concedant. Nec tamen facile concedit Imp. niſi auditis prius vicinis, & quorum poſſit intereſſe. ** Priuilegia *** nundinarum ſolennium potiora ſunt, quod Mercatores ad eadem tranſeuntes, publica ſecuritate per vniuerſum Imperium gaudeant, atque ad ipſorum petitum conduci debeant, quod vocatur *das Meß-Geleit.* Deinde durantibus iis, vsque dum ſignum campana datum, *bis die Meſſe ausgelautet;* nemo ob debitum priuatum arreſtari debeat. Excluduntur tamen ab hac immunitate banniti, homicidæ, fures ſacculari, immo quiuis etiam huic priuilegio poterit renuntiare. †

* Patet hoc quodammodo ex R. I. Ratisbonæ de an. 1576. §. 219. vbi de libertate commerciorum, verbis: *das alles zu unſerer Kayſerl. beſondern Hoheit und Reſeruaten.* LEVBER *de Iure Stapulæ n. 487.*

** GAILIVS *obſ. LXIX. n. 24. 25.* LEVBER *c. l.*

*** Vid. pluribus FRITSCHIVS *de regali nundinarum Iure.*

† Hinc hodie Litteris cambialibus ſæpius ſolet inſeri, *mit Begebung der Meß-Freyheit.*

§. XX.

Sunt etiam qui Imp. tribuunt *Ius viarum publicarum, Kayſerliche freye Heerſtraſſen zu haben,* quod tamen hodie ſpectat ad Superioritatem Territorialem. † Concedunt æque *Ius aperturæ* in ſingulis in Imperio ſitis Ciuitatibus & caſtris, quod olim petierunt Carolus V. & in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1623. Ferdinandus II. neque tamen obtinuerunt. Hoc autem certum eſt, Status Imperii, præſertim Ciuitates Imperiales, pacis

pacis tempore, hoc ius aperturæ reuerentiæ & cultus ergo minime denegare posse. Quare etiam Ciuitates Imperiales Cæsari vel Regi Romanorum vrbem intranti claues offerre solent, quas tamen statim reddit. †† Huc etiam refertur *Ius Albergariæ*, ††† *die Atzungs Gerechtigkeit*, quo incolæ alicuius loci Dominis cum familia & comitibus aduentantibus non tantum hospitium, sed esculenta & potulenta præstant, quod tamen non obtinet, dum Ciuitates Imperiales Cæsari transeunti saltim certa munera, vna cum vino, piscibus & auena offerre soleant.

† Per R. I. Augustæ *de a. 1559. §. 33. 34.*
†† VITRIARIVS *lib. III. Tit. XIX.* §. *121.*
††† HORNIVS *prud. I. P. cap. XLIV.* §. *25.*

§. XXI.

Præter hæc Iura, soli Imp. reseruata, sunt etiam quædam, in quibus Electorum consensum requirere tenetur, quæ cum Electoribus communicata dicuntur. Huc refertur primo loco *Ius deliberandi de Imperii negotiis*, si res magni sint præiudicii, ita tamen, vt pleraque non nisi communi Statuum consensu possint decerni. *

* CAPIT. IOSEPHINA art. XXXVIII. *wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen, so das Reich betreffen, und von hohen Praiuditz und weiterm Aussehen seyn, bald Anfangs der Churfürsten, als Vnserer innersten Rathen, Gedancken vernehmen, auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten und Standen Rath Bedenckens Vns gebrauchen, und ohne dieselbe hierin nichts vornehmen.*

§. XXII.

Secundo loco *Ius indicendi Comitia* non nisi cum Electorum consensu Imp. habet, licet solus in Comitiis proponat.

nat. Primis quidem temporibus Comitia ex arbitrio Impp. indicta, cuius adhuc sub Friderico III. & Maximiliano I. * reperimus fundamenta. Licet etiam ipse Fridericus III. cum Electorum, Principumque consensu, prima sua Comitia Noribergam an. 1440. indixerit. ** A temporibus vero Caroli V. potestatem Impp. illimitatam hac in parte restrinxerunt Electores, vt non nisi cum ipsorum consensu eadem instituerent. ***

* Patet illud ex prooemio Reformationis Friderici III. de a. 1442. *und darum durch Anbringen, auch mit Beywesen und Rath unser, und des Heil. Reichs Churfürsten, und Fürsten, Geistlichen und Weltlichen, Graffen, Freyen, Herrn, Ritter, Knecht und Stædt, die wir dann durch sie selbst oder ihr machtige Sendboten, darum insonderheit her zu vns kommen, gebothen und geheissen haben.* Et in prooemio Recessus Treuirensis & Goloniensis de an. 1512. *so haben wir Churfürsten, Fürsten und andere Stande des Reichs, zu Vns anfenglich gen Trier, auf einen gemeinen Reichs-Tag erfordert, und denn nachfolgend aus trefflichen beweglichen Vrsachen her gegen Cœlln verrückt.* Idem fere in prooemio Recessus Wormatiensis *de a. 1518.*

** Patet hoc ex Litteris Conuocationis apud MÜLLERVM p. I. c. II. p. 14. *also haben wir mit der Ehrwürdigen und Hochgebohrnen, Vnserer Lieben Neven und Oheimen, unserer und des Heiligen Reichs Chur-Fürsten Send-Botten, die uns die vorgenannte Küre zubracht haben, und auch mit anderer unserer Getreuen vorbedachten Rath, ein Tag gen Nürnberg gesetzt.*

*** CAPIT. CAROLI V. art. XII. & sequentibus saltim requiritur consensus Electorum, sed in Capitulatione Ferdinandi III. art. XII. primum dicitur: *und sonderlich keinen Reichs-Tag ausserhalb des Reichs teutscher Nation, auch ehe und zuvor der sechs Chürfürsten Consens und Bewilligung, durch sonderbahre Schickung darin eingeholt, vornehmen oder ausschreiben*, quod posterioribus Capitulationibus CAROLINÆ etiam *Art. XIII.* fuit repetitum. Et licet in Recessibus sub Carolo V. publicatis, nulla fiat mentio consensus Electorum, potius in R. I. Ratisbonensi de an. 1527. §. 12. dicitur: *das*

das Austhun und Erkundigung eines Reichs-Tags Rœm. Kayſ. Mai. unſerm allergnadigſten Herrn eignet, quod tamen ſaltim reſpectu Comitis Montfortiſ, qui tanquam Vicarius Comitiis præerat, ita dicitur. In Receſſibus ſub Ferdinando I. ſemper dicitur, quod indictio facta conſilio & conſenſu Electorum, prout ex R. I. Spirenſi de a. 1559. §. 1. patet & reliquis.

§. XXIII.

Tenetur itaque Imp. per legatos & litteras prius ratione loci & temporis habendorum Comitiorum, Electorum conſenſum ſpeciatim requirere. * Id quod non ſolum de nouis dicendum, ſed etiam de translatione vel prorogatione Comitiorum veterum, prout ex translatione Comitiorum a. 1713. Auguſtam facta, pateſcit. ** Quod ſi Imp. Comitia non indicet, Electores ipſum de eodem poterunt admonere.

* R. I. Ratisbonæ de a. 1641. §. 2. *das zu ſolchen Ausſchreiben Vnſere und des H. Reichs Churfürſten und ein ieder derſelben abſonderlich zu Ausſchreibung eines Reichs-Tags ſchrifftlich und durch Schickung erſucht.* CAPIT. IOSEPHI *art. XVI.* CAPIT. CAROLINA *art. XIII.*

** Acta hac de Translatione extant apud ANT. FABRVM *Tomo XXII. c. X. & Tom. XXIV. c. V.*

§. XXIV.

Reliqua iura cum Electoribus communicata duplicis ſunt generis, vel enim vnanimis Electorum conſenſus requiritur, vel partis ſaltim maioris. Ad illa refertur *Ius concedendi Vectigalia.* Hæc olim ad reditus Impp. referebantur, vsque dum ſenſim Epiſcopatibus concederentur, * demum Electoribus & Statibus. Sub Friderico I. iamdum Telonia ſine Principum conſenſu conceſſa, fuerunt caſſata.** Sub Friderico II. etiam Imp. Status Imperii in Curia iamdum ſtatuerunt, nullum Telonium in damnum vel præiudicium alterius ab Imp. poſſe

concedi. *** Dum autem Electores potiora Imperii Vectigalia possideant, de hoc sibi in Capitulatione prospexerunt, ne noua concedantur, vel vetera augeantur sine speciali ipsorum consensu. **** Et cum plures Status sibi tacite Ius vectigalis de mercibus inuectis sub alio tamen nomine *Accis, Vmgeld, Niederlage, Stand- und Marckrecht*, sumserint, de hoc etiam se prospecturum cauet Imperator. †

* Exemplum nobis exhibent GESTA BALDVINI lib. II. c. III. *& deinde Confluentiam diuertens, ibi Treuerensis Ecclesia theolonii priuilegium perpetuo duraturum, precibus Domini Baldewini inclinatus fauorabiliter indulsit.* Videmus tamen iamdum Friderici III. Imp. temporibus, concessiones etiam Vectigalium ab Electoribus fuisse confirmatas, prout videmus in Diplomate, Rudolpho, Episcopo Herbipolitano a. 1468. super Teloneo concesso, apud LVNIGIVM *der I. Cont. III. Forts. p. 336.* in quo: *ex certa nostra scientia, & motu proprio sanoque Principum, Comitum, Baronum & Nobilium nostrorum & Imperii sacri fidelium, accedendo consilio ac iustis sufficientibus ac rationabilibus causis.* Fridericus Sapiens, Saxoniae Elector concessionem Telonii Coloniensis, Hermanno Coloniensi factam a. 1487. confirmauit, apud MVLLERVM *p. VI. c. XXXII.* Idem tamen Imp. solus etiam concessit Vectigalia, vtpote a. 1483. Salisburgensi Archiepiscopo *von Roemischer Kayserlicher Macht Vollkommenheit* concessit telonium vini, prout patet ex LVNIGIO *der I. Contin. III. Forts. p. 119.*

** Quare Fridericus I. cassauit Teloneum ab Henrico III. Imp. Theodorico, Cliuiae Comiti concessum, apud FRIDERICVM A SANDE *Comm. in Consuet. Geldriae Tr. II. c. V. n. 5.* vbi in Diplomate habetur: *dictam concessionem, quae sine constantia & consensu Principum Imperii facta fuit, cassauimus.*

*** Patet hoc ex Diplomate Friderici II. per quod Gerhardo Gelriae Comiti Telonium in sua ditione inhibuit apud GVIL. HEDAM *Chron. Traiect.* in quo: *quia cum apud Franckenfort in Curia solenniter indicta iudicio praesideremus, per Principes qui ibidem aderant, talis data*

data fuit sententia, & ab eisdem approbata, quod nullam auctoritatem siue Warandiam telonei in damnum vel praeiudicium alicuius nostra praestare serenitas potuisset. Alia Exempla adducit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Staat unter K. Fridrich den V. p. I. cap. XXIV. p. 318.*

**** CAPIT. CAROLI V. §. 18. IOSEPHI §. XX.

† CAPIT. IOSEPHI *art. XXI.* CAROLI VI. *art. VIII.*

§. XXV.

Habent igitur Status Imperii solum Ius percipiendi vectigalia, quae vel consuetudine vel ex speciali priuilegio obtinuerunt. * Haec autem saltim intelligenda de vectigalibus, quae de mercibus soluuntur, ripatica vero, vectoria, pedatica quae pro equis & rhedis soluuntur, *Brücken-Geld, Wege-Geld, Fähre-Geld,* ad Superioritatem spectant territorialem. ** Licet etiam olim Status ab Imp. desuper Priuilegium petierint. ***

* *R. I. de a. 1576. §. 118.*

** INSTRVM. PACIS *art. IX. §. 2.*

*** Patet hoc ex Sigismundi Imp. concessione Alberto Anhaltino facta, super duobus grossis Bohemicis von einem Fuder Zerbster Bier a. 1417. apud LVNIGIVM *II. Contin. III. Forts. p. 172.*

§. XXVI.

Regulariter omnes ad praestanda Vectigalia tenentur. Sunt tamen immunes Principes & Status Imperii, id quidem iure proprio, cum & olim Imperii Status ab Imp. hanc immunitatem fuerint adepti. * Immunes aeque sunt horum Legati ad Comitia, ** personae Camerales, † Nobiles Imperii immediati, †† Professores, Doctores, Clerici & personae ecclesiasticae.

† In Proiecto equidem Capitulationis perpetuæ art. VIII. dicitur: *und inskünfftige gantz keine Priuilegia auf Staffel-Gerechtigkeit mehr ertheilt werden.* Verum in CAROLINA *art. VIII.* ex IOSEPHINA *art. XX.* insertum est: *dergleichen auch von Vns niemanden, von was Würden oder Stand auch der oder dieselbe seyen, ohne oblauts des Churfürstlichen Collegii Consens und Einwilligung ertheilet werden.*

†† LEVBER *de Stapula n. 295.*

††† FRITSCHIVS *de regali Nundinarum iure p. 119.* LEVBER *c. l.*

†††† *lib. IV. c. XXII. p. 366.*

§. XXIX.

Neque tamen omnes merces Stapulæ subiiciuntur, sed illæ saltim, quæ ad victum & vsum quotidianum sunt necessariæ. Talia sunt frumentum, vinum, cereuisia, & quidquid ad potum facit, pisces, pisa, fabæ, & victualia, sal, linum, lignum, carbones, calx, molendina, lupulus, immo vtensilia quædam vtpote *Spinn-Räder* & reliqua. * Hinc differentia est inter *staffelbahre Güter* & *Mess-Güter*, quæ sunt reliqua bona, quæ in Stapula venum non exponenda.

* LEVBER *de Iure Stapulæ n. 298.* LEHMANN *c. l.* BESOLDVS voce *Stapel.* WEHNER *voce Staffel-Recht.* IO. WOLFG. TEXTOR *de Iure Stapulæ.*

§. XXX.

Priuilegia Stapulæ variant pro diuersitate loci: potiora tamen sunt, vt tales merces Stapulæ subiectæ exonerentur & in Stapula per certos dies venum exponantur, vbi liberum est siue ciui siue peregrino, tales merces emendi. Diebus Stapulæ definitis præterlapsis, libera facultas mercatoribus est, merces alio deuehendi. Habent etiam tales vrbes Ius *Kauf-Haus, Kramer, Schiffer und Kärcher, Obherren, Kramermeister und Kaufhaus-Knechte* constituendi; sunt etiam certi constituti iudices, qui controuersias circa has merces obortas diiudicent. *

* LEHMANN *lib. IV. c. XXII. p. 363.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Stapulæ ad Rhenum ſunt tres, Colonia Agrippina, Moguntia, Spira, * ad Moſellam Auguſta Treuirorum, ad Danubium Ratisbona, Ingolſtadtium, Paſſauium, ad Viſurgim Brema, ad Albim Magdeburgum, Hamburgum. Buchorn, ciuitas Imperialis Sueuiæ Ius Stapulæ habet illorum bonorum, quæ a S. Gallo & Steinach, ſuper Lacum Lemanum in Sueuiam vehuntur. Terreſtri itinere iure Stapulæ gaudet Lipſia. Donawerda Stapulam Salis habet. **

* LEHMANN *c. l.*

** De hac plurimum controuertebatur poſtquam hæc Ciuitas Iuribus Imperii iterum fuiſſet addita, de quo in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tomo II. p. 759.*

§. XXXII.

A iure Stapulæ diſtinctum eſt *Ius Emporii*, vbi non niſi Ciuibus licitum eſt, merces expoſitas emendi, quas exteri a ciuibus emere tenentur. * Hoc itaque eandem conceſsionem requirit. *Ius Geranii* vero *Kranen-Gerechtigkeit* ſingulis competit, qui Ius Vectigalium habent, ne vectigalia defraudentur. In Geranii itaque compendium libræ prægrandes & machinariæ iuxta portum extrui ſolent, quarum adminiculo onera ex nauibus facili labore extrahuntur, vt ponderari poſſint atque menſurari, ita tamen, vt ſoluto vectigali, liberum ſit nautæ, quascunque merces ſtatim alio deuehendi. **

* LEVBERVS *n. 491.*

** LEVBERVS *n. 490.*

§. XXXIII.

Vindicarunt ſibi Electores Ius, vt cum ipſorum ſolum conſenſu Imp. *Statum Banno Imperiali notari* queat, ſed cum hoc ad iura Comitialia per Capitulationem nuperam fuerit relatum, vbi de Iuribus Comitialibus agendum, de eodem plenius dicetur.

* *c. XXIV.*

§. XIX.

Concedit itaque Ius Nundinarum ſolennium ſolus Imperator, * dum nundinas minus ſolennes, quarum priuilegia haut vltra territorium ſe extendunt, omnes Status concedant. Nec tamen facile concedit Imp. niſi auditis prius vicinis, & quorum poſſit intereſſe. ** Priuilegia *** nundinarum ſolennium potiora ſunt, quod Mercatores ad eadem tranſeuntes, publica ſecuritate per vniuerſum Imperium gaudeant, atque ad ipſorum petitum conduci debeant, quod vocatur *das Meß-Geleit*. Deinde durantibus iis, vsque dum ſignum campana datum, *bis die Meſſe ausgelautet;* nemo ob debitum priuatum arreſtari debeat. Excluduntur tamen ab hac immunitate banniti, homicidæ, fures ſacculárii, immo quiuis etiam huic priuilegio poterit renuntiare. †

* Patet hoc quodammodo ex R. I. Ratisbonæ de an. 1576. §. 219. vbi de libertate commerciorum, verbis: *das alles zu unſerer Kayſerl. beſondern Hoheit und Reſeruaten.* LEVBER *de Iure Stapulæ n. 487.*

** GAILIVS *obſ. LXIX. n. 24. 25.* LEVBER *c. l.*

*** Vid. pluribus FRITSCHIVS *de regali nundinarum Iure.*

† Hinc hodie Litteris cambialibus ſæpius ſolet inſeri, *mit Begebung der Meß-Freyheit.*

§. XX.

Sunt etiam qui Imp. tribuunt *Ius viarum publicarum, Kayſerliche freye Heerſtraſſen zu haben*, quod tamen hodie ſpectat ad Superioritatem Territorialem. † Concedunt æque *Ius aperturæ* in ſingulis in Imperio ſitis Ciuitatibus & caſtris, quod olim petierunt Carolus V. & in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1623. Ferdinandus II. neque tamen obtinuerunt. Hoc autem certum eſt, Status Imperii, præſertim Ciuitates Imperiales, pacis

pacis tempore, hoc ius aperturæ reuerentiæ & cultus ergo minime denegare posse. Quare etiam Ciuitates Imperiales Cæsari vel Regi Romanorum vrbem intranti claues offerre solent, quas tamen statim reddit. †† Huc etiam refertur *Ius Albergariæ*, ††† *die Atzungs Gerechtigkeit*, quo incolæ alicuius loci Dominis cum familia & comitibus aduentantibus non tantum hospitium, sed esculenta & potulenta præstant, quod tamen non obtinet, dum Ciuitates Imperiales Cæsari transeunti saltim certa munera, vna cum vino, piscibus & auena offerre soleant.

† Per R. I. Augustæ *de a. 1559. §. 33. 34.*
†† VITRIARIVS *lib. III. Tit. XIX.* §. *121.*
††† HORNIVS *prud. I. P. cap. XLIV.* §. *25.*

§. XXI.

Præter hæc Iura, soli Imp. reseruata, sunt etiam quædam, in quibus Electorum consensum requirere tenetur, quæ cum Electoribus communicata dicuntur. Huc refertur primo loco *Ius deliberandi de Imperii negotiis*, si res magni sint præiudicii, ita tamen, vt pleraque non nisi communi Statuum consensu possint decerni. *

* CAPIT. IOSEPHINA art. XXXVIII. *wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen, so das Reich betreffen, und von hohen Praiuditz und weiterm Aussehen seyn, bald Anfangs der Churfürsten, als Unserer innersten Rathen, Gedancken vernehmen, auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten und Standen Rath Bedenckens Uns gebrauchen, und ohne dieselbe hierin nichts vornehmen.*

§. XXII.

Secundo loco *Ius indicendi Comitia* non nisi cum Electorum consensu Imp. habet, licet solus in Comitiis proponat.

nat. Primis quidem temporibus Comitia ex arbitrio Impp. indicta, cuius adhuc sub Friderico III. & Maximiliano I. * reperimus fundamenta. Licet etiam ipse Fridericus III. cum Electorum, Principumque consensu, prima sua Comitia Noribergam an. 1440. indixerit. ** A temporibus vero Caroli V. potestatem Impp. illimitatam hac in parte restrinxerunt Electores, vt non nisi cum ipsorum consensu eadem instituerent. ***

* Patet illud ex procemio Reformationis Friderici III. de a. 1442. *und darum durch Anbringen, auch mit Beywesen und Rath unser, und des Heil. Reichs Churfürsten, und Fürsten, Geistlichen und Weltlichen, Graffen, Freyen, Herrn, Ritter, Knecht und Stadt, die wir dann durch sie selbst oder ihr machtige Sendboten, darum insonderheit her zu vns kommen, gebothen und geheissen haben.* Et in procemio Recessus Treuirensis & Goloniensis de an. 1512. *so haben wir Churfürsten, Fürsten und andere Stande des Reichs, zu Vns anfenglich gen Trier, auf einen gemeinen Reichs-Tag erfordert, und denn nachfolgend aus trefflichen beweglichen Vrsachen her gegen Cœlln verrückt.* Idem fere in procemio Recessus Wormatiensis *de a. 1518.*

** Patet hoc ex Litteris Conuocationis apud MÜLLERVM p. I. c. II. p. 14. *also haben wir mit der Ehrwürdigen und Hochgebohrnen, Vnserer Lieben Neven und Oheimen, unserer und des Heiligen Reichs Chur-Fürsten Send-Botten, die uns die vorgenannte Küre zubracht haben, und auch mit anderer unserer Getreuen vorbedachten Rath, ein Tag gen Nürnberg gesetzt.*

*** CAPIT. CAROLI V. art. XII. & sequentibus saltim requiritur consensus Electorum, sed in Capitulatione Ferdinandi III. art. XII. primum dicitur: *und sonderlich keinen Reichs-Tag ausserhalb des Reichs teutscher Nation, auch ehe und zuvor der sechs Chürfürsten Consens und Bewilligung, durch sonderbahre Schickung darin eingeholt, vornehmen oder ausschreiben,* quod posterioribus Capitulationibus CAROLINÆ etiam *Art. XIII.* fuit repetitum. Et licet in Recessibus sub Carolo V. publicatis, nulla fiat mentio consensus Electorum, potius in R. I. Ratisbonensi de an. 1527. §. 12. dicitur: *das*

das

das Austhun und Erkundigung eines Reichs-Tags Ræm. Kayſ. Mai. unſerm allergnædigſten Herrn eignet, quod tamen ſaltim reſpectu Comitis Montfortiſ, qui tanquam Vicarius Comitiis præerat, ita dicitur. In Receſſibus ſub Ferdinando I. ſemper dicitur, quod indictio facta conſilio & conſenſu Electorum, prout ex R. I. Spirenſi de a. 1559. §. 1. patet & reliquis.

§. XXIII.

Tenetur itaque Imp. per legatos & litteras prius ratione loci & temporis habendorum Comitiorum, Electorum conſenſum ſpeciatim requirere. * Id quod non ſolum de nouis dicendum, ſed etiam de translatione vel prorogatione Comitiorum veterum, prout ex translatione Comitiorum a. 1713. Auguſtam facta, pateſcit. ** Quod ſi Imp. Comitia non indicet, Electores ipſum de eodem poterunt admonere.

* R. I. Ratisbonæ de a. 1641. §. 2. *das zu ſolchen Ausſchreiben Unſere und des H. Reichs Churfürſten und ein ieder derſelben abſonderlich zu Ausſchreibung eines Reichs-Tags ſchrifftlich und durch Schickung erſucht.* CAPIT. IOSEPHI *art. XVI.* CAPIT. CAROLINA *art. XIII.*

** Acta hac de Translatione extant apud ANT. FABRVM *Tomo XXII. c. X. & Tom. XXIV. c. V.*

§. XXIV.

Reliqua iura cum Electoribus communicata duplicis ſunt generis, vel enim vnanimis Electorum conſenſus requiritur, vel partis ſaltim maioris. Ad illa refertur *Ius concedendi Vectigalia.* Hæc olim ad reditus Impp. referebantur, vſque dum ſenſim Epiſcopatibus concederentur, * demum Electoribus & Statibus. Sub Friderico I. iamdum Telonia ſine Principum conſenſu conceſſa, fuerunt caſſata. ** Sub Friderico II. etiam Imp. Status Imperii in Curia iamdum ſtatuerunt, nullum Telonium in damnum vel præiudicium alterius ab Imp. poſſe

concedi. *** Dum autem Electores potiora Imperii Vectigalia possideant, de hoc sibi in Capitulatione prospexerunt, ne noua concedantur, vel vetera augeantur sine speciali ipsorum consensu. **** Et cum plures Status sibi tacite Ius vectigalis de mercibus inuectis sub alio tamen nomine *Accis, Vmgeld, Niederlage, Stand- und Marckrecht*, sumserint, de hoc etiam se prospecturum cauet Imperator. †

* Exemplum nobis exhibent GESTA BALDVINI lib. II. c. III. *& deinde Confluentiam diuertens, ibi Treuerensis Ecclesia theolonii priuilegium perpetuo duraturum, precibus Domini Baldewini inclinatus fauorabiliter indulsit.* Videmus tamen iamdum Friderici III. Imp. temporibus, concessiones etiam Vectigalium ab Electoribus fuisse confirmatas, prout videmus in Diplomate, Rudolpho, Episcopo Herbipolitano a. 1468. super Teloneo concesso, apud LVNIGIVM *der I. Cont. III. Fortf. p. 336.* in quo: *ex certa nostra scientia, & motu proprio sanoque Principum, Comitum, Baronum & Nobilium nostrorum & Imperii sacri fidelium, accedendo consilio ac iustis sufficientibus ac rationabilibus caussis.* Fridericus Sapiens, Saxoniae Elector concessionem Telonii Coloniensis, Hermanno Coloniensi factam a. 1487. confirmauit, apud MVLLERVM *p. VI. c. XXXII.* Idem tamen Imp. solus etiam concessit Vectigalia, vtpote a. 1483. Salisburgensi Archiepiscopo *von Ræmischer Kayserlicher Macht Vollkommenheit* concessit telonium vini, prout patet ex LVNIGIO *der I. Contin. III. Fortf. p. 119.*

** Quare Fridericus I. cassauit Teloneum ab Henrico III. Imp. Theodorico, Cliuiae Comiti concessum, apud FRIDERICVM a SANDE *Comm. in Consuet. Geldriae Tr. II. c. V. n. 5.* vbi in Diplomate habetur: *dictam concessionem, quae sine constantia & consensu Principum Imperii facta fuit, cassauimus.*

*** Patet hoc ex Diplomate Friderici II. per quod Gerhardo Gelriae Comiti Telonium in sua ditione inhibuit apud GVIL. HEDAM *Chron. Traiect.* in quo: *quia cum apud Franckenfort in Curia solenniter indicta iudicio praesideremus, per Principes qui ibidem aderant, talis data*

data fuit sententia, & ab eisdem approbata, quod nullam auctoritatem siue Warandiam telonei in damnum vel praeiudicium alicuius nostra praestare serenitas potuisset. Alia Exempla adducit MÜLLERVS *Reichs-Tags-Staat unter K. Fridrich den V. p. I. cap. XXIV. p. 318.*

**** CAPIT. CAROLI V. *§. 18.* IOSEPHI §. *XX.*

† CAPIT. IOSEPHI *art. XXI.* CAROLI VI. *art. VIII.*

§. XXV.

Habent igitur Status Imperii solum Ius percipiendi vectigalia, quæ vel consuetudine vel ex speciali priuilegio obtinuerunt. * Hæc autem saltim intelligenda de vectigalibus, quæ de mercibus soluuntur, ripatica vero, vectoria, pedatica quæ pro equis & rhedis soluuntur, *Brücken-Geld, Wege-Geld, Fähre-Geld,* ad Superioritatem spectant territorialem. ** Licet etiam olim Status ab Imp. desuper Priuilegium petierint. ***

* *R. I. de a. 1576.* §. *118.*

** INSTRVM. PACIS *art. IX. §. 2.*

*** Patet hoc ex Sigismundi Imp. concessione Alberto Anhaltino facta, super duobus grossis Bohemicis von einem Fuder Zerbster Bier a. 1417. apud LVNIGIVM *II. Contin. III. Forts. p. 172.*

§. XXVI.

Regulariter omnes ad præstanda Vectigalia tenentur. Sunt tamen immunes Principes & Status Imperii, id quidem iure proprio, cum & olim Imperii Status ab Imp. hanc immunitatem fuerint adepti. * Immunes æque sunt horum Legati ad Comitia, ** personæ Camerales, † Nobiles Imperii immediati, †† Professores, Doctores, Clerici & personæ ecclesiasticæ.

* Prout Maximilianus I. a. 1495. Principibus Anhaltinis eiusmodi immunitatem singulari Priuilegio concessit, quod exhibet LVNIGIVS *der II. Contin. III. Forts. p. 180.*

** Hisce singulari priuilegio hæc immunitas fuit concessa, quam exhibet FRITSCHIVS *p. II. Elect. I.P.c.V.* quæ dein per Leopoldum anno 1666. denuo fuit confirmata, quod exhibet LVNIG *p. Gen. p. 656.* FABER *Staats Cantzelley T. I. p. 13.*

† *R. I. nou. §. 141.*

†† LIMNÆVS *l. VI. c. III. n. 52. 66.* BVRGERMEISTER *vom Reichs-Adel p. 41.* FERDIN. CHRISTOPH. HARPRECHTVS *de Immunitate a Collectis* §. *XXVII.*

§. XXVII.

De duabus adhuc dicendum est controuersiis circa Vectigalia. Prima est de Vectigali Oldenburgico ad Visurgim. Dum enim Ferdinandus II. cum Electorum consensu Antonio Günthero, Oldenburgensium Comiti d. vltima Martii 1623. telonium in feudum Imperii concessisset, & Diploma huius noui Vectigalis Cameræ Spirensi insinuari fecisset, Comes prope Elsfleth signum noui telonii in Territorio suo erigi curauit, idemque ius exercuit, de quo etiam denuo an. 1643. eundem inuestiuit Ferdinandus III. quod postea per Instrumentum Pacis † fuit confirmatum. Protestabatur quidem circa pacis ratificationem nomine Ciuitatum Lubeca, sed nihil obtinuit. Dum autem Bremenses exactioni vectigalis sese acerrime opponerent, banno Imperii fuerunt notati, sed absoluti, cum cautione, de non amplius turbando Comitem in exactione vectigalis. Defuncto Comite Oldenburgico, idem ius sibi sumsit Rex Danorum. †† Glückstadtiense telonium vero ad Albim Danorum Regi per pacem Lubecensem a. 1629. ad quatuor annos fuit concessum, sed an. 1637. contradicentibus Ciuitatibus Hanseaticis finitum, licet Danorum Rex eiusdem prorogationem frustra peteret. ††† Idem anno

anno 1679. denuo petebat Danorum Rex ob auxilia Imperio contra Suecos præstita, ad summam vsque sex auri tonnarum. Fauebant Electores, sed contradicebant Principes, nec sine ratione, cum de satisfactione, nomine Imperii danda hic ageretur, rem sine consensu Comitiali minime esse concedendam, quam plane denegabant, dum in præiudicium vergeret vniuersi Imperii, Circuli potissimum Saxoniæ Superioris atque Inferioris. ††††

† *Art. IX. §. 2.* Rationes Iuris Oldenburgici exhibentur in LVNIGII *Grundveste p. II. p. 523.*

†† Historiam controuersiæ optime declarauit BVRGOLDENSIS *Disc. ad Instrum. Pacis p. III. §. XII.* LIMNÆVS *Tom. V. add. ad lib. VII. c. VII.* Acta extant apud LONDORPIVM *Tom. XVII. c. VI.*

††† De hac Controuersia inter Daniæ Regem & Hamburgenses, THEATR. EVROP. *T. II. p. 151.* & singularis extat Apologia apud MEYERVM *Lond. suppl. Tom. II. p. 663.* Denegationem prorogationis exhibet Cæsar & Collegium Electorale, apud LONDORPIVM *Tomo IV. p. 689.* LVNIGIVM *Cont. II. f. IV. p. 73.*

†††† EVROP. HEROLD *Tom. I. p. 529.* Acta hac de re extant apud FRITSCHIVM *Electu I. P. c. XI.* LONDORP. *Tom. XVII. c. VII.*

§. XXVIII.

Eadem ratione requiritur vnanimis Electorum consensus ad *concessionem Iuris Stapulæ.* † Stapula est forum, seu locus publicus, in vrbe designatus, quo merces exonerandæ, & per aliquot dies venum sunt exponendæ, antequam alio deuehantur. †† Dicitur a Germanico *Stapeln,* ††† quod termino technico notat merces compingere, licet etiam a gradibus, siue *Staffeln,* deducat Lehmannus, †††† *das sie an den Staffeln ausgeladen und überschlagen werden müssen,* vulgo dicitur *die Niederlage.*

† In Proiecto equidem Capitulationis perpetuæ art. VIII. dicitur: *und inskünfftige gantz keine Priuilegia auf Staffel-Gerechtigkeit mehr ertheilt werden.* Verum in CAROLINA *art. VIII.* ex IOSEPHINA *art. XX.* insertum est: *dergleichen auch von Vns niemanden, von was Würden oder Stand auch der oder dieselbe seyen, ohne oblauts des Churfürstlichen Collegii Consens und Einwilligung ertheilet werden.*

†† LEVBER *de Stapula n. 295.*

††† FRITSCHIVS *de regali Nundinarum iure p. 119.* LEVBER *c. l.*

†††† *lib. IV. c. XXII. p. 366.*

§. XXIX.

Neque tamen omnes merces Stapulæ subiiciuntur, sed illæ saltim, quæ ad victum & vsum quotidianum sunt necessariæ. Talia sunt frumentum, vinum, cereuisia, & quidquid ad potum facit, pisces, pisa, fabæ, & victualia, sal, linum, lignum, carbones, calx, molendina, lupulus, immo vtensilia quædam vtpote *Spinn-Räder* & reliqua. * Hinc differentia est inter *staffelbahre Güter* & *Mess-Güter*, quæ sunt reliqua bona, quæ in Stapula venum non exponenda.

* LEVBER *de Iure Stapulæ n. 298.* LEHMANN *c. l.* BESOLDVS *voce Stapel.* WEHNER *voce Staffel-Recht.* IO. WOLFG. TEXTOR *de Iure Stapulæ.*

§. XXX.

Priuilegia Stapulæ variant pro diuersitate loci: potiora tamen sunt, vt tales merces Stapulæ subiectæ exonerentur & in Stapula per certos dies venum exponantur, vbi liberum est siue ciui siue peregrino, tales merces emendi. Diebus Stapulæ definitis præterlapsis, libera facultas mercatoribus est, merces alio deuehendi. Habent etiam tales vrbes Ius *Kauf-Haus, Kramer, Schiffer und Kärcher, Obherren, Kramermeister und Kaufhaus-Knechte* constituendi; sunt etiam certi constituti iudices, qui controuersias circa has merces obortas diiudicent. *

* LEHMANN *lib. IV. c. XXII. p. 363.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Stapulæ ad Rhenum ſunt tres, Colonia Agrippina, Moguntia, Spira, * ad Moſellam Auguſta Treuirorum, ad Danubium Ratisbona, Ingolſtadtium, Paſſauium, ad Viſurgim Brema, ad Albim Magdeburgum, Hamburgum. Buchorn, ciuitas Imperialis Sueuiæ Ius Stapulæ habet illorum bonorum, quæ a S. Gallo & Steinach, ſuper Lacum Lemanum in Sueuiam vehuntur. Terreſtri itinere iure Stapulæ gaudet Lipſia. Donawerda Stapulam Salis habet. **

* LEHMANN *c. l.*

** De hac plurimum controuertebatur poſtquam hæc Ciuitas Iuribus Imperii iterum fuiſſet addita, de quo in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tomo II. p. 759.*

§. XXXII.

A iure Stapulæ diſtinctum eſt *Ius Emporii*, vbi non niſi Ciuibus licitum eſt, merces expoſitas emendi, quas exteri a ciuibus emere tenentur. * Hoc itaque eandem conceſſionem requirit. *Ius Geranii* vero *Kranen-Gerechtigkeit* ſingulis competit, qui Ius Vectigalium habent, ne vectigalia defraudentur. In Geranii itaque compendium libræ prægrandes & machinariæ iuxta portum extrui ſolent, quarum adminiculo onera ex nauibus facili labore extrahuntur, vt ponderari poſſint atque menſurari, ita tamen, vt ſoluto vectigali, liberum ſit nautæ, quaſcunque merces ſtatim alio deuehendi. **

* LEVBERVS *n. 491.*

** LEVBERVS *n. 490.*

§. XXXIII.

Vindicarunt ſibi Electores Ius, vt cum ipſorum ſolum conſenſu Imp. *Statum Banno Imperiali notari* queat, ſed cum hoc ad iura Comitialia per Capitulationem nuperam fuerit relatum, vbi de Iuribus Comitialibus agendum, de eodem plenius dicetur.

* *c. XXIV.*

§. XXXIV.

Deinde, non nisi Electorum consensu secundum vota maiora *Ius cudendi monetam* concedit Imperator. Hoc Ius olim ad reseruata Impp. spectabat, postea a temporibus Carolingicis sensim Episcopis fuit concessum atque monasteriis, * ex quo media ætate tot nummi bracteati episcopales, qui vulgo *Pfaffen-Pfennige* dicuntur, occurrunt. Hinc iis, quibus ius Nundinarum concessum, insimul Ius cudendi monetam tanquam adnexum, datum, prout diuersa testantur Diplomata. ** Primis temporibus nullo alio in loco quam in Palatio Imp. Moneta erat signanda, nisi aliter ab ipso fuisset ordinatum, *** vel ipsis Imperii Statibus ratione loci dispensatum. **** De eo vero adhuc disputatur, quo Iure Duces Principesque Seculares Ius Monetam cudendi exercere cœperint. Sunt equidem, qui Episcopis saltim hanc facultatem ab Impp. fuisse concessam contendant; dum Seculares eandem ex Superioritatis Iure exercuerint, & nulla reperiatur concessio desuper Secularibus facta. ***** Verum, nemo forsan dubitabit, antiquiores in Germania esse nummos Episcopales Ducalibus, eo quod ipsi soli Ius hoc ab Imp. obtinuerint. Seculares vero ad imitationem Episcoporum atque Abbatum hoc Ius, crescente ipsorum inter turbas Germaniæ potestate, sibi sumserunt, licet Iure Feudali ****** adhuc inter Imp. Regalia reseruaretur. Licet autem Ius argentum cudendi Principes tam Seculares quam Ecclesiastici exercuerunt, vix tamen crederem, auream Monetam ab iisdem fuisse cusam, vsque dum Carolus IV. per A. B. hoc Ius Electoribus concederet, ******* quod hinc inde fuit confirmatum † & per diuersa Priuilegia etiam Principibus, Comitibus atque quibusdam Vrbibus Imperialibus concessum. Con-

Confirmat hoc tanto magis Priuilegium Caroli IV. Friderico, Noribergensi Burggrauio a. 1361. concessum, per quod ipsi atque hæredibus concedit Ius nummos atque Halenses *Heller und Pfennige* Baruthi vel Culmbaci cudendi, ad normam Noribergensium. †† Patet hoc etiam ex eo, quod in Recessibus Imperii, quibus de iure monetandi fit mentio, semper dicatur *Churfürsten und Fürsten die Müntze zu schlagen gefreyet sind.* ††† Potissimum vero hoc ex Capitulationibus patet, quod Monetandi Ius illis prohiberi debeat, qui illud nec ex priuilegio neque ex præscriptione obtinuerunt. †††† His tamen, qui metallifodinas in terris suis habent, idem ius ex Legibus Imperii competit, vt in locis metallifodinarum monetas cudere possint, ††††† haut tamen vltra modum metalli reperti. †††††† Principes quoque, quibus hoc Ius competebat, Ciuitatibus suis Municipalibus Monetas cudere concesserunt. ††††††† Hodie Principes regentes & Comites, vel ex speciali Priuilegio, vel etiam vsu & præscriptione hoc Ius sibi vindicarunt, ita tamen, vt eodem vti debeant secundum Leges Imperii.* In Ciuitatibus Imperii constituti fuerunt certi Nobiles, qui curam haberent Monetæ, quod Argentorati vocabatur, *das Müntzmeisterthumb*, quod munus ab Episcopis concedebatur. ** Eiusmodi *Müntz-Genossen* fuerunt etiam Spiræ, Wormatiæ, Francofurti, prout hodie adhuc in dictis Ciuitatibus reperiuntur *die Müntz-Geschlechter*, vsque dum ipsæ Ciuitates hoc Ius ex priuilegio Impp. fuerunt adeptæ, de quo Nobiles plurimum fuerunt conquesti. ***

* Sic MABILLONIVS *de Re Diplom. lib. III. c. I. §. VI.* ex Actis Translationis S. Medardi adducit, Ludouicum Pium Cœnobio S. Medardi *monetam publicam cum incudibus & trapezetam perpetuo famulatu sacris ipsius deseruituram substituisse.* Idem MABILLONIVS adducit Diploma Ludouici Pii, in quo: *quia vir venerabilis Cenomani-*

ca

ea vrbis Episcopus, Aldricus nomine, nobis innotuit, eo quod antecessores sui Merolus scilicet & Gauziolenus, atque praedecessores eorum in praedicta vrbe, monetam publicam per praecepta bona memoriae domini & genitoris nostri Karoli & Pippini aui nostri, siue Theoderici Regis, atque anteriorum Regum, plena eorum auctoritate concessam praedictam monetam habuissent. De Landfrido Campidonensi Principe & Abbate testatur GABR. BVCELINVS *Chron. Constantiensi ad a. 892.* ipsum Ius monetam cudendi primum vsurpasse. Plura Exempla adducit LE BLANC *Traité Histor. de Monnoyes de France p. 90. sqq.* GVIL. HEDA *Chron. Traiect. p. 17.* & *144.* ANT. DADINVS ALTESERRA *de Duc. & Comit. Prouinc. lib. II. c. V.* LVDEWIG *ad A. B. p. 888.*

** Sic enim in Diplomate Ludouici Pii Monasterio Corbeiensi a. 820. concesso, apud FERDIN. FÜRSTENBERGIVM *Monum. Paderborn. p. 121. Insuper etiam quia locum mercationis ipsa regia indigebat, monetam nostrae auctoritatis publicam vltra ibi semper inesse Christo militantibus proficuam statuimus.* In concessione mercatus Bremensis apud LINDENBROGIVM n. 19. dicitur: *mercatum in eodem loco cum theloneo, numismatibus, nec non omnibus vtilitatibus, ad mercatum pertinentibus.* Aliud n. 20. de mercatu Heslingensi: *mercatum ex integro construendi, bannum & theloneum, nec non etiam monetam, & quicquid inde Regius Reipublicae fiscus obtinere poterit, Hamburgensi conferimus sedi.* Sic in priuilegio Ottonis M. Ecclesiae Magdeburgensi concesso, apud LEVBERVM *n. 1190. mercatum in Magdeburg & monetam, omnesque telonii fructus vel vsuras.*

*** CAPIT. II. a. 805. c. XVIII. *de falsis monetis quia in multis locis contra iustitiam & contra edictum nostrum fiant, volumus vt nullo alio loco moneta sit nisi in palatio nostro, nisi forte a nobis iterum aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarii qui modo monetati sunt, si pensantes & meri sunt habeantur.* Idem repetitur CAPIT. III. *c. XX.* CAPIT. *lib. III. c. XIII. lib. VI. c. CCLXXXIV.* & in CAPIT. CAROLI CALVI *Tit. XXXVI. c. XII.*

**** Sic Ludouicus Germanicus Ratoldo, Argentinensi Episcopo concessit, *vt in quacunque placuerit villa Episcopii sui monetam statuat*, prout Diploma exhibet LÜNIGIVS *p. spec. I. Contin. III. Forts. p. 376.*

***** Prout LVDEWIG adseruit *ad A. B. p. 886.*

****** *II. F. VI.*

******* *Tit. X.* putat equidem LVDEWIG *c. l.* confirmationem saltim huius Iuris fieri per A. B. ex eo quod §. 1. extet: *sicut constat ab antiquo.* Verum, ibi saltim sermo est de Regibus Bohemiæ, quibus iam anteriori tempore ius aurum argentumque cudendi fuisse concessum, facile concedimus, quibus hoc confirmatur videlicet: *monetas auri & argenti in omni loco & parte regni sui, & subditarum ei terrarum & pertinentiarum omnium, vbi Rex ipse decreuerit, sibique placuerit, cudi facere, & mandare, sub omni modo & forma.* De reliquis vero Electoribus §. 2. dicitur: *Præsentem nihilominus constitutionem & gratiam, virtute præsentis legis nostræ Imperialis ad Vniuersos Principes Electores, tam Ecclesiasticos quam Seculares, successores & legitimos hæredes ipsorum plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, vt præfertur.*

† Quare Sigismundus Imp. Rudolpho Ascanio, Saxoniæ Electori an. 1415. per singulare Diploma concessit, *ein güldenn Müntz zu schlahenn, mit Graden und Gewichte, gleich andern unnsern und des Reichs Churfürsten.* Idem Imp. dum Fridericum Bellicosum, Misnensem Marchionem a. 1445. de Saxoniæ Electoratu inuestiret, eidemque singula Priuilegia confirmaret, sigillatim expressit, *auch über die güldenen Müntze und Niederlage.* Eiusmodi Ius aureæ monetæ Fridericus III. Imp. Friderico Placido Saxoniæ Electori per singulare Priuilegium a. 1454. concessit. Singula hæc Priuilegia exhibet MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Friedrich dem V. p. I. c. X. §. XII.*

†† Extat Diploma apud LVNIGIVM *partis Spec. III. Theil p. 297.*

††† R. I. Augustanus de an. 1500. §. 1. *Ordnen und wollen Wir darumb, das alle und iede Churfürsten, Fürsten Geistlich und Weltlich, so Müntz zu schlagen gefreyt sind,* R. I. Spiræ an. 1529. §. 33. *ein ieder Stand so zu müntzen hat.* R. I. Augustæ a. 1551. §. 40. *Vnd sollen derowegen die zehen des H. Reichs Kreys-Fürsten, so das Ausschreiben der Kreys-Rath in Brauch haben, ihr Mit-Kreys-Verwandten, so Müntzens Freyheit haben,* & §. 46. *Dergleichen diejenigen, so von uns oder unsern Vorfahren im Reich, mit dem Regal*

der Müntz gefreyet sind, solche Müntz-Freyheiten niemand anders, wer die ware, verkauffen, verleihen, &c. §. 48. *Weiter so setzen, ordnen und gebieten Wir auch, von Röm. Kayserl. Macht ernstlich, daß hinführo alle Stände, die Müntzens Freyheit haben, die gantze Thaler, oder güldene Groschen halb, und Oerter zu müntzen, einstellen.* R. I. Noribergæ 1543. vocantur *Müntz-Genossen-Stände.* R. I. Spiræ 1570. §. 131. *Alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit kein Mercantz, sonder unser Kayserl. Regal, so die Müntz-Stände aus unserm sondern Vertrauen, nicht zu ihrem selbst gesuchtem Vortheil, sondern wie Wir selbst, dem Heil. Reich zu Ehren und VVolfarth brauchen sollen.* Præ cæteris hoc satis patet ex Ferdinandi I. *Neuer Müntz-Ordnung de a. 1559. §. 177.* Ius Monetandi dependere ex Priuilegio Imp. dum §. 177. dicitur: *VVare es auch Sach, das einiger Reichs-Stand, so mit Freyheit der Müntzen nicht begabt ist, künfftiglich solche Freyheit, Gold und Silber zu müntzen, von uns oder unsern Nachkommen am Reich ausbringen und erlangen würde, in welchem VVege solches beschehe, dem sollen noch wollen VVir, oder unsere Nachkommen, dieselbig Freyheit keiner andern Gestalt geben noch zustellen, dann das er dieser unser Ordnung unterworffen, auch Inhalt dieses unsers Kayserl. Edicts, zu müntzen schuldig und verbunden sey.*

†††† Prout patet ex CAPIT. IOSEPHI *art. XXXIII.* CAROLINA art. IX. *VVir sollen und wollen auch hinführo, ohne Vorwissen und absonderliche Einwilligung der Churfürsten, und Vernehmung, auch billige Beobachtung desienigen Creysses Bedencken, darinnen der neue Müntz-Stand gesessen, niemand, wes Standes oder VVesens der sey, mit Müntz-Freyheiten oder Müntz Städten begaben und begnadigen, auch wo wir beständig befinden, daß dieienigen Stände, denen solches Regal und Privilegium verliehen, dasselbe, dem Müntz-Edict und andern zu desselben Verbesserung erfolgten Reichs-Constitutionen zugegen mißbrauchen, oder durch andere mißbrauchen lassen, und sich also ihrer Müntz-Gerechtigkeit ohne fernere Erkantniß verlustig gemacht, ihnen, wie auch denenienigen, so solches Regal nicht rechtmäßig erhalten, oder sonsten beständig hergebracht, dasselbe verbiethen &c.*

††††† R. I. Spiræ a. 1570. §. 133. *Doch soll denenienigen Standen, so*

so eigne Bergwerck haben, auch sondere Münizen darneben zu halten, und daselbsten Inhalt unsers Edicts und Abschieden zu müntzen unverboten, sondern zugelassen seyn. R. I. Ratisbonæ 1594. §. 103. *Es soll keinem Stand, so kein eygen Bergwerck haben, erlaubt, sondern gantzlich verbotten seyn, seine Müntzen anderer Orten, dann in den verordneten Müntz-Stadten müntzen zu lassen.*

†††††† R. I. Augustæ 1551. §. 48. *doch ausserhalb deren, so mit Bergwerck begabt, denen so ihr Gold und Silber, so viel sie desselben bey ihren Bergwercken ausbringen, und weiter nicht, auf vorgemeldt Gehalt und Korn zu vermüntzen unbenommen seyn.*

††††††† PAVLLINI Ann. Isenacenses ad a. 1408. *Isenacenses, Weisenseenses, Ienenses, Gothani & Salfeldenses, cum licentia superiorum nummos cudunt argenteos.* CHRIST. SCHLEGELIVS *de Nummis Saalfeldensibus* etiam ex specialibus litteris Tennebergæ a. 1458. datis demonstrat, Wilhelmum Saxoniæ Ducem ac Thuringiæ Landgrauium Senatui Salfeldensi potestatem dedisse cudendi nummos. Idem nummos Altenburgenses, Gothanos atque Cygneos singularibus scriptis illustrauit. Halensi vrbi Ius monetæ concessit Conradus Archiepiscopus, prout Diploma exhibet LVDEWIG *Einleitung zum Teutschen Müntzwesen p. 266.* Simile Exemplum videmus in Pacto Henrici & Erici Brunsuico-Luneburgensium Ducum & Bartholdi, Episcopi Hildesiensis, atque Ciuitatum, Brunsuicensis, Hildesiensis, Göttingensis, Hannoueranæ, Einbeccensis atque Northeimensis de moneta emendanda a. 1501. inito apud LVNIGIVM *p. spec. IV. p. 21.* in quo: *also dat de Stede, nachdem se van den Færsten und Heren Münte tho schlande gnediglick versorget.* Et paucis interiectis: *Und nachdem uth redelickem Bewege und vollstendigen Orsaken, so ie nicht anders tho gelævende, de rechticheit Münte tho schlande an de Stede vorgenant, van unsers Bischoppes und Hartogen vorgenant seligem und gelæfflicken Vorfahren, Olden und Voreldern gekomen.*

* De his *c. XXIII. §. XXXV.*

** Art. Argentor. cap. I. n. 8. *Der Bischof setzet vier Ambacht, mit siner hant an den vier ambachten, so stat die berichtenge dirre Stette. Das ist das burggravtuntum: Das schultheissentum und das Mintzer-*

meisterthum und das Zolnertum. Et c. XX. apud SCHILTERVM *Not. ad Kœnigshouen p. 700. 707.*

*** Vid. latius LEHMANN *Chron. Spir. Lib. IV. c. XIV. p. 321.*

§. XXXV.

Dum igitur Impp. vel ipsi vel etiam Status vrbibus suis mercatoriis, hoc Ius concederent, prout illud Hoxarium, Halberstadtum, Hanouera, Osnabruga, Minda, Monasterium, Hildesheimium, Göttinga, Magdeburgum, Northeimium, Brunsuiga, Rostochium, Stetinum, Wismaria, obtinuerunt, & ex eo haut leues orirentur abusus, primum hanc illimitatam potestatem in Capitulatione Maximiliani II. * & clarius adhuc in Rudolphi II. ** restrinxerunt Electores, ne sine illorum consensu hoc Regale amplius vlli concederet, cuiuscunque etiam status fuerit vel conditionis, quod etiam posterioribus Capitulationibus semper fuit repetitum. *** Leges vero & Ius corrigendi defectus monetarios spectant ad Comitia vniuersalia.

* *Art. XXX.*

** *Art. XXIX.*

*** MATTHIÆ *art. XXXIX.* FERDINANDI II. *art. XXXIII.* FERDINANDI III. *art. XXXVII.* FERDINANDI IV. *art. XXXV.* LEOPOLDI *art. XXXIV.* IOSEPHI *art. XXXIII.* CAROLI VI. *art. IX.*

§. XXXVI.

Sequitur *Ius alienandi atque oppignorandi bona Imperii.* Hoc Ius sibi primis temporibus sumserunt Impp. sed de eo potissimum disquiritur, an iuste fecerint & legitime, an potius iniuria. Strauchius * quidem contendit, ante Caroli V. tempora res Imperii alienare, oppignorare vel in feudum concedere in arbitrio fuisse Imperatorum, cui contradicit Conringius, ** putans iam olim Imp. nihil ab Imperio alienare

nare fuisse licitum. Mihi potius videtur, ab eo tempore, quo eligi cœperunt Germanorum Reges, nihil legitime fuisse alienatum, cum ipsi vsumfructum potius habuerint atque administrationem bonorum Imperii, quam patrimonium. ***

* *de oppignorat. Imperii c. IX. §. XXIX. sqq.*

** *de Fin. Imperii c. XIX. §. 22.*

*** Idem adseruit MVLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich dem V. p. I. c. XXIV. §. XL. p. 321.*

§. XXXVII.

Quod si enim historiam Germanicorum Impp. perquiramus, sub Saxonicis vix exempla reperiemus alienationum, quæ alicuius sunt momenti. Certum quidem est, Ottonem M. in Archiepiscopatum Magdeburgensem, Misnensem, Merseburgensem, Numburgensem aliosque nimium fuisse liberalem, quibus insignia territoria nec iura minora concessit. Secuti eundem reliqui Imperatores Saxonici atque Franconici, qui integras terras vna cum teloneis, monetis, mercatu, aliisque iuribus concesserunt. Neque tamen hæc pro Statu illorum temporum inter alienationum exempla erunt referenda, dum eiusmodi terras & iura aliis in feudum concedere solebant Impp. reseruato sibi iure dominii directi. Parum itaque putabant illa bona a iure Imperii alienari, quin potius in eius potestate cum magno Reipublicæ commodo permanerent. *

* NIC. CVSANVS *de concordia Catholica lib. III. c. XXVII.*

§. XXXVIII.

Ast, cum euentus doceret, quantum inde detrimenti factum iuribus Imperii, sæpius de eodem conquesti fuerunt subsequen-

quentes Imperatores, maxime, cum domanium & reditus Imperii exinde plurimum fuerint debilitati. * Postquam autem sub Franconicis Impp. horum potestas magis magisque imminuta, etiam in hoc restricta videtur, ne libere amplius bona Imperii alienarent, maxime, dum ipsi iurare tenerentur de conseruandis iuribus Imperii.

* Ita conqueritur Henricus IV. apud auctorem Historiæ Belli Saxonici p. 111. *ecce isti sunt, qui regni mei diuitias habent, & me meosque omnes in paupertate reliquerunt.* OTTO FRISINGENSIS Prologo libri VII. Chron. *Regni viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam: constatque non prius eam in tantum regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem Sacerdotii euiscerato, ac viribus exhausto, non eius tantum, id est spiritali, sed suo proprio materiali scilicet gladio percussum destruetur.* Addamus CVSANVM *de concordia Catholica lib. III. c. XXX.*

§. XXXIX.

Neque tamen vlla lege expressa hanc Impp. potestatem fuisse restrictam, patet ex Diplomate Friderici II. Conrado Ratisbonensi Episcopo a. 1216. concesso. * Cum enim Fridericus II. Conrado, Ratisbonensi Episcopo concessisset superius & inferius Monasterium in ciuitate Ratisbonensi concambii loco, ab eodem accipiens alia loca atque possessiones, in solenni curia Herbipolensi conquestæ de eodem fuerunt Abbatissæ dictorum monasteriorum, proponentes firmiter, nullum Principatum posse vel deberi commutari vel alienari ab Imperio, vel in alium Principem transferri, sine voluntate præsidentis Principis illius Principatus, & de plano consensu eiusdem Ministerialium. Decretum itaque in eadem solenni curia: *nullum Principatum posse vel debere, nomine concambii vel cuiuscunque abalienationis ad aliam personam transferri*

ferri ab Imperio, nisi de mera voluntate & assensu Principis Præsidentis, & Ministerialium eiusdem Principatus. Neque tamen consensus Imperialis hic fit mentio, sed saltim iuris feudalis ** hic fit ratio, quo dominium directum, inuito vasallo in alium transferri prohibetur. Hæc ipsa tamen controuersia ansam dedit decernendi: *Et ne de cætero similia contingant, decernimus, & perpetua firmitudine obseruandum iudicamus, quod non liceat vlli Successorum nostrorum Romanorum Regi seu Imperatori, Principatum aliquem, vt superius sententiatum est, ab Imperio aliquo modo alienare, sed omnes Imperii Principatus in suo iure & honore illæsos obseruare.* Prima itaque hæc de eadem re Constitutio esse videtur, ex ea ratione, quod antiquioris nulla facta mentio, immo potius res fuerit controuersa.

* Integrum Diploma extat apud HVNDIVM *Metrop. Salisburg. p. 255. Titulo Niedermünster.*

** II. F. XXXIV. §. 1. *Ex eadem lege* (Conradi) *descendit, quod Rex dominus sine voluntate vasalli feudum alienare non potest.* B. PARENS *syntagm. Iur. feud. cap. XIII. aph. I.*

§. XL.

Magis itaque restricta fuit hac constitutione Impp. potestas, ita quidem, vt Principatus sine consensu Imperii in alios transferri non possint, de iuribus vero, & feudis minoribus nihil ista Constitutione fuit decretum. Rudolphus itaque Habsburgicus diuersis Italiæ Ciuitatibus libertatem pretio vendidit, quod dictæ Constitutioni minime contrariari videtur, maxime, dum immunitatem saltim concesserit ab Imperii præstationibus, saluo alias iure Imperii, * licet de eodem a diuersis Scriptoribus auaritiæ fuerit notatus. ** Sed, dum Wenceslaus Io. Galeacio Ducatum Mediolanensem

 con-

concessisset, criminantur de eo Electores Wenceslaum, quod complures vrbes, terrasque tam in Germania, quam Italia ad Imperium pertinentes alienauerit. ***

* *c. II. §. VII. sqq.*

** IO. CVSPINIANVS in Vita p. 354. *auaritia notatus studio, a plerisque reprehenditur, in ceteris laudatissimus.* IO. TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug. ad a. 1286.* LEHMANN *lib. V. c. CVI.* S. H. G. *Diss. XXIII. §. XXIX.*

*** In sententia exauctorationis apud GOLDASTVM Tom. I. p. 139. VRSTISIVM Tom. II. p. 180. S. H. G. *Diss. XXVIII. §. XIV.*

§. XLI.

Dum itaque maiora indies Imperium pateretur decrementa, tandem Electores Carolum V. Imperatorem per Capitulationem obligarunt, ne quidpiam de bonis Imperii vel alienet vel oppignoret, * *ohne Wissen, Willen, und Zulassung gemeldter Churfürsten sämtlich.* Et licet quidam ex voce *sämtlich* omnium Electorum vnanimem consensum requiri velint, hoc tamen minime inferimus, quin potius collegialem consensum requiri putemus, dum aliis plane verbis consensus Electorum vnanimis circa noua vectigalia requiratur. ** Ista tamen formula in subsequentibus Capitulationibus fuit retenta. *** Nihilominus per Pacem Westphalicam cessio Alsatiæ Gallis vnanimi Statuum consensu fuit facta. Dum autem Monitis suis ad Capitulationem Leopoldi, hoc inter alia Status vrgerent, ne quid sine ipsorum consensu imposterum alienetur, Cessio etiam Argentorati Gallis per Pacem Ryswicensem facta, communi Statuum consensu adprobaretur, etiam illud obtinuerunt reliqui Status in Proiecto Capitulationis perpetuæ omnium Statuum consensus ad alienationes vel oppignorationes bonorum Imperii requiren-

quirendum. Id quod etiam per Capitulationem Carolinam fuit confirmatum. ****

* CAPIT. CAROLI V. *art. IX.*

** CAPIT. IOSEPHINA *art. XX. mit einhelligen Schluß also und dergestalt daß keines Churfürsten Wiederrede oder dissens dargegen, sondern alle und iede dero Collegial-Stimmen einmüthig seyn.*

*** CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. XII.*

**** art. X. *sollen und wollen wir dem Heil. Rœm. Reich, und dessen Zugehœrungen, nicht allein ohne Wissen, Willen und Zulassen derer Churfürsten, Fürsten und Stænde, sæmtlich, nichts hingeben, verschreiben, verpfanden, versetzen, noch in andere VVege veraussern oder beschweren.*

§. XLII.

Eadem ratio est circa Oppignorationes bonorum Imperii, quas liberius olim sibi vindicarunt Imperatores, eo quod bona oppignorata non plene alienentur. Plura exempla habemus eiusmodi Oppignorationum, * licet facile credendum, Impp. hoc etiam propria fecisse auctoritate, neque tamen adeo securos fuisse possessores. ** Dum autem Ciuitates Imperiales eiusmodi oppignorationibus sæpius subiicerentur, plerumque certis priuilegiis ab Impp. impetratis sibi prospexerunt, ne oppignorentur. † Carolus IV. adhuc Imp. eo quod Electoribus singulis pro electione Wenceslai centum millia florenorum promisisset, nec soluendo esset, Principibus Electoribus pignoris loco vectigalia, oppida & Telonia Imperialia concessit. †† Per Capitulationem tamen potestas oppignorandi bona Imperii æque ad omnium Statuum consensum restringitur.

* Singulare exemplum occurrit apud GERARDVM a ROO Ann. Austr. lib. III. p. 89. *Iohannes Bohemus medium se quasi arbitrio interponens, Ludouicum Cæsarem & Austriacos in concordiam reduxit, & Cæsar Ottoni pro sumptibus viginti aureûm nummûm millia pa-*

ctus, quatuor Imperii ciuitates pignori tradidit, Schafhusam, Rheinfeldam, Neuburgum & Tigurum. Sic etiam Carolus IV. Günthero Schwartzburgico pro summa viginti duarum millium argenti marcarum, quas ipsi pro renuntiatione Imperii promiserat, aliquas vrbes Imperii oppignorauit. S. H. G. *diss. XXVII. §. XXIX.* Plura exempla videmus apud KNIPSCHILDIVM *de Iure Ciuit. Imp. lib. II. c. XXXI.* & IO. STRAVCHIVM *de Oppignorationibus Imperii.*

** Extat charta Friderici II. *de a. 1215.* apud HEDAM p. 196. *cum apud Franckenfort in curia solenniter indicta præsideremus, per Principes, qui ibidem aderant, talis data fuit sententia, & ab iisdem approbata: quod nullam auctoritatem siue vvarandiam telonei, in damnum vel præiudicium alicuius nostra præstare securitas potuisset.* GVNDLING *de iure oppignorati territorii §. XLIX.*

† KNIPSCHILD *c. l.* Tale etiam est Francofurtensium apud LIMNÆVM *lib. VII. c. XVI. n. 24. das sie vor Uns und das Reich niemand pfandbar seyn sollen um einerley Sache, und vvollen und sollen auch VVir und das Reich keine Pfand-Brieffe über sie geben, und ob VVir Pfand-Brieffe über sie geben, so sollen die Brieffe keine Krafft haben.*

†† ALBERTVS ARGENT. *ad a. 1376.* MVTIVS *ad a. 1370.*

§. XLIII.

Incumbit potius Imp. Ius bona Imperii vindicandi, vt pristino vigori suo restituatur. Conatus hoc potissimum fuit Otto IV. vi sacramenti præstiti, vt iura dispersa reuocaret. * Idem tentauit Albertus Austriacus, telonea ab Electoribus occupata vindicare cupiens, frustraneo tamen cum successu. ** Carolus IV. nomine Imperii Oppenheimium, aliaque oppida Imperialia cum castris & villis attinentibus, quæ obligata fuerunt Ecclesiæ Moguntinæ, pro XC. millibus florenorum redemit. *** Inde per Capitulationes Impp. ad vindicanda bona Imperii obligantur, saluis tamen cuiuslibet iuribus atque priuilegiis. † Maximilianus I. enim Imp. Philippo Palatino Electori bona ipsius antecessoribus oppignorata in perpetu-

petuum concessit: †† Sic etiam in Capitulationibus bona ab Impp. pignorata possessoribus relinquuntur, ††† ea potissimum ex ratione, ne ipsi Electores telonea sua, atque alia bona, quæ pignoris saltim Iure tenebant, reddere cogerentur. Id quod etiam Instrumento Pacis Westphalicæ †††† fuit confirmatum. Ex eodem capite Elector Palatinus atque Comes Hanouiensis, quibus ex Iure pignoratitio Ius in Ciuitatem Imperialem Gelnhusam competit, eandem sibi vindicare conantur, nec concedere volentes, vt homagium præstet Imperatori. †††††

* MATTHÆVS PARIS. *ad a. 1210.* S. H. C. *diss. XIX.* §. *XIX.*

** CHRON. COLMAR. *ad a. 1300.* SCHVRZFLEISCH *Char. euent ad decid. illustr. controu. VII.* S. H. C. *diss. XXIV.* §. *XVIII.*

*** ALBERTVS ARGENT. *Chron. p. 161.*

† CAPIT. IOSEPHINA *art. III. & XII.*

†† Vid. *differt. de allodiis Imperii* §. *XLIII.*

††† CAPIT. IOSEPHI *art. III. &* CAROLINA *art. I.* Statibus confirmantur: *die Reichs-Pfandschafften.*

†††† *Art. V.* §. *27.*

††††† Prodiit hac de caussa *Gründliche Deduction, wordurch gezeiget wird, was es mit der Reichs-Pfandschafft der Stadt Gelnhausen vor eine eigentliche Bewandnüs habe 1707. f.* cuius tenorem recensent EL. I. P. *Tom. I. p. 558-583.* Eiusdem tenoris est controuersia inter Burggrauios de Friedberg & vrbem Friedberg, de qua in ELECT. IVR. PVBL. *Tom. III. p. 162.*

§. XLIV.

Habet etiam Imp. *Ius feuda Imperio aperta conferendi.* Quoties enim vel familiæ vasallorum fuerint extinctæ, si nulla adsint pacta confraternitatis ab Imp. confirmata, vel Expectatiuæ, vel vasallus feudum refutauerit, vel etiam ob delictum amiserit, feuda Imperio aperiuntur, ita tamen, vt primo casu integrum sit eadem denuo conferre, posterioribus

casibus feudum tantum possidet Imperator, vsque dum vasallus viuat, eodemque fruitur: hoc defuncto, ad liberos vel adgnatos redit, excepto banno Imperii, vbi non nisi restitutio locum habet.

§. XLV.

Sunt autem feuda Imperii vel Electoralia, vel Principum & Comitum, vel minora. De Feudis Electoralibus decernit A. B. quod si Electoratum vacare contingat, Imp. de ipso prouidere debere, * vt scilicet numerus Electorum integer conseruetur. Fallit tamen hoc circa Electores Ecclesiasticos, qui nunquam extinguuntur, circa Reges Bohemiæ, ** dum Bohemi, extincta familia regia, sibi Ius vindicent nouum Regem eligendi; circa Electoratum Hanoueranum, qui ad descendentes saltim primi adquirentis, Ernesti Augusti est restrictus, ideoque iisdem extinctis, desinit Electoratus, licet terræ ad proximos agnatos deferantur, *** olim etiam circa Electoratum Bauariæ, qui per Instrumentum Pacis ad lineam Guilelminam saltim est restrictus, atque hac extincta, desinebat. †

* *tit. VII. §. 5.*

** c. l. *saluis semper priuilegiis iuribus & consuetudinibus regni Bohemiæ super electione Regis in casu vacationis per regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Bohemiæ.*

*** S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXXIII.*

† *art. IV. §. 9.*

§. XLVI.

Sed de eo disceptatur: An Electoratum tali modo vacantem solus conferat Imp. an vero requisito prius Electorum consensu? Distinguunt quidem communiter inter infeudationem atque receptionem, dicentes, infeudari posse quendam de Electoratu vacante a solo Imp. ad receptionem vero in

in Collegium Electorale requiri Electorum consensum. Ast, cum infeudatio sine receptione nulla, & receptio consequens sit infeudationis, potius dicimus, ad conferendum Electoratum vacantem omnino requiri Collegii Electoralis consensum, eo quod Imp. per Capitulationem obligetur, se neminem inter Status velle recipere, sine consensu Electorum. *

* CAPIT. IOSEPHI *art. XLIII.* Latius hanc controuersiam indagauit ITTERVS *de feudis Imperii cap. VII. §. 12. sqq.*

§. XLVII.

Comprobant illud etiam exempla. Sigismundus siquidem Imp. Fridericum, Noribergensium Burggrauium in Concilio Constantiensi a. 1417. cum Consensu Electorum * de Marchia Brandenburgensi inuestiuit. Idem Imperator, defuncto Alberto III. ex Ascaniis vltimo, Electoratum Saxoniae tanquam Imperio vacantem Friderico Bellicoso, Misniae Marchioni an. 1422. contulit, eundemque Budae 1423. solenniter inuestiuit. **

* FVGGER Spiegel der Ehren lib. IV. c. V. p. 427. *Erbbelehnte er, auf Bevvilligung seines Brudern K. VVenzels und der andern 5. Churfürsten, ietztgedachten Fridericum, Burggraven zu Nürnberg.* Inuestiturae solennia describit NAVCLERVS *Chronogr. General. 48. f. 278.* quem sequuntur ANDR. ANGELVS *Chron. March. lib. III. p. 196.* CERNITIVS *Hist. Elect. Brandenburg. p. 18.* SAGITTARIVS *Hist. March. Brandenburg.* §. *XLIII.*

** Patet hoc ex Litteris inuestiturae, apud ALBINVM Meisnische Chron. *Tit. XVI. p. 212.* & LÜNIGIVM *Teutschem Reichs-Archiv p. spec. f. 2. p. 6. mit vvohlbedachten Muthe, guten Rath Unser und des Reichs Fürsten, Geistlichen und VVeltlichen, Grafen, Herren, Edelleuten und Getreuen, den vorgenannten Friederichen, zu dem auch vorgenannten Churfürstenthum gevvürdiget.* FABRICIVS *Origg. Sax. lib. VII. p. 696.* MÜLLERI *Ann. Sax. ad a. 1422. & 1423.* S. H. G. *diss. XXIX. §. XXIX.*

§. XLVIII.

§. XLVIII.

De Ducatibus vero aliisque Feudis regalibus, si Imperio vacauerint, Impp. alios inuestiuisse, plura testantur exempla.* Quod si tamen dubium oriretur, an feudum Imperio vacaret, hoc per sententiam Principum prius erat determinandum, hoc facto, ipsa Feudi collatio Imp. potestati relinquebatur.** In Comitiis Wormatiensibus de an. 1495. vbi de Regimento Imperii proponebatur, collatio feudorum Imperii Regalium Regimento relinquebatur; minora vero Imp. reseruabantur.*** In Capitulatione vero Caroli V. & subsequentium Impp. si Feuda Imperii Regalia, Ducatus, Principatus, Comitatus vacauerint, ista ad domanium & patrimonium Imperii debeant referri, vsque dum Imperio de eodem satis fuisset prospectum.**** Expectatiuas quoque Impp. olim libere concesserunt,***** vsque dum in Capitulatione Ferdinandi II. etiam Expectatiuae prohiberentur.****** In Capitulatione Ferdinandi IV. tamen Ius conferendi eiusmodi feuda vacantia, si modo fiat cum praescitu & consensu Electorum, Imp. relinquitur.******* Dum autem reliqui Status Monitis suis ad Capitulationem Leopoldi Imp. † etiam ad suum consensum adstringi vellent, idem demum in Proiecto Capitulationis perpetuae & Carolinae obtinuerunt.†† Licet talis apertura vix amplius sit speranda, dum Feudum haut facile reperiatur, de cuius successione non vel per Pacta successoria, vel concessas Expectatiuas iam dum fuerit definitum. De feudis minoribus vero nobilium immediatorum libere disponit Imperator, dum obligatio Capitulationis saltim ad maiora sit directa.†††

* De Carolingicis atque Saxonicis Impp. nemo forsan dubitabit, cum horum potestas magis fuerit Monarchica. Sub Francicis Impp. restringi coepit Impp. arbitrium, circa conferenda autem Feuda regalia illorum potestas mansit illibata. Henricus III. ex arbitrio Welfum

ſum Comitem Ducem fecit Carentanum; Ottonem Suinfurti Marchionem Ducem Alemanniæ, Conradum eiusdemque filium cognominem Duces Bauariæ, de quo S. H. G. *diſſ. XIV.* §. *XXI.* Henricus IV. Friderico Hohenſtaufio Sueuiæ Ducatum per Rudolphi mortem vacantem contulit *diſſ. XV.* §. *XXXVI.* Henricus V. Saxoniæ Ducatum per Magni, ex Aſcaniis vltimi, mortem vacantem, Lothario Supplinburgico tribuit, & Franconiæ Ducatum Conrado ex ſorore nepoti ſuo *diſſ. XVI.* §. *XII.* Lotharius vacantem Miſnenſem Marchiam Conrado, Wettinenſi Comiti a. 1127. dedit & Ludouico III. Principatum Thuringiæ *diſſ. XVI.* §. *XXIX.* Conradus III. Saxoniæ Bauariæque Ducatus, proſcripto Henrico Superbo vacantes, Alberto Vrſo & Leopoldo, Auſtriæ Marchioni conceſſit *diſſ. XVII.* §. *III.* De Friderico Barbaroſſa, idem expreſſis verbis patet ex A. B. quæ Philippo Colonienſi Archiepiſcopo ſuper Ducatu Weſtphaliæ fuit conceſſa, quæ apud LVNIGIVM extat *R. A. p. ſpec. p. 434.* Primo enim in eadem dicitur: *ac proinde tam Ducatus Bauariæ, quam VVeſtphaliæ & Angariæ, quam etiam vniuerſa quæ ab Imperio tenuerat beneficia per vnanimen Principum ſententiam in ſolenni Curia VVirziburc celebrata, & abiudicata ſunt*, NOSTROQVE IVRI ADDICTA ET POTESTATI. Principum tamen poſtmodum in re tam ardua adhibito conſilio, atque ſententia, Bernhardo Aſcanio Saxoniam, Philippo Colonienſi Weſtphaliam attribuit, hoc tenore: *nos itaque habita cum Principibus deliberatione, communi ipſorum conſilio, Ducatum, qui dicitur VVeſtphaliæ & Angariæ in duo diuiſimus & conſideratione meritorum, quibus dilectus Princeps noſter, Philippus Colonienſis Archiepiſcopus - - Gratiæ Imperialis promeruit priuilegium, vnam partem, videlicet, quæ in Epiſcopatum Colonienſem & per totum Patherburnenſem Epiſcopatum protendebatur, Eccleſiæ Colonienſi contulimus*, & requiſita a Principibus ſententia, an id fieri liceret, adiudicata, & communi Principum & totius Curiæ aſſenſu approbata, - - *præmemoratum Philippum inueſtiuimus.* Henricus VI. Henricum Iuniorem, Saxoniæ Ducem de Rheni Palatinatu inueſtiuit. S. H. G. *diſſ. XVIII.* §. *VII.* Rudolphus Habsburgicus in Comitiis Auguſtanis an. 1283. filios ſuos Albertum atque Rudolphum Auſtriæ Duces inueſtiuit S. H. G. *diſſ.*

 XXIII.

XXIII. §. XXI. An præuia hoc Principum deliberatione fuerit factum, dubium omnino ſubeſt, licet de Principum accedente conſenſu haut dubitarem, contradicentibus tamen Ludouico Bauaro & Henrico Palatino, de quo FVGGER *lib. I. c. XIII.* Idem Imp. Rudolpho Saxoniæ Electori concedit: *Comitias in Bren & in VVitthin, & omnia alia feuda, ſibi & imperio vacantia, & vacantes ex morte Ottonis, Comitis de Bren, ex regali beneficentia*, Erfurti pr. Kl. Sept. 1290. MÜLLER *Reichs-Tags-Theatro unter K. Fridrich dem V. p. 325.* Albertus Auſtriacus vacantem a. 1299. per mortem Iohannis, Hollandiæ Comitatum, vindicare conabatur, de quo TRITHEMIVS Chron. Hirſaug. ad a. 1300. *Sereniſſimus Dominus Rex Albertus Romanorum ſemper inuictus, vacantem Hollandiæ Principatum, quem Carolus Imperator olim magnus Theodorico Comiti conceſſit in beneficium feudale, tam Iure, quam gladio ad Sacrum Romanum intendit reuocare Imperium.* Dum autem Iohannes Hannoniæ Comes ſe opponeret, addit TRITHEMIVS: *pro confirmatione pacis Comitem ad Principum ſententiam vocauit: quo veniente Hollandiam in feudum accepit.* Ludouicus Bauarus extinctis a. 1322. Waldemaro & Iohanne, Electoribus Brandenburgicis, horum prouinciam, tanquam Imperio vacantem recepit, & filio Ludouico in Comitiis Noribergenſibus a. 1323. contulit, licet nullius adſenſus Principum fiat mentio. S. H. G. *diſſ. XXVI. §. XIII.* Idem Ius Ludouicus Bauarus exercuit, defuncto a. 1335. Henrico Carinthio, dum Cæſar præterito Iohannis, Bohemiæ Regis filio minore, qui Margaretham Maultaſchiam Henrici vnicam hæredem habebat in matrimonio, Carinthiam, Carniolam & adiunctas illis regiones, Auſtriacis fratribus in fidem contulit, ſola Tirolenſi ditione Margarethæ relicta. Conqueſtus, de eo Iohannes Rex ex Italia reuerſus apud Principes Germaniæ, Cæſare reſpondente, licere ſibi ditiones absque melioris ſexus hærede ad Imperium reuolutas, prout commodum videretur, aliis adſignare vti GERH. A ROO *lib. III. p. 91.* docet. Carolus IV. defuncto Eduardo I. Geldriæ Duce, de eodem Ducatu Guilielmum Iuliacenſem an. 1372. inueſtiuit, de quo PONTANVS *Hiſt. Gelr. lib. VIII. ineunte.* Ex eodem capite Fridericus III. Imp. Comitatum Ziegenhaynenſem, Niddanum & Catimelenbocenſem, tanquam Imperio aperta in Comiti-

mitiis Coloniensibus a. 1486. vindicare conabatur, quæ tamen ex pacto aliis obuenerant, de quo MÜLLERVS *p. VI. c. XI. XII. XIII.* Maximilianus I. de Regalis potestatis plenitudine per Litteras, Antwerpiæ die Catharinæ 1494. datas, Ducatum Mediolanensem, postquam Philippus Maria sine hæredibus masculis fuisset extinctus, contulit. Extant hæ Litteræ *dans les Memoires de Comines lib. VII. p. 237. & in* RECVEIL DES TRAITES DE PAIX *Tom. I. p. 791.* in his autem iura sua asseruit Maximilianus his verbis: *præterea per obitum Philippi Mariæ Angli quondam Mediolanensium Ducis, cum nullos ex se filios masculos aut descendentes legitimos & naturales reliquerit, aperte patet, quod Ducatus Mediolani & Comitatus Papiæ cum reliquis eorum ciuitatibus & terris directo iure ad sacrum Romanorum Imperium fuit deuolutus: Vnde ab inde antea Serenissimi quondam genitoris nostri, & successiue nostri fuit arbitrii quem de dicto Ducatu & Comitatu inuestiremus.* Et paucis interiectis: *Ex certa itaque scientia, motu proprio, & de nostra Regalis potestatis plenitudine etiam suprema, & absoluta, non quidem improuide, neque inconsiderate, nec per aliquem iuris vel facti errorem, sed animo quieto ac deliberato, Principum, Comitum, Baronum, & Procerum, & aliorum nostrorum sacri Imperii fidelium accedente consilio, Princeps dilecte, non ad tuæ petitionis instantiam, sed de benignitate & Regali nostro motu proprio, & de nostra Regalis dignitatis plenitudine etiam suprema & Domini absoluta - - - te sublimamus & creamus.* Iterum: *ac de prædicta Regalis potestatis plenitudine etiam absoluta, motu proprio, & ex certa scientia decoramus.* Habetur quidem in fine annus 1495. verum ex Diplomate, quod statim sequitur, eiusdem Maximiliani, patet, supponendum esse annum 1494. ad quem etiam illud suo merito refert MÜLLERVS *Reichs-Tags-Theatro unter K. Maximilian Tomo I. p. 272.* Hoc etiam anno Ludouicum Sfortiam iamdum declaratum fuisse Mediolani Ducem demonstraui S. H. G. *diss. XXXI. §. VI. p. 1134.* in Comitiis demum Wormatiensibus a. 1495. solennis declaratio cum Electorum consensu fuit facta. Litteras Inuestituræ in his Comitiis concessas exhibet MÜLLERVS p. 282. in quibus: *sano itaque ad hoc Principum Electorum assensu, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum & Procerum no-*

ſtrorum & Imperii ſacri fidelium dilectorum accedente conſilio. His verbis inter conſenſum Electorum atque conſilium Principum claris verbis diſtingui videmus. Adiicitur etiam his Litteris conſenſus Electorum hoc tenore: *Confitemur nos, vt ſacri Romani Imperii Principem Electorem, & N. poſt præhabitos tractatus, maturas deliberationes præſcripta infeudationi, omnibus quoque & ſingulis in præinſertis literis contentis, noſtrum aſſenſum & conſenſum, noſtram quoque auctoritatem adieciſſe, & adiicimus per præſentes, datas in conuentu regali VVormacenſi &c.* Quod autem ſigillatim de Inueſtitura huius Ducatus Electorum conſenſum requiſiuerit Maximilianus, rationem reddit haut incongruam MÜLLERVS *Hiſtor. Friderici p. I. c. XXIII. p. 323.* & *Hiſt. Maximiliani p. II. c. XIII. §. XXXV.* quod Mediolanum Imperii patrimonium, inuitis olim Electoribus Galeatiis in Feudum fuerit conceſſum.

** Patet hocce exemplo Ludouici Bauari, qui a. 1346. audita Wilhelmi, Comitis Hollandiæ morte, pro tribunali, in ornamentis Imperialibus ſedens, exquiſiuit a plerisque Romani regni Principibus, quid de Comitatus Hollandiæ ſucceſſione æquum videretur, decretum vero fuit, vacare eum Imperio, quia Wilhelmus Comes absque liberis deceſſiſſet, Principatum igitur Cæſar Margarethæ Imperatrici, Coniugi ſuæ, donauit, prout ex M. CHRON. BELG. *p. 303.* adſeruimus in S. H. G. *diſſ. XXVI. §. XXXII.*

*** In Proiecto enim Ordinationis quod exhibet DATT *de P. P. lib. III. c. XII. §. 124.* & MÜLLERVS *Maximiliano p. II. c. XXXIX. p. 387.* habetur: *doch ob derſelben ſtücke eins oder mer, es weren Fürſtenthumb oder merckliche Graveſchafften, Vns und dem Reich heym geſallen vveren oder vvürden, vvollen VVir mit Rath darinnen handeln, die bey dem Reiche zu behalten oder ferner zu verleyhen. Desgleichen muegen wir die mynnern Lehen, ſo uns und dem Reiche auch heimgefallen vveren oder vvürden, nach unſern Gefallen verleihen.*

**** Decreuerat iamdum Maximilianus I. in Diplomate ſuper Erectione Ducatus an. 1495. conceſſo: ***Ob es vvare, vvelches doch GOtt in Gnaden verhüten vvolle, daß der Mannliche Stamm der Hertzoge und Herren von VVürtenberg gantz abſterben, und keiner mehr ſeyn vvürde,***

de, daß alsdann solch Hertzogthum mit aller Ober-und Herrlichkeit, Mannschafften, Nutz, Leuten und Güttern, nichts ausgenommen, bey denen Ræmischen Kaysern und Kænigen, und bey den heiligen Ræmischen Reich ewiglich bleiben, und also in Mehrung des Reichs Widdumgut, der Camir incorporiret und einverleibet sy. apud HORTLEDERVM *lib. III. c. I. p. 612.* Capit. Caroli V. art. XXIV. *VVann auch Lehen dem Reich und Vns, bey Zeiten Vnsirer Regierung eræffnet, und lediglich heimfallen werden, so etwas merckliches ertragen, als Fürstenthumb, Grafschafften, Herrschafften, Stætt und dergleichen, die sollen und wollen VVir fernir niemand verleihen; sondern zu Vnterhaltung des Reichs, Vnsir und anderer nachkommender Kænig und Kaiser, behalten, einziehen und incorporiren, biß so lang daßelbe Reich wieder zu Wesen und Auffnehmen kommet: doch Vns, von wegen aller Vnsir Erbland, und sonst mænniglich, an seinem Rechten und Freyheiten unschædlich.* Prout autem Carolus V. hoc promiserat, saluo suo & Domus Austriacæ iure, ex eodem Capite Mediolanensem Ducatum per mortem Francisci Sfortiæ vacantem a. 1535. Philippo, filio suo contulit, de quo IOS. RIPAMONTIVS *lib. X. p. 751. iam Cæsar tunc* (Philippum) *Mediolani Ducem creat, atque cum præscribi traditionis eius auctoritatem iuberet, ita in Diplomate erat præfatus; tradere se Philippo filio, Prouinciam Mediolanum, quæ esset recepta suis armis & defensa quam vetusto Cæsarum iure possideret.* Eadem tamen, quæ in Carolina continentur, repetuntur in Capitulatione Ferdinandi I. *art. XXIII.* Maximiliani II. *art. XII.* Rudolphi II. *art. XXV.* Matthiæ *art. XXIX.*

***** Carolus IV. Imp. Saxonicis atque Anhaltinis Expectatiuam concessit in Marchiam Brandenburgensem. Sic enim in litteris Balduini Treuirensis Electoris, quibus se contra Güntherum Schwartzburgicum obligat, quas exhibui *im Histor. Archiv p. I. p. 41. mit dem Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Rudolfen dem Jüngern und Herrn Otten, Gebrüdern, Hertzogen zu Sachsen, Herrn Albrechten und Herrn Waldemarn Fürsten zu Anhalt und Grafen zu Ascanien, denen Vnser vorgenannter Herr und Ræm. Kænig von Kæniglicher Gewalt und von besondern Gnaden den Anfall der vorgenanten Marcken zu Brandenburgk und zu Lausnitz geben.* Sic Wen-

ceslaus Imp. Wilhelmo, Thuringiæ Landgrauio, Expectatiuam concessit in vrbem Lobenstein aliaque Imperii feuda Dominorum de Gera. Fridericus III. Alberto Animoso, Saxoniæ Duci a. 1483. concessit Expectatiuam in Iuliacensem atque Bergensem Ducatus, S. H. G. *diss. XXX.* §. *LXI.* Maximilianus I. Henrico Seniori Brunsuicensi Duci Expectatiuam concessit in quædam feuda Comitum Lippiacorum, prout hoc exemplum refert MÜLLERVS *R. T. T. unter K. Friedrich dem V. p. I. c. XXIII.* Fridericus II. Imp. Henrico illustri Misniæ Marchioni Expectatiuam concessit in Landgrauiam Thuringiæ & Comitiam Palatii Saxoniæ. S. H. G. *diss. XXII.* §. *VIII.* Maximilianus I. Saxoniæ Ducibus a. 1507. Expectatiuam in Terras Lauenburgenses concessit. Ferdinandus I. a. 1562. Augusto Electori contulit Expectatiuam in Principatum Anhaltinum, prout Litteras exhibet LÜNIGIVS *p. spec. IV. Abtheil. II. Forts. p. 319.* Rudolphus II. Saxoniæ Ducibus Expectatiuam concessit in Comitatus Ysenburg & Büdingen, LVNIG *c. l. p. 386.* Licet plures, qui tales Expectatiuas impetrauerunt, ad maiorem securitatem hinc inde etiam Electorum consensum petierint. Prout exemplum videmus in Expectatiua Domus Brandenburgicæ in terras Megapolitanas a Friderico III. Imp. concessa, quam singularibus litteris Electores confirmant, quas exhibet LÜNIG *p. spec. IV. Abtheil. III. Abs. p. 19. 26. 27.*

****** In CAPITVLATIONE FERDINANDI II. *Art. XXVIII.* primum insertum fuit, *das auch niemanden einige Expectantz oder Anwartung gegeben werden solle*, id quod in Capitulatione Ferdinandi III. *art. XXXII.* repetitur. Nihilominus Ferdinandus II. Imp. Io. Georgio I. Saxoniæ Electori bene de se merenti a. 1625. Expectatiuam concessit in Comitatus Hanouienses & Schwartzburgicos & Terras Friderici Vlrici Brunsuicensis, *aus Ræmischer Kayserlicher Macht und Vollkommenheit* hoc tamen adiecto: *darüber VVir auch der Ehrwürdigen, Durchleuchtigen, Hochgebornen - - - unserer lieben Neven, Vetter, Schwæger, Oheimen und Churfürsten, Adprobation und Bewilligung zu erhalten, in keinen Zweiffel setzen.* Cum etiam idem Imp. Megapolitanum Ducatum Wallensteinio concessisset, Electores

res inter alia Grauamina, quæ in Comitiis Electoralibus a. 1630. exhibuerunt, proposuerunt: *die dem Reich durch Todfall, oder Verbrechen verfallene oder durch die Kayserliche Armada eroberte Fürstenthumber und Herrschafften, nach Inhalt Kaiserlicher Capitulation, ohne Vorwissen nicht versetzt, verpfändet, vielweniger transferirt und alienirt*, prout habetur apud LONDORPIVM *Tomo IV. p. 55.* LIMNÆVM *Mant. ad Capit. Ferdinandi II. p. 620.* Vix igitur validæ esse videntur Expectatiuæ sine Electorum consensu concessæ, licet satis sit, si ex postfacto Electorum consensus accesserit, de quo tamen dubitauit HENNIGES *ad Capit. Iosephi art. XXIX.*

******* In hoc *art. XXX.* Imp. primum se obligat, Feuda Imp. caduca, *ohne Vorwissen der Sieben Churfürsten ferner niemand leihen, auch niemanden einige Expectantz oder Anwartung drauf geben.* Idem repetitur in Capit. Leopoldi *art. XXX.* Iosephi *art. XXIX.* Leopoldus tamen Imp. a. 1693. Brandenburgicis Electoribus Expectatiuam concessit in Feuda Imperii Limburgensia, prout Litteras LVNIG exhibet *p. Spec. Cont. II. Suppl. p. 988.* vi cuius etiam successio in hæc feuda Brandenburgicis obuenit. De hac materia vberius MÜLLERVS *R. T. T. unter K. Fridrich dem V. p. I. c. XXIII. § XL. sqq.* Addi potest IO. IACOBI MASCOVII Dissertatio nupera *de Expectatiuis in feuda Imperii, Lipsiæ 1719. 4.*

† In singulis enim Capitulationibus consensus Electorum ad ea feuda saltim restringitur, *so etwas mercklisches ertragen.*

†† Idem Imp. a. 1502. Megapolitanis Ducibus Expectatiuam concessit in dimidiam partem Landgrauiatus Leuchtenbergensis, prout Litteras exhibet LVNIG *Forts. der II. Contin. p. 500.* alteram dimidiam sibi & Cameræ suæ reseruauit Imperator art. XXX. *Daß die heimgefallene Reichs Lehn so etwas merckliches ertragen, ohne Vorwissen der Churfürsten und Stände niemand verliehen, oder expectantz darauf gegeben werden mæge.*


††† Art. XI. *VVenn auch inskünfftig Lehn dem Reich, durch Todes-Fælle oder Verwürckung eræffnet, und lediglich heimfallen werden, so etwas mercklíches ertragen, als Churfürstenthümer, Fürstenthümer, Grafſchafft-Herrschafften Stædte und dergleichen, die sollen und wollen Wir die Churfürstenthümer ohne des Churfürstlichen Collegii, die Fürstenthümer, Graf- und Herrschafften, Stadt und dergleichen aber, ohne der Churfürstlichen, Fürstlichen, auch (wenn es nehmlich eine Reichs-Stadt betreffen thut,) Stædtischen Collegiorum Vorwissen und Consens, ferner niemand leihen, auch niemanden einige Expectantz oder Anwartung darauf geben, sondern zu Unterhaltung des Reichs, Unser und Unserer nachkommenden Kænig und Kayser behalten, einziehen und incorporiren, doch Uns von wegen Unserer Erblande, und sonsten manniglich an seinen Rechten und Freyheiten, auch denen von unsern Vorfahren am Reich, denen Standen, propter bene merita ertheilten, und denen Reichs-Constitutionibus gemæssen Anwartungen, aufs künfftige sich erledigende Reichs-Lehn an ihrer Krafft und Bündichkeit unschædlich.*



CAPVT

CAPVT DECIMVM TERTIVM DE MODIS FINIENDI POTESTATEM IMPERATORIS ET VICARIIS IMPERII.

§. I.



Xaminatis iuribus & poteſtate Imp. nunc erit conſiderandum, quibus modis eadem finiatur. Tres autem modos nouimus, mortem, renuntiationem, priuationem.*

* Adgnouit hoc Clemens VII. apud THVANVM lib. XXI. p. 628. *neceſſe eſſe, vt vacet imperium, quod non niſi morte, eiceratione, aut priuatione fieri poſſit.*

§. II.

Morte deſinere poteſtatem Imperatoris, certum omnino eſt. Quamprimum autem defunctus fuerit Imperator, eiusdem fatum adnuntiatur Archiepiſcopo Moguntino atque Vicariis. Iſti quidem ideo, vt tempore in A. B. præfinito, Electores conuocet, ad eligendum nouum Imperatorem. His, vt, ſi Rex Romanorum non adſit, Iura Vicariorum interea exerceant, qui Edicto publico in ditionibus Vicariatus ſui hoc indicant, atque Imperii ſimul adminiſtrationem ipſis delatam intimant. Electores atque Status hinc inde in Territoriis ſuis e ſuggeſtibus mortem Imp. faciunt denuntiari, nec non ſigna luctus edunt.

§. III.

Dum hæc agantur, omnia præparantur ad ſepulturam.* Primi quidem Impp. eandem plerumque accipiebant in Monaſteriis, quæ ipſi vel fundauerant, vel beneficiis ornauerant, putantes, ſe exinde omnium bonorum operum monachalium fieri participes. Sic frequens olim fuit Regibus Francorum in Monaſterio S. Dionyſii humari, in quo etiam tumulum ſuum iamdum deſignauerat Carolus M. ** vt ex Diplomate antiquo patet, licet Eginhardus teſtetur, quod viuus de hoc nihil præcepiſſet. Poſtea tamen omnium conſenſu in baſilica Aquisgranenſi conditus, quam ipſe extruxerat.*** Ludouicus Pius Metis cum magno honore, in Baſilica S. Arnulphi, vbi & mater eius fuerat condita, Imperiali cultu ſepelitur.**** Lotharius in monaſterio Prumienſi,***** quo ſeceſſerat, ſepulturam accepit, Ludouicus II. Mediolani in Baſilica S. Ambroſii ****** terræ fuit mandatus; Caroli Calui oſſa in Monaſterium S. Dionyſii,******* Arnolphi in Monaſterium S. Emerani Ratisbonam fuerunt translata.†

* Exequias in funere Maximiliani I. deſcribit MÜLLERVS *im R. T. Theatro p. I. p. 194.* Ferdinandus I. Exequias Caroli V. magna pompa celebrauit S. H. G. *diſſ. XXXIII.* §. *XI.* Exequias Leopoldi deſcribit RINCK *p. 1677. ſqq.* Ioſephi RINCK *p. II. p. 599.*

** MABILLONIVS *lib. IV. de re Diplom. p. 259.* ex Doubleto hoc refert.

*** EGINHARDVS *c. XXXI.* CHRON. MOISS. *ad a. 813.* S. H. G. *diſſ. VII.* §. *XXXVI.*

**** AVCTOR VITÆ LVDOVICI *ad a. 840.* NITHARDVS *lib. I. exeunte.*

***** REGINO *ad a. 855.*

****** S. H. G. *diſſ. VIII.* §. *XXX.*

******* S. H. G. *diſſ. IX.* §. *VIII.*

† S. H. G. *diſſ. X.* §. *XXXIV.*

§. IV.

Poſtquam Germani ſibi ipſis Reges eligerent, ſepulturam

ram ſuam etiam acceperunt in regno Teutonico. Sic Conradus I. Weilburgi primum ſepultus, licet oſſa poſtmodum Fuldam translata fuiſſe videantur. * Henricus Auceps in monaſterio Quedlinburgenſi. ** Otto M. in templo cathedrali Magdeburgenſi, *** quod ipſe extruxerat. Otto II. vero, quia Romæ defunctus, ibidem quoque in atrio templi S. Petri fuit ſepultus. † Ottonis III. oſſa Aquisgrani, viſcera Auguſtæ Vindelicorum fuerunt condita. †† Henricus II. in templo Bambergenſi, quod ipſe extruxerat, fuit ſepultus. †††

* S. H. G. *diſſ. XI. §. IX.*

** LVITPRANDVS lib. IV. c. VII. *eo in tempore Rex Henricus in caſtello, quod eſt inter Thuringiorum & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuna, grauiſſima valetudine correptus migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Saxoniam deporatum, in nobiliſſimarum ac religioſiſſimarum Monaſterio puellarum (quod in ipſius Regis prædio, vocabulo Quintelingaburch, ſitum liquet) intra Eccleſiam cum immenſa eſt veneratione repoſitum.* S. H. G. *diſſ. XI. §. XXVI.*

*** DITMARVS lib. II. p. 333. de Ottone M. *ſtatuit rex Abbatiam in Magdeburgenſi ciuitate, incipiens Eccleſiam mirum in modum in loco, vbi ſancta requieſcit Edith, & iuxta quam poſt obitum ſuimet pauſare deſiderauerat ipſe.* Et p. 334. *corpus egregii Comitis Chriſtiani, aliorumque ſui familiarium, iuxta memoratam poſuit Eccleſiam, in qua ſibi ſepulturam, quamdiu vixit, præparari concupiuit.* S. H. G. *diſſ. XII. §. XXX.* WITTICHINDVS *Ann. lib. III. fin.* de Ottone II. *tranſtulit corpus patris in ciuitatem, quam ipſe magnifice conſtruxit, vocabulo Magdeburg.* Addit tamen MEIBOMIVS in notis, viſcera Memlebiæ fuiſſe condita.

† LAMBERTVS SCHAFNABVRG. *ad a. 983.* S. H. G. *diſſ. XIII. §. VI.*

†† DITMARVS lib. IV. p. 358. *dux vero cum his Auguſtanam attingens vrbem, dilecti ſenioris inteſtina duabus laguncalis prius diligenter repoſita in oratorio ſancti Præſulis Othelrici, quod in honorem eius Liudulphus, eiusdem eccleſiæ Epiſcopus conſtruxit, in auſtrali parte monaſterii ſanctæ martyris Afræ ſepultura honorabili tradidit.* PORRO

narrat, qua ratione corpus Coloniam, indeque Aquisgranum fuerit delatum, ibidemque in Choro Templi S. Mariæ repositum. Idem tradit CHRON. MAGDEBVRGENSE apud MEIBOMIVM Tom. II. p. 281. Fridericus III. Saxoniæ Elector eiusdem monumentum Augustanum restaurari fecit, cui sequentia fuerunt inscripta:

Romani Imperii decus amplum, Tertius Otto,
Ossa in Aquisgrani, hic viscera clausa tenet. S. H. G. *diss.* XIII. §. XV.

††† MARIANVS SCOTVS ad a. 1024. *Babenbergæ in monasterio sancti Petri a se facto sepelitur.* S. H. G. *diss.* XIII. §. XXVIII.

§. V.

Francici vero Impp. Spirensem vrbem ad sepulturam sibi elegerunt. Primus ex iisdem Conradus Salicus ibidem voluit sepeliri, * eo quod Spirensis Basilicæ fundamenta iecerat, quam tamen morte præuentus, Henrico III. filio consummandam reliquit, atque ansam dedit, vt sepultura Imperatorum ibidem esset perpetua. ** Hanc igitur ibidem adeptus Henricus III. Henricus IV. & V. † Ibidem recondita fuit Gisela Conradi II. vxor, in monumento singulari. †† Lotharius Saxo tamen in Monasterio Luteræ Cæsareæ, quod ipse condiderat condi voluit. †††

* WIPPO vita Conradi Salici fin. *Viscera Imperatoris apud Traiectum condita sunt, & rex locum sepulturæ donis & prædiis ampliauit. Reliquum corpus ab Imperatrice & filio rege, vt optime excogitari poterat, inuolutum & reconditum usque Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta cœnobia illius ciuitatis atque Moguntiæ seu VVormatiæ, siue illorum, quæ in medio fuerunt, omni populo sequente & orante deportatum, incredibili oratione & magnis eleemosynis pro redemptione animæ factis, tricesima octaua, qua obdormiuit die, in Spira Ciuitate, quam ipse Imperator, sicut & postea filius, multum sublimauit, honorifice sepultus est.* S. H. G. *diss.* XIV. §. XIII.

** PAVLVS LANGIVS Chron. Citic. ad a. 1025. *Episcopatum quoque Nemetem-*

metensem siue Spirensem inchoauit, sed morte praeuentus filio suo Henrico tertio consummandum reliquit: vbi etiam sepulturam Imperatorum voluit esse perpetuam. Idem confirmat LEHMANN *Chron. Spir. lib. V. c. XIX.* Quare GESTA BALDVINI lib. II. c. V. de Henrico VII. *Regum Almaniae sepulturae ciuitatem deputatam, id est, Spiram diuertit.*

† Extabat olim ibidem speciale monumentum in singulari capella, cui quatuor lapides sepulcrales impositi, quibus inscriptum: *Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet illic*, quod Conradum II. Henricum III. IV. V. notat. Monumentum descripsit & aeri incidi fecit FVGGER *Spiegel der Ehren lib. III. c. I. p. 257.*

†† FVGGER *c. l. p. 258.*

††† MEIBOMIVS *Notis ad Herlingsbergam Tom. I. Opp. p. 798.* Mausoleum ipsius a. 1618. fuit apertum, atque reperta lamina plumbea cum eiusdem Epitaphio, quae adhuc adseruatur in Bibliotheca Guelpherbytana TOLLII *epist. Itin. I. p. 5.* S. H. G. *diss. XVI.* §. *XXX.*

§. VI.

Ex Sueuicis Impp. Conradus III. Bambergae defunctus, Spirae est sepultus.* Friderici I. in expeditione Saracenica defuncti, intestina cum carne apud Tarsum sepulta, ossa Antiochiam fuerunt translata.** Henricus VI. Messinae sepultus.*** Philippus, qui Bambergae occisus, ibidem primo sepultus, postea vero Friderici II. iussu, corpus eiusdem Spiram fuit translatum.**** Fridericus II. ad Monreale supra Panormum magnifice conditus.† Eiusdem vxor vero Beatrix, vna cum Agnete filia, Spirae fuit humata.††

* S. H. G. *diss. XVII.* §. *XIII.*

** OTTO de S. BLASIO *c. XXXV.* S. H. G. *diss. XVII.* §. *LIII.*

*** OTTO de S. BLASIO *c. XLV.* S. H. G. *diss. XVIII.* §. *XI.*

**** LEHMANN *lib. V. c. LXX.* S. H. G. *diss. XIX.* §. *XI.*

† PAND. COLLENVTIVS *hist. Neapol. lib. IV. p. 181.* S. H. G. *diss. XX.* §. *XXIV.*

†† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. III. c. I.*

§. VII.

Sic etiam primi Imperatores Auſtriaci Spiræ voluerunt ſepeliri. Rudolphus ſiquidem Habsburgicus, Adolphus Naſſouius, Albertus Auſtriacus, iisdemque poſiti lapides ſepulcrales ex marmore, cum certis inſcriptionibus.* Henricus VII. Piſis ſepultus prope altare Baſilicæ cathedralis.** Poſtquam vero Ludouicus Bauarus in terris ſuis hæreditariis ſedem cepiſſet, in iisdem quoque fuit ſepultus, † quem ſecuti & reliqui Imperatores, ita tamen, vt in monaſteriis vel baſilicis cathedralibus conderentur. Quare etiam cor, viſcera & corpus Leopoldi atque Ioſephi in diuerſis capellis fuerunt condita. ††

* FVGGER *Spiegel der Ehren lib. III. c. I. p. 258.* Singularem tabulam in choro, Matthias, Spirenſis Epiſcopus repoſuit, qua de ſingulis, qui Spiræ ſepulti, Imperatoribus, horumque vxoribus & filiis breuis exhibetur notitia, de quo LEHMANNVS *lib. VII. c. XI.*

** ALB. MVSSATVS *Hiſt. Henrici VII. lib. XVI. fin.*

† ADLZREITER *Ann. Boi. p. II. lib. IV. n. 24. D. Virginis Aedes Maximi Principis exuuias accepit, nobile pignus magnitudinis ſuæ, in quam poſterioribus annis excreuit, ampliſſima totius Bauariæ Baſilicarum.*

†† RINCK *Vita Leopoldi p. 1697. Vita Ioſephi p. 601.*

§. VIII.

Deinde deſinit eſſe Imperator reſignatione. Huius quidem in hiſtoria Romana plura reperimus exempla. In hiſtoria Germanica olim habemus exemplum Lotharii reſignantis, atque in recentiori Caroli V. In hac vero conſiderandæ ſunt cauſſæ & modus. Iſtæ erant ætas ingraueſcens, valetudo aduerſa, atque exinde orientia incommoda.* Modus in eo conſtabat, vt primum publico edicto Ordinibus Imperii decla-

declararet, Imperii administrationem fratri suo esse commissam. Inde de resignatione per legatos suos, quorum Guilielmus Arausionensis erat praecipuus, cum Electoribus ageret. His resignationem adprobantibus, cessio Imperii a. 1558. Ferdinando fratri, Regi Romanorum fuit facta, ** quod dein publicis Comitiis Spirae 1559. celebratis, singulis Statibus intimauit Ferdinandus I.

* Hae caussae enim adducuntur in prooemio R. I. Spirensis de a. 1559. *aus mercklichen, grossen, tapfern und trefflichen Ursachen, sonderlich aber von wegen Ihr. Liebd. und Kayserl. Maiest. obliegenden Alters, und immerwährenden Schwachheit.*

** Integram historiam abdicationis & renuntiationis Caroli V. scripsit GVILIELMVS GODELEVAEVS, quae reperitur apud SCHARDIVM *Tom. II. Script. Rer. Germ. p. 638.* THVANVS *lib. XXI. p. 627.* S. H. G. *diss. XXXII. §. CI.*

§. IX.

Ex dictis patet, quae ratio esse debeat, resignationis Imperatoriae. Nec enim ex solo arbitrio resignare licebit Imperatori, quia Imperium pacto ipsi fuit delatum, quod non nisi mutuo paciscentium consensu poterit resolui. Requiritur igitur consensus Electorum, cum quibus fuerat pactus. Quam insequi debet publica intimatio, vt scilicet singuli Status cognoscant, se iuramento resignanti Imperatori praestito esse solutos.

§. X.

Maioris difficultatis est Imp. Depositio, de qua, tanquam re odiosa nihil legibus fuit definitum. Disquirendum itaque erit, an liceat Imp. deponere. Durum equidem hoc videtur, * ast, cum Imperium pacto deferatur, atque natura pacti secum ferat, vt si vnus a pacto recedat, nec alter amplius teneatur, facile patet, si Imperator contra pacta conuen-

uenta agat, iisdemque non satisfaciat, nec Status amplius teneri ad obsequium Imperatori præstandum. ** Et licet in Capitulatione clausula saltim cassatoria addatur, omnia irrita esse, quæcunque contra Capitulationem fecerit Imperator, attamen hoc saltim de factis singularibus intelligendum, & leuioris momenti, aliud est, si quid contra libertatem atque iura Statuum moliatur Imperator. In Electione Leopoldi etiam fuit consultatum, an non lex commissoria expressis verbis capitulationi sit inserenda. *** Hoc tamen non diffitemur, quandoque consultius fore, **** si viuo Imperatori adiungatur Rex Romanorum, cum pleniori tamen potestate. Licet & hic modus sua habeat incommoda.

* THOMASIVS *ad Monzambano cap. V. §. III.*

** Adgnouit illud Moguntinus, cum de Henrici IV. depositione ageretur, Germaniæ Principes apud HELMOLDVM *Chron. Slau. lib. I. c. XXXII.* tali modo adlocutus: *quousque trepidamus, socii, nonne officii nostri est Regem consecrare, consecratum inuestire. Quod ergo Principum decreto impendere licet, eorundem authoritate tollere non licebit? Quem meritum inuestiuimus, immeritum quare non diuestiamus.* Adgnouit Otto IV. Imp. quem NAVCLERVS *Vol. II. Gen. XLI. p. 910.* in Comitiis Noribergensibus a. 1212. ita inducit loquentem: *vestri etenim Iuris esse fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare simul & destituere.*

*** PVFENDORF Rer. Brandenb. lib. VII. §. 26. *denique quia multorum querimoniis agitatur, capitulationem quantumuis accuratissime conceptam haut seruari, nostri cum aliis consultarent, an non necessarium sit eidem legem commissoriam expressis verbis inseri, vt Cæsar ista non seruata, ipso facto Imperio excidisse sit censendus, ac declarationem statim ab Electoribus faciendam.*

**** BOECLERVS hæc præponit *ad Grotium lib. I. c. IV. §. 9. & Not. Imp. lib. IV. c. I.*

§. XI.

Requiritur autem, vt caussa & modus sit legitimus.

Cauf-

Caussas si consideremus, in eo constant, si se indignum gerat nomine Imperatorio, tyrannus sit, contra iura Imperii & contra Capitulationes agat. Modus in eo consistit, vt Imp. per Electores de officio admoneatur vicibus iteratis, & si nec dum desistat ab iniuria, ipseque non praestet, quae promiserat, obsequio etiam poterunt renuntiare Status. *

* LIMNAEVS *lib. II. c. XI. n. 25. sqq.*

§. XII.

Patet illud exemplis, quorum plura reperimus in historia Germanorum. Habemus enim exempla Ludouici Pii, Caroli Crassi, Henrici IV. Ottonis IV. Friderici II. Ludouici Bauari, qui vero inter turbas, Paparum artibus exagitati, atque iniuria exauctorati. Solummodo dicendum de Adolphi Nassouii depositione & Wenceslai. Ista non adeo legitima videtur. Licet enim non deessent caussae praetextae, quod a Rege Angliae accepisset centum millia marcarum argenti, vt auxilium illi ferret contra Gallos, cuius summae partem debuisset in conscribendum exercitum impendere, partem etiam inter Germaniae Principes distribuere, quam tamen integram sibi seruauit, & maxime, quod ob incertos amores & rapinas inutilis sit Imperio. * Potissima tamen ratio erat, quod nollet regnum secundum Archiepiscopi Moguntini & Electorum regere voluntatem. ** Fiebat etiam depositio sine praeuia admonitione. Postquam enim in illustri conuentu Regis Vngariae, Bohemiae & multorum Principum atque Episcoporum Germaniae Viennae a. 1298. conspiratio contra Adolphum fuisset instituta, Curia Francofurti fuit indicta in festo Philippi & Iacobi, ad eandemque Albertus atque Adolphus fuerunt euocati. Et licet Adolphus contradiceret, Moguntiae tamen pronuntiata fuit sententia depositionis Adolphi, atque Albertus electus. ***

 * MV-

* MUTIUS *lib. XXII. Chron. p. 200. 202.*

** CHRON. COLMAR. ad a. 1298. *quidam ex Principibus electorum Regis, scilicet, Archiepiscopus Moguntinus, Dux Saxoniæ, & Dux de Brandeburg, videntes quod Adolfus Rex Romanorum nollet regnum secundum eorum regere voluntatem, taliter sibi mutuo loquebantur, Adolfus Rex pauper est in rebus pariter & amicis: Stultus est, regnum sub eo breui deficiet, in diuitiis & honore. Tunc vnus eorum dixit: necesse est eius solutio procuretur.* MAGNUM CHRON. BELG. *ad a. 1293.* LEHMANN. *lib. V. c. CXVIII.* qui tamen depositionem potius adprobare videtur. Ast, reprobant eandem BOECLERUS *Not. Imperii lib. IV. c. I.* GUNDLING *Tom. I. obs. IV.* & singulari Dissertatione IO. GEORGIUS SCHERTZIUS *Argentorati 1711.*

*** S. H. G. *diss. XXIV. §. VIII.*

§. XIII.

Alia ratio est cum depositione Wenceslai, hanc enim omnino legitimam esse censemus. Quantum ad caussas attinet, tales in sententia exauctorationis præter horribilem (vt verba sunt) & indecentem vitam, proponuntur, quod ipse S. Dei Ecclesiæ ad pacem auxilium non præstiterit, S. R. Imperium grauiter dimembrauerit & dimembrare permiserit, Mediolanensem prouinciam, accepta pecunia Ducatum fecerit, multas prouincias Imperii minime curauerit, membranas & chartas non scriptas subscriptione saltim & sigillo Maiestatis corroboratas, obtentu pecuniæ sæpius amicis suis tradiderit, vt scribere in iisdem pro lubitu potestatis possent, quæcunque vellent, quod non attenderit ad dissensiones & bella, quæ multis Germaniæ partibus viguerint, quod Ecclesiæ, monasteria & aliæ sacræ domus periculose incendantur & deuastentur, quod propria & aliorum manu prælatos, personas ecclesiasticas, pluresque alios homines submerserit, facibus cremauerit & contra iustitiam interemerit, & nefanda

ſanda alia maleficia & defectus ſint notorii atque manifeſti. Quae cauſſae ſane ſunt legitimae, dum etiam a Scriptoribus illorum temporum comprobentur: * nec deficit modus. Saepius enim Electores Wenceslaum rogarunt, vt ab hac indecenti vita abſtineret, Eccleſiae & Romani Imperii curam haberet, defectus emendaret. Dum ad haec ſe minime diſponeret, petierunt, vt ipſe ad vrbem ſuperiorem Laenſtein veniret, & cum Electoribus ageret de Imperio vtilius diſponendo & abolendis defectibus, addita comminatione, ni veniret, ſe curaturos, qua ratione melius proſpici poſſit Imperio. His omnibus nihil proficientibus, tandem in Comitiis Francofurtenſibus 1400. cum reliquorum Principum conſenſu deliberarunt Electores de eligendo nouo Rege, quem Wenceslao opponerent, atque demum in ſede ad Rhenum prope Ober Lahnſtein pro tribunali erecto, ſententia exauctorationis die 20. Auguſti 1400. praeſentibus pluribus principibus & nobilibus per Iohannem Moguntinum fuit pronuntiata. **

* MVTIVS *lib. XXVI. Chron. ad a. 1400.* S. H. G. *diſſ. XXVIII.* §. *XIV.*

** Continentur Acta depoſitionis Wenceslai in OBRECHTI *apparatu Iuris publici.* Sententia exauctorationis reperitur apud GOLDASTVM *Tom. I. Conſtit. f. 139.*

§. XIV.

Sed de eo potiſſimum diſputatur, quisnam ius habeat deponendi Imperatorem. Sunt, qui pontifici hoc tribuant, * qui ſibi hoc ius ſaepius ſumſit. Sed, dum nulla circa conſtitutionem Imp. ſint iura Pontificis, nec iuris quid ipſi concedendum circa depoſitionem. Exempla Henrici IV. Friderici II. & Ludouici Bauari nil faciunt, qui potius artibus & conſilio Papae fuerunt depoſiti, quam iuſſu atque auctoritate. Sunt, qui ad Comitem Palatinum referant, qui Iudex dicitur Imp. quod iudicium omnino de cauſſis publicis & regni

erit intelligendum, ** quare etiam in depositione Wenceslai aliquæ partes tribuuntur Ruperto Palatino.*** Ast, cum ex ipsa hac depositione pateat, communi eandem consensu factam, nec vlla lege iudicium Palatini in hac caussa definiatur, durum omnino videtur, illius arbitrio Imp. subiicere. Alii Collegio Electorali hoc tribuunt, tanquam consectarium electionis. † Alii Statibus adsignant, eo quod hæc depositio nulla lege publica Electoribus relicta, & consuetudinem potius contrariam esse, dum certum sit, electionem olim & depositionem in Comitiis definitam, soli vero electioni per A. B. fuisse derogatum. †† In Comitiis Ratisbonensibus a. 1471. non defuerunt Principes, qui de exauctorando Friderico III. Imp. cogitabant, quod tamen ad effectum minime fuit deductum. †††

* Recenset eosdem BVXTORF *ad A. B. c. I. §. XI.* LIMNÆVS *lib. II. c. XI. n. 18.* qui tamen horum argumenta satis refutauit.

** Facit huc quodammodo COCCEIVS *cap. XVI. §. 14.* qui Palatinum ex caussa male gesti Imperii iudicem dicit.

*** MVTIVS *lib. XXVI.* ait: *Electores ergo Principes, potissimum Rupertus C. P. R. decreuerunt, hunc Principem Imperio inutilem.*

† MONZAMBANO *cap. IV. §. 6.* LIMNÆVS *lib. II. c. XI. n. 23.* BERTRAM *de Comitiis §. 11.*

†† CONRING. *ad Lampadium lib. III. c. II. n. 11.* RACHELIVS *de Capitulatione c. VII. §. 10.*

††† S. H. G. *diss. XXX. §. XLII.*

§. XV.

Quod si depositionem Wenceslai consideremus, quæ hac in parte nobis esse debet norma, videbimus, vbi de quæstione agitatum, an deponendus sit Wenceslaus, consilia quoque plurium aliorum Principum ac Dominorum sacri Imperii fuisse adhibita, * immo rem etiam in Comitiis Francofur-

furtensibus agitatam. Decreta autem Statuum consensu depositione, tunc demum sententiam exauctorationis pronuntiarunt Electores. Licet nec dum statim omne obsequium Wenceslao fuerit denegatum, cum plures adhuc Imperii Ciuitates ipsi adhærerent.

* Testantur hoc verba exauctorationis apud OBRECHTVM p. 67. *quia insuper ista absque periculoso dampno totius Christianitatis non sunt diutius durabilia nec toleranda, idcirco nos animo deliberato pluribus & multiplicibus tractatibus & consiliis, quæ ob hoc inter nos & cum pluribus aliis Principibus & Dominis Sacri Imperii seriose habuimus.*

§. XVI.

Dum autem singulis hisce casibus vacare contingat Imperium per menses aliquot, ne anarchia oriatur, certi constituti fuerunt VICARII, qui regimen interea atque administrationem Imperii susciperent, ideoque dicuntur *Prouisores Imperii.** Vicarii duplicis sunt generis. Alii viuo adhuc Imperatore constituuntur eodem vel absente, vel alias impedito. Alii defuncto eodem, vacante Imperio, lege fuerunt definiti.

* A. B. *Tit. V.* §. 1.

§. XVII.

Viuo Imperatore, Vicarius generalis est *Rex Romanorum*, qui ex concessione Imperatoris, vel si ipse præpeditus fuerit, vicariam exercet potestatem. Alii vero sunt speciales. Hi vel regni Germanici sunt, vel Imperii Romani, vel regni Italici, vel regni Arelatensis. Vulgaris quidem distinctio est in Vicarios vniuersales, quales Germanici dicuntur, & particulares, quales Italici, quæ tamen male procedit, dum quiuis pro ratione regni iura sua habeant distincta. Li-

cet hodie Vicarii Regni Germanici Vicariatus iura etiam per Italiam exerceant.

§. XVIII.

Primis equidem temporibus Impp. Saxonicorum nullos nec lege, nec obſeruantia conſtitutos fuiſſe Imperii Vicarios, ex eo patet, quod Impp. in Italiam vel peregre abeuntes, filios ſuos Reges facerent declarari, iisdemque Imperii curam committerent, vel eosdem pro arbitrio conſtituerent Prouiſores. Sic Otto M. dum an. 951. a Ioanne Papa prima vice in Italiam euocaretur, Saxoniæ Ducatus, quem ipſe hæreditario iure poſſidebat, adminiſtrationem Hermanno Billingo, nobili apud Saxones viro commiſit, † quem antea militiæ Ducem conſtituerat, qui etiam per vniuerſum Imperium eximiæ erat auctoritatis, atque ex Saxonia, prouincia tunc dominante, vniuerſo Imperio proſpexiſſe videtur. Idem Imp. dum a. 952. aduerſus Vngaros pergeret, Brunoni fratri ſuo, Imperii curam commiſit. †† Idem quoque defuncto a. 965. Brunone, dum iterum in Italiam abiret, Wilhelmum, Moguntinum Archiepiſcopum Imperii conſtituit Vicarium. ††† Dum tertiam in Italiam expeditionem ſuſciperet, indictis an. 961. VVormatiæ Comitiis, filium ſuum Ottonem II. Regem eligi, atque ſibi ſucceſſorem fecit deſtinari. †††† Licet nec abs re eſſe videatur, Duces quoque Prouinciarum Germaniæ vicariam in Prouinciis ſibi demandatis abſente Imp. exercuiſſe poteſtatem. †††††

† ADAMVS BREMENSIS lib. II. c. IV. *poſt hæc, cum Rex victorioſiſſimus Otto ad liberandam ſedem Apoſtolicam vocaretur in Italiam, conſilium habuit, quem poſt ſe Vicarium poteſtatis, ad faciendam iuſtitiam relinqueret in his partibus, quæ barbaris confines ſunt terminis. Nondum enim poſt tempora Caroli, propter veteres illius gentis ſeditiones Saxonia Ducem accepit, niſi Cæſarem. Qua neceſſitate Rex perſuaſus,*

suasus, Hermanno primum tutelæ vicem in Saxonia commisit. HELMOLDVS lib. I. c. X. *Igitur tali viro piissimus Rex vicem suam in hac regione commendans in Italiam discessit.* S. H. G. *diss. XII.* §.*XXVIII.*

†† AVCTOR VITÆ BRVNONIS apud LEIBNITIVM Tom. I. p. 279. *e castris Orientem versus, cum his, quos fidos habuit, consultum partibus illis festiue proficisci disposuit, fratrem suum Brunonem occidenti tutorem & prouisorem, & vt ita dicam, Archiducem in tam periculoso tempore misit.*

††† WITTICHINDVS Ann. lib. VI. p. 661. *Dum hæc in Italia gerebantur, summus Pontifex Wilhelmus vir sapiens & prudens, pius & cunctis affabilis a patre* (Ottone I.) *sibi commendatum Francorum Imperium regebat. Quare* CHRONOGRAPHVS SAXO ad a. 967. *eodem tempore misit legatos suos Willehelmo Archiepiscopo Moguntino, aliisque principibus regni, præcipiens ei filium suum Ottonem cum omni regali dignitate.*

†††† LVITPRANDVS lib. VI. c. VI. *filium suum sibi cognominem contra morem puerilibus in annis Regem constitutum in Saxonia dereliquit.* S. H. G. *diss. XII.* §. *XXII.* Notanter WIPPO p. 432. *Anno incarnationis Christi MXXXVI. Chunradus Rex consilio & petitione principum Regni filium suum Heinricum puerum Regem post se designauit, illumque Brunoni Augustensis Ecclesiæ Episcopo, in tutelam commendauit, & supradictis hostibus suis* (Ernesto Alemanniæ Duci) *insidias per filium, & ceteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere cœpit.* En igitur Imperii Vicarium!

††††† Patet hoc ex EKKEHARDO *de Cas. S. Galli c. X.* qui Hadwigam Sueuiæ Ducissam ita inducit loquentem: *miror etiam me Imperii Vicaria tam prope assidente duo mei Ducatus monasteria, me quidem spreta, tanta miscuisse infortunia.* Qualis autem ista fuerit, paullo ante dixerat: *Hadawiga Henrici Ducis filia, Sueuorum post Burchardum virum Dux vidua, cum Duellio habitaret, fœmina admodum quidem pulchra nimiæ seueritatis cum esset suis longe lateque terris erat terribilis.* Scilicet Hedwigis regimen tenebat Sueuiæ Ducatus atque in eodem, absente Imp. vicariam exercebat potestatem. Plenius de eo egit PHIL. THEOD. VERPOORTENIVS *de Ducibus hæreditariis p. 19.*

§. XIX.

§. XIX.

Nec sub primis Francicis Impp. tales reperire licebit ordinarios. Conradus II. a. 1026. in Italiam profecturus, filium suum Henricum puerum Regem post se designauit, illumque Brunoni, Augustensis Ecclesiæ Episcopo in tutelam commendauit, * eidemque Imperii curam commisit. Nec minorenne adhuc Henrico IV. Imp. vlla Vicariorum fit mentio. Imperii enim negotia Agnes Imp. mater tunc gerebat, consiliis potissimum vsa Henrici, Augustensis Episcopi. ** Postquam autem Henricus matri fuisset subtractus, statutum fuit, vt Episcopus quilibet in cuius diœcesi Rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti Respublica pateretur, prouideret, & causis, quæ ad Regem fuissent delatæ, potissimum responderet, *** argumento satis certo, nullos tunc fuisse Vicarios, lege constitutos.

* De quo §. finali.

** LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad a. 1061. *Imperatrix nutriens adhuc filium suum, regni negotium per se ipsam curabat, vtebaturque plurimum consilio Henrici Augustensis Episcopi.*

*** Verba sunt LAMBERTI SCHAFNABVRGENSIS *a. 1062.*

§. XX.

Inter Germaniæ turbas sub Henrico IV. Imp. exortas, absente Imp. prima fundamenta videmus crescentis auctoritatis Comitis Palatini circa Imperii gubernationem, ita tamen, vt nec lege, nec continua etiam consuetudine, Palatinus sibi soli vicariam vindicare potuerit potestatem, quin potius Impp. peregre atque in expeditiones abeuntes, pro arbitrio constituerent Imperii Vicarios. Henricus equidem de Lacu Comes Palatinus Rheni, ductante Henrico IV. Imp. a. 1090. in Italiam exercitum, æque Vicarius fuit Imperii, sed ex concessa

cessa ipsi ab Imp. potestate. ** Testatur hoc etiam Exemplum Henrici V. qui sororiis suis Conrado & Friderico, isto quidem Franconiæ, hoc Sueuiæ Duce, Imperii curam commisit. ***

* Patet hoc ex CHRONICO LAVRESHAMENSI *p. 142.* de Bennone Abbate: *ad Imperatorem Henricum Quartum tunc in Italia ferme decennio turbata Republica demorantem contendit, ac per Godefridum Palatinum Rheni Comitem (cuius sententia momentum curiæ per id temporis fuit) restitutionem obtinuit; promissa eidem omnium beneficiorum, quæ suis diebus Ecclesiæ vacarent, concessione.*

** Testatur id Diploma Abbatiæ Esternacensi concessum, cuius tale est initium: *Præsidente Domino Henrico Comite Palatino, cui a Domino nostro gloriosissimo Imperatore Augusto in Italiam exercitum ductante, commissæ sunt habenæ.* Prout dictum Diploma exhibet ANDR. du CHESNE *Hist. Domus Lucenburg. Geneal. in Probationibus p. 31.* Ex hoc TOLNERVS *Hist. Palat. cap. I. p. 9.* antiquitatem Vicariatus Palatini demonstrare conatur, qui tamen nondum erat perpetuus, sed ab Imp. dependebat arbitrio. Idem TOLNERVS *c. IV. p. 127.* Henrici Vicariatum iamdum an. 1045. sub Henrico III. fuisse constitutum & Sigefridi Palatini *p. 129.* ex solis coniecturis confirmare conatur.

*** OTTO FRISINGENSIS Chron. lib. VII. c. XV. *hinc etiam publica bella cum magna sanguinis effusione, tam præsente Imperatore, quam in Italiam migrante, rerumque summam sororiis suis Conrado & Friderico committente peraguntur.*

§. XXI.

Sub Sueuicis Impp. Vicarios adhuc Impp. arbitrio fuisse constitutos, nouimus. Fridericus I. an. 1154. coronæ capiendæ caussa, in Italiam abiturus, Vladislaum, Bohemiæ Regem Vicarium Imp. constituit. * Fridericus II. dum apud Italos commoraretur, a. 1220. constituit Engelbertum, Coloniensem Archiepiscopum, Imperii Prouisorem. ** Idem

Imp. a. 1242. Henricum Rasponem Germaniæ constituit Procuratorem. *** Magnam equidem Ludouici Palatini sub eodem Friderico II. Imp. in Imperio fuisse auctoritatem, antiqui Scriptores nos docent, licet exinde nihil argumenti ad potestatem Vicariam **** cum ipse Imp. præsens fuisse dicatur. Potius Engelbertus, Archiepiscopus Coloniensis anno 1220. dum Fridericus II. Romam ad coronationem properaret, Imperii Regimen suscepit. ***** Nec durante adhuc Interregno, certa penitus fuit potestas Vicaria Palatini, dum Richardus in Angliam abiturus, Wernerum Moguntinum Archiepiscopum, Philippum de Falckenstein, Philippum de Hohenfels, singulos in adsignatis Prouinciis Imperii constitueret Vicarios. ******

* DVBRAVIVS Hist. Bohem. lib. XII. p. 318. *Vladislao inter primos Electores ei suffragante, tanquam affini suo, & praterea tanta amicitia & familiaritate coniuncto, vt prima in Italiam Corona Imperialis capienda gratia, qua ab Adriano Pontifice Romano donatus est, profectione, Vicarium eum Imperii in Germania reliquerit.* Sub eodem Imp. Conradus Palatinus Comes Vicarius Imperii dicitur Ordinarius, pront TOLNERVS *Hist. Palat. cap. IV. p. 130.* contendit, nulla tamen certa auctoritate.

** CÆSARIVS HEISTERBACENSIS *in vita S. Engelberti c. V. Friderico Rege ab Honorio in Imperatorem coronato, cum intrasset Regnum Siliciæ, audita Archiepiscopi, sibi in Alemannia bene noti probitate, per litteras Imperiales Regni negotia citra Alpes illi commisit, Henrici, filii sui eum constituens Tutoremq; & totius Regni Romani per Alemanniam Prouisorem.*

*** Patet hoc ex Diplomate, quod dictus Landgrauius Monasterio Georgenthal a. 1242. concessit, apud SCHILTERVM *de Libertate Eccl. Germ. lib. V. c. VII. §. VIII.* in quo eiusmodi titulo vtitur: *Nos Henricus Dei gratia Lantgrauius Thuring. Comes Palat. Saxon. & Sacri Imperii per Germaniam Procurator.* Immo, ipse Fridericus Imp. Henricum huncce in Diplomate de a. 1245. vocat Procuratorem Germaniæ, quod exhibet SCHVBARTVS *de Comitibus Palatinis p. 189. 190.*

*** CONR.

**** CONR. de FABARIA de Caſ. S. Galli c. XII. *præſentatus itaque apud Vberlingen Henrico Regi ſemper Auguſto, Duce Noricorum in curia manente, cuius conſilio res Imperii per id temporis diſponebantur, aliisque Principibus Abbatia vt decuit principaliter ſuſcepit inueſtituram. Qua ſuſcepta rogatus a Rege & Duce præfato.* AVGVSTINVS equidem de CANVSIO *Bedencken von Reichs-Vicariis in Neuer Hall. Bibliothec XIV. Stück p. 339.* ex hoc loco confirmari putat Ius Vicariatus Palatini hæreditarium, cum tamen ex eo pateat, quod potius præſente Imp. Comitis Palatini officium geſſerit in Curia Imp. quam vicariam poteſtatem. Quare etiam CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1223. *Ludeuicus Dux Bauariorum Curator Regis Henrici, in rebus tam propriis quam Imperialibus in Alemannia efficitur.*

***** LEVOLDVS a NORTHOF *Chron. Marc.* apud MEIBOMIVM *Tom. I. p. 388. Anno Domini MCCXX. Fridericus Rex celebrem curiam in Franckenfurt tenens per omnes Principes fidelitatem Henrico filio ſuo puero præſtare procurat, quem Engelbertus Archi-Epiſc. Colon. Aquis in Regem coronat, ipſumque & totum regimen ſuſcipit in tutelam.*

****** TRITHEMIVS ad a. 1261. *Commiſit autem VVernhero Moguntinenſium Archiepiſcopo, cuius ſororem habebat vxorem, eam Regni partem, quæ continet Alſatiam cum adacentibus oppidis & ciuitatibus, conſtituens illum ſuum Regni Vicarium, vt poteſtatiue ageret in omnibus. Philippo de Falckenſtein fratri memorati Archiepiſcopi commiſit VVetterauiam, Frankenfurt, Friedeberg, Gielenhauſen, & reliqua illius Prouinciæ oppida. Porro Philippo de Hohenfels commendauit VVormatiam, Oppenheim, Moguntiam, Boppardiam & cætera circa Rhenum oppida cuncta.*

§. XXII.

Licet autem ordinaria nondum eſſet Comitum Palatinorum Vicaria poteſtas, ſenſim tamen iſta cœpit ſub Sueuicis Imperatoribus. Videmus enim in Iure Alemannico * attribui Comiti Palatino ad Rhenum non ſolum abſente

Imp. ſed etiam ſi Imperium vacauerit, Ius Banni trans Rhenum vsque ad milliare a Meti, & ad Oceanum vsque, ac per Flandriam, idque de iure, licet ipſi bannum ab Imp. minime fuerit conceſſum. Patet hoc etiam ex antiqua Ordinatione de Officio Comitis Palatini, qua decernitur, vt Comes Palatinus ex officio in regno ſemper ſit locum tenens. ** Magnam quoque Palatini Comitis fuiſſe auctoritatem patet ex electione Rudolphi Habsburgici *** atque Henrici VII **** dum in vtraque in Comitem Palatinum compromiſerint reliqui Electores.

* Cap. XLII. §. VII. *Der Pfaltzgraue zu Rine der bett gevvalt den ban zu libende yene ſite Rins untze fur Mentze eine Mille untze an den ſe und in flodern. Vnd obe Ime der Künig dem ban libet oder nüt ſo bett er doch den gevvalt den ban zu libende das iſt von dem Rechte.* Et paucis interiectis: *Die recht hant die zvvenn Herren* (der Pfaltzgraf und Marſchall) *ſo das rich one Kunig iſt.*

** Extat iſta apud GOLDASTVM Conſtit. Tom. III. p. 401. *decimo quod Regiam Maieſtatem ſiue in exercitu, ſiue aliter extra Regnum agere ſi contingat, Comes Palatinus ex officio debet in Regno ſemper eſſe Locum tenens, & cum aliquibus penes ipſum deputandis, quorum tamen ipſe caput & ſuperior eſſe debet, omnia facere & exercere, quæ Rex ipſe poſſet & deberet, poteſt, demptis tamen gratiis & donationibus iurium ad Coronam deuolutarum, præterea aliis illis, quæ directe ad Regiam dignitatem ex antiqua Ordinatione pertinuerunt ſemper.*

*** GERH. A ROO Ann. Auſtr. lib. I. p. 13. *Principes, ne iterum in diuerſa abiretur ſtudia, Ludouico Palatino eligendi poteſtatem deferunt* S. H. G. *Diſſ. XXIII.* §. *X.*

**** S. H. G. *Diſſ. XXV.* §. *I.*

§. XXIII.

Manſit tamen etiam dum Impp. libera poteſtas alios conſtituendi Vicarios. Henricus VII. enim, Germaniam in Comi-

Comitiis Spirensibus an. 1309. regendam commisit Iohanni, Bohemiæ Regi, filio suo. * Ludouicus Bauarus Imp. Theodorico, Cliuiæ Comiti concessit Westphaliæ Vicariatum, Rhenum inter atque Visurgim. ** Idem Ludouicus an. 1331. Ottonem Austriacum Imperii constituit Vicarium. *** Idem in Comitiis Francofurtensibus a. 1338. Eduardum Angliæ Regem generalem Vicarium per Germaniam creauit. **** Carolus IV. equidem an. 1352. Rudolphum II. Palatinum, socerum suum per vniuersam Germaniam constituerat Vicarium, ***** atque a. 1354. Rupertum Seniorem. ****** Et licet per A. B. absente Imp. Palatinum atque Saxonem Imperii constituisset Vicarios, † nihilominus a. 1366. fratrem suum Wenceslaum, Luxenburgensem Ducem, Imperii ordinauit Vicarium, †† atque a. 1375. singulari Diplomate Vicariatum absente Imp. Palatinis concessit. ††† Eadem ratione sub Wenceslao Primislaus, Dux Teschinensis Vicarium Imperii se gessit. †††† Dum igitur Wenceslaus hac potestate constituendi Vicarios abuteretur, Electores non solum, dum Wenceslaus esset captiuus, Rupertum Palatinum Imperii constituerunt Vicarium, ††††† sed etiam decreuerunt, quod talem Vicarium constituendi potestas non penes ipsum Regem, sed potius apud eosdem Regni Electores resideret. ††††††

* CONR. VECERIVS Hist. Henrici VII. ad a. 1309. *ipse, vniuersa Germania Ioanni filio demandata, cum non adeo grandi Comitatu iter ingressus.* LEHMANN *lib. VII. c. XI.* Exhibet PETRVS BECKLER *Stemm. Ruth. p. 264.* Diploma cum hoc initio: *Nos Iohannes Dei gratia Boemiæ & Poloniæ Rex, Sacri Imperii circa montes Vicarius generalis, ac Lucemburgensis Comes.* Plura exempla recenset MELCH. GOLDASTVS *de Regno Bohemiæ lib. III. c. IX.*

** Prout demonstrauit NIC. SCHATENIVS *Ann. VVestphal. lib. XII. p. 230.*

*** Patet hoc ex ipsius Diplomate adhuc inedito de an. 1331. *VVi*

Ludwig von Gottes Gnaden, Rœm. Kayser zu allen Zeiten Merer des Reichs veriehen offenlich mit diesem Brieff, daß wir die weysen Leut den Burgermeister, den Rat und die Bürger gemeiniglich zü Augspurg und zu Kauffbeuren haben geheissen hulden und schwæren, und heissen Sy uch mit diesem Briefe, unsern lieben Oheim und Fürsten, Otten Hertzogen zu Oesterreich und zu Steyer den wir Vicari habend gesetzet und gemachet des Rœm. Reichs, in allen Landen gewarten, als einem Vicarien des Reichs, wenn wir auswendig Landes sein, über das Lampartische Gebürge, oder dem Thüringer VVald.

**** Rationem reddit ALBERTUS ARGENTOR. *ad a. 1339.* dum aït: *Eduardus Rex Angl. bellum Regi Franc. intendens cum Comitibus Flandriæ, Hollandiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Iuliac. Montensi, accedit Imperatorem Ludouicum in villa Rense homagio sibi facto colligauit se eidem. Imperator vero Regem,* (Eduardum) *datis super eo litteris Imperialibus, Generalem Vicarium per Germaniam & Teutoniam deputauit.* CUSPINIANUS *Vita Ludouici Bauari p. 377.* GOLDASTUS *Tom. III. p. 411.* ADLZREITER *Ann. Boior. p. II. lib. III. n. 42.*

***** Prout FREHERUS hoc confirmat *notis ad Petr. de Andlo lib. II. c. X. p. 199.*

****** ALBERTUS ARGENT. p. 163. Et *Rupertum Seniorem Bauarum Palatinum Rheni, tempore absentiæ Vicarium Regni constituit generalem.* Confirmatur hoc etiam im BERICHT VOM PFÆLTZ. VICARIAT *p. 6.* atque in *Beylagen p. 28.* exhibetur Caroli IV. confirmatio super omnes sententias ab ipso tanquam Vicario publicatas.

† *Tit. V.*

†† Extant Litteræ desuper concessæ in WENCKERI Apparatu Archiv. p. 213. in quibus: *VVanne wir mit Rate, der Fürsten, Grafen und Herren des H. Reichs, mit wolbedachtem Muth, und mit rechter VVissen, dem Hochgeboren VVentzla Hertzogen zu Lützemburg, zu Brabant, und zu Limburg, unsern lieben Bruder, unsern und des H. Reichs gemeinen Vicarien gemacht haben in Deutschen Landen, und in allen andern Landen und Creyssen, die diseit des Lampardischen Gebirges gelegen sint, und haben ime gantze Macht gegeben zu tun,*

tun, und zu schicken, alles das vvir selber getun mochten als in unsern Briefen sulch unser Meinung, vollekumenlicher, und gentzlicher begriffen ist. Idem WENCKERVS *p. 214.* exhibet Litteras dicti Wenceslai, in quibus se vocat: *einen gemeinen Vicarien des H. Rychs, in allen Landen disseit des Lampertischen Gebirges.*

††† Extat hoc Priuilegium a Maximiliano postmodum confirmatum, *im Bericht vom Pfæltzischen Vicariat p. 30.* in quo: *Wann die Pfaltzgrafen bey Rhein, die Churfürsten seyn, von Ræmischen Kaisern und Kænigen solch Würdigkeit und Freyheit von alten und langen Zeiten gehabt haben und noch haben sollen: VVann Ræmisch Kaiser und Kænig über Bergk gezogen seyn, oder ziehen, das sie dann gemeine Vicarien des Reichs hie disseits gevvest sein und sein sollen.*

†††† Exhibet WENCKERVS eiusdem Primislai Litteras, in quibus sub initium statim hunc titulum gerit: *Primisla von Gottes Gnaden Hertzog von Teschin und des Heil. Reiches in Teutschen Landen Vicarie.*

††††† Patet hoc ex Litteris Ruperti a. 1394. ad Ciuitates Imperii emissis apud TOLNERVM *Cod. Diplom. c. CLXXXVII.* in quibus sub initium statim dicitur: *und an unsers Herrn des Ræm. Kænigs Statt Vicarius des Heil. Ræm. Reichs.* In his vero Litteris dicitur: *Und diewile leider unser Herr der Kænig also gefangen ist, so sin vvir ober Kurfürsten überkommen, umb das des Rich nit vvarlos und in sumeniesse stee, das unser iglicher von des Richs desto flißlicher dorzu sehen und gevvarten solle sins Rechten zu gebruchen und zu üben, als yme zugehært von sins Rechten vvegen an dem Rich, und vvir als ein Pfaltzgrafe by Ryn von unsers Kurfürstentums und VVürdigkeit vvegen, nachdem als es leider zu dieser Zyt umb unsern Herrn den Kænig und das Rich gestalt ist, sollen ein Vicarius und Fürseher des Richs sin, als auch, das unser Alt Vordern Pfaltzgraffen by Ryn, Kurfürsten des Richs gebrucht und off uns bracht sint.* Ex hisce litteris etiam patet, hoc ius Vicariatus Palatino ab antiquo tribui. Extant tales Litteræ etiam *im Bericht vom Pfaltzischen Vicariat p. 32.*

†††††† Prout ex Actis Depositionis Wenceslai demonstrauit WENCKERVS *p. 215.*

§. XXIV.

§. XXIV.

A temporibus Ruperti Imp. inualuit magis Palatini poteſtas Vicaria abſente Imp. Hic enim a. 1401. Ludouicum Barbatum, filium ſuum, Imperii conſtituit Vicarium, * hoc adiecto: *hactenus extitiſſe obſeruatum, ac etiam de iure Comitatus Palatinatus Rheni fuiſſe & eſſe, quod, cum Romanus Imperator vel Rex vltra montes Italiam ingreſſus fuerit, in ipſius abſentia Vicariatum Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatenſi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuiſſe & pertinere.* Sigismundus quidem Imp. Friderico, Noribergenſi Burggrauio a. 1418. Vicariam conceſſit & plenam poteſtatem. ** Idem contra Bohemos bellaturus Conradum III. Moguntinum Archiepiſcopum, Imperii conſtituit Vicarium. *** Dum autem Ludouicus Palatinus deſuper proteſtaretur, idem Conradus coram arbitris Ottone Treuirenſi & Theodorico Colonienſi Archiepiſcopis a. 1423. Reuerſales dedit, quibus Vicariatui renuntiauit. **** Dum a. 1432. Romam petendæ coronæ cauſa tenderet, Ludouicum Palatinum Imperii reliquit Vicarium, qui tamen titulo ſaltim vſus fuit *Vicarii in iure Franconico.* ***** Sub eodem Imp. deliberatum fuit, de conſtituendis in vſum pacis publicæ quatuor Vicariis, quorum cuique Vexillum aliquod Imperii committeretur, quæ tamen ad effectum minime fuerunt deducta. ****** Dum Fridericus III. Imp. a. 1468. coronationis cauſſa Romæ abſens eſſet, Vicariatum ex Palatinatus Iure exercuit Fridericus Palatinus, idemque ab Electoribus confirmatur; † Cumque in Comitiis Wormatienſibus a. 1495. de Regimento Imperii ageretur, quod rebus Imperii, abſente Imp. proſpiceret Maximilianus I. Imp. Philippo Palatino conceſſit, *das Ihme, ſein Erben und Nachkommen ſolch obberürt Ordnung und Satzung,*

an

an ihren Herrlichkeiten und Freiheiten des Heil. Reichs Vicariat, in syn Gezircken, keinen Abbruch noch Verletzung bringen soll. †† In Comitiis Constantiensibus a. 1507. Maximilianus I. Imp. Friderico Sapienti, Saxoniæ Electori concessit, vt, dum Imp. ex Germania abesset, Generalis Vicarii potestate vteretur, adiunctis ipsi quibusdam Imperii Statibus, protestante licet desuper Philippo, Electore Palatino, qui tunc erat proscriptus. ††† Idem Imp. a. 1515. in Conuentu Trium Regum Ludouicum Hungariæ Regem constituit suum & S. Imperii Vicarium Generalem, †††† Hoc Ius dein Palatinis per diuersa Priuilegia Impp. Caroli V. Rudolphi II. Maximiliani II. sæpius fuit confirmatum. †††††

* Extat Diploma apud FREHERVM *Not. ad Petr. de Andlo p. 200. Origg. Palat. lib. I. cap. XVI.* LEIBNITIVM *Cod. Diplom. Tom. I. p. 263.*

** Verba Diplomatis exhibet LVDEWIG *Germ. Princ. lib. II. c. IV. §. VIII. ertheilen Ihm auch volle Gevvalt und Macht zu schaffen, als der Kayser selber in grossen und kleinen des Reichs Sachen gemeiniglich und besonders.*

*** Prout adseruit SERARIVS *Rer. Mogunt. lib. V. p. 874.*

**** Extant Reuersales apud LVNIGIVM *I. Cont. III. Forts. p. 6. & II. Cont. p. 147. & im Bericht vom Pfaltzischen Vicariat p. 34.* in quibus: *Vnd Vns aber der Hochgebohrne Fürst, Herr Ludvvig Pfaltzgrave by Rin, Hertzog in Bayern &c. Vnser lieber Oheim, mit Vrkunden und Brieffen undervveises hat, das des nit sin soll, so haben vvir Vns von solches des obgenanten Vnsers Ohaims Hertzog Ludvvigs undervvisung, und auch umb seiner Begehrung und betten willen, des vorgenanten Fürveser und Stadthalter-Amts entschlagen.*

***** LEHMANN *lib. VII. c. LXXXIX. Anno 1432. Kœnig Sigismund begab sich gen Rom die Kayserliche Cron zu empfahen. Hertzog Ludvvig vvar Vicarius, und sein Titul: Ludvvig von Gottes Gnaden Pfaltzgrav by Ryne, des Heil. Rœm. Reichs Oberster Truchses, und*

Fürseher der Lande des Rynes, zu Schwaben, und des Frænckischen Rechten, und Hertzog in Beyern.

****** Sic enim in Reformationis de an. 1436. c. XX. *Mann soll ordnen, das syen Vier Vicari des Reichs do ein Ieglicher des Reichs Gewalt haben sol, und ein Paner von dem heiligen Reich innhab*, apud LEHMANNVM *lib. I. c. XXI. n. 20.*

† Prout ex Litteris Electorum apud MÜLLERVM *Hist. Friderici III. p. IV. c. XLIII. §. XX.* patet.

†† Extat apud MÜLLERVM *Maximiliano II. Vorst. c. LIII.*

††† S. H. G. *diss. XXVI. §. XXV.*

†††† Prout demonstrauimus in S. H. G. *diss. XXXI. §. XLII.*

††††† Extant hæc Priuilegia apud MEYERVM *Londorpio suppleto Tom. I. p. 713.* & apud LIMNÆVM *lib. III. c. XII. n. 36.* BERICHT VOM PFÆLTZ. VICARIAT. In priuilegio potissimum Caroli V. Wormatiæ d. 18. Maii 1528. hæc verba habentur: *so ein Ræmischer Kayser oder Kænig über Berg, oder aus dem Reich ist, seiner Liebden und einem ieden Pfaltzgrafen, der Churfürst ist, die Versehung und Verwaltung derselben gebühret und zustehet, wie wir dann dasselbe, auch sein hergebrachte Freyheit und Privilegium hiervon, confirmiret und bestætiget.* Vid. etiam TOLNERVS *Hist. Palat. c. IV. p. 115. 116.* THVLEMARIVS *Octouir. c. XXII.*

§. XXV.

Licet autem Comitis Palatini Vicaria Potestas absente Imp. sensim inualuerit, de Saxoniæ tamen Electoris Vicariatu sæpius fuit disputatum. Non enim solum disputatur, quando Saxonis Vicariatus cœperit, sed etiam quo Iure ipsi hic competat. Sunt equidem qui contendant, Saxonem æque ab antiquo esse Vicarium, * adlegantes, quod Franci atque Saxones distinctam semper constituerint Rempublicam, prouocantes etiam ad exemplum Hermanni Billingi, quem Otto M. Imp. Imperii constituerit Prouisorem. Verum, licet satis constet, Francos atque Saxones ab antiquo fuisse distinctos,

ctos, Carolus IV. etiam, dum vacante Imperio Palatinum atque Saxonem Imperii constitueret Vicarios, eo respexisse videtur, ex hac distinctione tamen Saxonis Vicariatum nequaquam peti posse, exinde satis patet, quod sub Saxonicis atque Francicis Impp. Imperium sine certo fuerit Vicario, qui potius sensim inualuerunt, prout ante demonstrauimus. Qua ratione Palatini Vicariatus ob summam ipsius in Germania auctoritatem, increuerit, iamdum memorauimus. Quod autem Saxo accesserit, exinde factum fuit, quod Imperii Archi-Mareschallatus cum Saxoniæ Ducatu iamdum a Seculo XII. fuerit nexus.** Dirigebat Imperii Mareschallus statum militarem, eiusdemque munus absente Imp. tanto magis erat necessarium, dum Ius Manuarium apud Germanos obtineret. Qui factum, vt, dum Palatinus negotia publica atque ciuilia dirigeret, Mareschallo potestas sensim concederetur Vicaria. Neque tamen exinde concludendum, criminalem saltim potestatem exercuisse Saxonem,*** quin potius militaris ipsius potestas ansam dederit ipsum inter Imperii Vicarios adlegandi.

* Adseruit hoc IO. ERNESTVS KREGEL singulari Dissertatione *de Vicariatu Saxonico in casu absentiæ Imperatoris, Lipsiæ 1707.* & post eum, AVGVSTINVS de CANVSIO *im Bedencken von denen Reichs-Vicariis in der Hallischen Bibliothec XIV. Stück p. 341.* LVDEWIG *ad A. B. p. 516.*

** Prout diximus *cap. IX. §. XXVIII.*

*** Quod adseruit LVDEWIG *Germ. Princ. Hist. Palat. c. IV. n. 1. p. 83.* quem ideo notauit GRIBNERVS *de Terris Iuris Saxonici §. I. sqq.*

§. XXVI.

Ea tamen inter Saxonem atque Palatinum erat differentia, vt Palatinus esset Vicarius ex iure antiquo, *von dem Rechte,* * Dux Saxoniæ non nisi ex potestate speciatim ipsi

concessa ab Imperatore. Deinde Palatinus exercet hanc potestatem, siue ipsi fuerit concessa, siue non, ratione Comitiuæ Palatinatus, *von Pfaltz-Graffschafft wegen*, Saxo vt Mareschallus. ** Licet enim non desint, qui Saxoni vel iure Ducatus, *** vel ex iure Palatinatus Saxonici **** Vicariatus Ius tribuant, his tamen adsentiri nequeo; non illud, cum Ius Alemannicum hunc Vicariatum tribuat *dem Reichs-Marschall*, immo nulla ratione firmari potest, cur talis prærogatiua Saxoniæ Ducatui inter omnes Germaniæ Ducatus soli obuenerit. Nec adnexus esse poterit Imperii Vicariatus Iuri Palatinatus Saxonici, cum ista dignitas saltim Comitum fuerit, & quis crederet, Comitibus tantam auctoritatem in Imperio fuisse concessam. Et si Palatinis Saxoniæ Vicariatus competisset, cur non etiam Sueuiæ Bauariæque Palatinis. Immo, nec tempore Iuris Feudalis Alemannici, quod tamen Mareschallo vicariam potestatem tribuit, Palatinatus Saxoniæ Ducibus erat nexus, sed a Thuringiæ Landgrauiis exercebatur.***** Quare, haut immerito dubitatur, an Saxoniæ Palatinatus Saxoniæ Ducibus competat vt Ducibus, an vero vt Thuringiæ Landgrauiis. Hoc certum, Saxoniæ Palatinatum singulis Ducibus iure Familiæ competere. ****** Tertio demum Saxo ius habet per Thuringiam, Saxoniam, & Hassiam, vsque ad Bohemiam; immo, si sigillatim ipsi fuerit concessum, super omnes Sueuos vsque ad Rhenum. Palatinus vero trans Rhenum illum semper exercet, ita, vt Saxoni nullum vnquam ius in easdem terras possit concedi, ea ex ratione, quod terræ Transrhenanæ potissimum Comitiuæ Palatinatus sint subiectæ, prout singula hæc Iuri Feudali Alemannico fuerunt definita. Confirmant hæc Archi-Mareschalli Vicariatus Iura Aurea Bulla, † ipse Fridericus Sapiens, Saxoniæ Elector, qui Vicariatum Imperii sibi adserit,

von

von wegen ſeines Erb-Amts, †† & Sigillum Camerale, quo decreta Cameralia vacante Imperio muniuntur, quo ſaltim Archi-Mareſchallatus & Dapiferatus Inſignia exprimuntur. †††

* Prout ſupra diximus §. *XXI.*

** IVS FEVD. ALEMANN. c. XLII. *Vnd ſo der Künig von tütſchen landen vert ſo mag er des riches Marſchalgk wol den gewalt geben das er den ban libet und das iſt der Hertzoge von Sachſſzen das ſol er tun in Duringen, Sachſſzen und in Heſſen untze gan Behem und uber alle Frangken wer der iſt der ſin underton iſt git Ime der Künig dem gewalt den ban zu libende ſo hett der Marſchalgk recht uber alle ſwoben untz an den Ryn und durch das gebirge untze fur Mentze eine Mille.* Putat equidem AVGVSTINVS de CANVSIO Saxonem atque Archi-Mareſchallum hic tanquam Synonima vſurpari, verum ex verbis ſatis patet hæc tribui Mareſchallo, qui ſit Dux Saxoniæ. Eosdem vero Vicariatus Saxonici ex Iure Archi-Mareſchallatus Natales ſingulari Programmate perſecutus fuit CAROLVS OTTO RECHENBERGIVS, licet rem ipſam non exhauſerit.

*** GRIBNERVS equidem *Diſſ. de Vicariis* §. *II.* hoc adfirmat, pronocans ad Litteras regias vltimo Interregno 1711. Facultati Iuridicæ Wittebergenſi de Comitia Palatinatus conceſſas, in quibus: *poſtquam nobis prouiſio in terris Iuris Saxonici ſecundum diſpoſitionem A. B. & ex antiquiſſimo Ducatus & Palatinatus noſtri Saxonici inſtituto & iure obtigerit.* Idem §. VIII. ex antiquitate demonſtrare conatur, putans, Ducem quemuis olim in ſua prouincia vices Cæſaris geſſiſſe. Dum autem extinctis reliquis Ducibus ſoli ſupermanſiſſent Saxo atque Palatinus, reliquæ terræ quoad Vicariatus Ius his veluti acceſſerint, & vtriusque fines cœperint extendi, quos tandem Carolus certius diſtinxerit confirmaueritque. Verum, ſuperſunt ex Ducibus antiquis etiam Dux Bauariæ atque Lotharingiæ, quibus ex eodem fundamento Vicariatus competeret. Et, licet primis temporibus haut denegauerim, Duces in ſuis Prouinciis fuiſſe Vicarios, a temporibus tamen Francicorum atque Sueuicorum Impp. Vicariatus vel ab Impp. arbitrio vel a iure Palatinatus dependebat. Singularum ſententiarum adſeclas recenſet IO. ERN. KREGEL *de Vicariatu Saxonico* §. *V. ſqq.*

**** Prout facit IO. HEINR. HORNIVS Programmate singulari, quod adnexum est Gribneri Dissertationi *de Terris Iuris Saxonici.* AVGVSTINVS de CANVSIO *im Bedencken von denen Reichs-Vicariis*, Cocceium aliosque secutus. Prolixius haec sententia exponitur in GVNDLINGIANIS *p. XXI.* his potissimum fundamentis quod cum Bernhardo Ascanio decreuerit Saxoniae Ducum potestas, incrementa tamen coeperint Thuringiae Landgrauii, postquam Saxoniae Palatinatum fuissent adepti, cui hoc Vicariatus munus inhaereat.

***** Prout infra demonstrabitur *c. XX. §. XVI.*

****** Prout singulari Programmate demonstrauimus *de Comitia Palatinatus Saxonici.*

† A. B. Tit. V. §. II. *& eodem iure prouisionis illustrem Ducem Saxoniae sacri Imperii Archi-Mareschallum frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum.* Ex hoc capite etiam LVDEWIG contendit *p. 571.* Archi-Mareschalli Vicariatum aeque antiquum esse ac Palatinum.

†† Extant Litterae apud MÜLLERVM *im Reichs-Tags-Staat lib. V. c. III. p. 725.*

††† Hoc argumentum suppeditat GRIBNERVS *de terris Iuris Saxonici §. 171. n. o.* licet ipse contrarium adserat. Sigillum vero Vicariatus durante post mortem Rudolphi II. Interregno, sic describitur: *in Gründlicher Nachricht von Interregnis* p. 27. *dessen Graesse einem alten Reichs-Thaler gleichet; die Uberschrifft: Palat. & Saxo Vicarii vacante Imperio, An. Dn. 1612. die Insignia aber der Reichs-Apffel und zwey Chur-Schwerdter gewesen.*

§. XXVII.

Inualuit inde magis hoc Ius Vicariatus Saxonici, vsque dum per A. B. illud vacante Imperio confirmaretur, quod ad absentiam Imp. sensim fuit extensum.* Reseruarunt tamen etiam post A. B. sibi Imperatores peregre abeuntes, Ius alios quoque constituendi Imperii Vicarios. De Carolo IV. & Sigismundo supra iamdum diximus.** Sensim igitur obtinuit, vt, cum posteriori tempore aliis hanc potestatem concesserint

rint Impp. Palatino & Saxoni Electoribus desuper concessæ fuerint Reuersales de non præiudicando. *** Immo, dum Maximilianus I. Romam tenderet, capessendæ coronæ caussa, Fridericum III. dictum sapientem, constituit Sacri Romani Imperii, Regiæque Maiestatis Locum tenentem, reuersalibus desuper datis, ne hoc Vicariatui ipsius obesset. **** quo ipso ius illorum magis adhuc fuit confirmatum. Carolus V. dum a. 1522. iter in Hispaniam meditaretur, Ferdinandum Austriacum, fratrem suum Imperii constituit Vicarium; ***** idem fecit in Africam expeditionem suscepturus, qui etiam hoc titulo fuit vsus, ****** datis desuper Friderico Saxoniæ Electori Reuersalibus. *******

* Patet hoc ex Registratura antiqua de an. 1496. postquam Maximilianus I. Italiam adiisset, quæ extat apud MÜLLERVM *Maximiliano, I. Vorst. cap. I. p. IV.* in qua: *Wann aber solch Verledigung des Rœm. Reichs, nach alter herkommener Vbung, auf zween Wege wird bedeutet, ausgelegt, und gebraucht, eyner durch tœdtlichen Abgang eines Rœmischen Keysers oder Kœnigs, der andere, so sich ein Rœmischer Keyser oder Kœnig aus Teutschen Landen über die Gebürge füget.*

** §. *XXIII.*

*** Huc facit Saluatorium a Maximiliano I. Imp. Philippo Palatino a. 1495. concessum, de quo supra §. *XXIII.*

**** Extant apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. p. 252.* LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. sp. II. n. 15.* Vid. SCHVRZFLEISCH *de Friderico III.* §. *5.*

***** Extat Diploma concessionis apud LVNIGIVM *p. Spec. Contin. I. p. 594.*

****** In Prooemio Rec. Imp. Spiræ 1529. dicitur: *Stadthalter im H. Rœm. Reich.*

******* Extant apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. p. 242.* LÜNIGIVM *Reichs-Archiv p. spec. II. n. 18.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Clarior adhuc res est cum Vicariis, mortuo Imperatore. Hoc ius Vicariam potestatem exercendi soli olim competebat Palatino, * licet rarius hoc acciderit, dum plerique Impp. olim filios suos, viui iamdum destinarint successores. Inde factum putem, quod nonnunquam insignia nouiter electo Regi vel Imperatori detulerint Palatini, vti exemplum nos docet Eberhardi Palatini, Imperii insignia Henrico Aucupi deferentis. ** Sic Henricus Palatinus eadem insignia Friderico II. Imp. tradidit. *** Patet hoc etiam ex eo, quod solus Palatinus olim cum Moguntino Electore sub poena banni ad electionem conuocauerit. † Licet negandum non sit, Moguntino Archiepiscopo olim praecipuam Interregni tempore fuisse auctoritatem. †† Palatini vero auctoritas ex eo quoque patescit, quod, durante Interregno, Electores quandoque in Palatinum compromiserint, vt ipse Imperatorem eligeret, ††† quem vellent adprobare. Prima tamen quam noui confirmatio huius iuris vacante Imperio facta fuit a Rudolpho Habsburgico, †††† quam deinde aliae fuerunt secutae.

* Exempla refert TOLNERVS *Hist. Palatina cap. IV.* licet pleraque exercitium saltim Vicariatus, absente Imp. demonstrent, ipse etiam coniecturis saepius indulgeat.

** WITTICHINDVS *Ann. lib. I. p. 636.*

*** S. H. G. *diss. XX. §. IV.*

† Prout superius demonstrauimus *c. VII. §. IX.*

†† Patet hoc ex ORDERICO *lib. XII. p. 882.* apud ANT. PAGI *Critica Anti-Baron. p. 441. Maguntinus enim Archiepiscopus,* (Adalbertus) *qui potentia & strenuitate pollebat, prouidentiaque sua, ne schisma vel inordinata surreptio Imperii fieret, praecauebat, Episcopos & Proceres totius regni cum exercitibus suis conuocauit, cum quibus vna collectis de Imperatore constituendo tractauit.*

††† Vide

††† Vide supra §. XXI. Quare etiam AVENTINVS *lib. VII. Ann. Boi. p. 576.* de eodem dicit: *solet in Germania, quamdiu capite orbata est, Praefectus Pratorio Rheni Interrex esse, atque Imperii munia obire, Ludouicus Seuerus huiusmodi dignitate defungens apud Rhenum diuersabatur.*

†††† Extat Diploma apud LEIBNITIVM *Tomo II. p. 102.* in quo: *vt, cum charissimus gener noster Princeps magnificus L. Comes Palatinus Rheni Dux Bawariae, inter alias suorum principatuum praerogatiuas hoc insigne ius habeat ab antiquo, quod vacante Imperio, principatus, terras, possessiones, & alia iura Imperii custodire debeat, & sinceritate debita conseruare, quousque Romano Imperio de Principe sit prouisum.* Et in fine Diplomatis: *innitentes ei tanquam Rectori, & gubernatori sacri Imperii vsque ad tempora praefinita.*

§. XXIX.

Inde Papae sibi vindicare conabantur Imperii Vicariatum, id quod Clemens V. publica Constitutione * adserere non dubitauit. Cui tamen in Comitiis Francofurtensibus anni 1339. obuiam iuit Ludouicus Bauarus, decreto facto: ** *falsissimum esse, per vacationem Imperii ius ad Papam deuolui: idque esse contra sacri Imperii libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Longa enim & approbata consuetudine, inconcusse a maiorum ordinatione hactenus obseruata, vacante Imperio ius administrandi Imperii iura, feuda conferendi, & negotia caetera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina Pastoralis.* Nihilominus Iohannes XXII. denuo hoc ius sibi adserere fuit conatus, † cui tamen Carolus IV. per A. B. obuiam iuit. Idem Imp. hoc Ius Palatinis a. 1375. denuo confirmauit quem a. 1518. secutus fuit Maximilianus I. vtrorumque concessiones denuo confirmauit Carolus V. ††

* Clem. Pastoralis de Adpellationibus: *nos iam ex superioritate, quam ad imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua (vacante imperio) imperatori succedimus.*

** Integra Constitutio extat apud GOLDASTVM *Tom. III. p. 411.* Idem confirmat CVSPINIANVS *Hist. Ludou. Bauari p. 376.*

† *Extrauag. si fratrum, ne sede vacante.* Hoc Ius Papæ adserere non dubitauit Amicus Francisci I. Gallorum Regis, in Epistola Apologetica pro eodem, apud FREHERVM *Tomo III. p. 407.* dum ait: *Eam legem comprobauit summus Pontifex, ad quem erant fasces Imperii, qui tum ad Interregnum redierant, translatitio iure deuoluti.*

†† Extat hæc Confirmatio Caroli V. quæ anteriores continet, apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen Tom. I. p. 24.* LÜNIGIVM *p. spec. p. 647.*

§. XXX.

Carolus IV. demum per A. B. † constituit, vt, quoties sacrum vacare contingat Imperium, Comes Palatinus Rheni, sacri Imperii Archidapifer, ad manus †† futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione Principatus seu Comitatus Palatini priuilegio, esse debeat Prouisor Imperii. Ex eodem iure prouisionis ††† Dux Saxoniæ, sacri Imperii Archi-Mareschallus frui debet in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur. †††† Sensim igitur Vicarii titulo vti cœperunt. †††††

† *Tit. V.*

†† SCHILTERVS *de Vicariis §. VIII.* hæc verba ex locis parallelis sic explicat, quod eo vsque durare debeat exercitium, vsque dum Rex electus ad manus accipiat Imperium.

††† Ex his verbis AVGVSTINVS de CANVSIO concludit, quod Saxonis Vicariatus æque antiquus sit ac Palatinus, argumento tamen parum firmo, cum hic potius sit sensus, Saxonem in terris Iuris Saxonii pari iure imposterum gaudere debere ac Palatinum in terris Iuris Franconici.

†††† Respiciendum autem est ad tempus A. B. licet postmodum Ius Saxonicum quibusdam locis fuerit abolitum. Dicitur igitur Elector Saxoniæ *des Heil. Röm. Reichs in denen Landen des Sæchsischen Rechts und an Enden in solch Vicariat gehœrende dieser Zeit Vicarius.*

rius. Male igitur COCCEIVS *Prud. Iur. Publ. c. XVI. n. 9.* hæc verba saltim ad ius prouinciæ Saxoniæ explicat, cui & asseclis satis obuiam iuit GRIBNERVS *de Terris Iuris Saxonici §. XXIV. sqq.*

††††† Sic in decreto Electionis Caroli V. an. 1519. *Ludouicus Comes Palatinus ad Rhenum Dux Bauariæ, Federicus Dux Saxoniæ Landgrauius Toringiæ Marchio Misniæ in præsenti ambo sacri Rom. Imperii Vicarii & Vicegerentes.*

§. XXXI.

Rationem Carolus IV. sine dubio sumsisse videtur ex antiqua ista Germaniæ diuisione in Francos & Saxones, & quæ exinde fuit enata in superiorem atque inferiorem. * Ex quo etiam bina saltim Iura potiora in Germania, secundum quæ diuisio ista Vicariatus fuit facta. Iura itaque Vicariatus Palatini in singulas terras se extendunt, in quibus olim Ius Franconicum viguit, ** atque se pro hodierna Germaniæ diuisione extendit *** in septem Circulos, Austriacum, Bauaricum, Franconicum, Sueuicum, Rhenanum Superiorem **** atque Inferiorem & Burgundicum. Huic Vicariatui Palatino vero se subducunt Terræ Austriacæ, Bauaricæ atque Burgundicæ. Illæ quidem, quod in iisdem Ius Franconicum nunquam fuisset receptum: ***** In Burgundicas terras vigore Transactionis Augustanæ de a. 1548. ****** Hispaniæ Regi Vicaria potestas concessa fuisse dicitur, cum tamen in illa potius dicatur, Burgundicas terras sub protectione, custodia, patrocinio esse debere, sicut alii Principes ac Status Imperii. † Immo Carolus V. eo potius adlaborauit, vt Germani Philippum, filium suum, Imperii per Italiam atque Belgium cum plena potestate Vicarium constituerent, quod tamen obtinere haut potuit, ea ex ratione, tantum de Cæsarea Maiestate esse decessurum, quantum ex ea alteri concessissent. †† Hinc etiam ex eo, quod Burgundia ab Imperii iuris-

dictione exemta esse dicatur, ††† ipsam Palatino Vicariatui haut esse subiectam concludi nequeat. Saxonicus vero Vicariatus Circulum Saxonicum vtrumque, atque Westphalicum comprehendit, ideoque se extendit per omnem Saxoniam, superiorem æque atque inferiorem, Marchiam, Westphaliam, Thuringiam, Misniam, Pomeraniam, atque Holsatiam †††† vna cum Bohemia, Silesia, Lusatia, Morauia. †††††

* *Cap. V. §. I. II.*

** Sub quo tamen non tam Speculum illud Sueuicum, sed vniuersum Ius in Superiori Germania vsitatum intelligi debere, satis demonstrauit GRIBNERVS *de Terris Iuris Saxonici §. XIV. XV.*

*** MELCH. GOLDASTVS equidem *Praf. über die Reichs-Satzungen p. 6.* mirum quantum Vicariatus Palatini limites extendit, etiam super Heluetiam, Regnum Arelatense. E contrario hosce limites nimium contrahit LVDEWIG *p. 510.* saltim in Franconiam, Sueuiam, Circulum Rhenanum Superiorem atque inferiorem.

**** De Hassia equidem adhuc sunt qui scrupulum moueant. Non desunt, qui illam Saxonico Vicariatui subiiciant, vtpote CARPZOVIVS *ad L. Regiam c. XI. s. 13. n. 3.* ARVMÆVS *vol. I. Disc. I. §. XXXVI.* BVXTORFF *ad A. B. §. LVII.* quos sequitur GRIBNERVS *de Terris Iuris Saxonici §. XLIV.* Ast, hæc prouincia tempore A. B. separata erat a Thuringia, & Iure Saxonico haut vsa, quare etiam illustris AVCTOR des EVROP. HEROLDS *p. 161.* Hassiam ad Vicariatum Palatinum refert.

***** MVLTZIVS equidem *in Repræs. Imperii p. III. cap. XVI. n. 41. p. 1062.* Austriam etiam ad Palatinum Vicariatum refert. Ast, THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XXII. §. IV.* ipse Austriam eximit, quem sequitur LVDEWIG *ad A. B. p. 510.* Quare Leopoldus in Reuersalibus, finito Vicariatu, a. 1658. Bauariæ Electori concessis: *Iedoch mit nachfolgenden Vorbehalt und Beding, erstlich, das Ihre Kayserliche Maiestæt einzigen Vicario des Reichs über dero Ertz-Haus und demselbigen angehœrige Erb-Lande die geringste Iurisdiction nicht gestandig, und dasienige, was in der S. Churf. Durchl.*

in

in Bayern ertheilten Confirmation sub verbis: in Landen des Rheins, Schwaben und Franckischen Rechten dem Herkommen gemaß, enthalten, ander Gestalt nicht, als priuatiue, respectiue Ihr. Kayserl. Mai. Hochlœblichsten Ertz-Hauses, welches erstberührten Herkommen gemes, a iurisdictione Vicariatus Imperii exemt ist, zuverstehen sey, allermaßen Ihr. Kayserl. Mai. wenn deme zugegen in hœchstgedachten Ihres Ertz-Hauses Landen von des Reichs-Vicariat wegen, ichtwas vorgenommen worden wäre, solches alles abrogirt, contradicirt, und darwider solennissime protestirt haben. Rudolphus etiam Habsburgicus Ludouico Palatino Comiti post mortem suam Austriæ atque Stiriæ Vicariatum singulari Diplomate an. 1275. concessit, quod extat apud LEIBNITIVM *Tomo II. p. 102.* LÜNIGIVM *p. spec. Cont. II. p. 129.* Neque Bauariam Palatino Vicariatui subiici volunt ICti Bauarici. Et licet Palatini ad vnum vel alterum Exemplum prouocent exerciti in Terras Bauaricas Vicariatus, Bauarici tamen *im Gegenbericht von der Churf. Pfaltz. Vicariats-Gerechtigkeit p. 22.* respondent, factum hoc semper cum contradictione. Et licet patentes Litteræ Vicariatus Monachium fuerint missæ, istæ tamen nec acceptæ nec affixæ fuerunt. Quin potius Maximilianus dum an. 1612. similes Litteræ ad ipsum mitterentur, responderit: *Daß Ihre Fürstl. Durchl. nicht befinden kœnnen, daß die, derselben ohnlängst zuvor zugeschickte Patenten des H. Reichs Vorwesung und Vicariat betreffent, in Ihren Fürstenthumb Seiner Fürstl. Gn. gesinnen nach angeschlagen werden sollen, weil berührte Verwesung sich in den Bayr. Krayß nicht erstrecke.* Vid. LVDEWIG *ad A. B. p. 513.* Idem *p. 516.* Sueuiam saltim atque Franconiam vna cum Circulis Rhenanis Palatino Vicariatui ideo saltim subiecta fuisse dicit, quod istæ Prouinciæ sine Ducibus atque dissipatæ fuerint, Bauariam vero atque Austriacas terras Duces suos retinuisse, ideoque a Vicariatu mansisse exemptas. Verum, fallere hanc regulam Electoratus Brandenburgicus, Pomeraniæ, Brunsuico-Luneburgenses Ducatus, Holsatia, Ducatus Megapolitanus testantur, qui Saxonico Vicariatui subiiciuntur, licet proprios a multis seculis Duces habuissent. Licet & ipse *p. 526.* Electoratus Vicariatui subducere conetur, quod tamen A. B. atque Obseruantiæ est contrarium. Qua ratione Maximilia-

nus Bauarus in caussa *Oettingen contra Bayern Mandati auf die Pfandungs-Sachen* etiam Iudicio Camerali durante Vicariatu a. 1612 se subduxerit, testatur IO. DECKHERR *Gründl. Nachricht von Interregnis p. 28.* GRIBNERVS vero §. XIX. & XX. vtrasque prouincias aut neutri aut vtrique Vicariatui subesse iudicat.

****** Extat ista apud CHIFLETIVM *Alsatia vindicata c. X.* ex qua THVLEMARIVS *de Octouir. c. XXII. §. IV.* Regi Hispaniae hoc vindicat.

† *§. XV. & XXIII.*

†† Prout THVANVS tradit *lib. XVI. fin.*

††† §. *XXI.*

†††† Singulas Terras Saxonico Vicariatui subiectas, probe excussit MICH. HENR. GRIBNERVS *de Terris Iuris Saxonici*, licet etiam hasce terras vltra modum extendat. De iisdem etiam egit Dnus de MÜNCHHAVSEN *de Vicariatu Italiae c. IV. §. IX. sqq.*

††††† Has Slauorum olim Terras Saxonico Vicariatui subiici, ex eo patet, quod Saxonibus iam olim Slaui tanquam adiacentes fuerint adnumerati, prout supra *cap. III. §. II.* demonstrauimus.

§. XXXII.

Licet autem Vicariatus Saxonicus sine controuersia adhuc fuerit, insignis tamen a. 1614. non solum, dum Bauarus non Electoratum tantum, sed etiam Vicariatum peteret, * potissimum vero post Ferdinandi III. mortem an. 1657. Controuersia oriebatur de Imperii Vicariatus, quem & Ferdinandus Maria, Elector Bauariae, & Carolus Ludouicus, Elector Palatinus, adfectabant, sed potissimum post Pacem Westphalicam de Vicariatu Palatino suborta fuit controuersia, an Bauaris iste conueniret, an vero Palatinis? Rationes Bauari potissimum in eo constabant, quod ipsi domui Bauaricae iura Electoratus olim iam competierint; quae per translationem Electoratus a Palatinis in Bauaros facta fuissent firmiora, & potissimum, quod Vicariatus iura Electoratui atque

Archi-

Archidapiferatui connexa, cum eodem itaque translata, ipsique Bauariæ Electores de eodem fuerint inuestiti. ** Opponebant Palatini, Vicariatum non Electoratui nexum, sed Comitiuæ Palatinatus, quæ nunquam in Bauaros translata. Dum autem in eandem Carolus Ludouicus Palatinus per Instrum. Pacis *** restitutus, ipsi, eiusdemque successoribus etiam integrum esse Ius Vicariatus. Hinc per illud Instrumentum abolitam esse Bauari Inuestituram de Vicariatu, id qui etiam in vltimis litteris Inuestituræ fuerit omissum. Controuersia hæc multo feruore fuit agitata, vtroque etiam, quantum posset, Vicariatus iura exercente, multæ quoque turbæ in Collegio Electorali exinde fuerunt excitatæ, **** nihil tamen isto tempore fuit decisum, nisi, quod Saxoniæ Elector atque Imperialis Camera Bauari Vicariatum adgnoscerent. † Hinc Wilhelmus Egon Fürstenbergius a. 1670. formulam quandam vnionis exhibuit, atque electis vtrinque mediatoribus, Maximiliano Henrico, Electore Coloniensi & Philippo Guilielmo, Comite Palatino ad Rhenum, propositum primum fuit de tertio Vicariatu erigendo: hoc tamen displicente, propositum, vt hic Vicariatus vtrique Electori esset communis, nec tamen quidpiam definitum. †† Nupero Interregno Palatinus in pristinum restitutus, Vicariatus Iura exercuit. Postquam autem Bauarus per pacem Badensem pristina iura obtinuerit, facile credendum, hanc controuersiam nondum esse sopitam.

* Prodierunt hac in Caussa: *Kurtzer Bericht von des H. R. Reichs der Churfürstl. Pfaltz zustehenden Vicariat, Heidelberg 1614. 4.* cui Bauari opposuerunt: *kurtzes Gegen-Bedencken und Bericht von der Churfürstl. Vicariat-Gerechtigkeit 1614.* Insecuta: *Rettung des Chur-Pfaltzischen Vicariats, Heidelb. 1614. 4.* & *Wohlgegründete Wiederlegung vermeinter Heidelbergischen Rettung des Vicariats Ingolstadt 1615. 4.*

Ex-

Extant etiam hæc ſcripta in MEYERI *Londorpio Cont. Tomo I. p. 713.*

** Qua ratione Ferdinandus II. Maximilianum primum Bauariæ Electorem cum Electoratu, Archidapiferatu & Vicariatu inueſtiuerit, docent Litteræ Inueſtituræ apud LONDORPIVM *Tomo II. p. 795.* Licet in Litteris Inueſtituræ Ferdinando Mariæ poſt pacem Weſtphalicam a. 1652. conceſſis Vicariatus fuerit omiſſus.

*** *art. IV. §. 6.*

**** Quid ea de re in Collegio Electorali actum, tradit LONDORPIVS *Tom. VIII. cap. CCXXI.* ex quo ſua hauſit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. IX. §. 5. p. 269.* THEATR. EVROP. *Tom. VIII. p. 377.* LVDEWIG *ad A. B. p. 529.* DECKHERR *Nachricht von Interregnis p. 33.*

† LONDORP *Tom. VIII. p. 251.* Leopoldus etiam datis 14. Ianuarii 1659. Vicariatu a Bauariæ geſto, ſingularibus litteris fuit teſtatus. S. H. G. *Diſſ. XXXVII. §. II.* Plura in Controuerſia ab hac vel illa parte prodierunt Scripta, quæ recenſentur in Bibl. Iuris *cap. XIV. §. 20.* LVDEWIG *ad A. B. p. 532.* Inſeruit quædam LONDORPIVS *Tomo VIII. lib. VIII. c. XLI. ſqq.* DIARIVM EVROPÆVM *Tomo I. p. 69. 79. 87. 359. 378. 665. 698. 747.* & LÜNIG *Gerechtſame p. I. p. 512.* BVRGOLDENSIS *diſc. ad Inſtrum. P. p. I. diſc. XXVI.* Vtrorumque argumenta in compendio exhibet PFEFFINGER *c. l.* TOLNERVS *Hiſt. Palatina c. IV.* SCHILTERVS *Inſt. I. P. lib. I. Tit. XVIII.* COCCEIVS *c. XVI. §. 3. ſqq.*

†† Quid hac in cauſſa actum, deſcribit SCHILTERVS ſingulari Diſſertatione *de Vicariis Imperii Romano-Germanici, Argentorati 1693. 4.* & *in app. I. P. Tomo II. p. 29.*

§. XXXIII.

Iura Vicariorum per A. B. fuerunt definita, & comprehenduntur his verbis, quod debeant eſſe Prouiſores Imperii cum poteſtate iudicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi reditus & prouentus, & inueſtiendi de feudis, iuramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperii

perii recipiendi. Scilicet, omnia iſta ſunt, quæ ad Imperii adminiſtrationem faciunt. Licet autem ex tenore A. B. vlterius non progredi poſſe Electores putarem, quam claris verbis fuit definitum, ex ſpeciali tamen priuilegio vel obſeruantia etiam plura ſibi vindicarunt. Quæ vero Imp. non licent, nec Vicariis. Speciatim prohibetur alienatio vel oppignoratio bonorum Imperii, eo quod iſta tunc temporis nulla adhuc lege perpetua Imp. fuerit prohibita. Immo, ea quæ directe ad regiam dignitatem ex antiqua Ordinatione pertinuerunt, ab eorum poteſtate excluduntur. * Horum Iura vero in Capitulationibus confirmantur. **

* Hæc enim expreſſis verbis eximuntur in Conſtitutione de a. 1247. apud GOLDASTVM *T. III. p. 401.*

** CAROLINA *art. III.*

§. XXXIV.

Hæc igitur ſi plenius examinemus, tribuitur ipſis poteſtas Iudicia exercendi. Statim enim ac defunctus fuerit Imp. Iudicium aulicum clauditur. Vicarii vero publica Edicta *Vicariats-Patente,* in Terris * Vicariatus ſui adfigi curant, hoc ipſo indicantes, ſe ſingulis iuſtitiam eſſe facturos. Format itaque quilibet in aula ſua Iudicium, quod vocatur *die Vicariats-Regierung,* quod in negotiis Germanicum regnum concernentibus iura habet Iudicii aulici, in cauſſis etiam feudorum Regalium, in tantum, vt cauſſas ab iſto nondum deciſas ad ſua iudicia poſſint trahere. ** Cameræ Imperialis vero iudicium, quia a Statibus æque dependet, etiam vacante Imperio continuatur, & quidem, quia eiusdem Iurisdictio per vniuerſam Germaniam ſe extendit, decreta ſub vtrorumque Vicariorum nomine, *** atque ſigillo duorum Vicariorum inſignia repræſentante, prout inter vtrosque conuenit,

emittuntur, **** hæc vero illorum nomine ſubſcribit Cancellariæ præfectus vel Protonotarius. Rotwilenſe iudicium, atque reliqua Franconica, quia per Vicariatus Palatini ſaltim terras iurisdictionem exercent, ſola vtuntur Palatini auctoritate, nomine atque ſigillo. † Huc etiam referri debere putamus Ius Comitia cum Electorum conſenſu inſtituendi, vel cum Statuum conſenſu prorogandi †† ſi neceſſitas poſtulet, Iura Comitialia exercendi ac Statuum conſenſu Receſſus promulgandi, qui faciunt ad Imperii prouiſionem, prout etiam poſt Ioſephi Imp. mortem fuit factum dum 28. Aprilis 1711. per Moguntinum Statibus de Comitiis continuandis proponeretur, idque communi adſenſu placeret. †††

* Edicta poſt mortem Ioſephi exhibent ELECTA IVRIS PVBL. *Tom. III. p. 421.* LVNIG *II. Fortſ. der I. Contin. partis Gen. p. 351.*

** Exemplum adlegat THVLEMARIVS tempore Interregni, poſt mortem Ferdinandi III. in cauſſa Oettingen contra Oettingen Wallerſtein. Feudorum Regalium cauſſas Vicariis denegat TEXTOR *Iure Publico Tit. XV. n. 144. ſqq.* contra quem tamen WERNHERVS *de Iure Vicariorum* §. *XXII. ſqq.* prolixe diſputat. Vid. etiam VFFENBACH *de Iudicio Aulico. c. XXV.*

*** Licet MÜLLERVS *Maximiliano III. Vorſt. c. XII.* teſtetur: *das Churfürſt Philips es dahin richten laſſen, das alle Proces am Kayſerl. Cammer-Gericht, in ſein, als des Hayl. Reichs Vicarien, Namen ausgehen, der Fiſcal auch ſein Ambt in Ihrer Churfürſtl. Gnaden als Vicarii Nahmen tragen ſolte.* Poſt iſta tempora vero Iudicium Camerale vtrumque adgnouit Vicarium, prout etiam demonſtrauit *Auctor der Gründlichen Nachricht von Interregnis p. 31.*

**** De hoc communi Sigillo VVERNHERVS *de Iuribus Vicar.* §. *XVII.*

† Latius de hoc agit THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXII.* §. *19. ſqq.*

†† Vi-

†† Vicarios enim absente Imp. in Germania relictos plura conuocasse Comitia, Historiæ nos docent, cur non etiam durante Interregno, prout etiam declarat MÜLLERVS *Maximiliano III. Vorstellung c. IV. §. VI.*

††† In Moguntina tamen Propositione hæc adiecta videmus: *Dann ob man vvohl der Zeit keine færmliche Reichs-Schlüsse abfassen kænte, so vvürde doch nichts destovveniger durch vertrauliche Correspondentz und gute Harmonie das Interesse publicum viel füglicher beobachtet, und selbigen gerathen vverden kænnen.* Acta hac de re extant apud LÜNIGIVM *c. l.* Sic etiam durante Interregno nupero Commissio Imperii de Visitatione Camerali sub Vicariorum auctoritate fuit continuata, prout ex ELECTIS *I. P. Tom. III. p. 1065.* patet.

§. XXXV.

Alterum Ius ipsis adsignatur præsentandi ad beneficia ecclesiastica. Sub hoc communiter intelligitur ius precum primariarum, quod durante interregno, si beneficium quoddam vacare contingat, exercere valeant. * Ast, cum nomen primariarum precum antiquitus obtinuerit, nec sub iure præsentandi ad beneficia ecclesiastica olim fuerit intellectum, illæ semper inter Reseruata Imp. relatæ, ** demum primariæ preces, quas Io. Georgius, Saxoniæ Elector, durante Vicariatu a. 1657. exercere voluit, contradicente Imp. nouiter electo effectum non fuerint sortitæ, *** Schilterus † concludit, intelligi debere ius Patronatus, vt idem exerceant, quod competit Imperatori, dum ille Aquisgrani, Spiræ, Bambergæ, Romæ & Argentorati suas vel olim vel nunc habeat præbendas, †† quas ipse aliis possit conferre. ††† Contrariari etiam videtur Instrumentum Pacis, quod Primarias Preces saltim ad Exercitium a. 1624. dirigit. †††† Licet negandum non sit superiori, aliisque Interregnis Vicarios primarias preces ad Capitula Vicariatus sui misisse. ††††† Neque tamen illæ

 effe-

effectum sortiri poterunt, nisi circa beneficia tempore Interregni vacantia. An vero exerciti Iuris Exempla adsint, demonstrationi relinquo.

* Singulari Dissertatione hoc demonstrare voluit MICH. HENR. GRIBNERVS *de precibus primariis Vicariorum Imperii, Witteberga 1708.* Vid. & THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXII. §. 26.*

** *Cap. X. §. XXXI.*

*** Latius hoc recenset CORTREIVS *Obs. ad Conc. Nat. Germ. p. 198.*

† *Inst. Iur. Publ. lib. I. Tit. XVIII. §. 3.*

†† De quibus dictum *c. X. §. XXX.*

††† Huc spectare videtur Concessio Ludouico Palatino a Ruperto Imp. facta, vbi inter alia: *ad Canonicatus, præbendas ac dignitates, etiamsi curata ac electiua & maiores post Pontificiales in Metropolitanis & Cathedralibus ac principales in Collegiis existunt, personatus, ecclesias parochiales & beneficia & officia Ecclesiastica, seu temporalia, dum & quoties vacauerint, personas aptas & idoneas præsentandi, & eas ad ea conferendi.* Sic Fridericus Palatinus a. 1452. præsentat Meinster Endrissen Prothonotarien Sohn zu einer Künigs-Pfründe in Episcopatu Spirensi apud MEYERVM *Tomo I. p. 819.*

†††† *Art. V. §. XXVI.*

††††† Nupero Interregno a Saxone Vicario Preces exaratas fuisse ad Ecclesias Cathedrales Lubecensium, Hamburgensium, Martisburgensium, Quedlinburgensium, Gandersheimensium, Gerenrodensium, testatur Dnus de MÜNCHHAVSEN *de Vicariatu Italico c. IV. §. V.*

§. XXXVI.

Tertium Vicariorum ius consistit in colligendis redditibus & prouentibus Imperii, quos tamen in communes Imperii vsus iterum impendunt, atque de eisdem Imp. nouiter electo reddunt rationes.*

* Facit huc Scriptum *de iure Electori Palatino circa Domanium Imperiale in districtu Vicariali assignato 1711. 4.* Licet potius Responsum contineat super Quæstione: An Monasterium Obermünster,

quod Ratisbonæ eſt, ratione bonorum in Bauaria ſitorum, ſit exemtum.

§. XXXVII.

Quarto Ius habent inueſtiendi de feudis Imperii, & iuramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperii recipiendi, ſi alias tempus annuum petendæ inueſtituræ præfinitum, eſſet elapſurum, quod etiam ſuam habere debet validitatem, ita, vt ab Imp. nouiter electo renouari haut debeat, * Feudis principum duntaxat exceptis, & illis, quæ *Fahn-Lehn* vulgariter appellantur, ſiue Comitum & Baronum Imperii ** quorum inueſtitura & collatio ſoli Imperatori vel Regi Romanorum eſt reſeruata: *** Et ſi in feudis regalibus annuum ſpatium, durante Vicariatu elapſurum, indultum concedere Vicariis non denegatur. Et licet Thulemarius velit, inueſtire hoc caſu etiam de feudis maioribus poſſe Vicarios, hoc tamen ex formula citationis **** ab ipſo adducta minime pateſcit.

* CAPIT. CAROL. *art. XI.*

** WERNHERVS equidem *de Iur. Vicar. Imperii* §. *XLIV.* Feuda Eccleſiaſticorum Principum atque Comitum ab Vicariorum inueſtitura minime excludi autumat, cum illa ſub vexillo non fuerint conceſſa. Verum intelligi omnia feuda Maiora eademque a Vicariorum poteſtate excludi, & ſenſus & obſeruantia docent, maxime cum *Fahnen-Lehn* hic ſatis aperte a Principum feudis excludantur, prout etiam LVDEWIG animaduertit ad A. B. p. 560.

*** Verba ſunt A. B. tit. V. Similia habentur in IVRE ALEM. FEVD. *c. CXXIV.* Conſtitutione Ruperti apud FREHERVM *not. ad Petrum de Andlo p. 202.* Sic etiam R. I. Wormatienſi de a. 1521. §. 4. *und behalten uns bevor die Belehnung der Lehen und Regalien derjenigen, ſo ſie unter den Fahnen œffentlich mit Solennitæten pflegen zu empfahen, zu verleyhen.*

**** *Octouir. c. XXII. §. XXVII.*

§. XXXVIII.

Alia Vicariis iura tribuuntur, quæ in A. B. minime continentur, vtpote Ius Comites, Nobiles atque Comites Palatinos creandi, ſpurios legitimandi, moratorias concedendi, famæ reſtituendi, priuilegia concedendi, in quibus tali formula vtuntur: *Thun und geben auch ihm ſolche Freyheit hiemit von des Heil. Reichs Vicariats Macht wiſſentlich in Krafft dieſes Brieffes.* His autem iuribus partim ex ſpeciali priuilegio vtuntur, prout teſtatur priuilegium Ruperti Ludouico Palatino conceſſum, quo omnia hæc exprimuntur, partim etiam ex obſeruantia, quod de Vicariatu Saxonico potiſſimum dicendum, dum priuilegium ſpeciale nondum fuiſſet exhibitum.* Fridericus Palatinus etiam per ſingulare Diploma a. 1619. confirmauit Iura Academica Rinthelenſia, licet inſequenti anno Ferdinandus II. Imp. nulla plane conceſſionis Vicarii facta mentione, quaſi de nouo Priuilegia Academica conceſſerit. **

* Singula hæc recenſet partimque exemplis confirmat THVLEMARIVS *c. XXII.* §. *26.* & WERNHERVS *Diſſ. de Vicariatu.* Nupero etiam Interregno ab vtroque Vicario diuerſi Comites atque Barones fuerunt creati. Diploma Comitiuæ, quam Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector nupero Interregno Facultati Iuridicæ Lipſienſi conceſſit, exhibent EL. IVR. PVBL. *Tom. IV. p. 322.*

** Vtraque Priuilegia extant in LÜNIGII *P. Spec. Contin. der II. Fortſ. p. 934-936.* Vid. ITTERVS *de Grad. Academicis c. VI. n. 17.*

§. XXXIX.

Finitur autem hæc Vicariorum poteſtas, quando Imp. redux factus, vel nouus fuerit ſurrogatus. Requiritur tamen præſentia nouiter electi, dum Vicarii poſt mortem Maximiliani I. vicariam poteſtatem vsque ad Caroli V. aduentum retinuiſſent. * Idem etiam in nupera Capitulatione confirma-

matur, vsque dum ab ipſo Imp. Capitulatio iuramento fuiſſet ſtabilita, deſuper tamen proteſtantibus reliquis Statibus.** Præſenti igitur Cæſari Imperium reſignant, actorum & geſtorum tempore Interregni Protocollum transmittunt, illorum autem Acta Cæſar approbare atque ratihabere tenetur,*** datis cuilibet Vicariorum ſeparatim ſuper hac re litteris. † In Capitulatione Caroli V. †† etiam ratihabitio Actorum Vicariatus continetur, quæ in Leopoldi atque Ioſephi omittitur, in Carolina vero reſtituitur. †††

* BVXTORF *ad A. B. n. 75.*

** CAPIT. CAROLINA art. III. *Wir ſollen und wollen auch alles das, ſo durch die zween, des Heil. Ræm. Reichs Churfürſten und Vicarien in mittler Zeit der Vacantz, und biß Wir die Wahl-Capitulation in Perſon beſchworen, folglich das Regiment würcklich angetreten, laut der güldenen Bull und Vermæg der Reichs-Ordnungen gehandelt und verliehen, genehm halten, auch confirmiren und ratificiren in der allerbeſtændigſten Form, wie ſich daſſelbige geziehmet und gebühret.* Et in Epilogo: *auch ehe Wir ſolches gethan* (die Capitulation beſchworen) *Vns der Regierung vorher nicht zu unterziehen, ſondern geſchehen zu laſſen, daß die in der güldenen Bull benahmte Vicarii indeſſen an ſtat Vnſer die Adminiſtration des Reichs continuiren.* Principes vero in Monitis ſuis ad Art. III. *Die Prolongirung des Vicariats biß der neuerwehlte Kayſer die Capitulation nochmahls in allerhœchſter Perſon beſchworen habe, ſeye eine wieder das Herkommen lauffende Meinung, ſintemahlen das Interregnum vormahls ſo fort ceſſiret, wenn der neuerwehlte Kayſer die Capitulation durch ſeine Bevollmæchtigte Commiſſarios beſchworen, und in Teutſcher Nation ſich gegenwærtig befunden, wobey es ein Hochlœbl. Churfürſtl. Collegium auch in künfftigen Fællen zu laſſen verhoffentlich gemeinet ſeyn würde.*

*** THVLEMARIVS *cap. XXII. §. XXXI.*

† Tales Litteræ a Carolo V. Ludouico Palatino a. 1521. conceſſæ, reperiuntur apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. p. 241.* LIMNÆVM *ad Capit. p. 286.* in LVNIGII *Reichs-Archiv p. ſpec. I. p. 649.* & a Leo-

a Leopoldo Ferdinando Mariæ, Bauariæ Electori concessæ a. 1659. *p. 726.*

†† *Art. XXVI.*

††† *Art. III.*

§. XL.

Alii præter hosce vniuersales erant Vicarii particulares, qui tamen potius Vicarii Imperatoris erant, quippe ab ipso constituti, quam Imperii.* Tales enim in certis prouinciis ex concessione Imp. vicariam exercebant potestatem. Sic Rudolphus Habsburgicus Comites Cliuiæ in tractu Rhenano constituit Vicarios.** Ludouicus Bauarus Theodorico Cliuiæ Comiti an. 1314. Vicariatum Westphaliæ concessit inter Rhenum & Visurgim.*** Frisiæ Vicariatum Maximiliano I. & posteris concessit Fridericus III. Imperator.**** Burgundiæ Vicariatum appetiit Carolus Burgundus a Friderico III. Imp.*****

* Hoc etiam demonstrauit LVDEWIG *ad A. B. Tit. V.* §. *I. p. 505.*

** Prout ex TESCHENMACHERI *Ann. Cliu. p. II. p. 205.* demonstrat LVDEWIG *p. 504.*

*** TESCHENMACHER *Ann. Cliu. p. II. p. 209.* SCHATENIVS *Ann. Paderborn. ad a. 1314.*

**** Prout LVDEWIG *Germ. Princ. lib. I. c. IV.* §. *XLII.* ex Guicciardino demonstrauit.

***** ARN. de LALAING *de Congressu Friderici III. & Caroli Burgundi apud* FREHERVM Tomo II. p. 305. *Hactenus Imperator procuratorem, seu (vt ipsi dicunt) Vicarium Imperii Ducem, perinde vt ipse poscebat, creare paratus erat, si modo Dux ante nuptias firmasset.* De eodem Vicariatu AENEAS SYLVIVS *ep. CCCLXXXI.*

§. XLI.

Ab his distinguuntur *Vicarii Imperii Romani & Regni Italici.* Sunt, qui Vicarium Romani Imperii velint esse Pontifi-

tificem, qui vacante imperio, inuestituras tribuat feudorum Imperii Romani, quia scilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtineat. * Ast, quam inanis hæc sit traditio, docent nos historiæ. Erant autem Vicarii Imperii Romani vel ordinarii, vel extra ordinem constituti. Ordinarii erant Comites Palatii Lateranensis, qui iura Imp. conseruabant. ** Ast, præter hos, extra ordinem alii constituebantur. Sic Fridericus II. filium suum Fridericum, Antiochiæ principem Vicarium constituit S. Romani Imperii. *** Quandoque præcipui ex Senatoribus vrbis Vicarii fuerunt constituti, quales Ludouici Bauari temporibus memorantur, qui Imp. coronarunt. † Nec vnquam exemplum reperimus, Vicariatus Ius Pontifici fuisse concessum. Et licet Benedictus XII., excommunicato Ludouico Bauaro, se Vicarium venditaret, res tamen effectu caruit, immo Decreto Francofurtensi eiusdem iuri plane fuit derogatum. †† Nupero Interregno Vicarii Germaniæ etiam Italiæ negotiorum curam gesserunt. †††

* Verba sunt GROTII *de I. B. & P. lib. II. c. IX* §. *XI. n. 4.* Addit etiam BODINVS I. *de republica c. IX.* quod Vice-Comites Mediolanenses Ecclesiæ Romanæ, non Imperii fuissent Vicarii.

** *Cap. XI. §. XV.*

*** Talem titulum præfert in constitutione quadam, apud GOLDASTVM *Tomo II. p. 82.*

† CVSPINIANVS Ludouico Bauaro p. 375. *Ludouicus honorifice est ab vniuerso Pop. Rom. susceptus. Debinc die Kalen. Iunii nona a senatoribus vrbis, qui Vicarii Imperatoris vocabantur, Stephano Columna & Nicolao Sarra (hi duo Vicarii Imperatoris vrbi Rom. præerant) coronatus cum coniuge in æde S. Petri, omni nobilitate astante, & acclamante Patricium & Augustum Rom. Imperatorem Ludouicum.* ADLZREITER *Ann. Boi. p. II. lib. II. n. 18. 19.* NIC. BVRGVNDVS *Hist. Ludouici Bauari lib. II. p. 105.*

†† Vide supra §. *XXX.*

††† Vid. ZECH *ad Capit. Carol. p. 166.* Plenius hæc Iura Vicariatus deducuntur in *Historischer Nachricht von denen Vicariaten des Heil. Rœmischen Reichs 1711. 4.* Accessit IO. DECKHERRI *Gründliche Nachricht von Interregnis und Vicariaten*, in quo scripto potissimum declaratur, quænam circa Vicariatum Palatinum post Rudolphi II. an. 1612. & Ferdinandi III. a. 1657. in Camera acciderint controuersiæ cum adiunctis necessariis. Aliud de eodem Vicariatu Scriptum reperitur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. c. XI.*

§. XLII.

Hinc plures erant Vicarii particulares in Italia, qui vices Imperatoris vel in certis prouinciis, territoriis & vrbibus gesserunt. Sic Thomas Sabaudiæ Comes Friderici II. Imp. temporibus sacri Imperii in Romangia dicitur Vicarius generalis. * Fridericus II. in Marchia Italiæ reliquit pro negotiis Imperii pertractandis Comitem Geueardum de Saxonia & Comitem Simeonem Theatinum. ** Rudolphi Habsburgici temporibus Rudolphus Hoheneccius & Pinziualla Fliscus Italiæ Vicarii fuerunt constituti. *** Adolphus Nassouius Ioannem de Gabilone constituit Vicarium suum, & misit in Tusciam, quem Bonifacius Papa fauorabiliter recepit. **** Taurinorum Ciuitati Henricus VII. Vicarium dedit & Astensium Ciuitati. † Idem Henricus, Patauinis Vicarium præfecit Gerhardum de Henzola Parmensem. †† Ludouicus Bauarus Castrucio concessit Vicariatum Ciuitatis Pistorii & totius Comitatus eiusdem. ††† Idem a. 1331. Ottonem Austriacum constituit Vicarium Patauinum. †††† In Diplomate Sigismundi Brunorius de Scala dicitur Veronæ Vicarius Generalis. †††††

* PETRVS de VINEIS *epist. lib. V. ep. XLVI.* vbi saltim vocatur THOMAS de MAR &c. Sed, vixit illo tempore Thomas de Sabaudia, cuius Diploma adducit SAM. GVICHENON *Hist. Geneal. de Savoye Tom. VI. p. 54.* in quo dicitur: *Vicarius in Lombardia Domini Frederici per Dei gratiam Romanorum Imperatoris & Regis Siciliæ & Suriæ.*

** MO-

** MONACHVS PADVANVS *ad a. 1136.*

*** S. H. G. *diss. XXIII. §. XXIX.*

**** Verba sunt HENRICI STERONIS *ad a. 1293.*

† ALBERT. MVSSATVS *Hist. Henrici VII. p. 3.*

†† MVSSATVS *p. 22.*

††† Extat Diploma apud FREHERVM *Tom. I. p. 665.*

†††† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. III. c. V. n. 1.*

††††† Extat apud GVICHENON *Tom. VI. p. 276.* Plura exempla Italiæ Vicariorum exhibet GERL. AD. de MVNCHHAVSEN *Diss. de Vicariatu Italico*, in nostra Academia ventilata 1712. cap. II.

§. XLIII.

Nostro tempore notus est Vicariatus Mediolanensis. Matthæus enim Mediolani Vice-Comes Cæsareus Vicarius vniuersæ Longobardiæ ab Adolpho Nassouio constituitur, ac cunctis eius terræ populis mandatur, vt ei ceu Imperiali Procuratori pareant.* Quod munus dein ab Alberto Imp. ** demum a Carolo IV. A. B. fuit confirmatum. *** Sabaudiæ Dux Ludouicus a Sigismundo Imp. a. 1412. Vicariatum obtinuit Imperii in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, castellis, oppidis, dominiis atque terris, quæ teneret in partibus Pedemontium. **** Et licet in isto Diplomate nulla mentio successorum fuerit facta, idem tamen Ludouicus titulo Vicarii perpetui Sacri Romani Imperii postea fuit vsus. † Hic Vicariatus inde ad reliquas terras, præsertim illas, quas ex pacificatione Ratisbonensi de a. 1630. ex Marchionatu Montisferratensi fuit adeptus, priuilegio Ferdinandi II. fuit extensus. Superiori seculo, dum partibus Cæsaris & Hispanorum faueret Carolus III. Dux Mantuanus, Ferdinandus III. eidem titulum Vicarii concedebat: protestabatur de eo Dux Sabaudiæ, atque durante electione noui Imperatoris, petebat, †† vt Vicariatus iste Mantuanus, qui sibi vergeret in præiudicium plane aboleretur, id quod etiam obtinuit. †††

* TRISTANVS CALCHVS *Hist. patr. lib. XVIII. ad a. 1294.*
** LVDOVICVS CAVITELLIVS *Ann. Cremon. ad a. 1302.*
*** CVSPINIANVS *Hist. Caroli IV. p. 384.*
**** Extat integrum Diploma apud LEIBNITIVM *Cod. Iur. Gent. p. I. n. CXXIV.*
† In Tractatibus Pacis inter Margaretham Sabaudam & Ludouicum, Bauariæ Ducem de a. 1444. apud GVICHENON *Tom. I. p. 347.*
†† Extant monita Sabaudi in DIARIO EVROPÆO *Tom. I. p. 710.*
††† CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. IV.* CAROL. *art. XXVI.*

§. XLIV.

Officium eorum in eo constabat, vt vices Imperatoris per districtum suum in vniuersum gerant, quare etiam actus Imperiales, viuo ac mortuo Imp. exercere, homagium feudorum recipere, controuersias definire, atque id genus alia exercere poterant. Quod si rem penitius consideremus, Iura Superioritatis ipsis fuerunt concessa, quæ tamen non propria, sed ex delegata potestate exercere poterant.* Ast, merum Imperium sub Vicariatus nomine non statim fuit concessum, nisi expressum hoc sub præsidiatus officio ** in Diplomate. Nec perpetui semper erant, sed ab arbitrio atque voluntate Imperatorum plerumque pendebant,† atque singulis vrbibus Italiæ eiusmodi Rectores fuerunt concessi, qui vicariam exercerent potestatem. ††

* FÜRSTENERIVS *de Suprematu c. XXV.*
** Patet hoc ex constitutione Friderici II. apud PETRVM de VINEIS lib. V. ep. I. p. 555. *nec tamen te sola Vicarii potestate volumus esse contentum, licet solo Vicarii nomine censearis: sed tibi vsque ad aliud mandatum nostrum adiicimus officium præsidiatus, concedentes tibi merum & purum imperium & gladii potestatem.* Quare etiam vtrumque distinguit MVSSATVS, dum *p. 3.* ait: *Nicolaum de Bonsegnoribus Vicarium constituit, cui & meram regendi potestatem tribuit.*
† In Diplomate Castrucio concesso: *Vicariatum auctoritate regia, nostro & sacri Imperii vice & nomine, vsque ad nostrum vel successoris nostri Roma-*

Romanorum Imperatoris aut Regis beneplacitum & voluntatem committimus.

†† Patet hoc ex HENRICO REBDORFFIO, dum ad a. 1325. sic scribit: *Ludouicus ingressus est Alpes, terram Ducis Karinthiæ, Ciuitatem Tridentinam, vbi ad eum solennes Ambasitores miserunt Rectores Lombardiæ, Galeacius de Vice-Comitibus, Dominus tunc Mediolanensis, Dominus Canis de Scala Dominus tunc Veronensis; Passiuus Dominus Mantuanus, Castruccius Dominus Luccanus.*

§. XLV.

Habuit etiam *Regnum Arelatense* Vicarios suos separatos, quod munus Comites potissimum certis Territoriis præfecti, gesserunt. Dum autem obscurior esset istius regni historia, non adeo certam de eiusdem Vicariis habemus notitiam, nisi quod Rupertus æque filium suum Ludouicum Barbatum constituerit Vicarium in Gallia & Regno Arelatensi. * Bini tamen præ cæteris memorantur Vicarii, Carolus Delphinus, qui ad dies vitæ saltim fuit constitutus, ** & Sabaudus. De hoc primum extat priuilegium Caroli IV. quo Amadeo, Sabaudiæ Comiti conceditur potestas Vicaria in terminos ac limites Comitatus sui, concessione tamen ista ad beneplacitum Imperatoris duratura. *** Ex quo videmus, Vicariatum saltim fuisse temporariũ. Amadeo VIII. Sigismundus Imp. omnia iura a prædecessoribus concessa confirmauit. **** Confirmatur hoc speciali priuilegio Maximiliani I. & Caroli V. in quo præsertim dicitur, quod veri esse debeant Sacri Imperii Vicarii, præsertim in Ciuitatibus, & Diœcesibus Lugduni, Matisconi & Gratianopoli, in quantum sub Imperii districtu ac terris ipsius Ducatus Sabaudiæ consistunt, ita, vt omnes vasalli Imperii de feudis suis vice Imperii vasallagium præstare teneantur, atque adpellationes ad eiusdem tribunal dirigere. Idem Imp. Carolus V. sub eodem Vicariatu quoque Episcopatum Burgensem comprehendi, singulari diplomate declarauit, eundemque postea ad Astensem, Nicensem, Viginti-

milliensem, Glandauensem & Vencensem diœcesin extendit. Hæc iura postea a Ferdinando I. & Rudolpho II. fuerunt confirmata, ab eodemque ad Episcopales Albenghæ, Albæ & Aquarum diœceses, quoad Comitatum Iendæ, Mentonum, Roccabrunam, Pornassium & Dolce Aquam, eorumque pertinentias extensæ. Hæc demum a Matthia & Ferdinando II. denuo fuerunt confirmata. † Petebat æque Carolus Burgundus, vt Vicarius Imperii per Burgundiam constitueretur, vt sub iugum mitteret illos, qui olim ad Imperium pertinuissent, denegante tamen Friderico III. Imp. quod sine adsensu Principum Electorum hoc fieri non posset. ††

* Vt testatur Diploma *in Origg. Palat.* FREHERI *c. XVI. p. 133. sqq.*
** *Vid. Cap. IV. §. VI.*
*** Reperitur Diploma apud GVICHENON *Tom. VI. p. 200.* & in DIARIO EVROPÆO *Tom. I. p. 712.*
**** GVICHENON *Tom. I. p. 460.*
† Singula hæc Priuilegia reperiuntur in DIARIO EVROPÆO *c. l.*
†† PARALIPOMENA ad CONRADVM VRSP. *p. 427.*

§. XLVI.

Vltimo loco considerandi etiam sunt Tutores Impp. vel Regum Romanorum adhuc minorennium. Hi ex propinquis Impp. atque Germaniæ Proceribus olim sumebantur, bini quidem, ecclesiasticus & secularis. Arnulphus filio suo Ludouico Infanti tutores constituit Hattonem, Archiepiscopum Moguntinum & Ottonem Ducem Saxoniæ.* Ottonis III. pueri septennis tutelam gessit mater Theophania, adminiculante Willigiso, Germaniæ Primate.** Henrici IV. tutelam gessit Agnes mater.*** Friderico II. trienni tutor constitutus fuit Philippus Sueuus.† In Capitulatione Iosephi †† tutela Regis Romanorum Vicariis tribuitur, vsque dum annum ætatis decimum octauum adimpleuerit.

* AVENTINVS *Ann. lib. IV. c. XXI.* ** DITMARVS *lib. IV. p. 349.*
*** S. H. G. *diss. XV. §. II.* † OTTO de S. BLASIO *c. XLVI.*
†† *Art. XLVII.*

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVARTVM
DE
REGE ROMANORVM
ET AVGVSTA.

§. I.

PRoximus ab Imp. eſt Rex Romanorum, qui viuo adhuc Imp. eligitur, ita quidem, vt ſi Imp. ipſi conceſſerit, vel abſens & impeditus fuerit, vices eiusdem gerat, & eodem defuncto, in omnia iura Imperii ſuccedat. * Olim quidem omnes Impp. ante Romanam Coronationem hoc titulo Regis Romanorum vtebantur, ** poſtquam autem titulo Electi Imperatoris vti cœperunt, ſolis deſtinatis ſucceſſoribus conceſſus Titulus *eines Rœmiſchen Kœnigs.*

* R. I. Auguſtanus de a. 1550. prooem. *Vns als biebeuor erwæhlten, beſtættigten und gecrœnten Rœm. Kœnig, auch Ihr. Liebd. und Kayſerl. Maieſtæt und im Fall der Erledigung des Kayſerthums unzvveifentlichen rechten Succeſſori, und ervvæhlten Rœm. Kayſer.* Eadem fere dicuntur R. I. Auguſtano *de a. 1566. prooem.*

** Vide ſupra *cap. VIII. §. X.*

§. II.

De origine Regis Romanorum plurimum diſcepatur. Primi quidem Impp. ſibi, procerum conſenſu, deſtinare ſolebant filios ſuos ſucceſſores. Hi primum, poſtquam Aquisgrani fuiſſent coronati, æque dicti Reges, quod exemplo Ottonis

tonis II. patet. † Inde vero postquam isti Impp. Romanorum nomen adsumerent, dicti Reges Romanorum, †† quod plura testantur exempla. Maximilianus I. Imp. in Conuentu Trium Regum Viennensi an. 1515. Ludouicum, Vngariæ Regem post fata sua constituerat legitimum successorem, quæ tamen res effectu fuit destituta. †††

† LVITPRANDVS lib. VI. fin. ad Benedictum, Papatus inuasorem: *num inficiari potes, præsenti Domno Imperatori iuramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum, absque illius filiique sui Regis Othonis consensu.* Hinc etiam in constitutione Ottonis M. Ioanni, Papæ data, apud GOLDASTVM Tom. II. p. 44. *ego Otto Dei Gratia Imperator Augustus, vna cum Ottone glorioso Rege filio nostro.* Quare etiam OTTO FRISINGENSIS de Friderico I. lib. I. c. XLIII. *filio suo Henrico adhuc puero, per electionem Principum Rege constituto, in palatio Aquis eum Dominica mediana Quadragesimæ, Regem inungi ac coronari iubens.* Quare etiam OTTONI de S. BLASIO *c. XXVI.* dicitur: *Rex.*

†† Patet hoc ex epistola Friderici I. ad Henricum filium, Philippopoli scripta, apud HEDAM *Chron. Vltraiect. p. 178.* quæ ita incipit: *Fridericus Dei gratia, Romanorum Imp. & semper Augustus, perdilecto filio suo Henrico illustri Romanorum Regi Augusto.* Friderici II. filius Henricus VII. in priuilegio Leopoldo VII. Austriæ Duci concesso, se ipsum vocat: *Henricus Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus,* CVSPINIANVS *Austria p. 27.*

††† S. H. G. *Diss. XXXI. §. XLII.*

§. III.

Dum autem in A. B. nihil de hoc definitum, multa fuit controuersia, postquam Carolus V. fratrem suum Ferdinandum, Electoribus commendaret in Regem Romanorum eligendum. Postulabant enim Smalcaldici, * vt, si opus foret

foret Rege Romanorum, publico ſanciretur edicto, ne videlicet poſthac vnquam viuo Cæſare crearetur Rex Romanorum, niſi primum Electores, & his adiuncti ſex alii Principes illud de vſu Reip. eſſe iudicarent, & hoc decreto, ſoli Electores talem legant, qui tamen nullam ſibi viuo Imp. poteſtatem propriam adrogaret, nec Ordines Imperii iuramento ipſi tenerentur, niſi poſt Imp. mortem, nec ex eadem Principum familia tres Reges ordine crearentur. Prævalentibus vero per maiora Electoribus Pontificiis, inauguratus nihilominus fuit Ferdinandus I. idemque Transactione Cadamenſi a Io. Friderico Saxone adprobatus, ſpondente Ferdinando, ſe curaturum, vt ipſorum poſtulata lege publica definirentur. **

* SLEIDANVS *lib. VIII. p. 223.* Vid. hac de re varia Conſilia apud LÜNIGIVM *Staats-Conſiliis Tom. I. p. 40. ſqq.* atque Relationem Georgii Spalatini *im Hiſtor. und Polit. Archiv T. I. n. 3.*

** Extat iſta Transactio apud HORTLEDERVM *lib. III. c. XIII.*

§. IV.

Tempore Rudolphi II. noua ſuboriebatur controuerſia, an etiam inuito Imperatore eligi poſſit Rex Romanorum, Electores tamen Capitulationi Matthiæ * ſpeciatim hoc inſeruerunt, etiam ſine Imp. conſenſu talem poſſe eligi, quotiescunque ipſi hoc conueniens eſſe putauerint, quod etiam reliquis fuit inſertum. In Tractatibus pacis Weſtphalicæ Galli Suecique tabulis Pacis volebant inſeri, ne viuo Imperatore ſurrogetur ſucceſſor, ſed, dum Status adſentiri nollent, agebatur de cauſſis & modo eligendi Regem Romanorum, dum Status peterent, ipſorum conſenſu primum definiendum eſſe, an eligendus ſit Rex Romanorum, ipſam electionem Electoribus relinquentes. Sed, cum nihil poſſet concludi,

cludi, ad proxima Comitia ** res fuit reiecta, nec tamen quidpiam adhuc definitum. Quare etiam contra modum Electionis Iosephi, sine præuio ipsorum consensu factæ, protestati fuerunt Status scripto singulari, idemque Moguntino exhibuerunt. † In Capitulatione Perpetua †† & Carolina ††† decernebatur, non sine summa necessitate, viuo Imp. Romanorum Regem esse eligendum.

* Art. XXXV. *Insonderheit sollen und vvollen vvir &c. die gemeldte Churfürsten ihre Nachkommen und Erben, zu iederzeit bey ihrer freyen Wahl eines Rœmischen Kœnigs, dieselbe so offt sie es einem Kayser zu behülff, oder sonst dem Heil. Rœmischen Reich nothvvendig, oder nützlich befinden, auch bey Lebzeiten eines Rœmischen Kaysers, mit, oder, vvann derselbe auf angelegte Bitt der Churfürsten, ohne genugsahmer erheblichen Vrsachen vervveigert vverden solte, ohne eines regierenden Kaysers Consens vorzunehmen.* In CAPITVLATIONE LEOPOLDI vero art. XXXVI. & IOSEPHI art. XXXV. verba: *vvann derselbe auf angelegte Bitte der Churfürsten, ohne erhebliche genugsahme Vrsach vervveigert vverden solte,* fuerunt omissa.

** *art. VIII. §. 3.*

† Quid circa eandem caussam fuerit actum, demonstrauit MÜLDENERVS in Præfatione, Capitulationi harmonicæ præfixa. In LVNIGII *Staats-Consiliis Tomo. II. p. 1517.* exhibetur hac de caussa: *Bedencken und Gegenbedencken de a. 1689.*

†† In Constitutione I. adiecta Capitulationi Perpetuæ *das die Churfürsten nicht leichtlich zur Wahl eines Rœmischen Kœnigs vivente Imperatore zu schreiten, es vvære denn, das entvveder der ervvehlte und regierende Rœmische Kayser sich aus dem Reich begeben, und beständig, oder allzulang aufhalten vvolte, oder derselbe vvegen seines hohen Alters oder beständiger Vnpæßlichkeit der Regierung nicht mehr vorstehen kœnte, oder sonsten eine andervvärtige hohe Nothdurfft, daran des Heil. Rœmischen Reichs Conseruation und Wohlfahrt gelegen, erförderte; einen Rœmischen Kœnig noch bey Lebzeiten des regierenden*

renden Kaysers zu ervvehlen, Electionem etiam fieri debere, decernitur per Electores secundum A. B.

††† *art. III.*

§. V.

Disquiritur autem, an etiam proficuum sit, viuo Imperatore, eligere Regem Romanorum. Non desunt,* qui coactam potius dicant electionem, qua Electorum liberum Ius eligendi admodum restringeretur, dum Imp. filium suum in Regem commendanti haut facile resisterent. Immo, præsumendum esse, hoc ipso Ius Imperii hæreditarium tacite introduci. Verum, dum inuito etiam atque reluctante Imp. Rex Romanorum possit eligi, ipsique Reges Romanorum per Capitulationem se obstringant, se nulla ratione Ius in Imperium hæreditarium esse prætensuros, quin potius illud liberæ electioni debeant, ** nihil inde mali metuendum putarem. Euitantur potius hac electione mala Interregni, atque successio certa stabilitur. ***

* Potissimum HIPPOLYTVS a LAPIDE *de Ratione Status.*

** CAPIT. IOSEPHINA *art. XXXV.* CAROLINA *art. III.*

*** Hæc ratio probe expenditur in Actis Electionis Conradi IV. apud LEIBNITIVM Cod. I. G. Diplom. Prodr. n. XI. p. 9. *illud etiam diligentius attendentes; quod post vnius regnantis occasum, interstitium temporis inter prædecessoris obitum & plenum dominium successoris, quod interregnum veteres appellabant, grande posset Imperio sed & Catholicæ fidei maximum afferre discrimen, prauenire salubrius tempus eligimus, quam dispendium temporis expectare.*

§. VI.

Electio atque coronatio Regis Romanorum eadem solennitate peragitur, ac Imperatoris. * Immo, Otto II. an. 967. a Iohanne XIII. Papa viuo adhuc Ottone M. patre, Ro-

††† Vid. ZECH *ad Capit. Carol. p. 166.* Plenius hæc Iura Vicariatus deducuntur in *Historischer Nachricht von denen Vicariaten des Heil. Ræmischen Reichs 1711. 4.* Accessit IO. DECKHERRI *Gründliche Nachricht von Interregnis und Vicariaten*, in quo scripto potissimum declaratur, quænam circa Vicariatum Palatinum post Rudolphi II. an. 1612. & Ferdinandi III. a. 1657. in Camera acciderint controuersiæ cum adiunctis necessariis. Aliud de eodem Vicariatu Scriptum reperitur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. c. XI.*

§. XLII.

Hinc plures erant Vicarii particulares in Italia, qui vices Imperatoris vel in certis prouinciis, territoriis & vrbibus gesserunt. Sic Thomas Sabaudiæ Comes Friderici II. Imp. temporibus sacri Imperii in Romangia dicitur Vicarius generalis. * Fridericus II. in Marchia Italiæ reliquit pro negotiis Imperii pertractandis Comitem Geueardum de Saxonia & Comitem Simeonem Theatinum. ** Rudolphi Habsburgici temporibus Rudolphus Hoheneccius & Pinziualla Fliscus Italiæ Vicarii fuerunt constituti. *** Adolphus Nassouius Ioannem de Gabilone constituit Vicarium suum, & misit in Tusciam, quem Bonifacius Papa fauorabiliter recepit. **** Taurinorum Ciuitati Henricus VII. Vicarium dedit & Astensium Ciuitati. † Idem Henricus, Patauinis Vicarium præfecit Gerhardum de Henzola Parmensem. †† Ludouicus Bauarus Castrucio concessit Vicariatum Ciuitatis Pistorii & totius Comitatus eiusdem. ††† Idem a. 1331. Ottonem Austriacum constituit Vicarium Patauinum. †††† In Diplomate Sigismundi Brunorius de Scala dicitur Veronæ Vicarius Generalis. †††††

* PETRVS de VINEIS *epist. lib. V. ep. XLVI.* vbi saltim vocatur THOMAS de MAR &c. Sed, vixit illo tempore Thomas de Sabaudia, cuius Diploma adducit SAM. GVICHENON *Hist. Geneal. de Savoye Tom. VI. p. 54.* in quo dicitur: *Vicarius in Lombardia Domini Frederici per Dei gratiam Romanorum Imperatoris & Regis Siciliæ & Suriæ.*

** MO-

** MONACHVS PADVANVS *ad a. 1136.*
*** S. H. G. *diss. XXIII. §. XXIX.*
**** Verba sunt HENRICI STERONIS *ad a. 1293.*

† ALBERT. MVSSATVS *Hist. Henrici VII. p. 3.*
†† MVSSATVS *p. 22.*
††† Extat Diploma apud FREHERVM *Tom. I. p. 665.*
†††† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. III. c. V. n. 1.*
††††† Extat apud GVICHENON *Tom. VI. p. 276.* Plura exempla Italiæ Vicariorum exhibet GERL. AD. de MVNCHHAVSEN *Diss. de Vicariatu Italico*, in nostra Academia ventilata 1712. cap. II.

§. XLIII.

Nostro tempore notus est Vicariatus Mediolanensis. Matthæus enim Mediolani Vice-Comes Cæsareus Vicarius vniuersæ Longobardiæ ab Adolpho Nassouio constituitur, ac cunctis eius terræ populis mandatur, vt ei ceu Imperiali Procuratori pareant.* Quod munus dein ab Alberto Imp. ** demum a Carolo IV. A. B. fuit confirmatum.*** Sabaudiæ Dux Ludouicus a Sigismundo Imp. a. 1412. Vicariatum obtinuit Imperii in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, castellis, oppidis, dominiis atque terris, quæ teneret in partibus Pedemontium.**** Et licet in isto Diplomate nulla mentio successorum fuerit facta, idem tamen Ludouicus titulo Vicarii perpetui Sacri Romani Imperii postea fuit vsus.† Hic Vicariatus inde ad reliquas terras, præsertim illas, quas ex pacificatione Ratisbonensi de a. 1630. ex Marchionatu Montisferratensi fuit adeptus, priuilegio Ferdinandi II. fuit extensus. Superiori seculo, dum partibus Cæsaris & Hispanorum faueret Carolus III. Dux Mantuanus, Ferdinandus III. eidem titulum Vicarii concedebat: protestabatur de eo Dux Sabaudiæ, atque durante electione noui Imperatoris, petebat, †† vt Vicariatus iste Mantuanus, qui sibi vergeret in præiudicium plane aboleretur, id quod etiam obtinuit.†††

* TRISTANVS CALCHVS *Hist. patr. lib. XVIII. ad a. 1294.*
** LVDOVICVS CAVITELLIVS *Ann. Cremon. ad a. 1302.*
*** CVSPINIANVS *Hist. Caroli IV. p. 384.*
**** Extat integrum Diploma apud LEIBNITIVM *Cod. Iur. Gent. p. I. n. CXXIV.*
† In Tractatibus Pacis inter Margaretham Sabaudam & Ludouicum, Bauariæ Ducem de a. 1444. apud GVICHENON *Tom. I. p. 347.*
†† Extant monita Sabaudi in DIARIO EVROPÆO *Tom. I. p. 710.*
††† CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. IV.* CAROL. *art. XXVI.*

§. XLIV.

Officium eorum in eo constabat, vt vices Imperatoris per districtum suum in vniuersum gerant, quare etiam actus Imperiales, viuo ac mortuo Imp. exercere, homagium feudorum recipere, controuersias definire, atque id genus alia exercere poterant. Quod si rem penitius consideremus, Iura Superioritatis ipsis fuerunt concessa, quæ tamen non propria, sed ex delegata potestate exercere poterant.* Ast, merum Imperium sub Vicariatus nomine non statim fuit concessum, nisi expressum hoc sub præsidiatus officio ** in Diplomate. Nec perpetui semper erant, sed ab arbitrio atque voluntate Imperatorum plerumque pendebant,† atque singulis vrbibus Italiæ eiusmodi Rectores fuerunt concessi, qui vicariam exercerent potestatem. ††

* FÜRSTENERIVS *de Suprematu c. XXV.*
** Patet hoc ex constitutione Friderici II. apud PETRVM de VINEIS lib. V. ep. I. p. 555. *nec tamen te sola Vicarii potestate volumus esse contentum, licet solo Vicarii nomine censearis: sed tibi vsque ad aliud mandatum nostrum adiicimus officium præsidiatus, concedentes tibi merum & purum imperium & gladii potestatem.* Quare etiam vtrumque distinguit MVSSATVS, dum *p. 3.* ait: *Nicolaum de Bonsegnoribus Vicarium constituit, cui & meram regendi potestatem tribuit.*
† In Diplomate Castrucio concesso: *Vicariatum auctoritate regia, nostro & sacri Imperii vice & nomine, vsque ad nostrum vel successoris nostri Roma-*

Romanorum Imperatoris aut Regis beneplacitum & voluntatem committimus.

†† Patet hoc ex HENRICO REBDORFFIO, dum ad a. 1325. sic scribit: *Ludouicus ingressus est Alpes, terram Ducis Karinthiæ, Ciuitatem Tridentinam, vbi ad eum solennes Ambasitores miserunt Rectores Lombardiæ, Galeacius de Vice-Comitibus, Dominus tunc Mediolanensis, Dominus Canis de Scala Dominus tunc Veronensis; Passiuus Dominus Mantuanus, Castruccius Dominus Luccanus.*

§. XLV.

Habuit etiam *Regnum Arelatense* Vicarios suos separatos, quod munus Comites potissimum certis Territoriis præfecti, gesserunt. Dum autem obscurior esset istius regni historia, non adeo certam de eiusdem Vicariis habemus notitiam, nisi quod Rupertus æque filium suum Ludouicum Barbatum constituerit Vicarium in Gallia & Regno Arelatensi.* Bini tamen præ ceteris memorantur Vicarii, Carolus Delphinus, qui ad dies vitæ saltim fuit constitutus,** & Sabaudus. De hoc primum extat priuilegium Caroli IV. quo Amadeo, Sabaudiæ Comiti conceditur potestas Vicaria in terminos ac limites Comitatus sui, concessione tamen ista ad beneplacitum Imperatoris duratura.*** Ex quo videmus, Vicariatum saltim fuisse temporariū. Amadeo VIII. Sigismundus Imp. omnia iura a prædecessoribus concessa confirmauit.**** Confirmatur hoc speciali priuilegio Maximiliani I. & Caroli V. in quo præsertim dicitur, quod veri esse debeant Sacri Imperii Vicarii, præsertim in Ciuitatibus, & Diœcesibus Lugduni, Matisconi & Gratianopoli, in quantum sub Imperii districtu ac terris ipsius Ducatus Sabaudiæ consistunt, ita, vt omnes vasalli Imperii de feudis suis vice Imperii vasallagium præstare teneantur, atque adpellationes ad eiusdem tribunal dirigere. Idem Imp. Carolus V. sub eodem Vicariatu quoque Episcopatum Burgensem comprehendi, singulari diplomate declarauit, eundemque postea ad Astensem, Nicensem, Vigintimil-

millienſem, Glandauenſem & Vencenſem diœceſin extendit. Hæc iura poſtea a Ferdinando I. & Rudolpho II. fuerunt confirmata, ab eodemque ad Epiſcopales Albenghæ, Albæ & Aquarum diœceſes, quoad Comitatum Iendæ, Mentonum, Roccabrunam, Pornaſſium & Dolce Aquam, eorumque pertinentias extenſæ. Hæc demum a Matthia & Ferdinando II. denuo fuerunt confirmata. † Petebat æque Carolus Burgundus, vt Vicarius Imperii per Burgundiam conſtitueretur, vt ſub iugum mitteret illos, qui olim ad Imperium pertinuiſſent, denegante tamen Friderico III. Imp. quod ſine adſenſu Principum Electorum hoc fieri non poſſet. ††

* Vt teſtatur Diploma *in Origg. Palat.* FREHERI *c. XVI. p. 133. ſqq.*
** *Vid. Cap. IV. §. VI.*
*** Reperitur Diploma apud GVICHENON *Tom. VI. p. 200.* & in DIARIO EVROPÆO *Tom. I. p. 712.*
**** GVICHENON *Tom. I. p. 460.*
† Singula hæc Priuilegia reperiuntur in DIARIO EVROPÆO *c. l.*
†† PARALIPOMENA ad CONRADVM VRSP. *p. 427.*

§. XLVI.

Vltimo loco conſiderandi etiam ſunt Tutores Impp. vel Regum Romanorum adhuc minorennium. Hi ex propinquis Impp. atque Germaniæ Proceribus olim ſumebantur, bini quidem, eccleſiaſticus & ſecularis. Arnulphus filio ſuo Ludouico Infanti tutores conſtituit Hattonem, Archiepiſcopum Moguntinum & Ottonem Ducem Saxoniæ. * Ottonis III. pueri ſeptennis tutelam geſſit mater Theophania, adminiculante Willigiſo, Germaniæ Primate. ** Henrici IV. tutelam geſſit Agnes mater. *** Friderico II. trienni tutor conſtitutus fuit Philippus Sueuus. † In Capitulatione Ioſephi †† tutela Regis Romanorum Vicariis tribuitur, vsque dum annum ætatis decimum octauum adimpleuerit.

* AVENTINVS *Ann. lib. IV. c. XXI.* ** DITMARVS *lib. IV. p. 349.*
*** S. H. G. *diſſ. XV. §. II.* † OTTO de S. BLASIO *c. XLVI.*
†† *Art. XLVII.*

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVARTVM
DE
REGE ROMANORVM
ET AVGVSTA.

§. I.

PRoximus ab Imp. eſt Rex Romanorum, qui viuo adhuc Imp. eligitur, ita quidem, vt ſi Imp. ipſi conceſſerit, vel abſens & impeditus fuerit, vices eiusdem gerat, & eodem defuncto, in omnia iura Imperii ſuccedat. * Olim quidem omnes Impp. ante Romanam Coronationem hoc titulo Regis Romanorum vtebantur, ** poſtquam autem titulo Electi Imperatoris vti cœperunt, ſolis deſtinatis ſucceſſoribus conceſſus Titulus *eines Rœmiſchen Kœnigs.*

* R. I. Auguſtanus de a. 1550. prooem. *Vns als hiebeuor erwæhlten, beſtættigten und gecrœnten Rœm. Kœnig, auch Ihr. Liebd. und Kayſerl. Maieſtat und im Fall der Erledigung des Kayſerthums unzvveifentlichen rechten Succeſſori, und ervvæhlten Rœm. Kayſer.* Eadem fere dicuntur R. I. Auguſtano *de a. 1566. prooem.*

** Vide ſupra *cap. VIII. §. X.*

§. II.

De origine Regis Romanorum plurimum diſcepatur. Primi quidem Impp. ſibi, procerum conſenſu, deſtinare ſolebant filios ſuos ſucceſſores. Hi primum, poſtquam Aquisgrani fuiſſent coronati, æque dicti Reges, quod exemplo Ottonis

tonis II. patet. † Inde vero poſtquam iſti Impp. Romanorum nomen adſumerent, dicti Reges Romanorum, †† quod plura teſtantur exempla. Maximilianus I. Imp. in Conuentu Trium Regum Viennenſi an. 1515. Ludouicum, Vngariæ Regem poſt fata ſua conſtituerat legitimum ſucceſſorem, quæ tamen res effectu fuit deſtituta. †††

† LVITPRANDVS lib. VI. fin. ad Benedictum, Papatus inuaſorem: *num inficiari potes, præſenti Domno Imperatori iuramento promiſiſſe, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum, absque illius filiique ſui Regis Othonis conſenſu.* Hinc etiam in conſtitutione Ottonis M. Ioanni, Papæ data, apud GOLDASTVM Tom. II. p. 44. *ego Otto Dei Gratia Imperator Auguſtus, vna cum Ottone glorioſo Rege filio noſtro.* Quare etiam OTTO FRISINGENSIS de Friderico I. lib. I. c. XLIII. *filio ſuo Henrico adhuc puero, per electionem Principum Rege conſtituto, in palatio Aquis eum Dominica mediana Quadrageſimæ, Regem inungi ac coronari iubens.* Quare etiam OTTONI de S. BLASIO *c. XXVI.* dicitur: *Rex.*

†† Patet hoc ex epiſtola Friderici I. ad Henricum filium, Philippopoli ſcripta, apud HEDAM *Chron. Vltraiect. p. 178.* quæ ita incipit: *Fridericus Dei gratia, Romanorum Imp. & ſemper Auguſtus, perdilecto filio ſuo Henrico illuſtri Romanorum Regi Auguſto.* Friderici II. filius Henricus VII. in priuilegio Leopoldo VII. Auſtriæ Duci conceſſo, ſe ipſum vocat: *Henricus Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus,* CVSPINIANVS *Auſtria p. 27.*

††† S. H. G. *Diſſ. XXXI. §. XLII.*

§. III.

Dum autem in A. B. nihil de hoc definitum, multa fuit controuerſia, poſtquam Carolus V. fratrem ſuum Ferdinandum, Electoribus commendaret in Regem Romanorum eligendum. Poſtulabant enim Smalcaldici, * vt, ſi opus foret

foret Rege Romanorum, publico ſanciretur edicto, ne videlicet poſthac vnquam viuo Cæſare crearetur Rex Romanorum, niſi primum Electores, & his adiuncti ſex alii Principes illud de vſu Reip. eſſe iudicarent, & hoc decreto, ſoli Electores talem legant, qui tamen nullam ſibi viuo Imp. poteſtatem propriam adrogaret, nec Ordines Imperii iuramento ipſi tenerentur, niſi poſt Imp. mortem, nec ex eadem Principum familia tres Reges ordine crearentur. Præualentibus vero per maiora Electoribus Pontificiis, inauguratus nihilominus fuit Ferdinandus I. idemque Transactione Cadamenſi a Io. Friderico Saxone adprobatus, ſpondente Ferdinando, ſe curaturum, vt ipſorum poſtulata lege publica definirentur. **

* SLEIDANVS *lib. VIII. p. 223.* Vid. hac de re varia Conſilia apud LÜNIGIVM *Staats-Conſiliis Tom. I. p. 40. ſqq.* atque Relationem Georgii Spalatini *im Hiſtor. und Polit. Archiv T. I. n. 3.*

** Extat iſta Transactio apud HORTLEDERVM *lib. III. c. XIII.*

§. IV.

Tempore Rudolphi II. noua ſuboriebatur controuerſia, an etiam inuito Imperatore eligi poſſit Rex Romanorum, Electores tamen Capitulationi Matthiæ * ſpeciatim hoc inſeruerunt, etiam ſine Imp. conſenſu talem poſſe eligi, quotiescunque ipſi hoc conueniens eſſe putauerint, quod etiam reliquis fuit inſertum. In Tractatibus pacis Weſtphalicæ Galli Suecique tabulis Pacis volebant inſeri, ne viuo Imperatore ſurrogetur ſucceſſor, ſed, dum Status adſentiri nollent, agebatur de cauſſis & modo eligendi Regem Romanorum, dum Status peterent, ipſorum conſenſu primum definiendum eſſe, an eligendus ſit Rex Romanorum, ipſam electionem Electoribus relinquentes. Sed, cum nihil poſſet con-

renden Kaysers zu ervveblen, Electionem etiam fieri debere, decernitur per Electores secundum A. B.

††† *art. III.*

§. V.

Disquiritur autem, an etiam proficuum sit, viuo Imperatore, eligere Regem Romanorum. Non desunt,* qui coactam potius dicant electionem, qua Electorum liberum Ius eligendi admodum restringeretur, dum Imp. filium suum in Regem commendanti haut facile resisterent. Immo, præsumendum esse, hoc ipso Ius Imperii hæreditarium tacite introduci. Verum, dum inuito etiam atque reluctante Imp. Rex Romanorum possit eligi, ipsique Reges Romanorum per Capitulationem se obstringant, se nulla ratione Ius in Imperium hæreditarium esse prætensuros, quin potius illud liberæ electioni debeant, ** nihil inde mali metuendum putarem. Euitantur potius hac electione mala Interregni, atque successio certa stabilitur. ***

* Potissimum HIPPOLYTVS a LAPIDE *de Ratione Status.*

** CAPIT. IOSEPHINA *art. XXXV.* CAROLINA *art. III.*

*** Hæc ratio probe expenditur in Actis Electionis Conradi IV. apud LEIBNITIVM Cod. I. G. Diplom. Prodr. n. XI. p. 9. *illud etiam diligentius attendentes; quod post vnius regnantis occasum, interstitium temporis inter prædecessoris obitum & plenum dominium successoris, quod interregnum veteres appellabant, grande posset Imperio sed & Catholicæ fidei maximum afferre discrimen, prauenire salubrius tempus eligimus, quam dispendium temporis expectare.*

§. VI.

Electio atque coronatio Regis Romanorum eadem solennitate peragitur, ac Imperatoris. * Immo, Otto II. an. 967. a Iohanne XIII. Papa viuo adhuc Ottone M. patre, Ro-

mæ in Auguſtum fuit coronatus. ** Dum autem Maximilianus I. in Comitiis Auguſtanis a. 1518. de Carolo nepote ſuo in Regem Romanorum eligendo ageret cum Electoribus, noui exempli res eſſe videbatur, Cæſare necdum a Pontifice coronato, regem eligi. *** Licet poſt Maximiliani I. tempora, de eo amplius dubitatum haut fuiſſet. Præſcribitur etiam ipſi Capitulatio, ad quam ſeruandam, mortuo Imp. datis litteris reuerſalibus, ſe denuo obligat. **** Differt vero ab Imp. Inſignibus & poteſtate. Imp. enim aquila bicipiti vtitur, Rex Romanorum ſimplici ſaltim. ***** Deinde differt poteſtate, quam viuo Imp. aliter non exercet, niſi ipſi fuerit conceſſa, ****** vel Imp. plane præpeditus, tunc autem & delegata vtitur & propria poteſtate, quam per electionem fuerit adeptus, † atq; hac ratione Maieſtas ipſi haud erit deneganda. †† Caput etiam Imperii dicitur. ††† Addunt, etiam vtrosque titulo diſtingui, quod tamen non procedit, cum Rex Romanorum æque titulo Semper Auguſti ac Maieſtatis vtatur ac Imp. †††† Concedit igitur Ius primariarum Precum ††††† & priuilegia, eademque corroborat Sigillo aureæ bullæ aliaque Iura exercet ex poteſtate potiſſimum ipſi ab Imp. conceſſa.

* Prout in electione atque coronatione Ioſephi videmus, de qua THVCELIVS & SIGISMVNDVS SCHMIDT. LONDORP *Tomo XVI. p. 315.*

** Sic enim ipſe Otto M. ad Duces ſuos ſeribit :) *filius noſter in natiuitate Domini coronam a beato Apoſtolico in Imperii dignitatem ſuſcepit* apud WITTICHINDVM *lib. III. p. 661.* S. H. G. *Diſſ. XII.* §. *XXVI.*

*** S. H. G. *Diſſ XXXI.* §. *XLV.*

**** Promittit easdem Ioſephus *Capit. art. XLVII.*

***** LIMNÆVS *ad Capit. Ferdinandi proœm. p. 443.*

****** CAPIT. Ferd. III. art. XLIV. *vvir ſollen und vvollen auch Uns keiner Regierung oder Adminiſtration im Heiligen Rœmiſchen Reich vveiter*

weiter oder anders unterziehen; dann so viel Vns des von Kayserlicher Maiestat vergœnnet und zugelassen wird, auch Ihrer Kayserlichen Maiestat die Zeit ihres Lebens an Ihrer Hoheit und Würde des Kayserthums, keine Irrung noch Eintrag thun. Licet in CAPIT. IOSEPHINA *art. XLVII.* priora saltim verba ponantur.

† Patet hoc ex variis Recessibus sub Ferdinando I. conclusis, vtpote R. I. Spir. de a. *1542. im Nahmen der Kays. Mai. und für Vns selbst.* Vid. & R. I. de a. *1555. §. 43. & §. 143. de a. 1557. §. 87.* Sic in Priuilegio Ferdinandi I. a. 1557. Academiæ nostræ concessæ: *ex certa scientia & motu proprio tum S. Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis Fratris & Domini nostri charissimi loco ac nomine, tum nostra etiam autoritate vti Rex Romanorum Vniuersitatem siue Studium Generale in præfata Ciuitate Iena instituimus.*

†† Adseruit etiam MVLLERVS *Maximiliano I. Vorst. Cap. I. p. 17.* licet Maiestas vna eademque maneat, ratione subiecti saltim in Imperatore & Rege distincta. Qua ratione etiam Maximilianus Maiestatem suam exercuerit, Idem testatur *I. Vorst. cap. X. p. 89. & c. XV. p. 106.* Quare etiam Titulus: *Kœniglicher Maiestat* ipsi conceditur, atque formula in Recessibus Imperii vtitur: *aus Kœniglicher Macht und Vollkommenheit* vtpote Rec. I. Spiræ 1542. §. *102.* §. *124.* R. I. Noribergæ 1542. §. *24.* R. I. Augustæ 1555. §. *43.* Vid. PFEFFINGER *p. 925.* vbi plura Exempla potestatis Regis Romanorum videmus collecta.

††† Sæpius enim in Recessibus Imperii hæc Formula occurrit *Ihr. Kayserl. und Kœnigliche Maiestæt, als den Hæuptern,* R. I. Wormat. 1535. in procemio. R. I. Augustæ 1555. §. *66.* R. I. Wormat. 1564. §. *5.*

†††† Sic Fridericus II. Imp. in Diplomate Monasterio Laurissensi concesso, apud FREHERVM *T. I. p. 165. assistente nobis & appropinquante dilecto filio nostro Henrico, illustri Rege Romanorum semper Augusto.* Ipse vero Henricus in Diplomate Spirensibus concesso, apud LEHMANNVM lib. V. c. LXXXVI. *Henricus Dei gratia Romanorum Rex, & semper Augustus.*

††††† Extant Wenceslai Preces Primariæ a. 1376. apud GOLDASTVM *Tomo vno p. 375.* FRITSCHIVM *de primariis precibus p. 29.*

§. VII.

Sequitur AVGVSTA, Imperatoris Coniux. Huius considerāda est coronatio, iura & Officiales. Primis quidem temporibus, Augustæ cum Imperatore a Papa simul coronabantur, quod de Irmengarde Ludouici Pii vxore testatur Theganus.* Theophania, Ottonis vxor a Iohanne Papa fuit coronata. ** Gisela, cum Conrado II. marito coronata.*** Sic etiam Henricus II. cum vxore sua Cunegunda Romæ coronatus.† Henricus III. cum vxore sua Agnete a. 1047. Imperialem accepit benedictionem.†† Carolus IV. cum vxore sua Anna a. 1355. Romæ coronam obtinuit. ††† Sigismundi vxor Barbara & Friderici III. Eleonora Romæ fuerunt coronatæ.†††† Quod si vero sola coronanda sit Augusta, ritus in Cæremoniali Romano præscribuntur. †††††

* Vita Ludouici Pii c. XVII. *Irmengardam reginam appellauit Augustam, & posuit coronam auream super caput eius.*

** SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 971.*

*** *Vita Conradi Salici p. 433.*

† DITMARVS *lib. VII. ab initio.*

†† HERM. CONTRACTVS *ad a. 1047.*

††† S. H. G. *Diss. XXVII. §. XIX.*

†††† ÆNEAS SYLVIVS Hist. Friderici III. p. 80. *Imperatrix quoque post Cæsarem coronam ex manibus Pontificis accepit, quam coniugis Sigismundi fuisse constabat.* S. H. G. *Diss. XXX. §. XXI.*

††††† *cap. V.* & ex eodem PETRVS de ANDLO *lib. II. c. VII.*

§. VIII.

Neque tamen Romana solum Corona fuerunt coronatæ Augustæ, sed etiam Germanica, quod in solenni quadam curia

curia factum. Henrici II. vxor a. 1002. Paderbornæ in Germaniæ Reginam fuit coronata. * De Philippi Sueui quidem vxore narrat ARNOLDVS LVBECENSIS, ** quod in solenni curia apud Moguntiam, Regina regio diademate non tamen coronata, sed circulata processerit, seu quod loco coronæ circulum in capite gesserit: *** ex quo patet, eandem non debito more fuisse coronatam. Alberti Austriaci vero vxor in Curia Noribergensi an. 1298. more debito fuit coronata, præsentibus Electoribus, & festiua solennitate officia præstantibus. †

* ADELBOLDVS vita Henrici c. XI. *Inde etiam Paderbronnam veniens in festo S. Laurentii acclamatur, benedicitur, coronatur, & fit Kungunda Kuninga quod latine interpretari potest regia Regina.*

** *Chron. Slau. lib. VI c. II.*

*** Probe enim distinguenda est corona & circulus. Sic aliud erat corona capiti Imp. a Romano Pontifice imposita, aliud circulus aureus a Patriciis impositus, quali circulo Carolum M. depingit MABILLONIVS *supplem. c. IX.* CHIFFLETIVS *Anast. isi Childerici p. 134.* Eandem differentiam adgnoscit MARCVS VVLSON *La Science Heroique c. XXXVII.* qui dicit, antiquos Francorum Principes, immo & Reges primæ stirpis, coronas non gestasse, sed simplices duntaxat ex auro circulos, quos casfidi super imponebant.

† CHRON. COLMAR. ad a. 1298. *Rex Romanorum Albertus, in octaua Martini, in Nurenberch Curiam solennem celebranti, ibique Regina more debito coronatur, & pene omnes Electores præsentes extiterunt. Ibi dignitas cuiuslibet Domini coram Rege solenniter recitatur, & quilibet Dominorum Regi in officio suo, sicut debuit, ministrauit. Rex vero Bohemus cum pretiosissima veste & equo, qui ad mille marcas æstimabatur, sedens, in cypho aureo sibi porrexit.*

§. IX.

Cessauit tamen postea a Sigismundi temporibus hic mos coronandi Augustas, vsque ad tempora Matthiæ, qui coniugem suam, Annam, solenni more a. 1612. fecit inaugurari. * Sic etiam Maria

Maria Hiſpanica, Ferdinandi III. prima Coniux a.1636. fuit coronata. ** Leopoldi coniux Eleonora Auguſta an. 1690. Auguſtæ fuit inaugurata. †

* Deſcribit eandem GOLDASTVS *Polit. Imper. p. I. diſc. XIV. p.179.* FRITSCHIVS *de Auguſta c. III. p. 27.* & ſingulari ſcripto BERNH. PRÆTORIVS.

** Deſcribuntur Solemnia a FRITSCHIO *p. 17.*

† Deſcribitur Inauguratio a SIGISMVNDO SCHMIDT *im eræffneten teutſchen Audientz-Saal p. 63.*

§. X.

Ritus deſcribitur in Cæremoniali: *ſi Rex habuerit Reginam, quæ affuerit, inungatur Regina ante altare coram Domino Archiepiſcopo Colonienſi, qui ſuper eam proſtratam dicat benedictionem: Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei ſexus fragilitatem &c. Et tunc proiiciat ſe Regina per modum crucis in longum ante Dominum Colonienſem, qui iterum dicat ſuper eam benedictionem: Deus qui ſolus habes immortalitatem &c. Hinc detegatur pectus Reginæ per ſuas pediſſequas, & Archiepiſcopus Colonienſis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo ſacro vnget eam, dicens: Spiritus S. gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſe deſcendat &c. Hinc Colonienſis, Moguntinenſis & Treuerenſis Archiepiſcopi pariter ſupraponant coronam ad caput Reginæ, dicentes: Officio indignitatis noſtræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ. His dictis, Capellani Reginæ accedant & detergant loca cum oleo deuncta cum lana munda & alba. Et poſtea pediſſequæ Reginæ ipſam reinduant. Quo facto, ducatur iuxta Regem, & ſedeat in latere ſiniſtro Regis, & prius Clero cantante: * Te Deum Laudamus.* Hodie vero conſecranti adſiſtit Abbas Fuldenſis, qui inſignia non ſolum a Noribergenſibus recipit, ſed etiam coronam, quoties de capite deponitur, eandem in culcitro holoſerico reponit, prout etiam in coronatione Eleonoræ Ferd. III. tertia

vxoris

ris an. 1653. ** & in Coronatione Eleonoræ Margarethæ Thereſiæ Leopoldi Coniugis an. 1690. fuit factum. *** Et cum Treuirenſis atque Colonienſis Electores ſuper hoc iure Fuldenſi Abbati litem mouerent, obtinuit iſte ſuper eodem a Leopoldo Imp. Saluatorium; **** cumque hoc officium in Coronatione Mariæ Ferdinandi III. primæ vxoris an. 1639. gereret Abbas Murbacenſis, factum hoc datis reuerſalibus, ne vllo modo præiudicaret Fuldenſi. *****

* Extat illud apud GOLDASTVM *Tom. III. p. 403.*

** THEATR. EVROP. Tom. VII. p. 368. *Den Reichs-Apffel gab Ihrer Mai. der Ræm. Kayſerin, Ihro Fürſtl. Gnad. Herr Biſchoff zu Paderborn; Den Scepter Ihr. Fürſtl. Gnad. Herr Biſchoff zu Regenſpurg, wie dann auch Ihr. Fürſtl. Gnad. des Ræmiſchen Reichs Fürſt und Abbt zu Fulda, als der Allerdurchleuchtigſten Ræmiſchen Kayſerin Ertz-Cantzler per Germaniam & Galliam Primas, nach beſchehener Crænung, allezeit gedachte Cron der Allerdurchleuchtigſten Ræm. Kayſerin abgenommen, aufgeſetzt und proceſſionaliter aus der Kirchen nach Hoff getragen.*

*** THEATR. EVROP. *Tom. XIII. p. 1138. ſqq.*

**** Extat illud apud WALDSCHMID, qui Iura *Archicancellarii Auguſtæ* ſingulari Diſſertatione fuit perſecutus *p. 57.*

***** FRITSCHIVS *de Auguſta p. 20.* WALDSCHMID *de Archi-Cancellario Auguſtæ p. 55.*

§. XI.

Quantum ad Iura Auguſtæ, potiſſimum in eo conſiſtunt, vt gaudeat dignitate atque præeminentia Imperatoris. Hinc etiam dicitur particeps Imperii * & titulum gerit *allezeit Mehrerin des Reichs.* ** Quare etiam circa negotia Cameræ Regiæ in partem curarum vocabatur, *** ſuis auguſtalibus amicta inſigniis, poſt Imp. & Regem Bohemiæ, qui Imp. immediate ſubſequitur, competentis ſpatii interuallo ſuis aſſociata proceribus, ſuiſque comitata virginibus, ad locum ſeſſionis procedit. **** Vtitur quoque Iure primariarum pre-

cum erga Abbatiſſas, id quod exemplum Eleonoræ, Friderici III. coniugis demonſtrat, Margarethæ Buchouienſi Abbatiſſæ Conradum Saeb ad beneficium commendantis.† Tribuitur ipſi ius concedendi priuilegia, †† ius condendi teſtamentum ſine vllis ſolennitatibus, quod teſtamentum illi oblatum ſine ſolennitatibus valeat, donatio ipſi facta iudiciali inſinuatione non indigeat. Præterea vtitur omnibus iuribus fiſci & immunitatibus ſingulis, habet Ius Cancellariæ & Archiui, quæ perſonis illuſtribus conueniunt, idque non viuo ſolum Imp. ſed etiam eodem defuncto, tanquam vidua.††† Adgnoſcit tamen iudicium Imperatoris.

* Quare de Iuditha, Ludouici Pii vxore AGOBARDVS Apologetico Tomo II. Opp. p. 61. *iterum mulier, tanquam legitima Domina, reuocata eſt in Palatium, & prelata Conſiliis & Conſiliariis.* Et p. 67. *Igitur cum Chriſtianisſimus & piisſimus Imperator Dominus Hludouicus bona coniugis fide & moribus ſibi congruentis conſortium amiſiſſet necesſe fuit vt aliam ſibi acciperet, quæ ei poſſet eſſe adiutorio in regimine & gubernatione Palatii & regni.* In Diplomate Ottonis M. Aledramio ſuper Montisferratenſi Marchionatu 23. Maii 967. conceſſo, apud ANT. FABRVM Conſult. de Montisferr. March. *quapropter nouerit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum vniuerſitas, Aledram Marchionem, interuentu, ac petitione Adhelegidæ noſtræ coniugis atque Imperii noſtri participis, noſtræ adiiſſe ſublimitatis culmen.* Otto II. in Diplomate Gandersheimenſi an. 973. apud LEIBNITIVM Script. Rer. Brunſuic. Tomo II. p. *Dilectisſimæ Coniugi noſtræ Theophanu Comperatrici Auguſtæ, nec non Imperii Regnorumque Conſorti.* WIPPO vita Conradi Salici p. 423. *Imperatrix vero Chunigunda quamquam maritali vigore deſtituta foret, tamen conſilio fratrum ſuorum Theodorici Metenſis Epiſcopi & Hezzelonis ducis Bauariæ pro viribus Reipub. ſuccurretur, & ad reſtaurandum Imperium aciem ingenii mentisque ſolicita conſideratione direxit.* Alia Exempla videmus apud SCHILTERVM *Inſt. Iur. Publ. lib. I. Tit. XVI. §. III.*

** In

** In primariis precibus Conrado Saeb concessis. Vide supra *c. X.* §. *XXXVII.*

*** Vide supra *c. IX.* §. *XXI.*

**** A. B. *Tit. XXVI. n. 5.*

† Extant litteræ in SCHMIDTS *Audientz-Saal p. 64.*

†† Sic Mathildis Henrici V. vxor, a. 1125. Ecclesiæ S. Martini Traiectensi quasdam proprietates tradit, apud HEDAM *Chron. Traiect. p. 165.*

††† Singula hæc Iura plenius exposuit FRITSCHIVS *de Augusta cap. IV. & VIII.*

§. XII.

Habet etiam Augusta singulares suos Officiales. Inter hos, dum iura quædam Cancellariæ habeat Augusta, primo loco memorandus est Archi-Cancellarius, qui est Abbas Fuldensis. Dubitant tamen de origine huius Officii. BROWERVS * quidem Berthoum Abbatem, Lothario imperante, hunc titulum vna cum sedis prærogatiua sibi vindicasse, auctor est; Licet MALLINCKROT ** potius coniectari velit, ab eo tempore, quo Moguntina sedes Imperii Archicancellariatum sibi proprium fecerit, scilicet a tempore Ottoniano, hoc etiam munus cœpisse. Hæc etiam ratio fuit, quod prælationis locum Magdeburgensi Archiepiscopo dubium fecerit. *** Confirmauit hoc munus Carolus IV. singulari priuilegio de a. 1358. tanquam a primæua fundatione introductum; † hoc adiecto; vt quoties Imperii Romani Augustam vel Reginam diademate cingi, aut indui purpura, solenni ritu contingeret, Abbatem tunc id habiturum muneris, vt diadema coronamque pro more deponat, manuque teneat, & rursum eandem vertici reddat. Memorat tamen MALLINCKROTIVS, primum hoc titulo in subscriptione vsum fuisse Wolfgangum Theodoricum ab Ensickheim, dum R. I. Augustanum de an. 1559. subscriberet. Alios habet Vice-Cancellarios. Sic Litteras Eleonoræ, Augustæ ad Senatum Augustanum de natiuitate Maximi-

ximiliani subscripsit Panthaleon Ruef, Vice-Cancellarius. †† Sic etiam CLVTENIVS ††† auctor est, Abbatem S. Maximini in suburbiis Augustæ Treuirorum titulo atque officio Archicapellani Augustæ fuisse vsum.

* *Antiquit. Fuld. lib. I. c. XV.*

** *De Archicancellariis cap. VII. p. 215.* *** BROWER *lib. I. c. XVI.*

† Extat Diploma integrum apud IO. WILH. WALDSCHMID *de Augustæ Archicancellario* §. *XI.* in quo hæc verba occurrunt: *venerabiles Abbates supra dictæ Ecclesiæ in possessione pacifica talis Officii, hactenus ab origine & primæua fundatione Principatus & Dominii Fuldensis perstitisse, etiam ex eo tempore, cuius non extat memoria.*

†† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. V. c. XIII. p. 659.*

††† *Sylloge Rer. quotid. n. XXIV. lit. K. p. 75.*

§. XIII.

Habet etiam peculiares ministros aulicos. Inter hos, Augustæ Archi-Mareschallus est Abbas Campidonensis, qui ideo in coronatione eiusdem ius sceptrum gerendi prætendit. Hoc tamen munus cum olim non adeo certum, nouo Diplomate an. 1683. confirmauit Leopoldus. * Habet etiam supremam Aulæ Magistram, *die Obriste Hoffmeisterin.* De hac controuersia semper fuit, quemnam locum in publicis Coronationis solennibus habeat. Quæ res singulari decreto Ferdinandi III. an. 1653. ita fuit decisa, vt Principum regentium coniuges præcedant, non vero illorum filiæ, cum semper præsto esse debeat Augustæ. **

* Reperitur Diploma in SCHMIDTS *Audientz-Saal p. 67.* & apud LÜNIGIVM *I. Cont. III. Forts. p. 179.*

** Vid. FRITSCHIVS *c. IV. p. 37.* SCHMIDT *p. 72. Bedencken* hac in caussa apud LVNIG *Gerechtsame Tomo I. p. 655.* LVDOLPH. *de Iure Fæmin. Ill. I. §. XII.*

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVINTVM DE STATIBVS IMPERII IN GENERE, ET HORVM ORDINE.

§. I.



B Imperatore, qui Caput est, pergimus ad Membra Imperii. Hæc vel Regni Germanici, vel Regni Italici. Membra Regni Germanici vel Status sunt, vel Membra proprie sic dicta. Isti de Regimine Imperii participant, hæc vero immediate quidem subsunt Imperio, Iura tamen Comitialia non habent,* qualia sunt Nobiles Immediati. Membra Regni Italici nec de Iure nec de legibus Imperii publicis participant, sed nudi sunt eiusdem Vasalli.

* R. I. Wormatiæ, *de a. 1564. §. 29. so nicht Stænde des Heil. Reichs, iedoch dem Heil. Reich immediate unterworfen.*

§. II.

Sunt autem Status, * Ciues Imperii immediati, qui Sessionem habent & Votum in Comitiis, ideoque de Republica participant, atque in Terris suis immediatis gaudent iure territoriali:** Vulgo dicuntur Ordines Imperii. Conringius eosdem adpellat Ciues Imperii,*** quod ea ratione procedit, si Ciues dicantur, qui de Rep. participant. Male tamen agunt,**** qui eosdem saltim vocant Consiliarios Imperii, *Reichs-Ræthe*, cum non solum consilii, sed etiam de-

cernendi habeant Iura. Potiſſimum dicuntur Status Imperii, ſiue Status immediati, vt diſtinguantur a Statibus mediatis, † Germ. *Reichs-Stænde, gemeine Stænde des Reichs.* †† Dicuntur autem ideo, quod perſonam ſtandi habeant in Comitiis, *die Stimme und Stand in Reichs-Verſammlungen haben.* †††

* Mantiſſæ Secundæ Meditationum ad I. P. acceſſit Meditatio *de Statibus Imperii*, in qua §. *II. & ſqq.* diuerſi ſignificatus vocis Status exprimuntur. Add. IO. EHRENFRIED MAYER *de Iure Statuum Legislatorio cap. I.* IO. FRID. RHETIVS *de Statu Germaniæ circa ſubditos cap. II.* B. PARENTIS *Diſſ. de Characteribus Statuum S. R. Imperii.*

** R. I. de a. 1548. §. 56. & potiſſimum INSTR. PACIS Art. VIII. §. *Gaudeant.* Pauci excipiuntur, qui in Statuum quidem numero, Iure tamen Territoriali dicuntur carere, LYNCKER *de Superioritate Territoriali p. 60.*

*** Singulari Diſſertatione *de Ciuibus Imperii.*

**** ARVMÆVS *Vol. I. diſc. XXXIII. §. 7.*

† Sic in R. I. Nou. §. 180. diſtinguuntur in *Immediat-und Mediat-Stænde.*

†† R. I. Spiræ *de a. 1544.* §. *100.* R. I. Auguſtæ *de a. 1548.* §. *57. & 58. & paſſim.*

††† R. I. Auguſtæ *de a. 1548.* §. *56.*

§. III.

Tacite itaque patet, quisnam ſit Character Statuum Imperii, Seſſio ſcilicet & Votum in Comitiis. Ex quo etiam concludimus, quod illi, qui nulla ratione ad Comitia admittuntur, Status non ſint. Et licet Rex Bohemiæ olim non ad ſingula Comitia admiſſus, electioni Imperatoriæ tamen ſemper interfuit. Ex hoc ſequitur altera nota Statuum, Immedietas, dum ſeſſio atque votum in Comitiis, immediatis Territoriis inhæreat. Hæc autem Immedietas Legibus Imperii in tantum requiritur, * vt, qui ratione Terræ vel Iurium ali-

is plane Statibus ſubiectus, ad qualitatem Status Imperii admitti non poſſit. ** Et licet obiiciatur exemplum Würtenbergici Ducatus, in quem Vlricus ea conditione fuit reſtitutus, vt illum in feudum ab Auſtriacis teneret, ſaluo iure Imperii, qualitate Status & Voto in Comitiis, *** exemplum tamen hoc non ſolum ſingulare erat, ſed etiam a dominio directo ad iurisdictionem ſupremam & ſuperioritatem territorialem non ſemper licebit argumentari. Hodie plane hoc ceſſat, dum per Transactionem Pragenſem de a. 1599. iuri dominii directi Rudolphus II. Auſtriacus renuntiauerit. Inter Comites plures reperiuntur, qui ratione Terræ ab aliis Imperii Statibus dependeant, licet ratione Iurium Imperio ſubſint. Comites Mansfeldici, ratione Comitatus ſui Superioritatem vel Saxonicam vel Magdeburgenſem adgnoſcunt, ſaluo tamen Iure Imperii † cum de exiguo diſtrictu, Iuribus atque Regalibus Imperii ab Imperatore inueſtiantur. Comites olim, nunc Principes Schwartzburgici Iuri dominii directi atque Territorii Saxoniæ Ducibus ſubſunt. Princeps hodiernus Waldeccius eadem ratione Haſſiæ Landgrauio ſubeſt; Comites de Rietberg †† Eiusdem ſunt Vaſalli; Rheingrauii reſpectu Comitatus Salmenſis Lotharingiæ ſunt Landſaſſii: licet ſinguli inter alios Imperii Status ſeſſione & voto gaudeant in Comitiis. Nec inter Prælatos deſunt Exempla, qui ratione iurium ſaltim Imperio ſunt ſubiecti. Tales igitur Mixti ſolent adpellari, quia pro diuerſo reſpectu aliorum Statuum Vaſalli ſunt vel Subditi, vel etiam Imperio immediate ſubiecti.

* *R. I. de a. 1548. §. 66.*

** Patet hoc ex R. I. Auguſtano 1548. §. 66. *VVo einige Grafſen oder Herren wæren, welche kürtzlich ihre Dignitaten erlanget, und dem Reich immediate nicht, ſondern andern ihren Lands-Für-*

ſten

ſten untervvorffen, auch nicht Güter ohne Mittel, von, oder unter dem Reich hatten, daß dieſelbe in die Anſchlage nicht gezogen, aber dieienige, ſo in dem H. Reich begütert, oder anderer Fürſten Subditi immediati nicht vvaren, daß dieſelbige, nach ziemlichen Dingen, gleich andern mit des Reichs Anlagen belegt vverden. Add. CAPIT. LEOPOLDI *art. XLIV.* IOSEPHI *art. XLIII. fin.*

*** Patet hoc ex Transactione Cadamenſi inter Ferdinandum I. & Io. Fridericum, Electorem a. 1534. inita, apud HORTLEDERVM lib. III. c. XIII. n. 4. *doch dem Heil. Reich ſein Oberkeit und Gerechtigkeit, auch dem vom Würtemberg ſein Stand und Stimm im Reich, vvie er ſolche zuvor hat gehabt, an gemeldten Hertzogthum in allvveg vorbehalten.* IO. LIMNÆVS *I. P. lib. I. c. VII. n. 101.* tales vocat *gemittelte Stände.*

† EVROPÆISCHER HEROLD *p. I. p. 625.*

†† Egit de iisdem ſingulari Diſſertatione LVDEWIG *de primo foro Subfeudorum Imperialium Halæ 1715. 4.*

§. IV.

Reiiciendi igitur ſunt reliqui Statuum Characteres, qui vulgo adferuntur. Nec enim ſola vocatio ad Comitia Statum facit, cum etiam Lutherus fuerit vocatus ad dicendam cauſſam, immo, ex errore quædam vocatæ vrbes, vtpote Erfurtum & Magdeburgum, quæ tamen non ſunt immediatæ. Neque ſola relatio in Matriculam facit Statum, * cum multi in eandem fuerint relati, qui Status nunquam fuerunt. Multo minus relatio in quaterniones, quæ eſt vitioſa. Nec ex ſola contributione ad onera Imperii argumentum fieri poterit ad Statum Imperii, dum etiam Nobiles immediati ſubſidia charitatiua Imp. conferant, nec deſint Status, qui ab iisdem ſint immunes. **

* Prout tamen autumat ZACHARIAS VIETOR *de Exemtionibus Imperii concl. V.*

** Ple-

**) Plenius de hisce singulis egit COCCEIVS, Dissertatione *de Charactere Statuum Imperii, der Reichs-Standschafft, Francofurti ad Viadrum 1709.* & IO. EHRENFRIED MAYER *de Iure Statuum Legislatorio,* IO. VVILH. ENGELBRECHT *de Nota Statuum characteristica* Videri etiam potest Discursus *von der Reichs Standschafft in Teutschland* in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. III. p. 149.*

§. V.

Sed de eo disquiritur, an qualitas Status a Personæ dependeat dignitate, an vero Terris sit inhærens. Olim quidem Votum in Comitiis Ducatus atque Terræ nomine præstabatur, ita tamen, vt illud saltim personale esset, nec ratione diuersarum prouinciarum Vota augerentur. Quare etiam hodie adhuc Austriæ Archi Dux, Bauariæ Dux, singula saltim vota in Principum Collegio præstant, licet plures possideant prouincias, qui singulares olim habuerunt possessores votorum participes. Et licet hodie non desint, qui vota personalia esse iudicent, * potius tamen ex qualitate Status atque Legibus Imperii contrarium potest definiri. Patet hoc ex eo, quod character Status sit sessio & votum in Comitiis, hoc autem ratione certi Territorii, vel a quibusdam Prælatis & Comitibus ratione Iurium Imperii præstatur. Deinde Status qualitatem non nisi actu regentes gerunt. Tertio, plures sunt Status, qui ratione diuersorum Territoriorum plura etiam vota habent, quod fieri plane non posset, si personale esset. Quarto in Capitulationibus se obligant Impp. se neminem in Statuum numerum esse recepturos, nisi cum ipsorum speciali consensu, & si bona dignitati suæ conuenientia adquisiuerint. ** Quinto in Recessu Imperii nouissimo *** speciatim ad qualitatem Status bona Imperii immediata requiruntur, ita, vt Principum a Ferdinando II.

& III. constitutorum hæredibus, hæc Status Qualitas aliter non concedatur, nisi bona Imperii immediata adquisiuerint, ad quod etiam datis litteris reuersalibus sese obligare tenebantur. † Sexto, illi, qui bona pignoratitia tenent, non tanquam Status, sed tanquam possessores, *die Inhabere*, vicario nomine ad Comitia admittuntur. Singulare tamen exemplum est in Ruthenis Lineæ Burggrauiorum Misnensium. Hi enim per singularem Transactionem a. 1546. terras Misnensis Burggrauiatus Saxoniæ Electoribus concesserunt, reseruata tamen sibi Principali dignitate & Voto in Comitiis, id quod tamen extincta hæc linea a. 1572. penitus cessauit, †† licet eiusdem voti restitutionem quæsiuerit Saxoniæ Elector. Exorta quoque haut ita pridem fuit controuersia, an extincta familia Comitum Limburgensium, illorum votum inhæreat Terris allodialibus, quas Comitissæ Principes hæreditario iure obtinuerunt, an vero iuribus atque Regalibus Imperii, quæ feudi lege ad Borussiæ Regem fuerunt deuolutæ, quæ tamen adhuc durat. ††† Licet potius crediderim Votum inhærere iuribus Imperii.

* LIMNAEVS *lib. I. c. VII. n. 96.* SCHWEDERVS *p. spec. sect. I. c. XXX. §. 9.* TITIVS *Specim. I. P. lib. III. c. I. §. 36.*

** CAPIT. FERDINANDI IV. *art. XLV.* LEOPOLDI *art. XLIV.* IOSEPHI *art. XLIII.* CAROL. *art. XXII.*

*** §. 197. verbis: *insonderheit der im Reich ohnmittelbahren Begütung.*

† Extant istæ in HERDENS *Grundueste p. II. cap. V. p. III.* Reuersales Principis de Porcia extant apud LVNIGIVM *And. Contin. III. Forts. p. 287.* Eadem ratione in Reuersalibus Lichtensteinianis, a. 1712. *declariren auch dabey nebens, daß Unsere Einnehmung der Stimme und Stelle in dem Löbl. Reichs-Fürstenrath Unsere Descendentes masculi sich anderer Gestalt nicht zu gebrauchen haben sollen, es seyen denn dieselbe zuvor mit Fürstenmeßigen von Uns oder Ihnen acquirirten*

virten unmittelbahren und von Churfürsten, Fürsten und Standen dafür erkandten Reichs-Güthern der Gebühr possessionirt und versehen.

†† PETR. BECKLER *Reußischen Stammbaum p. 102.*

††† Extant Acta hac de caussa in FABRI *Staats-Cantzelley T. XXIII. c. XVI.*

§. VI.

Ex dictis patescit, distinguendam esse hodie Principis vel Comitis dignitatem a Status qualitate, licet olim, dum ratione certi Territorii dignitas fuerit in Comitiis concessa, vtraque fuerint coniuncta. * Ista personalis est, atque ab Imp. solo conceditur: hanc autem vt quis adipiscatur, requiritur consensus Electorum, præcipue vero istius Collegii, vel scamni, in quod quis introducendus. In Marloborugii introductione concurrere quoque cupiebat Collegium Ciuitatum Imperialium, ea potissimum ex ratione, quod ad deliberationes de octauo Electoratu in Tractatibus Pacis Westphalicæ æque fuerint admissi, nec reiecti in Consiliis de nono Electoratu. ** Principes autem obiiciebant, obseruantiæ esse, vt circa Principum introductionem Ciuitates excluderentur: immo decretum Commissionis Cæsareæ, non nisi ad bina superiora Collegia fuisse directum, hinc Ciuitates a prætensione sua abstinuerunt. *** Deinde requiritur, vt bona dignitati suæ conuenientia in Imperio adquisiuerit. Tertio, vt certam quantitatem in Imperii oneribus præstandis atque ad Cameræ sustentationem suscipiat, *einen Matricular-Anschlag.* **** Quæ singula in Marloborugii Introductione in Principum collegium fuerunt obseruata, dum Imperator ipsi Dynastiam Mindelheimensem in Principatum euectam concessisset, atque re cum Electoribus, Collegio potissimum Principum communicata, horumque consensu impe-

trato, solenni more introductio in illud Principum Collegium, ***** fuit facta.

* *Cap. XI. §. VII. & VII.*

** Dum Capitulationis Materia a. 1711. in Comitiis esset in motu, exhibuerunt Ciuitates: *Repræsentationem Einiger Vrsachen, warumb bey neuer Admittirung Fürsten, Graffen und Herren ad Votum & Sessionem in einen Hochlæbl. Fürsten-Rath auch des Reichs Stædtischen Collegii Concurrentz iedesmahl billig zu erfordern, und diese also von dergleichen Deliberationibus nicht zu excludiren seyn*, quæ extat in ELECTIS IVRIS PVBLICIS *Tomo III. p. 933.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. p. 962.* ZECH. *ad Capitulat. Carol. p. 239.* LVNIGII *Gerechtsame p II. p. 580.*

*** Vid. *Acta Introductionis Marlborougii cap. VIII.*

**** CAPIT. IOSEPHI *art. XLIII niemand aber von den neuerhœheten Fürsten, Grafen, und Herren, dem Fürstlichen Collegio, es seye gleich auf selbiger, oder der Grafen Bancken, adsessionem & votum, wider deroselben VVillen aufdringen, sie haben sich dann darzu mit Fürstmæßigen und Græflichen Reichs Gütern, vorhero gnugsam qualificiret, und zu einer Standtwürdigen Steuer in einem gewissen Crays eingelassen und verbunden, und über solches alles, neben dem Churfürstlichen, auch dasienige Collegium oder Banck, darin sie aufgenommen werden sollen, vorhero gnugesam gehært worden.*

***** Acta hæc Introductionis separatim prodierunt *Francofurti. 1707. 4.* Conclusa Trium Collegiorum reperiuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XI. cap. VIII.*

§. VII.

Solent autem hæc plerumque esse coniuncta, in Statum Imperii atque Statum Circuli cuiusdam adscribi, ita quidem, vt qui inter Status Imperii recipiatur, etiam ob bona immediata, quæ possidet, Circulo, sub quo bona sita, adscribatur. Quare etiam Marloborugius, Dux, non inter Status solum Imperii, sed etiam Circuli Sueuici, sub quo Mindelheimen-

heimensis Principatus situs, fuit receptus. Donawertha a. 1705. non Imperio solum, sed etiam Circulo Sueuico fuit restituta* Licet autem hoc in commune ita procedat, reperiuntur tamen quidam Status, qui nulli Circulo adscripti, prout exempla Regis Bohemiæ, Ducis Subaudiæ & Principis Mompelgardensis demonstrant, cuius tamen ratio facilis est, quod isti sub Germaniæ proprio territorio nunquam fuerint Dux Saxo Weissenfelsensis inter Status quidem Circuli Saxoniæ Superioris d. 17. Iunii 1664. fuit receptus, * nondum tamen inter Status Imperii. Principes Oettingenses d. 4. Februarii 1675. ** Schwartzenbergici † d. 30. Nouembris 1696. in Comitiis Circuli Sueuici sessionem & votum obtinuerunt, non vero in Comitiis Imperii. Löwenstein Statibus Circuli Franconici est adscriptus, non vero inter Imperii Status fuit adlectus. †† Licet omnes isti ad eadem Comitia æque petant admitti.

* MÜLLERI *Ann. Sax. p. 458.*

** EVROP. HEROLD. *p. I. p. 592.*

† EVROP. HEROLD. *p. I. p. 589.*

†† ELECTA I. P. *Tom. V. p. 341. 727.* LVNIG *p. Gen. p. 668.*

§. VIII.

Distinguuntur Status diuersimode. Primaria eorundem Diuisio est in Status ecclesiasticos ac seculares, siue, prout antiquitus adpellabantur, Pontifices atque Principes, siue, vti nos loquimur, Principes ecclesiasticos & seculares. * Hoc ab antiquo introductum, vt Episcopi, Duces a recto tramite aberrantes in viam reducerent, idque postea ad nostra tempora vsque fuit continuatum.

* Auctor addit. ad LAMBERTVM SCHAFNABVRG. ad a. 1290. vocat *Principes Spirituales & ecclesiasticos.* Sic in constitutione Rudolphi Habsburgici apud LEHMANNVM lib. V. c. CVIII. *mit Rathe der Fürsten beder Geistlichen und VVeltlichen.*

§. IX.

Deinde variant Status ratione dignitatis. Antiquitus quidem erant Episcopi, Abbates, Duces & Comites, * quibus posteriori tempore etiam accesserunt Reges. ** Sensim vero plures cœperunt dignitates, ita, vt hodie sint Electores, Archiduces, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Comites Palatini, Landgrauii, Marggrauii, Burggrauii, ii scilicet, qui Principalem dignitatem adepti, Abbates principalis dignitatis, Prælati simplices & Abbatissæ, Comites & Barones, quibus accensendæ demum Ciuitates Imperiales. †

* ANN. FRANC. FVLD. *ad a. 771.*

** Extat Constitutio Friderici II. apud GOLDASTVM *Tom. II. p. 77.* cum hoc procemio: *Fredericus II. Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus Imperio Romano subiectis.* Facit huc CHRON. BIGAVGIENSE ad a. 1135. *Imp. Curiam apud Mersburg habuit, vbi ex pracepto Dux Polonorum affuit, qui nunquam antea ad alicuius Imperatorum Curiam venire voluerat, nec precibus nec minis. Affuit & Dux Boemorum Vlricus, ibi Polono Duci, per Lotarium conciliatus. Aduenerunt & a Gracia missi Dux & Episcopus, cum Legatis Ducis Venetia, conquerentes contra Ruggerum Comitem Sicilia, eo, quod Gracis abstulisset Africam paganis auxiliantibus; Venetiam spoliasset, de Imperio Romano totam Apuliam & Calabriam subtraxisset. Affuerunt Regis Hungaria Nuncii obedienter.*

† In Registro Innocentii III. distinguuntur in *Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Duces, Marchiones, Comites.*

§. X.

Ratione Religionis distinguuntur in Lutheranos, Romano-Catholicos & Reformatos. Lutherani quandoque dicuntur *die*

die Evangelischen Stande, vel in Actis publicis Imperii, *die Augspurgischen Confeßions-Verwandte*. Commune vero nomen Protestantium gerunt cum Reformatis * Hoc autem ex eo ortum, quod contra decretum Comitiorum Spirensium de a. 1529. solennem exhiberent Protestationem, ** quod dein receptis pace Westphalica *** Reformatis, iisdem quoque fuit concessum.

* Patet hoc ex FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XXII. p. 87.*

** SLEIDANVS *lib. VI. p. 173. & hac quidem est origo nominis Protestantium, quod non solum in Germania, sed apud exteras quoque gentes peruulgatum est atque celebre.* IO. IOACH. MÜLLERS *Historia Evangelischer Stande Protestation.* S. H. G. *Diss. XXXII. §. XL.*

*** *art. VII. §. 1.*

§. XI.

In Comitiis Status distinguuntur secundum tria Collegia, Electorale, Principum & Ciuitatum Imperialium. Cœpit ista distinctio statim post Interregnum, licet nondum separari cœperint in Collegia. Sub Principibus etiam comprehenduntur Comites & quidam Barones. Bina priora vocantur *die hœhern Collegia.* *

* ALBERTVS ARGENT. ad an. 1309. de Henrico VII. *mansit vero ibi rex sex hebdomadibus cum Principibus, electoribus, & aliis Principibus & ciuitatum nuntiis.*

§. XII.

De ordine atque Sessione multa olim fuit controuersia inter Electores, * ita, vt solennitas nuptiarum, quas Henricus VII. filio suo parauerat, Spiræ, paratis sedibus, propter antiquam contentionem Moguntini & Coloniensis, quorum quilibet ad dextram Principis sedere voluit, fuerit interturbata. ** Varia tamen Electores olim loca occuparunt. In epistola quidem *** Electorum ad Benedictum XII. Papam talis

lis ordo, talisque reperitur Inſcriptio: *Sanctiſſimo in Christo Patri & Domino Dn. Benedicto Papa, veſtri deuoti filii: Henricus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Archiepiſcopus Moguntinus, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarius: Balduinus, Archiepiſcopus Treuirenſis, Archi-Cancellarius Galliæ: Walramus Archiepiſcopus Colon. Cancellarius Italiæ: Waldemarus Marchio Brandenburg. Camerarius: Rudolphus Palatinus dapifer: Rudolphus Dux Saxoniæ portitor enſis, Romanorum Regis & coronandi Imperatoris legitimi Electores.* Alium tamen ordinem obſeruat Speculum Saxonicum, † quem etiam in A. B. definiuit Carolus IV. †† qui poſtea ſpeciali Transactione inter Electores a. 1653. inita fuit confirmatus. †††

* DVBRAVIVS Hiſt. Bohem. lib. XXII. *eo vsque ambitio illorum etiam Principum, qui ſe Electores vocant, exarſerat, vt primum ſibi quisque locum præcipuamque authoritatem in eligendo, aſſidendoque vindicaret, nedum vt alius alium in honore deferendo præueniret vnde ſimultates inter illos, & aliquoties cædes ex domeſtico illo disſidio ſuſcitabantur.*

** ALBERTVS ARGENTOR. *ad a. 1309.*

*** Adiecit illam ex MSCto Bibliothecæ Palatinæ FREHERVS REBDORFII Annalibus *Tom. I. p. 427.* LVDEWIG etiam *ad A. B. p. 464.* demonſtrat Brandenburgico olim primum locum competiiſſe.

† *lib. III. art. LVII.*

†† *tit. IV.*

††† Reperitur iſta apud LONDORPIVM *Tom. VII. lib. VI. c. CIX.* & THVLEMARIVM *de Octouiratu cap. XXVI.* Vid. & HERDTENS *Grundveſte p. II. a. IV.* LVDEWIG ad A. B. *p. 441.*

§. XIII.

Electores, ſi in continua ſerie, prout in Electionis conclaui fieri ſolet, ſedeant, talem inter ſe ordinem ſeruant, vt pri-

primum locum Moguntinus, ſecundum & tertium Treuirenſis atque Colonienſis, vicibus alternis, quartum Bohemus, quintum hodie Bauarus, ſextum Saxo, ſeptimum Brandenburgicus, octauum Palatinus, nonum Brunſuico Lüneburgenſis occupent. Hic autem ordo ſedendi non ſolum in A. B. fuit conſtitutus, * ſed etiam per dictam Transactionem atque declarationem Collegii Electoralis de a. 1653. confirmatus, niſi quod ratione Bauarici & Brunſuico-Lüneburgici Electoratus nouiter fuerit immutatum, vtrisque A. B. tempore nondum exiſtentibus. Poſtquam enim Bauarus in locum Palatini an. 1623. ceſſit, ipſe quintum locum occupauit. Palatinus vero per pacem Weſtphalicam nouum, eundemque vltimum locum in Collegio Electorali obtinuit. Et licet Palatinus poſt Bauari proſcriptionem, a. 1706. in locum quintum fuiſſet reſtitutus, eundem etiam vsque ad Badenſem pacem obtinuerit, per eandem tamen Bauarus in integrum fuit reſtitutus. Elector Brunſuico-Lüneburgenſis an. 1708. in Collegium Electorale introductus, vltimum locum obtinuit.

* *tit. IV.*

§. XIV.

Vbi vero latera ſeruantur, vtpote in Comitiis & Conuentibus Imp. certus etiam modus fuit præfinitus, quem ſeruare debeant, ita quidem, vt ſi præſens ſit Imp. vel ipſius Commiſſarius, e regione ipſius ſedeat Elector Treuirenſis, a latere dextro Moguntinus, * Bauarus, Brandeburgicus, a latere ſiniſtro Colonienſis, Saxonicus & Palatinus, Abſente vero Imp. vel eius Commiſſario, a latere ſiniſtro Treuirenſis atq; Colonienſis inuicem alternant, præſente Bohemo, hic poſt Moguntinum a latere dextro ſedet. ** Hoc autem ita obſeruatur, ſi vel ſoli Electores, vel ſoli Legato præſto ſint. Quod ſi vero quidam

adſint Electores, aliorumue abſentium Legati, decretum, vt in vna ſerie ſedentes, præſentes abſentium Legatis ſingulis præferantur: vbi vero latera obſeruentur, legati in quouis latere Principali ſuo debito, vltimum locum occupant, ſaluo tamen manente Directorio Moguntino atque ordine votandi, prout in A. B. fuit definitus. In ſolenni Proceſſione dum Inſignia Imp. præferuntur, per transactionem a. 1653. etiam certum Schema fuit præfinitum, *** quod tamen per acceſſionem Palatini atque Brunſuico-Lüneburgenſis Electoris diuerſimode fuit immutatum.

* A. B. Tit. III. §. 11. *ſancimus, quod ſupradicti venerabiles archiepiſcopi, Treuirenſis videlicet ex oppoſito & lineari directione verſus Imperatoris faciem. Moguntinenſis vero in ſuis diœceſi & prouincia & extra prouinciam ſuam in toto Cancellariatu ſuo Germanico prouincia Colonienſi duntaxat excepta. Et demum Colonienſis in ſuis diœceſi, & prouincia & extra prouinciam ſuam in tota Italia & Gallia in dextero latere Romanorum Cæſaris ſedere poſſint, valeant & debeant. In omnibus publicis actibus imperialibus, puta iudiciis, collationibus feudorum, in refectionibus menſarum, ac etiam in conſiliis & omnibus aliis agendis, propter quæ contingit ſeu continget, eos pro honore ſeu vtilitate imperiali tractandis, mutuo conuenire.*

** Nouiter demum hoc Schema Seſſionis fuit propoſitum in Conuentibus Imperii:

a dextra:	*a ſiniſtra:*
Moguntinus	Colonienſis
Treuirenſis	Bauarus
Bohemus	Brandenburgicus
Saxo	Brunſuicenſis.
Palatinus	

*** Prout apud LVDEWIG *ad A. B.* extat *p. 441.* Licet olim nullus certus ordo fuerit. Sic in Concilio Conſtantienſi apud THEODORICVM de VRIE *lib. VI. diſt. IV.* in HARDTII Hiſt. Conc. Conſtant. p. 157.

p. 157. *erat igitur habitus Regis cappa rubea, & corona imperialis capiti eius circumamicta. A dextris eius stetit Marchio Brandenburgensis, continens manu sua sceptrum regale. Et Dux Saxoniæ astabat, gladium euaginatum ostentans. Inter Summum Pontificem & Serenissimum Principem Regem adstitit Comes Zilia gener Regis, pomum rotundum habens in palma.* Add. ZACH. ZVVANTZIG *Theatro Præc. p. II. c. III. IV.*

§. XV.

In actibus solennibus, quæ ad Imperialem Curiam spectant, Regibus præferuntur Electores, vel horum Legati.* Hæc etiam erat ratio, quod legati Papales atque Anglicani inaugurationi Caroli V. interesse noluerint. ** In Comitiis Augustanis an. 1530. celebratis, Carolus V. medius inter Ferdinandum fratrem & Cardinalem Campegium in vrbem ingredi cogitabat, sed, quia præter morem hoc erat Imperii, Moguntinus & Coloniensis proxime antecedebant, pone sequebantur Ferdinandus atque Campegius. *** Extra solennes hos actus in Curia Imp. præferuntur Legati Regii Electoralibus, hi vero legatis Rerumpublicarum. Eadem ratione Legati Electorum Principibus præsentibus semper cupiunt præferri, † id quod etiam per Capitulationem Carolinam ad legatos secundi Ordinis fuit extensum, †† his tamen contradicentibus. †††

* A. B. *Tit. VI.*

** HARTM. MAVRVS *de Coronatione Caroli V.*

*** SLEIDANVS *lib. VII. p. 183.*

† CAPIT. LEOPOLDI atque IOSEPHI *art. V.*

†† *art. III.*

††† Vid. HERDTENS *Grundveste p. II. c. V. p. 100.*

§. XVI.

Principes secundum bina Scamna sua sunt consideran-

 di,

di, Ecclesiasticorum atque Secularium. Illi Secularibus cupiunt præferri, licet hi pro ordine Votorum, quæ secundum vtraque scamna alternant cum Ecclesiasticis etiam velint concurrere: * quare etiam ob singularem prærogatiuam primum inter eosdem locum occupant Austriæ Archi-Duces atque Dux Burgundiæ. Dum autem Statuum iura a patrimoniis oriantur, horum ordinem prout secundum patrimonia sua, in Comitiis vota ferunt, hic adducemus.

* Extant in LVNIGII *Staats-Consiliis Tomo II. p. 1473. Rationes warum die Weltliche Reichs-Fürsten die Pracedentz vor den Geistlichen, vor welchen sie im Fürsten-Rath votiren und sitzen, und in specie Pfaltz-Neuburg vor Osnabrück behaupten, de Anno 1663.*

SCAMNVM

PRINCIPVM ECCLESIASTICORVM

Archidux Austriæ *

Archiepiscopus Salisburgensis

* Patet hoc ex Confirmatione Caroli V. omnium priuilegiorum domui Austriacæ concessorum, apud CVSPINIAN. Austria p. 137. *so aber der Hertzog auf einer Reichs-Versammlung ist, soll er als ein Pfaltz-Ertz-Hertzog gehalten werden, und nichts weniger im Sitz und Gang zu der gerechten Seiten des Reichs, die erst Stat nach den Churfürsten haben und behalten.* Alternat autem in sede & Directorio cum Salisburgensi, incoante semper Austriaco.

Dux

SCAMNVM

PRINCIPVM SECVLARIVM

Dux Bauariæ *

Elector Brandenburgicus ratione Ducatus Magdeburgensis

* Qua ratione Saxoniæ Duces cum Bauariæ Ducibus competant, & quid hoc in negotio in diuersis Comitiis, potissimum Wormatiensibus, fuerit actum, latius exponit MÜLLERVS *Friderico VI. Vorst. c. XX.* §. *VIII. Maximiliano II. Vorst. c. XLVII.* Quid in Comitiis Friburgensibus a. 1498. hac in causa actum fuerit, idem exponit *IV. Vorst. c. XI.*

Ele-

Dux Burgundiæ **
Archiepiſcopus Veſontinus
Magiſter Ordinis Teutonici
Epiſcopus Bambergenſis ***

** Olim quidem Burgundus præ Electoribus ſeſſionem petebat. Quare, in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1471. ita fuit compoſitum, vt Burgundi inter Oratores regios locarentur, de quo s. H. G. *diſſ. XXX. §. XLII.* Poſt Transactionem vero Auguſtanam Burgundiæ Dux proximus eſt Auſtriaco Archi-Duci, ita, vt Salisburgenſem in alternatione vel vtrosque antecedat, vel vtrosque ſequatur. Patet hoc ex Transactione Auguſtana de an. 1548. in qua §.XVI. *conuocabuntur ad omnes Conuentus & Comitia Imperialia, vt cum aliis Statibus compareant, aut Deputatos ſuos, ſi eis viſum fuerit, mittant. Dabitur etiam illis noſtrisque heredibus & ſucceſſoribus, vel Nobis horumque Deputatis, ſeſſio & ſuffragium nomine dictarum prouinciarum tanquam Archiduci Auſtriæ.*

*** Proteſtatur contra præcedentiam Bambergenſis.

Elector Palatinus ratione Lautern
Simmern
Neuburg
Rex Sueciæ ratione Ducatus Bremenſis
Comes Palatinus in Zweibrück
Comes Palatinus Veldentinus & Lauterecenſis ***

Dux Saxo Gothanus
ratione Altenburg
ratione Coburg
Dux Saxo-Vinarienſis
Dux Saxo-Gothanus
Dux Saxo-Iſenacenſis
} *alternant* ***

** Hoc votum Palatini hodie eſt in ſuſpenſo, nondum definitis ſucceſſionis iuribus, licet Elector Palatinus poſt pacem Ryswicenſem easdem terras occupaſſet. Quid in hac controuerſia actum, docet FABER *in Staats-Cantzelley Tom. V. c. VIII.*

*** Multa ſemper controuerſia in domo Saxonica de Iure Proedrias inter domum Altenburgenſem primum & Vinarienſem, atque hac extincta, inter Vinarienſem, tanquam ſenio-

Herbi- Mar-

Herbipolitanus } *alternant secundũ sessiones.*
Wormatiensis
Eichstadtiensis
Spirensis
Argentor. ****
Constantiensis
Augustanus
Hildesiensis
Paderbornensis
Frisingensis
Ratisbonensis
Passauiensis
Tridentinus

Brixiensis } *alternant secundum Comitia*
Basileensis

Leodiensis } *competunt*
Osnabrugensis *
Monasteriensis

**** Suspensus a sessione & voto in Comitiis per Decretum Imp. de a. 1674. quod extat apud LVNIGIVM *p. Spec. Cont. I. p. 641.*

* Si Catholicus sit. Definita enim per I. P. *art. XIII. §. 1.* alternatiua successio in Episcopatu Osnabrugensi inter Catholicos & Augustanæ Confessionis Episcopos; Osnabrugensis tamen inter vtrosque semper manet in medio. Quodsi igitur Lutheranus sit Episcopus, ex domo Hanouerana in scamno sedet transuerso.

Curi-

Marchio Brandenburgicus, lineæ Culmbacensis
lineæ Onoldinæ

rem & Gothanam, quæ in Altenburgensis locum cessit. Altenburgensium partes defendit ARNOLDVS ENGELBRECHT, Vinariensium MELCH. GOLDASTVS & FRIDER. HORTLEDERVS *Bibl. Iur. cap. XIV. §. 18.* Extant etiam scripta hac in controuersia in LVNIGII *Grundveste p. II. p. 105. 114.* Confundi in hac controuersia videmus Ius Præcedentiæ cum Iure Successionis in Electoratum. Hodie vero ex singulari Recessu Alternationis de a. 1704. quem exhibet LVNIG *p. spec. Cont. II. p. 728.* secundum dies deliberationum inter se alternant.

prima Dies	*secunda Dies*	*tertia Dies*
Weimar	Coburg	Weimar
Eisenach	Gotha	Eisenach
Coburg	Altenburg	Coburg
Gotha	Weimar	Gotha
Altenburg	Eisenach	Altenburg

Qua ratione Rœmhild, Eisenberg, Hildburghausen & Salfeld præcedentiam petant præ Ducibus Lineæ Vinariensis, patet ex LVNIGII *Staats Consiliis Tom. II. p. 892.* Vid. & ZWANTZIGS *Theatrum Præcedentiæ p. II. tit. XVII.* Coburgense votum, nondum finita successionis contro-

Ele-

Curiensis
Lubecensis **
Abbas Fuldensis
Campidonensis
Elwangensis
Murbacensis
Luderensis
Magister Ordinis Iohannitici
} *competunt*

Abbas Berchtolsgadensis
Præpositus Weissenburgensis ***

Abbas Prümiensis †
Stabloensis
Corbeiensis.

Prælati Sueuici ††

** Sedet hodie in scamno transuerso, de quo infra, vbi de Comitiis.

*** Hæc præpositura principalis incorporata est episcop. Spirensi.

† Hæc Abbatia incorporata est archiepiscopatui Treuirensi.

†† Primis quidem temporibus Prælati omnes admittebantur, vsque dum Prælati Sueuici vnicum saltim votum gererent. Postquam autem Comites in Comitiis Ratisbonensibus anno 1641. tertium votum adquirerent, Rhenenses etiam Prælati ad peculiare votum admitti petebant, id quod in Comitiis de Præ-

Elector Brunsuicensis ratione
Zell *
Calenberg
Dux Brunsuico Guelferbytanus
Grubenhagen **
Elector Brandenburgicus ratione Principatus Halberstadt
Rex Succiæ ratione Ducatus Verden
Dux Würtenbergensis
Landgrauius Hasso-Cassellanus
Landgrauius Hasso-Darmstadtinus
Marchio Bad. in Baden

uersia, commune est Familiæ Gothanæ. Sic etiam inter vtramque lineam Saxonicam Albertinam atque Ernestinam per singularem Recessum de a. 1662. alternatio placuit, quem exhibet LVNIG *p. spec. II. Theil p. 192.*

* Praecedentia enim secundum senium dirigitur.

** Grubenhagense Votum Hanoueranus Elector Ludouico Rudolpho Blanckenburgensi Principi ad dies vitæ cessit, in quod etiam Electorale atque Principum Collegium consenserunt, prout Acta docent apud ANT. FABRVM *Staats Cantzelley Tom. XXVI. c. XI.* EL. IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 994.* *Mar-*

Prælati Rhenenses ††† an. 1654. obtinuerunt, *Grundveste P. II. c. IV. p. 91.* EVROP. HEROLD. *p. 1. p. 594.* Sunt autem istorum in scamno Sueuico quindecim. Abbatissæ quinque, Prælatus *Reichenauiensis*, * *Marchthalensis*, *Elchingensis*, *Salmansweilerensis*, *Weingartensis*, *Ochsenhusanus*, *Irsingensis*, *Petershusensis*, *Vrspergensis*, *Rodensis*, *Rogginburgensis*, *Weissenauiensis*, *Schüssenriedensis*, *Wettenhusanus*, *Gengenbacensis*, Abbatissæ *Lindauiensis*, *Rotenmünsterensis*, *Heggenbacensis*, *Gutenzellensis*, *Baindtensis*.

††† Prælati Scamni Rhenensis sunt *Kaysersheimensis*, *Oedenheimensis*, *Werdinensis*, *S. Vdalrici & Afræ*, *Monasteriensis in valle Gregoriana*, *S. Georgii in Isna*, *Monasterii S. Cornelii ad Indam*, *S. Emerani in vrbe Ratisbonensi*, & vndecim Abbatissæ: *Essensis*, *Buchauiensis*, *Quedlinburgensis*, ** *Andlauiensis*, *Heruordensis*, *Gerenrodensis*, *Monasterii inferioris Niedermünster*, & *Superioris*, *Obermünster Ratisbonæ*, *Burscheldensis*, *Gandersheimensis & S. Iohannis Lubecæ*. De singulis hisce IMHOF *not. Proc. lib. III. c. XXVIII.*

Marchio Badensis in Durlach
Marchio Badensis in Hochberg
Dux Megapolitanus ratione Suerin
Dux Megapolitanus ratione Güstrau — *alternant* ***
Rex Sueciæ ratione Pomeraniæ citerioris
Elector Brandenburgicus ratione Pomeraniæ vlterioris ****

*** Dicuntur *die fünff alternirenden Hauser*. Placuit autem Alternatio in Comitiis Ratisbonensibus an. 1576. ZVVANTZIGS *Theatrum p. II. Tit. XXV.* Hæc autem specialis transactio in Comitiis Ratisbonensibus de an. 1640. denuo fuit confirmata, quam exhibet LVNIG *im Reichs-Archiv p. Gen. p. 660. p. spec. p. 306.*

**** Pomerania olim vnicum saltim habebat votum; eadem vero diuisa per I. P. *art. V. & XII.* bina etiam obtinuit.

Ele-

Elector Hanoueranus, ratione Ducatus Saxo-Lauenburgici †
Rex Daniæ ratione Glückstadt
Dux Holsatiæ in Gottorp
Elector Brandenburgicus ratione Mindensis Principatus
Dux Sabaudiæ
Bauarus ratione Landgrauiatus Leuchtenburgensis ††
Princeps Anhaltinus
Princeps Hennebergicus †††
Dux Megapolitanus ratione Suerin
Elector Brandenburgicus ratione Principatus Caminensis

Dux Megapolitanus lin. Strelitzensis ratione Ratzeburg ††††
Landgrauius Hasso-Cassellanus ratione Principatus Hirschfeld
Dux Lotharingiæ ratione Marchionatus Numeni
Princeps Mompelgartensis
Arenbergensis
Hohenzolleranus †††††
Lobkowitzius
Salmensis
Dietrichsteinius
Nassouius in Hadamar
Nassouius in Siegen, Dillenburg & Dietz
Auersbergius
Frisiæ Orientalis } *hodie*
Furstenbergius } *alternant* ††††††
Schwartzenbergius
Lichtensteinius *
Comites Sueuici **
Wetterauici
Franconici
Westphalici

c. XXVIII. & XXLIX. & EVROP. HEROLD. *p. I. p. 595. sqq.* ZWANTZIG *Theatrum Præcedentiæ p. II. c. XIV.* & potissimum LVNIG *Spicil. Ecclesf.* parte Tertia.

* Accessit hæc Abbatia an. 1540. Episcopatui Constantiensi, atque eiusdem ratione Episcopus ab a. 1712. votum virilem Principum Collegio petit prout docent ELECTA *I. P. Tom. V p. 138.*

** Haut ita pridem Maria Elisabetha, Holsatiæ Ducissa Abbatissa ibidem fuit constituta, prout ELECTA I. P. *Tomo XIII. p. 265.*

 † Hano-

† Hanoueranus Elector de eodem Ducatu a Carolo VI. Sessionem & Votum obtinuit in Comitiis, idemque 18. Decembris 1716. occupauit, saluo tamen cuiuslibet Iure in Petitorio. ELECTA I. P. *Tom. X. p. 957.*

†† Durante bello nupero, Lambergius Princeps hunc Landgrauiatum vna cum voto possedit, prout ex FABRI *Staats-Cantzelley T. XIV. c. IV.* ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. V. p. 62.* patet. Dum autem Lambergius post Badensem pacem cedere cogeretur, nouum nunc votum quærit personale, Principibus tamen contradicentibus, FABER *T. XXVI. c. XII.* ELECTA *I. P. Tom. VIII. p. 427. 686.* Eundem etiam Landgrauiatum vna cum Voto ex iure Expectatiuæ a Maximiliano I. a. 1502. concessæ petebant Mecklenburgici, prout Acta testantur in ELECTIS *I. P. Tom. I. p. 352.* LVNIGS *Gerechtsame p. II. p. 186.*

††† Diuiso Hennebergico Principatu inter domos Saxonicas, an. 1660. conuenit, vt omnes, qui de Principatu participant, alternarent, quales hodie sunt Elector Saxoniæ, Vinariensis, Isenacensis & Gothanus. MVLLERI *Ann. Sax. p. 442.*

†††† Ex Pacto successorio enim hoc votum Adolpho Friderico Strelitzensi obuenit d. 8. Martii 1701. FABRI *Staats-Cantzelley Tomo VI. p. 241.*

††††† Post Hohenzollern olim Eggenbergius Princeps sessione & voto gaudebat, quod tamen extincta 23. Febr. 1717. cum Io. Christiano hac familia, iterum cessauit.

†††††† Extincta equidem cum Egone an. 1716. fuit linea Principalis mascula, verum a Carolo VI. Imp. Principalis dignitas vna cum sessione & voto ad Frobenium Fürstenbergium, Iudicem Cameralem fuit translata, inter quem etiam & Principem Frisiæ Orientalis Ratisbonæ 6. Iunii 1717. conuenit, vt hic ternis vicibus præcederet, quarta vice vero Fürstenbergius, dum viueret. Post ipsius mortem Principi Frisiæ Orientalis prior locus in perpetuum relinqueretur, prout Acta docent apud ANT. FABRVM *Staats Cantzelley Tom. XXIX. c. VI.* Acta vero von dem Fürstenbergischen Reichs Voto de an. 1667. extant in ELECTIS *I. P. Tom. X. p. 919.* LVNIG *Spicil. Sec. p. I. p. 187.*

* Introductus fuit in Collegium Principale Antonius Florianus Lichtensteinius Princeps, concesso ipsi vltimo loco, quem cum protestatione accepit, se petere locum ab eo tempore, quo in Principalem dignitatem fuisset euectus, sed illi, qui introduci petunt, fuerunt reprotestati. FABER *Staats-Cantzelley Tomo XXII. p. 218.* ELECTA I. P. *Tom. IV. p. 500. Tom. V. p. 99. 165.*

** Comites ab antiquo Status fuerunt, id quod historia Comitiorum comprobat. Licet postea, dum Conuentus Principum orirentur, bina saltim vota curiata ipsis fuerint concessa, Wetterauicorum scilicet & Sueuicorum, sub quibus reliqui comprehendebantur. Hi primum inter se alternarunt, prout ex Pacto de a. 1579. apud LVNIGIVM *Spicil. Secul. p. I. p. 3.* In Comitiis Ratisbonensibus de a. 1641. tertium votum obtinuerunt Comites Franconici, vsque dum in Comitiis Ratisbonensibus de an. 1654. Westphalici etiam Votum Curiatum adipiscerentur. HERDENS *Grundueste p. II. c. IV.* ZWANTZIGS *Theatrum Praecedentiae p. II. Tit. LIII. LVII.* LVNIG *p. Gen. p. 672.* Contendunt quidem inter se Comitum Scamna de praecedentia, in Comitiis vero Ratisbonensibus de a. 1654. primas tenuerunt Wetterauici, quorum Directorium gerit Comes Hanouiae. Reliqui ordine Alphabetico sunt: *Hanouienses*, *Hatzfeldenses*, *Isenburgenses*, *Leiningenses lin. Dagsburgensis*, *Leiningenses lin. VVesterburgensis*, *Mansfeldenses*, *Ortenburgenses*, *Rheni & Syluestres* (*VVild- und Rheingraffen*) *Rutheni*, *Saynenses & VVitgensteinii*, *Schoenburgii*, *Schvvartzburgici*, licet nunc in Principalem dignitatem euecti, *Solmenses*, *Stolbergenses*, *VValdecci*, *VVartenbergicii.* In Scamno Comitum Westphalicorum sedent sequentes: *Bentheimenses*, *Bronckhorstenses*, *Gronsfeldenses*, *Lippiae*, *Manderscheidenses*, *Marcani*, *Metternichtii*, *Rantzouii*, *Reckheimenses*, *Rietbergenses*, *Salmenses*, *Veblenses*, *VValdpodio Bassenheimenses*, *VViedani.* In Scamno Comitum Sueuicorum sedent Barones *Freibergii*, Comites *Fuggeri*, *Fürstenbergii*, *Graueneccii*, *Hohenemsii*, *Koenigseccii*, *Machselreinii*, *Montfortii*, *Oettingenses*, *Rechbergici & Pappenheimii*, *Schlickii*, *Sintzendorfii*, *Sulzii*, *Tillii*, *Traunii*, *Trautmansdorfii*, *Truchsessii de VValdpurg*, *VValdsteinii*, *VVeissenwolfii*, *VVolckensteinii & VVolffsteinii.* In Scamno Franconico sedent Comites a *Castel*, *Dernbacenses*, *Erpacenses*, *Geieri*,

Hohenloici, Limpurgenſes, Lœwenſteinii, & VVertheimenſes, Noſtizii Schœnbornenſes, VVindiſchgrætzii.

§. XVII.

Fuit autem ſuperiori ſeculo controuerſia inter Principum antiqui ſtemmatis legatos, atque nouos Principes. Dum hi præ illis in Comitiis ſeſſionem peterent & Votum. Agebatur iſta plurimum, dum Hohenzolleranus, Eggenbergicus & Lobkowitzius a. 1640. in Principum Collegium cuperent introduci, atque hanc ſimul præ legatis aliorum peterent prærogatiuam. Verum, dum iſti acerrime contradicerent, res effectu caruit. * Tandem vero dum a. 1654. plures in Collegium Principum præſentes introducerentur, ſeſſionem non ſolum, ſed etiam votum præ legatis reliquorum obtinuerunt, licet Auſtriacus, Burgundicus & Salisburgicus illud nondum concedant, immo Magdeburgicus, aliique conſentire noluerint, ideoque illo tempore Collegio Principum ſe ſubduxiſſent. ** In Marloborugi introductione idem ſibi reſeruarunt Principes, ne in præiudicium ipſorum voti & ſeſſionis quidpiam admittatur. ***

* Extat hac de re ex parte Principum antiquiorum *Bedencken* de an. 1653. apud LVNIGIVM *Staats-Conſiliis Tom. II. p. 498.*

** Vid. HERDENS *Grundueſte p. II. c. V. p. 97.*

*** De eodem ſibi proſpexerunt Duces ex Familiis antiquis in Lichtenſteinenſi introductione vt & Waldeccenſi, de quo ELECTA IVRIS PVBLICI *Tomo XI. p. 9. 679. 701.*

§. XVIII.

Plures adhuc ſunt, qui vel inter Status recipi, vel noua Vota in Principum Collegio quærunt, qui tamen, contradicentibus aliis, præter Decretum Commiſſionis Imperatoriæ,

riæ, *Kayserliches Commissions-Decret*, quo Statibus ipsorum caussa atque admissio ad votum commendatur, nihil adhuc obtinuerunt. Sic a. 1664. Elector Coloniensis atque Dux Saxo-Lauenburgicus ratione Ducatus Angariæ atque Westphaliæ sessionem & votum in Comitiis petierunt. * Augustus Rex Poloniæ noua vota quærit ratione Landgrauiatus Thuringiæ, Marchionatus Misniæ, Burggrauiatus Magdeburgensis ** & Misnensis. Postquam autem Rex Borussiæ atque Saxoniæ Duces sese opposuissent, per singularem Declarationem XII. Nouembris 1710. in Comitiis factam, bina saltim vota quæsiuit, ratione Marchionatus & Burggrauiatus Misnensis. Rex Borussiæ nouum votum quærit ratione Principatus Meurs, contra quod tamen Nassouii protestantur. *** Episcopus Monasteriensis ratione Burggrauiatus Strombergensis, Comes Palatinus lineæ Sultzbacensis, **** Dux Saxo-Weissenfelsensis ratione Principatus Querfurtensis, ***** Dux Saxo-Merseburgensis & Numburgensis ratione Episcopatus Merseburg & Naumburg. † Dux Würtenbergensis ratione Ducatus Teccensis. †† Dux Guelferbytanus ratione nouiter erecti Principatus Blanckenburgensis. ††† Princeps Nassouius in Saarbrück, †††† Princeps Schwartzenbergicus, ratione Landgrauiatus Klettgouiensis, Princeps Oettingensis, Principes Schwartzburgici inuicem votum virile petunt. ††††† Princeps Löwensteinius †††††† Fridericus Princeps Waldeccius. †††††††

* Prout ex LVNIGII *Spicil. Eccles. Forts. des I. Theils p. 887.* patet.

** Prodiit ea de caussa *Kænigliche und Churfürstl. Sachsische Befugnüß über die Readmission ihrer vier alten Reichsvotorum.* Sed prodierunt a parte Ducum Saxoniæ Lineæ Ernestinæ *Anzeige derer Ursachen, warum die von des Kænigs Augusti Maiestat, als Churfürsten zu Sachsen auf den Land-Marck- und Burggraffschafften Thüringen, Meissen, Magdeburg und Meissen im Reichs-Fürsten-Rath gesuchte*

suchte Vota, weder von dem Fürstl. Collegio insgesamt admittirt, noch von dem Fürstl. Hause Sachsen Ernestinischer Linien besonders darein gewilliget werden mæge. Priuatim Iura Electoris defenderunt ZACHARIAS ZWANTZIG in *Theatro Præcedentiæ p. II. tit. XVII.* & CASPAR HENRICVS HORNIVS binis programmatibus. Contra eosdem prodierunt: *Vnmasgebliche Gedancken, über die von verschiedenen Teutschen Fürsten gesuchte neue Vota in dem Reichs-Fürsten-Rath*, quæ primum separatim prodierunt, postea inserta fuerunt FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVI. p. 237.* EL. I. P. *Tom. I. p. 29. 518. Tomo II. p. 147.* Dum etiam ratione Burggrauiatus contradiceretur, prodierunt: *Vnpartheyische Erinnerungen über die Gründliche Nachricht, was es mit dem Burggrafthumb Magdeburg vor Bewandniß gehabt*, vbi etiam superiori scripto respondetur. Vltimo Iura Electoris defendere conatur MICH. HENR. GRIBNERVS *de Iure Suffragandi Principum Imperii vsu intermisso non pereunte.*

*** Acta de eodem reperiuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. c. V. p. 308.* contra hanc admissionem tamen Io. VVilhelmus Nassouius Princeps a. 1710. fuit protestatus, prout ex LVNIGIO patet *II. Cont. III. Forts. p. 781.*

**** Ex Pacto cum Electore Palatino. Vid. THVCELII *Electa I. P. p. I. p. 90.* EVROP. HEROLD. *p. II. c. V. p. 442.* LONDORP. *Tom. XVI. p. 180.*

***** Ex pacto inter Io. Georgium II. Saxoniæ Electorem atque Augustum VVeissenfelsensem die 13. Febr. 1664. inito, quod continetur in LVNIGII *Reichs-Archiv Tom. II. p. IV. s. 2. p. 195.*

† CASSANDRI THVCELII *Electa I. P. c. VIII.* ZECHS *Europ. Herold. p. I. p. 249.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 736.*

†† ANT. FABRI *Staats-Cantzelley T. XII. p. 742.* LVNIG *Gerechtsame p. II. p. 318.*

††† FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 827.* ELECTA I. P. *Tom. VI. p. 709.*

†††† Extant Acta in ELECTIS I. P. *Tom. V. p. 443.*

††††† Prodierunt ea de caussa a parte Domus Saxonicæ lineæ Vinariensis: *Vrsachen, warum das Fürstliche und Græfliche Haus Schwartzburg*

burg zur Seßion und Voto im Reichs-Fürsten-Rath nicht zu admittiren in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIV. p. 798.* A parte vero Domus Schvvartzburgicæ prodiit *Gründlicher Beweis, daß das Fürstl. Haus Schwartzburg ein uhralter, freyer unmittelbahrer Reichs-Stand und zum Voto virili im Reichs-Fürsten-Rathgenugsam qualificiret.*

†††††† Extant Acta in ELECTIS I. P. *Tom. X. p. 73.*

††††††† Extant Acta in ELECTIS I. P. *Tom. XI. p. 679.*

§. XIX.

Sæpius tamen disputatum fuit, an Numerus Statuum in Collegio Principum augeri possit & debeat. Non desunt,* qui contendant, Imperii Leges hoc decernere, quibus sæpius agatur *von Ergantzung des Reichs, & daß das Reich an seinen Gliedern, Stimmen und Anlage gestærcket werde*, cum tamen hæc intelligenda sint de Statibus Imperii horumque prouinciis auulsis, quas Leges Imperii reduci volunt, atque Imperium redintegrari, vel de iis, qui Imperio antea non subfuerunt sub Imperii potestatem adliciendis, vt hoc ipso caperet incrementa. Potius demonstratum fuit ab aliis, ** confundi iura Imperii si vota vltra modum augeantur, harmoniam vix esse sperandam, propalari magis magisque vota, augeri contentiones, & plurimum hoc ipso decedere iuribus atque auctoritati Principum antiquiorum. Et licet in medium proponeretur de quarto Collegio nouorum Principum constituendo, nouam id tamen quasi compagem Imperii introduceret. Nec Vota in Comitiis aliis concedi poterunt, nisi fiat id communi consensu Collegiorum Superiorum, prout exemplum Grubenhagensis voti testatur, quod Brunsuicensis Elector Blanckenburgensi Principi nuper demum cessit. ***

* Potissimum GRIBNERVS dicta Dissertatione *de Iure Suffragandi Principum Imperii vsu intermisso non pereunte §. VI.*

** Ex-

** Extat apud FRITSCHIVM *Electis I. P. cap. XIII. Bedencken ob hinführo mehr neue Fürsten in den Reichs-Fürsten-Rath zu introduciren und ad sessionem & votum zu admittiren*, quod etiam inseruit LVNIGIVS *Staats-Consiliis Tom. II. p. 1521.* Auctor *der unmaßgeblichen Gedancken über die von Kœnigs Augusti Maiestæt gesuchten neuen Vota II. Abs. §. I. II. III.*

*** *Vide supra p. 720.* Add. L. B. de LYNCKER *Vol. I. resp. CLXIX.*

§. XX.

Vltimam denique Classem inter Status constituunt Ciuitates Imperiales, quæ in duo Scamna distinguuntur, *Rhenense* atque *Sueuicum*, quæ vulgo dici solent *die Oberlændischen Reichs-Stædte.* Harum ordo talis est:

SCAMNVM RHENENSE

Colonia Agrippina
Aquisgranum *
Lubeca } *alternant*
Wormatia } *alternant*
Spira } *alternant*
Francofurtum ad Mœnum
Hagenouia } *nunc Gallis parent*
Colmaria } *nunc Gallis parent*
Sletstadtum } *nunc Gallis parent*
Goslaria
Brema **
Mulhusa
Nordhusa

* Protestatur contra præcedentiam Coloniæ.

** Huius libertati a Suecis contradicitur de quo infra pluribus, vbi de Ciuitatibus.

SCAMNVM SVEVICVM

Ratisbona
Augusta Vindelicorum
Noriberga
Vlma
Eslinga
Reutlinga
Nördlinga
Rotenburgum ad Tubarim
Hala Sueuorum
Rotwilla } *alternant*
Vberlinga } *alternant*
Heilbrunna
Gemünda Sueuorum
Memminga
Lindauia
Dünckelspiel

Dona-

Weissenburgum } *nunc Gallorum*
Landauia }
Oberehenheimium }
Kayserberg }
Monasterium in valle S. Gregorii } ***
Rosheimum, }
Türckheimum }
Tremonia
Fridberga
Wetzflaria
Gelnhusa

Donawertha *
Biberacum
Rauensburgum
Suinfurtum }
Campidonum } *alternant*
Winsheimium }
Kaufbeura
Weila
Wangia
Isna
Pfullendorfum
Offenburgum
Leutkircha
VVimpsena
VVeissenburgum Nordgouiæ
Gienga
Gingenbacum
Zella am Hammerbach
Buchhornia
Aala
Buchouia
Bopfinga

*** Spectant hæ ad decem vrbes Imperiales Alsatiæ, quarum libertati per Instr. Pacis Monasteriensis §. 87. specialim fuit prospectum: *ita, vt Rex Galliæ nullam in eos Regiam superioritatem prætendere possit.* Quare etiam in Comitiis a. 1654. & hodiernis, sessionem & votum adhuc exercuerunt. Dum autem Præfectura atque Aduocatia Hagenouiensis Gallis cessa, Galli easdem vrbes tanquam Aduocatiæ & Alsatiæ adnexas sibi vindicarunt, atque anno 1661 ab iisdem peierant iuramentum fidelitatis. Protestabantur desuper ciuitates, & caussa ad Comitia Imperii relata, etiam per Arbitros primum tractata, sed a. 1672. Rex easdem vrbes plane occupauit, & licet in Tractatibus Pacis Nouiomagensis de iisdem restituendis ageretur, nihil tamen obtineri potuit, legatis se desuper excusantibus, se de eo non esse instructos. In Tractatibus Pacis Ryswicensis idem actum, sed frustra *Actes & Memoires de la Paix de Ryswic. Tom. II. p.* 501. LVNIGS *Gerechtsame p. II. p.* 578. S. H. O. *Diss. XXXVII. §. XLIX.*

* Restituta a. 1705. in pristinum locum & iura Imperii vid. ANT. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. X. c. VII. Tom. XVII. p.* 338. Ast, per pacem Badensem iterum Iuris Bauarici fuit facta, licet Sueuici Circuli Status eiusdem Iura Imperii conseruare fuerint conati. FABER *Staats-Cantzelley Tom. XXIV. c. XIV.*

§. XXI.

Licet autem conditio Statuum plane ſit diuerſa, dum alii ſint maioris potentiæ, qui proprios ducunt exercitus, fœdera cum exteris pangunt ac Ius Belli & Pacis plenius exercent, alii minoris potentiæ, Iura tamen Statibus communia ſunt eadem, licet non ab omnibus pari ratione poſſint exerceri. Minime vero negandum, maiorem in Comitiis auctoritatem competere Electoribus & Ducibus, ac Ciuitatibus Imperii. Immo, præualere potentiorum quorundam auctoritatem. Prælatorum & Comitum etiam, qui vota ſaltim gerunt curiata, ratio parum habetur. Hinc Status diuerſimode conſiderantur. Quatenus enim in corpore ſunt Imperii, cum Imperatore in Comitiis paciſcuntur, de republica, eiusdemque Regimine participant; tanquam ſinguli vero ad Leges & Mandata Imperii ſunt obligati. Id quod vaſallagium Statuum non ſolum teſtatur, quo promittunt fidem & obſequium, ſed etiam verba procemialia Receſſuum: *wir befehlen allen Churfürſten, Fürſten und Standen.* Nec deeſt contra Status executio, cui tamen potentiores facile ſe ſubducunt.* Hac ratione igitur Status Imperii etiam haut incongrue adpellantur *Reichs-Vnterthanen.***

* Vid. late ITTERVS *de Feudis Imperii c. XIX. §. 6. ſeqq.*

** Plurimum equidem diſputatur, an etiam Status Imperii dici poſſint ſubditi Imperii. Sunt qui hoc denegent, vtpote MONZAMBANO *c. VI. §. XXVIII.* qui Statibus abſolutum tribuit Imperium, & RELFENDSO *de ſumma Principum poteſtate*, incongruum eſſe putantes, ob iura ſumma, quibus Status Imperii gaudent, eademque Maieſtati proxima, inter ſubditos referri. RHETIVS *de Statu Germaniæ circa ſubditos c. II. §. 127.* Status non Subditos Imperatoris, verum Imperii recte dici monet, id quod dein *cap. III. & IV.* plenius perſequitur. Patet vero hæc adpellatio ex Actis Imperii. In litteris enim Conuocationis Caroli IV. ad Comitia Noribergenſia an. 1356. apud VVENCKERVM *App. Archiv p. 206. Wann Wir durch ehafftige, und redlichen unſer*

ſir und des Heiligen Reichs Sachen und Bemuen umb Friede und Gemach, unſirn getrewen Vndertanen, aller Fürſten, Grafen und Herren in Deutſchen Landen beſant haben. In Rec. Francofurtenſi an. 1442. Procemio: *Setzen und gebieten &c. ernſtlich und feſtiglich mit dieſem Brief, und ermahnen auch alle und iegliche unſir und des Heil. Reichs Vnterthanen, in welchen Würden, Stand und Weſen die ſeind;* de quo etiam MÜLLERVS *Reichs-Tags Theatro lib. I. c. VI. §. 18.* Sic in Memoriali Brandenburgico de a. 1678. quod reperitur in ACTES & MEMOIRES *de la Paix de Nimegue Tom. III p. 330.* Rex Sueciæ ratione Prouinciarum Germaniæ dicitur Subditus Imperii.

§. XXII.

Fiunt vero Status vel electione, vel ſucceſſione, * vel conſenſu Imp. & Statuum conſtituuntur, vel tales antiquo iure permanent. Electione fiunt Status Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati immediati, qui a Capitulis ſuis per ſuffragia eliguntur & moribus ac Legibus Imperii terras etiam adquirunt, quarum ratione non vaſalli ſolum fiunt, ſed obtinent etiam ſeſſionem & votum in Comitiis. Succeſſione Status iura adquirunt Electores, Duces, Principes, Comites & Barones immediati. Conſenſus Imp. & Statuum requiritur in illis, qui de nouo in hunc numerum recipiendi. Statuum vero qualitatem ex iure priſtino retinent Ciuitates Imperiales.

* Eleganter hæc explicat RVSDORFIVS *in Vindiciis Palatinis cap. I.*

§. XXIII.

Ex dictis facile ſequitur, Principes Eccleſiaſticos Status etiam fieri, antequam infulam a Papa accepiſſent, * dum eadem quidem ad obeunda munia Epiſcopalia habiles reddantur, non vero ad Status qualitatem, quæ a Papa minime dependet, ſed ſecundum mores Imperii per electionem tribuitur. Hinc etiam Duces ac Comites licet ab Imp. nondum inueſtiti, qualitatem Status iure ſucceſſionis in ipſos delatam adquirunt. Singuli itaque omnibus Imperii actibus poſſunt intereſſe, antequam vel infulam fuerint adepti, vel ab Imp. inueſtiti, cuius exempla adſunt quotidiana.

 * Plu-

* *Plura exempla refert* THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXIV. §. 18.* dicuntur *die Erwehlte.*

§. XXIV.

Licet igitur per Successionem deferatur Status qualitas, non tamen omnes hæredes hanc qualitatem adquirunt, eo quod ista Territorio sit nexa. Quod si enim Primogenituræ ius introductum, solus inter Status Imperii recipitur primogenitus. Hoc vero non introducto, vel indiuisim atque in communi terras tenent, vel easdem inter se diuidunt. Quod si indiuisim atque in communi terras teneant, omnes pro vnico Statu saltim reputantur, ideoque vnicum saltim Votum gerunt in Comitiis. Quod si vero terras inter se diuidant, ita, vt quilibet de portione sua speciatim ab Imp. inuestiatur, tunc specialem etiam qualitatem Status adipiscitur. * Secus est, si diuisis licet terris, inuestituræ iura sint communia, tunc is, cui potiora sunt in Regimine, Statuum Iura exercet, communicato tamen cum reliquis consilio, prout pactis fuit definitum. **

* Exemplum in Domo Saxonica. Primum quidem post mortem Io. Friderici Electoris, dum filii ipsius commune regimen gererent. Quare in Comitiis Augustanis de a. 1555. vnicum saltim votum gesserunt. Postquam autem de Terris diuisim fuissent inuestiti, in Comitiis Ratisbonensibus de a. 1566. speciatim inter Status memorantur Io. Guilielmus & Io. Fridericus, vsque dum per vlteriores diuisiones Duces Vinarienses, Isenacenses, Gothani, Altenburgenses & Coburgenses in Statuum numerum reciperentur. Eadem exempla videmus in domo Brunsuico Luneburgensi, Brandenburgica, Mecklenburgica, Hassiaca & reliquis.

** Exemplum in domo Saxonica Lineæ Albertinæ, Vinariensis & Gothanæ.

§. XXV.

Principes minorennes Status quidem fiunt, ob ætatis tamen defectum, personam standi nondum habent in Comitiis, ideoq; illorum Tutores vel Curatores admittuntur, * imo etiam tutrices. ** Quod si Sedes Episcop. vacet, Capitulum iura Imp. exercet. ***

* Exemplum in R. I. Ratisbonæ de a. 1603. in subscriptione: *Hertzog Johansen für sich, und in Vormündschafft Weyland Friderich Wilhelmen, Hertzogen zu Sachsen seligen nachgelassenen Sohnen* & passim.

** Exemplum in R. I. nouissimo: *Von Wegen Marien Annen verwittibten und bevollmächtigten Regentin, in Vormundschafft ihres Sohns Ferdinandi Mariæ, Hertzogen und Churfürsten zu Bayern.*

*** Sic nomine *Dechant und Capitel zu Minden* subscribitur R. I. Augustanus de a. 1555. & passim.

CAPVT DECIMVM SEXTVM

DE ELECTORVM ORIGINE ET IVRIBVS.

§. I.

PRimas inter Status hodie tenent Electores, a Iure eligendi Imperatorem, quod ipsis est præcipuum, sic dicti. Germ. *Churfürsten* ab antiqua voce *Kæhren*, quod idem est ac eligere. Sunt igitur Electores, *Principes Imperii, summi Officiales lege Imperii constituti, vt vacante Imperio Imperatorem Romanum rite eligant, eundem Imperio præficiant,* * *& cum eodem præcipuas in Imperio partes teneant.* Hinc etiam dicuntur: *palmites & membra propinquiora, per quos, velut septem candelabra lucentia in vnitate Spiritus septiformis sacrum illuminari debet Imperium,* ** *qui velut columnæ proceres sacrum ædificium circumspecta prudentiæ solerti pietate sustentant, quorum præsidio dextra Imperialis potentia roboratur,* *** *& solidæ bases Imperii & columnæ immobiles.* † A numero dicuntur, pro temporis diversi ratione *Septemuiri, Octouiri, Nouemuiri.*

* A. B. *proœm. & tit. II.*

** A. B. *proœm.*

*** *tit. III. §. 2.*

† *tit. XII. §. 1.* Plura elogia congessit CRÜGERVS *de Nouemviris p. II. m. I. disc. I.*

§. II.

De origine Electorum vexatiſſima ſemper fuit quæſtio, in diuerſa abeuntibus Scriptoribus. WILHELMVS GABRIEL PACHELBL a GEHAG in diſſertatione præuia de Origine Electorum, * demonſtrare voluit, Electores, Chriſti natiuitate haut eſſe iuniores, dum iam antiquiſſimi Germani, Reges ſuos elegerint, quod per certos proceres factum, idque poſteriori ſemper ætate fuiſſe continuatum. Aſt, dum media ætate omnium Principum, ipſius etiam populi in electione fiat mentio, nulla ratione hanc ſequimur ſententiam. Plures ſunt, qui vel Carolo M. vel Ottoni M. Electorum originem tribuant, ** eo quod in horum hiſtoria occurrant Imperii Officiales, qui ſunt Electores. Verum, Officiales ab antiquo fuiſſe, iam ſupra *** fuit demonſtratum, iſti autem iure eligendi Imp. nondum fuerunt gauiſi.

* Prodiit *Halæ 1705. 4.* Idem poſtea demonſtrare voluit ſingulari ſcripto, ſub titulo: *Teutſchen Reichs-Staats urkundliche Nachrichten*, in quo etiam demonſtrare voluit, Burggrauios Noribergenſes olim fuiſſe ſummos Imperii Officiales.

** IORDANVS *in Chron. de Imp. & Elect. p. 284.* Plures huius opinionis aſſeclas recenſet THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. VII. §. 1. 2.* GEWOLDVS *de Septemuiratu cap. II.*

*** *Cap. IX. §. XVII. & ſeqq.*

§. III.

Communis hucusque fuit opinio, Ottonem III. Gregorio V. Papa conſentiente, ſingulari Conſtitutione Electorum Collegium ordinaſſe, * quam conſtitutionem, Ottoni III. alias tributam, ſub nomine Ottonis IV. refert Goldaſtus, ** licet ipſe ſtatim habeat pro figmento, *** id quod ex eo vel magis patet, quod Bohemiæ Regis inibi fiat mentio, qui tamen nondum fuit. † Immo, dum Impp. Ottonem III. inſequen-

quentes, omnium Principum consensu fuerint electi, nec vnicus Scriptorum de hac Constitutione quidpiam dicat, †† exinde quoque contrarium facile patebit. Vt ††† taceamus illos, qui vel ab Henrico II. vel a Friderico Barbarossa, vel demum a Carolo IV. ducunt originem.

* SIMON SCHARDIVS *de origine Electorum* & plures alii, quos longo numero recenset THVLEMARIVS *c. VII.* §. 7. NIC. CVSANVS vero *de Concordia Catholica lib. III. c. IV.* Henrico II. hoc tribuit, qui tempore Gregorii V. illud fecerit.

** *Const. Imp. Tom. III. p. 371.*

*** In *Reichs Handlungen p. 16.* adducit *Fragmentum des Reichs-Tags unter Kayser Otto dem dritten*, vbi tamen in margine monet: *ist ein Gedicht, und den vralten Vrkunden zuwieder.* Vid. & Tractatus *de Regno Bohemiæ lib. III. c. V. n 9.*

† Hoc latius persequitur THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. VII.* §. 11. 12. Refutat etiam hanc opinionem LEHMANNVS *Chron. Spir. lib. V. c. XVII.*

†† Primus hanc opinionem, communem alias, suspectam reddidit tempore Maximiliani I. IO. STABIVS, quem secutus IO. AVENTINVS, ONVPHRIVS PANVINIVS de Comitiis, CHRISTOPHORVS LEHMANNVS *lib. V. cap. XVII.* ERICVS MAVRITIVS *de origine Electorum cap. I.* GEWOLDVS *de Septemuiratu cap. III.*

††† WAGENSEILIVS *de summis Officialibus cap. XVIII.* §. *V.* exinde ducit. Differentes de Origine Electorum sententias congessit THVLEMARIVS *de Octouiratu c. VII.* & præcipue IO. GVILIELMVS IANI *Iudiciis Eruditorum de origine Electorum.*

§. IV.

Nouam denique opinionem proposuit Ericus Mauritius, qua omnes Scriptorum sententias contrarias cogitat conciliare. Distinguit enim inter prætaxationem, electionem & consensum. Haut denegat electionibus anterioribus interfuisse & Principes omnes & populum, sed istis saltim competiisse

petiisse ius prætaxandi, siue denominandi certos Imperii Candidatos, electionem fuisse Imperii Officialium, insecutum demum fuisse omnium Principum consensum, id quod multis confirmat auctoritatibus. Potissimum fundamentum quærit in loco Alberti Stadensis, qui seculo decimo tertio vixit, dum ait:* *Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui iuris, Imperatorem substituere, sed tantum electum a Principibus coronare. Electio enim ad istos dinoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem, Treuirensis, Moguntinus & Coloniensis, Treuirensis enim licet de Alemannia non sit, ratione antiquitatis eligit & Palatinus eligit, quia Dapifer est, Dux Saxoniæ, quia Marscalcus, & Margrauius de Brandenburg, quia Camerarius. Rex Bohemiæ, qui pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Verum, si locum istum Abbatis Stadensis probe consideremus, in quo tamen potissimum caussæ suæ collocat fundamentum Mauritius, reperiemus, istum sine dubio esse interpolatum. Patet hoc non solum ex antecedentibus atque consequentibus, cum quibus male cohæret, sed docent hoc ipsa verba. Ex dictis enim hoc patet. Scripserat Gregorius, Papa, ad Archiepiscopos, Moguntinum, Treuirensem ** atque Coloniensem, vt nouum eligerent Imperatorem, quod ipsi non sui iuris esse adserebant, sed hoc saltim, electum a Principibus coronare. Ea igitur, quæ statim sequuntur verba, hisce plane contrariantur, dum electio iisdem tribuitur, quam antea sui iuris minime esse adserebant. Sic etiam officia, quorum caussa electio hic adsignatur, isto tempore nondum erant hæreditaria. Manifestus etiam est error, quod Treuirensis non sit de Alemannia, quæ singula scripto-

ſcriptorem minus accuratum arguunt. Scilicet, Alberti Chronicon olim in vſu erat quotidiano, ad quod priuati poſſeſſores in margine quandoque adnotabant, quæ ipſis videbantur eſſe conſentanea, librarii, tales Codices deſcribentes, ſæpe in textum inſerebant, quæ in margine erant adnotata.

* *Ad a. 1240.* Quem pro more ſuo exſcribit ALBERTVS KRANTZIVS *Metropoli lib. VIII. c. V.*

** Probatur hoc ex eo non ſolum, quod ipſi profiteantur, ſibi ſaltim conuenire ius coronandi, ſed etiam ex epiſtola Alexandri IV. Papæ ad Moguntinum, Treuirenſem & Colonienſem Archiepiſcopos, de non eligendo Conradino, apud LEIBNITIVM *Cod. dipl. prodr. dipl. XI.* quæ ſatis docet, in ſimili materia ad eosdem Papæ epiſtolas fuiſſe directas. Communiter quidem verba iſta: *non eſſe ſui iuris*, de Papa intelliguntur, quaſi Principes ipſius Ius electionis reprobarent, cum tamen Papa hoc minime prætenderet, ſed eccleſiaſticos ſaltim de eligendo nouo Imp. ſollicitaret, qui hac ratione ſe excuſabant, ſui iuris non eſſe, Imp. ſubſtituere.

§. V.

Nec maioris momenti ſunt reliqua, quæ Mauritius profert argumenta. Prouocat enim ad auctoritatem Amandi, qui Friderici I. erat Secretarius, atque electionem Imp. ſolis tribuit ſex vel octo officiatis. * Prouocat ad auctoritatem Ottonis Friſingenſis, ** qui æque Friderici I. electionem per Primates factam dicit, ſub quibus Electores ſaltim velit intelligi. Prouocat ad auctoritatem Welberti, *** qui Conradi III. dicitur Capellanus, atque electionem certorum Principum ab omnium conſenſu diſtinguit. Aſt, Amandi atque VVelberti auctoritas ſola fide Gewoldi nititur, quæ ſuſpecta admodum videtur. **** Otto Friſingenſis primatibus tribuit conſultationem, atque electionem, quos ipſe tamen ſtatim per principes explicat, vt ideo nullum inde argumentum ad Electores. Deinde prouocat ad epiſtolam Innocentii III. ad

Bertholdum, Zäringiæ Ducem ſcriptam, in qua dicitur? *vnde illis Principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imp. poſtmodum promouendum recognoſcimus (vt debemus) ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere.* † Verum, ſi conferamus epiſtolam Principum Germaniæ, ad quam hæc Innocentii III. eſt reſponſoria, non ſolum plurium Principum nomine eandem fuiſſe perſcriptam patebit, ſed etiam omnibus iſtis tribui electionem. †† Integra autem epiſtola nihil aliud contendit Papa, quam vt demonſtret, nuntium ſuum ſe electioni Ottonis IV. non immiſcuiſſe. Nec faciet quidpiam ad confirmandam Mauritii ſententiam Auctor Speculi Saxonici, ††† qui Electores quidem præcipuo loco nominat, ita tamen, vt electionem omnibus tribuat.

* In lib. de primis actis a Friderico in Imperio peractis, apud GEWOLDVM de Septemuiratu cap. VI. p. 689. *Anno MCLII. multi Illuſtres heroes ex Lambardia, Tuſcia, Ianuenſi & aliis Italiæ dominiis ac maior & potior pars Principum in Tranſalpino regno conuenerunt in vrbe Francofurtenſi, plurimo numero Principes conuenientes, dixerunt per ſuos internuncios ad ſex aut Octo* PRINCIPES OFFICIATOS *regni, reſidentes in arcano loco curiæ regalis. Nos & tota patria teſtatur, nullum aptiorem eſſe regno regendo, quam Fridericum de VVeiblingen & Stauffa, natum ex generoſa proſapia, meritis & virtutibus decoratum, ac Illuſtrem. Quem per vos Deus in regnum ſublimare dignetur, cui parata erunt noſtra obſequia vsque ad mortem. In hunc ſi veſtris vocibus,* O OFFICIATI, *conſentitis; firmum robur habebit ſui Imperii. Cum ex ſecreto conclaui prodirent* OFFICIATI, *indicantes, ipſos vnanimiter Fridericum in Regem ſeruatis de iure ſeruandis elegiſſe, cunctus omnium ordinum applauſus eſt conſecutus, dicentes, hæc electio tuta ac firma conſiſtet: nam omnium noſtrum munietur præſidiis.*

** De geſtis Friderici II. lib. I. c. I. *Anno ab incarnatione Domini MCLII. decedente ab hac luce vernali tempore, id eſt, ſexta feria proxima (vt dictum eſt,) poſt caput ieiunii in ciuitate Bambergenſi, piiſſimo*

piissimo Rege Conrado III. Nonas Martii, id est, tertia feria post Oculi mei, in oppido Franconefurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine, vniuersum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit. Vbi cum de eligendo Principe PRIMATES (Mauritius hic legit Principes Primates: verum quotquot euolui Frisingensis editiones, Argentoratensis de a. 1515. atque alia Petri Pithoei, Basileae 1569. sic legunt) *consultarent, (nam id iuris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat praerogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici ducis filius petitur, cunctorumque fauore in Regem sublimatur.*

*** De electione Lotharii II. apud GEWOLDVM p. 690. *Mortuo Henrico Rege valde multi Principes ex toto regno congregati sunt in Moguntinensi vrbe, vbi de electione noui Regis magnus erat tractatus. Initio in magna Curia collecti erant omnes, qui ibi fuerunt seculares ac spirituales Principes quorum plerique nude & simpliciter nominabant quem optabant per alios eligi, & tamen ipsi non eligebant, quia non habebant voces suffragiorum realium. Cum igitur nominauerant Lutherarium, dixerunt, huic prompti sumus obedire, si vos eum intronizabitis in regnum, vestris annuentibus votis ac beneplacito, nulla discordia erit. Pauci autem Spirituales & temporales* PRIMATES *examinantes personam Lutherarii & bellicosa facta & merita erga Christi seruos & vniuersam Ecclesiam, eum votiue elegerunt, cum eum magnopere commendasset Albertus Episcopus Moguntiae, qui magnates Sueuorum capitali odio persequebatur. Alii Principes qui nulla dabant suffragia, libenter eum amplexati sunt suo fauore, & habuerunt pro Rege.*

**** Adgnouit illud LEIBNITIVS, dum in praefatione Codicis Diplomatici ait: *Welbertus & Amandus, nescio qui, quos vnus Gewoldus testes citat, νοθείας prope manifesti sunt, & suomet vtique iudico produntur.*

† Extat integra epistola in Registro Innocentii III. de negotio Imperii Ep. LXII. *ed.* BALVZII *Tom. I. p* 715. apud GEWOLDVM *de Se-*

 ptemui-

ptemuiratu p. 781. ex qua desumtum est *c. Venerabilem X. de elect. & electi potestate.*

†† Est hæc epistola LXI. in Registro, cuius initium tale: *Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo & vniuersali Pontifici, Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis Archiepiscopi, VVarmatiensis, Patauiensis, Ratisponensis, Constantiensis, Augustensis, Eikstadensis, Hauelbergensis, Brandeburgensis, Misnensis, Nuemburgensis Episcopi, Babenbergensis electus, Fuldensis, Herseueldensis, Campidunensis Abbates, Rex Bohemiæ, Dux Zaringiæ & rector Burgundiæ, Dux Saxoniæ, Dux Austriæ & Stiriæ, Dux Meraniæ, Thuringiæ Landgrauius, Marchio Morauiæ orientalis, Misensis, Brandenburgensis, Marchiones, de Orlamund, de Summersenberch, de Brenen, de VVitin Comites. salutem & debitam in Christo reuerentiam.* Et in fine Epistolæ: *Vobis enim, Pater sanctissime, insinuare decreuimus, quia* ELECTIONIS NOSTRÆ VOTA *in serenissimum Dominum nostrum Philippum Romanorum Regem & semper Augustum* VNA VOCE, VNO CONSENSV *contulimus.* Ex hoc satis patet, explicationem Hostiensis, vbi *illis Principibus* de electoribus hodiernis explicat, falsam esse atque aliena manu irrepsisse.

††† *Lib. III. art. LVII.* quem locum infra, pro adstruenda sententia nostra plenius explicamus.

§. VI.

Sequitur Mauritium in plerisque THVLEMARIVS, * qui ante Friderici II. tempora, notos iamdum fuisse Electores tradit. Hic autem præter loca iamdum adducta, prouocat etiam ad MARTINVM POLONVM, ** qui Electorum iamdum faciat mentionem. Verum, dum iste temporibus Rudolphi Habsburgici, adeoque post Interregnum vixerit, & nullum tempus definiat, nihil exinde poterit concludi. Immo, dum locus iste cum anterioribus plane non cohæreat, eadem ratione interpolatum eum esse iudicamus, dum in Chronico Martini frequentes interpolationes fuisse factas, satis constet.

Potissi-

Potiſſimam vero argumenti ſui vim collocat THVLEMARIVS in Diplomate Rudolphi Habsburgici, Regi Bohemiæ conceſſo, *** in quo Iura Electoratus ipſi confirmantur, his verbis: *Extitit etiam dilucide declaratum, prædictum Regem Bohemiæ & ſuos heredes in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum ceteris Electoribus habere debere, ad ſimilitudinem aliorum Electorum eligendi plenarium ius & vocem. Hæc vero Iura Pincernatus & Electoratus, nedum dicto Regi & ſuis hæredibus didicimus competere, ſed etiam ſuis progenitoribus, Abauis, Atauis, Proauis, Auis, pure, pleniſſime competebant.* Ex quibus verbis concludit, ſi Progenitorum hoc ius iamdum fuit Electoratus, temporibus Friderici II. erit antiquius. Verum, dum quæſtio Status olim mota fuerit Bohemo, an etiam ius habeat eligendi, quia non Teutonicus, hæc deciditur a Rudolpho, ex ea ratione, quod progenitores ipſius iure eligendi fuerint vſi, ex quo tamen ad Collegium Electorale nullum adhuc argumentum. Vltimo prouocat ad litteras inueſtituræ, quibus Bernhardum Aſcanium inueſtiuit Fridericus Barbaroſſa, in quo inſimul muneris Electoratii † fit mentio, atque ad Diploma Henrici VI. in quo Electorum expreſſa fit mentio. †† Aſt, nondum adhuc fuit demonſtratum, qua fide hæc adducantur Diplomata.

* *De Octouiratu cap. VII.* §. *34. & ſqq.* Sic etiam SCHILTERVS *Inſtit. I. P. lib. I. tit. XIV.* §. *17. & Comment. ad Ius Feud. Alemann. cap. VII.* §. *5.*

** In Hiſt. Ottonis III. p. 367. collect. Schilteri. *Licet tres Otthones per ſucceſſionem generis regnauerint, poſt tamen inſtitutum fuit, vt per Officiales Imperii Imperator eligeretur; qui ſunt ſeptem, videlicet tres Cancellarii: Moguntinus Cancellarius Germaniæ, Treuerenſis Galliæ & Colonienſis Italiæ. Marchio Brandenburgenſis Camerarius, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ enſem portat, Pincerna Rex Bohemiæ.*

*** Extat Diploma apud GOLDASTVM *Tom. II. p. 85.*

† GEVVOLDVS adlegat p. 687. *in Bernhardum nobis ac Imperio fidelem ac dilectum Principem, conferimus tractum Saxonicum, ac munus Electoratium, qua Henrico priori possessore omni iure postulante abiudicauimus, & te istis gratiis ac iuribus sublimamus ob tua fidelia seruitia, iustitia exigente, de voce & instigatione Principum regni nostri.*

†† Adlegat GEVVOLDVS p. 679. *nouerit omnis Christi nostrique regni fidelium aetas, & successura posteritas, quod nos Principum, quorum iuris quemque Romanorum Regem est eligere, beneplacito, consilio & fauore &c.* Et paulo post: *coram nostrae maiestatis oculis & Electorum Romani regni culminis inquisitione & sententia obtinuit.*

§. VII.

His itaque discussis, illorum potius amplectimur opinionem, qui circa Interregni tempora originem quaerunt Iuris Electoralis. * Mouet me historia Electionum singulorum Imperatorum, ab Henrico IV. vsque ad tempora Friderici II. in quibus omnium Principum fit mentio. ** Exempla hic saltim adducemus Imp. qui Interregni tempora paullulum antecesserunt. Exemplo nobis sit Philippus, qui vnanimi Principum consensu electus fuit Imperator. *** Immo, in litteris ad Innocentium III. de electione Philippi scriptis plures memorantur, quibus tribuitur electio. **** Sic Ottonem IV. plures elegerunt Archiepiscopi, Episcopi & Duces, quorum nomina in litteris ad Innocentium III. de hac electione scriptis, memorantur, addita voce, *elegi.* † Immo, Otto IV. in Testamento suo †† Henricum fratrem obligat: *vt insignia Imperii nulli hominum repraesentet, nisi ei, quem Principes vnanimiter elegerint & iuste.* Ipsam electionem Friderici II. si consideremus, reperiemus, non a solis Electoribus, sed a pluribus Principibus eundem fuisse electum. ††† Quare etiam

MAT-

MATTHÆVS PARISIENSIS plures Principes recenſet, qui in electione Imperatoris concurrunt. ††††

* Plures huius ſententiæ adſeclas recenſet THVLEMARIVS *cap. VII.* §. 2. Eandem tenent GVNDLINGIANA *p. XVII. n. 2.*

** Vid. *Cap. VII.* §. *VI.* & LEHMANN *lib. V. c. XVII.*

*** ARNOLD. LVBECENSIS lib. VII. Chron. c. XV. *omnes principes, qui conuenerunt, ac ſi diuinitus inſpirati, pars voto & vnanimi conſenſu, Ottonem, in Romanum Principem & Semper Auguſtum elegerunt, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Archiepiſcopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, proſequente vero Bernhardo Duce, cum Marchione Miſnenſi & Landgrafio Thuringiæ, cum aliis, ad quos electio regis pertinere videbatur.* Idem fere dicit OTTO de S. BLASIO cap. XLVI. *Orientales itaque Principes, videlicet Dux Bauariæ, & Bernhardus Saxoniæ, cum cæteris Baronibus, & Epiſcopi Magdeburgenſis & Saltzburgenſis, cum cæteris Epiſcopis Orientalibus, diem colloquii in partibus Thuringiæ, apud villam Arnisperc præfixerunt. Quo veniente Philippo Duce, cum cæteris, quos ſupra diximus, habito conſilio Ipſum in Defenſorem Imperii eligere decreuerunt, quoad vsque Nepos ſuus, Imperatoris filius, dudum, tam ab ipſo, quam a cæteris Principibus electus, in Alemanniam deueniret.* Eadem fere tradit GODEFRIDVS COLONIENSIS *ad a. 1198.*

**** Epiſtola LXI. in Regiſtro Innocentii, cuius locus ſupra occurrit in Notis §. *V.*

† Extat iſta in Regiſtro Innocentii III. *ep. X.* cum hac ſubſcriptione: *Ego Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus elegi & ſubſcripſi. Ego Gerardus Indenſis Abbas elegi & ſubſcripſi. Ego Heribertus Werdenſis Abbas elegi & ſubſcripſi. Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperii, elegi & ſubſcripſi. Ego Henricus Comes de Kuke conſenſi & ſubſcripſi. Ego Bernhardus Padeburnenſis Epiſcopus elegi & ſubſcripſi. Ego Thietmarus Mindenſis Epiſcopus elegi, & conſecrationi cooperatus fui. Ego Widikindus Corbeienſis Abbas elegi & ſubſcripſi.*

†† Apud MEIBOMIVM *Tomo III. p. 148.*

††† GODEFRIDVS MONACHVS ad an. 1196. *Imperator* (Henricus VI.) ab

ab omnibus Imperii principibus summa precum instantia obtinet, vt filium suum Fridericum nomine, vix triennem in Regem eligant. Et de altera illius electione CONR. VRSPERG. ad a. 1210. *Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, qui paulo ante, ex Duce assumptus fuerat, ab Henrico V. Imperatore, ad Regnum, Dux Austriæ, Dux Bauariæ, Landgrauius Thuringiæ, & alii quam plures conuenientes, Fridericum, Regem Siciliæ, elegerunt in Imperatorem coronandum.* Quare etiam MONACHVS PADVANVS ad a. 1211. ait: *Tandem ipsum in Regem Alemanniæ, & in futurum Imperatorem, concorditer elegerunt.*

†††† Ad an. 1257. *Hi sunt maximi in Alemannia, ad quorum nutum pendet electio ipsius regni, quod est quasi arra Imperii Romanorum: Archiepiscopus Coloniæ, cuius titulus est, sacri Imperii Prothocancellarius, post honorem Archipræsulatus. Archiepiscopus Moguntinus. Archiepiscopus Treuerensis. Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Austriæ, Dux Suauiæ, qui & Comes Bauariæ, Dux Poloniæ, Marchisius de Michc, Marchisius Brandeburg, Dux Saxoniæ, Dux de Bruneswic, Dux de Carentene, Dux de Melai, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ, Landegrauius Duringiæ, Marchio Misiæ.* Addimus auctorem MAGNI CHRONICI BELGICI p. 205. dum ait: *Constitutioni*(Henrici VI.)*profuturæ, consentit curia Romana & Principes LII. qui Imp. eligere consueuerunt.* Adducitur quidem alius locus MATTHÆI ad a. 1245. p. 593. vbi distinguitur inter Magnates Alemanniæ & Electores, sed istum locum esse interpolatum, satis aperte patet, dum ibidem agatur de electione Pontificis & excommunicatione, atque hæc plane aliena inserantur.

§. VIII.

Deinde mouet me testimonium ipsius Friderici I. dum ita scribit: * *noster in Imperio successor, quem Principes vniuersi* ELEGERINT, *hunc honorem ecclesiæ Dei & Imperio & hanc partem nostram sub eodem iuramento tuebitur semper atque tenebit.* Mouet me, quod Electores ex tribus Archicancellariis & quatuor regni Officialibus fuerint orti, illorum munus

nus non adeo longo ante Interregnum tempore Archiepiscopatibus Treuirensi atque Coloniensi fuit nexum: horum munus a temporibus Interregni demum vere factum hereditarium. ** Quarto mouet me vox *Elector*, cuius vsum vix ante finem seculi duodecimi reperiemus, licet isto adhuc tempore, Principibus singulis, qui ad electionem admittebantur, conueniret, prout ex epistolis Innocentii III. *** patet. Postea vero solis hisce Imperii Officialibus tribuitur. ****

* Extat ista in FREHERI *Tomo I. Script. Rer. Germ. epistola VIII. p. 423.*

** Vid. *cap. IX. §. 27.*

*** c. *Venerabilem X. de Elect. & Electi potestate.* Sic in Epistola Alexandri IV. Papæ ad Gerhardum Moguntinum apud LEIBNITIVM *Prodr. n. XIII. ad hec nihilominus in omnes Electores, qui nominatum puerum eligere præsumpserint.*

**** ALBERTVS ARGENT. ad a. 1273. *Congregatis autem Principibus Electoribus in Franckfurt.* Rudolphus etiam Habsburgicus in Diplomate, quod a. 1275. Augustæ, Bauariæ Duci concessit, Officiales Imperii Electores nominat apud LAMBECIVM *Bibl. Cæs. lib. II. c. VIII. p. 828.*

§. IX.

Sed de eo nunc disquirendum, quæ prima per solos Electores facta fuerit Electio. CONRINGIVS hoc suasu Gregorii IX. ann. 1239. factum autumat; quo Principes Germaniæ de nouo Imp. creando cœpit sollicitare. * LEIBNITIVS ** Conradum IV. Friderici II. filium, primum hac ratione fuisse electum contendit, eo quod eligentes in actis electionis *** sese patres Imperii & lumina haberi dicant, quod de toto Principum cœtu minime intelligendum. Facile adsentimur, non omnes Principes Conradum elegisse, sed quosdam saltim, prout Auctor est GODEFRIDVS MONACHVS, ****

maxi-

maxime, dum plures Friderico minus fauerent, attamen inde non concluditur, solos fuisse, qui hodie dicuntur Electores. In Electione tamen Henrici Rasponis quidam saltim Principes, qui elegerint † memorantur. In electione Guilielmi Bataui certior fit mentio Electorum. †† In electione Richardi vero, Principes, qui votum in electione habent, septem numero ††† dicuntur. In electione Alphonsi isti memorantur, qui hodie Iura habent Electorum. ††††

* *Not. ad Lampadium p. III. c. IV. §. 2.*

** In Præfatione præfixa Codici Iuris Gentium diplomatico.

*** Extant hæc in ipso Codice I. G. dipl. prodr. *dipl. XI.*

**** ad a. 1237. *Eodem anno Fridericus Imp. ab Austria ascendit vsque Ratisponam, Principibus apud Spiream ad colloquium euocatis. Vbi cum quidam Principes conuenissent, ab eo ad conuiuium inuitantur. Filium etiam suum Conradum adhuc puerum, prius in Austria Regem Teutoniæ designatum, denuo ab ipsis obtinet approbari.*

† ALBERTVS STAD. ad a. 1246. *Heinricus, Landgrauius Thuringiæ, iuxta Herbipolin, in Ascensione Domini, a Moguntino & Coloniense, & quibusdam Principibus in Regem eligitur.*

†† CHRON. AVGVST. ad an. 1251. *Dominus Papa in Cœna Domini VVilhelmum Comitem Holandiæ iamdudum a quibusdam Principibus in Romanum Regem electum, multis episcopis præsentibus apud Lugdunum confirmat.* Quare etiam IO. de BECKA Chron. Vltraiect. p. 76. dicit, quod Wilhelmus electus fuerit per Officiales Imperii.

††† Verba sunt epistolæ Vrbani IV. ad Richardum, electum Regem Romanorum in LEIBNITII *Codice prodr. dipl. XIV.*

†††† CHRON. AVGVSTENSE ad a. 1267. *Principes regni pro eligendo Rege iam diu habitis diuersis conuentibus, tandem definitum electionis diem in octaua Epiphaniæ statuunt, in Frankenfurt celebrandum, vbi dum quidam conuenissent, Moguntinus, Coloniensis Archiepiscopus, & Ludwicus Comes Palatinus Rheni, ac frater suus Dominus Heinricus Dux Bauariæ, in Richardum fratrem Regis Angliæ conuenerunt: & electus ab ipsis subsequenter in die ascensionis Domini apud Aquis-*

Aquisgranum in Regem vngitur, & potenter in regni solio collocatur. Dominus autem Treuerensis episcopus cum aliis quibusdam Principibus, consentire nolens electioni praedictae, in media Quadragesima fretus literis & auctoritate Regis Bohemiae, Ducis Saxoniae, Marchionum de Brandenburch, & multorum Principum elegit Dominum Alphonsum Regem Hispaniae, qui electioni de se factae consensit persuasus a Regibus & principibus & amicis.

§. X.

Licet autem Interregni temporibus, potiora Electorum fundamenta sint quaerenda, reperiemus tamen iam ante eadem aliqua, quae originem dederint, momenta. Electio quidem olim penes omnes Principes, non infrequens tamen erat, vt hi communi consensu eandem certis proceribus relinquerent. Patet illud ex historia electionis Lotharii Saxonis, quae iudicio Archiepiscopi Moguntini & ipsius Lotharii fuit relicta.* Haec etiam ratio esse videtur, quod OTTO FRISINGENSIS Archiepiscopo Moguntino primam in electione vocem tribuat.** Inde sensim factum, vt proceres seu Officiales Imperii de rebus Imperii separatim consultarent, & proprium in electione formarent Collegium, de personis eligendis inuicem consultarent, easdemque denique omnibus Principibus proponerent, ita tamen, vt ipsi non secundum placitum eligerent, sed electio penes omnes esset Principes, ipsis saltim primas tenentibus. Patet hoc ex AVCTORE VETERI DE BENEFICIIS,*** dum ait: *Rex, quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordinari, secum ibunt de iure sex Principes, qui primi sunt in eius electione, vt pateat Apostolico Regis iusta electio.* Hunc locum plenius declarat SPECVLVM SAXONICVM.† *In Principis electione primus erit Episcopus Moguntinensis, Secundus Treuerensis, Tertius Coloniensis. Primus inter illustres Rheni Palentzgrauius (qui est dapifer) Secundus*

 Dux

Dux Saxoniæ (Marſcalcus) Tertius, Marchio Brandenburgenſis (Camerarius) Bohemiæ Rex pincerna, qui non eliget, quia noſtræ non eſt nationis. Secundum hoc omnes illuſtres Imperii, tam ſeculares quam ſpirituales eligant, non (ſed ſicut prædictum eſt) ſecundum eorum placitum eligere debent, ſed quem OMNES ILLVSTRES ELIGVNT, *eundem præ cæteris in regem nominabunt.* †† Ex hoc loco potius patet, ius prætaxandi fuiſſe Electorum, electionem omnium Principum.

* Notabilis eſt locus CHRONICI CASINENSIS, quod cum Innocentio II. an. 1143. deſinit lib. IV. c. LXXXIV. *Hoc præterea tempore, defuncto Henrico Imperatore V. conſules, præfecti, duces, ac principes communiter de Imperatoris electione tractare cœperunt. Placuit omnibus, electionem ipſam ex Archiepiſcopi Moguntini, & Lotharii Saxonum ducis pendere iudicio. Archiepiſcopus autem ferali odio aduerſus cognationem Henrici Imperatoris accenſus, Fridericumque & Conradum nepotes eius de Imperii culmine deiicere cupiens, Lotharium bellicæ rei ſcientiſſimum, religione, prudentiaque præcipuum ad tanti honoris apicem maxime idoneum prætulit.* Quare etiam OTTO FRISINGENSIS *lib. I. de G. Friderici I. c. XVI.* dicit, quod Albertus Moguntinus omnibus perſuaſerit, vt Lotharium in Regem eligant & ALBERTVS STADENSIS *ad a. 1126.* quod conſona voce eius electioni in publico adplauſerint. Immo locus WELBERTI, quem §. VI adlegauimus, ex parte conuenit. Patet hoc etiam ex epiſtola Innocentii III. XXIX. in qua de electione Ottonis: *verum cum tot vel plures ex his, ad quos principaliter ſpectat Imperatoris electio in eum conſenſiſſe noſcuntur.*

** Ipſe Fridericus I. apud RADEVICVM lib. I. c. XVI. ait: *liberam Imperii noſtri coronam diuino tantum beneficio aſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem Principibus, recognoſcimus, regalem vnctionem Colonienſi &c.* Huic etiam cum Proceribus potiſſimum Rempublicam curæ fuiſſe docet LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad a. 1066. *Principes regni archiepiſcopi Moguntinus & Colonienſis cum cæteris, quibus curæ erat reſpublica, crebra conuenticula faciunt.*

*** §. 3. ed.

*** §. 3. ed. Thomasianæ, qui eundem Speculo Saxonico haut indubie facit antiquiorem.

† *Lib. III. art. 57.*

†† Clarius adhuc in textu Germanico exprimuntur: *die aber zu dem ersten an der VVahl benannt sind, die sollen nicht wehlen nach dem Muthwillen, wem sie wollen, sondern welchen die Fürsten alle zu einem Kœnige erwehlen, den sollen sie aufs allererst bey Nahmen nennen und kiesen.* Eosdem Electores memorat IVS FEVDALE ALEMANNICVM *cap. VIII.* quod tamen adhuc recentius. Comprobat hanc sententiam EVCH. GOTTLIEB RINCK, *Analectis de Origine Electorum, Altdorfi 1712.*

§. XI.

Quod autem septem isti præ reliquis has prærogatiuas sibi sumserint, facilis est ratio, dum ecclesiastici quidem essent Archicancellarii, Seculares autem Officiales Imperii, quibus & viuis & mortuis Imperatoribus, negotia Aulæ & Imperii regenda concedebantur. * Addit LEIBNITIVS Moguntino hoc concessum ob primatum, Coloniensi ob thronum regni Aquisgranensem, qui in eius prouincia, Treuirensi ob palatium Treuirense, & posteriori tempore cœpisse trium Archicancellariatuum considerationem, quo etiam refert, quod in quatuor secularibus Officiatis quatuor regalium feudorum Dignitates, scilicet Regis, Ducis, Marchionis, Comitis, simul repræsentarentur. Ast, dum septem istis Regni officialibus præcipua Palatii & Imperii Iura semper fuerint, atque circa ista tempora, quibus certum constituere Collegium cœperunt, in certis Episcopatibus & Familiis facta fuerunt perpetua, illam rationem præualere putamus.

* *Cap. IX. §. 8. & sqq.*

§. XII.

Ex dictis patescit, nulla lege, sed tacita consuetudine primum introductum fuisse Collegium Electorale, ad quam to-

ties etiam prouocat Aurea Bulla. * Licet autem primas in electione semper habuisse videantur septem isti Principes, ita, vt prætaxandi Ius potius haberent, electio esset penes omnes, inualuerunt tamen Collegii Iura magis adhuc Interregni temporibus, ita, vt Principes turbato rerum statu, de propria potius solliciti securitate, sensim se subducerent, atque septem Officiatis relinquerent, de Imperio prospicere. Neque tamen vna vice omnes plane exclusi fuerunt reliqui Principes, quin in dissidiosa electione Richardi atque Alfonsi, & Comitis Palatini & Henrici, Ducis Bauariæ fiat mentio. ** In Electione Rudolphi Habsburgici præsentes memorantur Noribergensis Burggrauius & Comes Tirolensis. ***

* Tit. I. pr. *quoties Principes Electores ad electionem huiusmodi iuxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci.* Ad eandem prouocatur *Tit. II. §. 8.*

** CHRON. AVGVSTENSE *ad a. 1257.*

*** ALBERTVS ARGENTOR. *ad a. 1273.* GERARDVS A ROO Ann. lib. I. p. 13. *congregatis ergo principibus commodum adfertur nuntius, Richardum Anglum iam diem obiisse. Cum itaque nonnulli proponerentur, Mainardus Comes Tirolensis, vir magni inter principes nominis tres viros aliis praeferendos affirmabat, Bernardum Carinthiæ Ducem, Albertum seniorem Goritiæ comitem & Rudolphum Habsburgicum.*

§. XIIII.

Hoc autem postea legibus fuit adprobatum. **Primum** quidem Ius eligendi Regem Romanorum Ludouico Seuero, Comiti Palatino, eiusdemque fratri, Henrico, singulari Diplomate confirmauit Rudolphus Habsburgicus, * ita tamen, vt vnico saltim fruantur voto. Prima vero Collegii Electoralis confirmatio solennis facta fuit a Ludouico Bauaro in Comitiis Francofurtensibus anni 1339. quibus decretum, vt Electores Imperii, & nullus alius Regem Romanorum eligant, ** quo

quo ipso omnes Principes plane fuerunt exclusi. Inde vero Carolus IV. per Auream Bullam tanquam legem perpetuam atque pragmaticam Electorum iura firmiter constituit. Eligunt igitur hodie Electores, virtute regni, ita tamen, vt Ius Electorale terris Electoralibus inhæreat. ***

* Extat Diploma Augustæ Vindelicorum de an. 1275. apud TOLNERVM n. *CVII. p. 75.*

** GOLDASTVS *Tom. III. Const. p. 411.* CVSPINIANVS *vita Ludouici p. 476.*

*** Patet hoc ex verbis A. B. Tit. VII. §. 2. *virtute Regni & Principatuum suorum.* In Diplomate Rudolphi I. apud TOLNERVM n. CVII. *ratione Ducatus Bauariæ hoc eis competere ex antiquo.* In Diplomate Caroli IV. Ruperto Palatino concesso, apud TOLNERVM n. CXLIV. *das Truchsessen-Ampt, die Land, Mannschafft und alle Zugehœrunge, darauff die Chur und Stimme eines Pfaltzgraffen beym Rhein gegrundvestiget ist.* Idem confirmatur in Litteris Ludouici Brandenburgici super Electoratu Ruperti Senioris, an. 1356. concessis, apud LÜNIGIVM *Forts. der II. Contin. p. 8.*

§. XIV.

Post Originem pergimus ad Iura Electorum, * quæ habent præcipua, eademq; vel Legibus, vel Obseruantia Imperii sunt definita, & concernunt vel electionem & coronationem, vel negotia Imperii, vel propria. Præcipuum inter hæc est, quod soli isti Imperatorem eligant, ex quo etiam Ius conficiendi Capitulationem sibi vindicarunt. ** In coronatione soli Ecclesiastici coronant Imperatorem, *** singuli in solenni Coronationis festo soli cum Cæsare conuiuantur in publico, in sua quilibet mensa, Baldachino operta, cum cæteri Principes vni saltim mensæ accumbant. **** Ipsorum Legati in actu Coronationis etiam Regibus præferuntur, ***** extra dictos actus vero etiam Regiis Legatis cedunt, non æque Rerumpublica-

blicarum, Principes etiam antecedunt ****** in actu solenni equis incedunt, quod reliquis Principibus minime conceditur.

* Hæc Electorum Iura in summa exhibentur in LVNIGII *Gerechtsame p. I. p. 250.*

** Supra *cap. VI. §. XX.*

*** *cap. VII. §. XXVII. XXVIII.*

**** *c. VII. §. XXXIV.*

***** Epistola AEN. SYLVII ad Io. Capistranum apud MVLLERVM Friderico III. II. Vorst. cap. XI. §. I. *primum contentio orta est* (in Comitiis Neustadtensibus 1455.) *de præsidentia, Treuirensis archiepiscopus primum a dextris Cæsaris locum volebat, & post eum alii Electorum legati, episcopus Papæ legatus primum locum sibi deberi aiebat, & Orator Alfonsi Regis supra oratores Electorum.*

****** CAPIT. CAROLINA *art. III.*

§. XV.

Circa negotia Imperii ipsis conuenit, vt non in solenni solum Curia, sed reliquis etiam Conuentibus Imperii semper separatum & totale forment Collegium, quod primum in ordine. * Non nisi cum ipsorum consensu Imp. indicit Comitia. ** Habent etiam Ius Imp. de Comitiis, si Imperii salus illa requirat, admonendi. *** Imperator potest cum iisdem de certis negotiis, etiam vniuersum Imperium concernentibus, præconsultare. **** Ipsorum consensum requirere tenetur Imp. in concedendis vectigalibus, iure Stapulæ, regali monetæ, concedendis Feudis Imperio apertis. *****

* Hoc enim in Vnione Electorali de a. 1521. ab ipsis fuit definitum §. 10. & CAPIT. IOSEPHI art. XXXV. *bey ihren gesonderten Rath in Sachen das Heil. Reich betreffend, geruhiglich bleiben und gantz ungedrangt lassen.* Vid. infra *cap. XXII. §. LII.*

** Vide

** Vide supra *cap. XII.* §. *XXII.*

*** CAP. FERDINANDI IV. *art. XIV.* LEOPOLDI *art. XVII.* IOSEPHI *art. XVI.*

**** CAPIT. CAROLINA art. III. *in wichtigen Sachen, so das Reich antreffen, nach Anleitung der güldenen Bull, iedoch dem Friedens-Schluß ohne Abbruch, Ihres Raths, Bedenckens und Gutachtens, Vns gebrauchen, auch ohne dieselben hierinnen nichts vornehmen.*

***** De singulis hisce *cap. XII.* §. *XIX. sqq.*

§. XVI.

Alia ipsis ob singulares Prærogatiuas sunt propria. Sic ex arbitrio, inconsulto etiam Imp. Comitia Electoralia possunt celebrare. * Inde liberiorem facultatem habent emendi feuda Imperii, ita, vt emtionem istam confirmare teneatur Imp. ** Vtuntur iure de non euocando subditos, de non adpellando. *** In Camera Imperiali singuli Electores Ius habent præsentandi duos Assessores, **** cum alias integri Circuli non nisi totidem constituant. Ipsi non solum in aula Imp. præsentes, sed etiam ipsorum primarii Legati coram Imp. caput tegunt. ***** Pro inuestituris & confirmationibus iurium suorum nihil soluunt. † Electoratus tam ecclesiastici, quam seculares integri ac indiuisi debent manere. †† In eosdem Crimen Læsæ Maiestatis committitur. ††† Ipsi haut facile possunt proscribi atque deponi. ††††

* *A. B. tit. XII.* CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. VI.* CAROLI *art. III.* Vid. *cap. XXII.* §. *LII.*

** A. B. *tit. X.* §. *2.* LIMNÆVS *lib. III. c. II.*

*** A. B. *tit. XI.* §. *III.*

**** Vide infra *c. XXIV.* §. *LXI.*

***** ZWANTZIGS *Theatrum Præcedentiæ p. II. c. V.*

† A. B. *tit. XXIX.* §. *1.*

†† A. B. *tit. XX.*

††† A. B. *Tit. XXIV.* §. *I.* MVLLER *Friderico III. I. Vorst. c. XXIII.* §. *XLVI. XLVII.* L. B. de LYNCKER *vol. I. Resp. CXXXVII.*

†††† De singulis plenius egit THVLEMARIVS *Octouiratu c. XIX.* & IO. HENRICVS FELTZIVS *Dissertatione de Electorum Iuribus praerogatiuis, Argentorati 1710. 4.* & nouiter IOACHIMVS ERNESTVS CRÜGERVS discursu *de Nouem virorum iuribus, Colonia Brandenb. 1696. 4.*

§. XVII.

Requiritur tamen, vt Electores sint Teutonici, id est vel vtroque vel vno saltim parente Germano nati. * Concessum fuit Electoribus singulis per A. B. Ius de non euocando subditos & de non adpellando; ** Ius auri, argenti aliarumque Minerarum, *** Ius Monetandi, † Iudaeos recipiendi, telonia percipiendi †† feuda adquirendi. ††† Ordinauit etiam Carolus IV. vt Secularium Electorum Principes Iuuentutis a septimo aetatis suae anno in Grammatica, Italica ac Slauica linguis instruantur, †††† dum lingua Slauica pro statu illorum temporum in diuersis Germaniae prouinciis adhuc obtineret.

* Sic enim in Iure Prouinciali Alemannico c. XXIX. *aber die vier* (Layenfürsten) *sollen Teutsch-Mann seyn von Vater und Mutter oder eyntwedern.* Vid. LAMBECIVS *Comment. de Bibl. Vindob. lib. III. c. VIII. p. 826.*

** *A. B. cap. XI.*

*** *A. B. cap. IX.*

† *A. B. cap. X.*

†† *A. B. cap. IX.*

††† *A. B. cap. X.*

†††† *A. B. cap. XXX.*

§. XVIII.

Ad iura haec, aliasque Electorum Praerogatiuas defendendas ortum est *Pactum Vnionis*, siue Foedus inter Electo-

res

res, vulgo dictum *die Churfürsten Verein.* Primum igitur Fœdus Electorale Rensæ initum d. 16. Iunii 1338. * Ansam dabant attentata Benedicti XII. Papæ, qui sibi iura Imp. eligendi vindicabat. His vt obuiam irent, non solum tale fœdus inuicem fecerunt, pro defendendis electionis iuribus, sed etiam, quid inter illos fuerit conclusum, Papæ significarunt.** Alterum Pactum Vnionis a. 1399. fuit conclusum, occasione caussæ Hussiticæ, & Wenceslai negligentiæ, de iuribus ecclesiæ Romanæ & Imperii defendendis. *** Tertium ob eandem caussam Hussiticam a. 1424. fuit initum.**** Quartum Fœdus Electorale ab Electoribus, excepto Bohemo, fuit conclusum Francofurti 1438. † Occasionem dedit discordia inter Eugenium Papam atque Concilium Basileense. Crescente igitur Schismate, hac ipsa vnione se inuicem obstringunt Electores, se omnem operam eo esse collaturos, vt schisma tollatur, ipsique in vnitate semper permaneant. Quinta Vnio postea a. 1446. sub Friderico III. Imp. fuit confirmata. †† In hanc etiam Vnionem Dietherus Moguntinus atque Fridericus Palatinus, Electores in Conuentu Noribergensi a. 1461. sigillatim fuerunt recepti. ††† Hæc igitur Vnio sub Maximiliano I. Geilhusæ a. 1502. fuit repetita, demum an. 1521. in Comitiis VVormatiensibus sub Carolo V. renouata, †††† atque plenius declarata. Definiuntur enim in eadem Austregæ, Electores se denuo obstringunt ad seruandam Capitulationem, mutuam defensionem, & conseruationem iurium Electoralium. Si quid obueniat, cuius intersit Collegio Electorali, Electoris Moguntini esse, conuocare Collegium Moguntiam, Francofurtum, Gelhusam vel Fuldam. Singulis etiam Electoribus, qui succedant, liberum esse, an dictam Constitutiouem iurato velint acceptare. ††††† Hoc in genere dicitur *die Rheinische Verein.* Hæc Vnio demum mense Nouembri 1652.

 Pragæ,

Pragæ, quo Electores euocante Ferdinando III. conuenerant, per iuramentum renouata est, quod Io. Georgius I. Saxoniæ Elector, Collegii Senior a præsentibus exegit, & postmodum ipse præstitit. ††††††

* Germanico idiomate fuit conclusum, ast ex Autographo Germanico in latinum versum exhibet IO. GEORGIVS HERWARTVS *in Ludouico IV. defenso p. 751.* LÜNIG *im Teutschen Reichs-Archiv p. spec. I. p. 218.* & FELTZIVS *de prærog. elect. p. 28.* MÜLLER *Friderico I. Vorst. c. XXIV.* qui etiam in caussas inquirit, cur Cæsaris & Bohemi in eadem nulla facta fuerit mentio. Interfuit tamen Ludouicus, qui saltim sub Imperii nomine venit, quia erat excommunicatus, Bohemiæ tamen Rex Iohannes Ludouico tunc aduersabatur.

** GOLDASTVS *Constit. Tom. I. p. 100.*

*** Extat illud in OBRECHTI *apparatu Iuris Publici ab initio.* MVLLER *I. Vorst. c. XXIII. §. VI.*

**** De hac MVLLER *I. Vorst. c. XXIII. §. X.*

† Exhibet hoc fœdus GOLDASTVS *in Politischen Reichs-Handeln p. VIII. p. 214.* THVLEMARIVS *cap. XIX. p. 294.* MVLLER *I. c. IV. §. VIII.*

†† De hac MVLLER *I. Vorst. c. XXIII. §. XIII.*

††† Prout hoc ex ipsis Actis demonstrauit MVLLER *IV. Vorst. c. IV.*

†††† GOLDASTVS *c. l. p. 217.*

††††† Plenius de eadem egit VVILDVOGELIVS Dissertatione *de Vnione Electorali.* FELTZIVS *de Electorum iuribus prærogatiuis.*

†††††† THVLEMARIVS *c. l. §. 35.* S. H. G. *Diss. XXXV. §. XLII.*

§. XIX.

Alia Vnio Electoralis particularis inter quatuor saltim Electores Rhenanos, Moguntinum, Coloniensem Treuirensem, & Palatinum Vesaliæ ad Rhenum a. 1519. fuit inita quæ vocatur *sonderbahre Rheinische Verein.* * Occasionem dedit Interregnum, quod post mortem Maximiliani I. fuit ortum, obligant

gant igitur dicti Electores sese ad mutuam defensionem. Hæc autem Vnio licet primum ad tempus Interregni saltim fuerit restricta, ** postea tamen tacite fuit continuata, immo, primum in Capitulatione Matthiæ Electores Imp. obligarunt ad confirmandum *die gemeine und besondere Rheinische Verein*, quod posterioribus etiam fuit insertum. †

* Exhibetur apud GOLDASTVM *Polit. Reichs-Handeln p.* VIII. *tit.* II. & *de regno Bohemiæ c. VII.* Ex quo VVILDVOGELIVS *c. IV. §. 2.* FELTZIVS *p. 37.*

** *Bis so lang ein Ræmischer Kænig und weltlich Haupt der Christenheit einmüthiglich erwehlt, und fürter mit der Kæniglichen Crone wie sich gebührt, gekrænt ist, und nicht langer.* Ex quo etiam aliqui concludunt, in Capitulationibus aliam intelligi debere. Verum, dum aliam non habeamus, inferimus potius, istam tacite fuisse continuatam. S. H. G. *Diss. XXXII §. IV.*

† CAPIT. MATTHIÆ *art. IV.* LEOPOLDI & IOSEPHI *art. VI.* CAROLINA *art. III.*

§. XX.

Singularis quoque Electorum est prærogatiua, quod Reges & Respublicæ exteræ Electores titulo Celsissimi & Serenissimi ornent, legatis eorum Excellentiæ titulus concedatur, immo his etiam quædam Prærogatiuæ præ Principum Legatis tribuantur. * In Tractatibus Pacis VVestphalicæ Brandenburgico potissimum a Gallis super titulo *Serenitatis* scrupulus mouebatur. ** In Tractatu tamen fœderis Regiomontani de a. 1656. in latino Exemplari titulus *Serenissimi & Serenitatis Electoralis* a Gallis Brandenburgicis fuit datus, *** atque in renouato fœdere de a. 1664. † In Tractatibus Pacis a. 1679. in Fano S. Germani †† inter Gallos Suecosque & Fridericum Guilielmum Electorem conclusis, titulus *Celsitudinis Electoralis* ipsi conceditur *Son Altesse Electorale*. In Pace Velauiensi,

& Oliuensi titulus *Serenissimi* Brandenburgico datur.††† In Pace Ryswicensi quæ Imp. tanquam Imperii Caput, concernebat, saltim dicuntur *Domini Electores.*

* Dicendum de eodem inferius, vbi de Legationibus Statuum agendum. Videri interim potest EVROP. HEROLD *p. I. p. 190.* & CRÜGER *de Nouemuiris p. spec. m. I. disc. II.*

** PVFENDORF *Rer. Brand. lib. II. §. 21.*

*** PVFENDORF *lib. VI. §. 12.*

† PVFENDORF *lib. IX §. 59.*

†† PVFENDORF *lib. XVII. §. 80.* MEMOIRES DE LA PAIX *de Nimegue Tom. IV. p. 490.*

††† PVFENDORF *lib. VI. §. 77.*

§. XXI.

Duplex autem Electorum est Ordo, Ecclesiasticus atque Secularis. Ecclesiasticum constituunt tres Archicancellarii, Moguntinus, Coloniensis, Treuirensis, qui iam seculo IX. præcipuæ apud Germanos fuerunt auctoritatis. * Secularem Officiales Imperii, Bohemus, Bauarus, Saxo, Brandenburgicus, Palatinus, Brunsuico - Lüneburgensis. Vtrorumque constitutio est diuersa: Ecclesiastici quidem fiunt electione, seculares successione. Ecclesiastici Electores a Capitulis suis eliguntur, more apud pontificios solenni, non, quod Capitula legant Electorem, sed Archiepiscopum, qui tamen ex Lege Imperii A. B. fit Elector, & de Electoratu, eoque pertinentibus Terris ab Impp. inuestitur. Adpellantur isti ab Imp. communiter *Nepotes, liebe Neven und Churfürsten*, cuius iam antiqua extant exempla. ** Scilicet, generalis erat titulus Nepotis, qui notabat quemuis adgnatum, & dum honori sibi ducerent Impp. adgnationis Iure coniungi cum Archiepiscopis, hoc titulo perpetuo fuerunt vsi. Ecclesiastici in A. B. vocantur *Venerabiles*, Seculares *Illustres*. Per nuperam

ram vero Capitulationem Carolinam obtinuerunt titulum: *Hochwürdigste, Durchlauchtigste.* *** Singularis quoque Moguntini est prærogatiua, quod Imp. ipsum compellet *Ew. Liebd.* **** quod etiam Electoribus, qui Regiam dignitatem fuerunt adepti, conceditur, licet erga alios in Actis Iudicialibus vtatur, *deine Liebden.* Electores Ecclesiastici, si Principes non sint, vocantur *Churfürstliche Gnaden*, licet illis, qui Principis dignitate præfulgeant, Serenitatis Titulus æque tribuatur.

* Patet hoc ex ANN. FVLD. ad a. 820. *habita est autem & synodus in ciuitate Colonia iussu Hludouuici regis VI. die Kal. Octob. præsidentibus Metropolitanis Episcopis prouinciarum, Luitberto Moguntiensium, Berthulfo Treuerorum, Williberto Agrippinensium, cum cæteris Saxoniæ Episcopis.*

** Plurimum adhuc disceptatur quando Impp. hos Archiepiscopos adpellare cœperint, *liebe Neven.* PETRVS HEIGIVS *Quæst. Saxon. p. I. qu. IV. n. 62.* auctor est, Fridericum III. in Reformatione Francofurtensi a. 1442. §. IX. Theodericum Coloniensem primum sic compellasse. LIMNÆVS vero *lib. III. c. III. n. 37. sqq.* hæc ad Ruperti tempora reiicit. Idem adserit DATT *de Pace Publica lib. I. c. XXI. n. 28.* Verum, ad tempora antiquiora hoc iam esse referendum, docet nos EGINHARDI *Epistola XXXIV.* ad Lotharium, Ludouici Pii filium, in qua: *quapropter admonendum censui neptitatem vestram.* Quod si tamen Diplomata antiquiora euoluamus Impp. dictos Archiepiscopos saltim vocant *Venerabiles.* Henricus IV. equidem Adalberonem Episcopum Bambergensem in Rescripto de a. 1076. vocat: *dilectum suum Nepotem*, apud GOLDASTVM *Tomo vno p. 231.* sed erat ipsius consobrinus, prout HOFMANNI *Annales Bambergenses* nos docent *lib. II. §. XXVIII.* Inualuit postmodum, vt Impp. dictos Archiepiscopos vocarent: *Principes suos dilectos atque carissimos.* In Diplomate Friderici II. apud LVNIGIVM *Spicil. Eccl. Forts. I. Theils p. 34.* Sifridus, Archiepiscopus Moguntinus vocatur: *dilectus amicus noster.* Adolphus Imp. Gerhardum, Moguntinum Archiepiscopum in Diplomate de a. 1292. vocat *Consanguineum suum*, apud LVNIGIVM p. 43. qui vere talis erat. A

Caro-

Caroli IV. temporibus vero inualuit titulus Consanguineis prout frequentia ipsius Diplomata testantur. In Tabulis Foederis Ruperti Imp. & Ciuitatis Imperialis Spirensis de an. 1408. quod extat apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXXV.* hicce Titulus Electoribus Ecclesiasticis iamdum tribuitur. Idem Rupertus in Diplomate Albae Dominorum a. 1408. concesso in DOCVM. WÜRTENBERG. *n. XX. p. 171.* Fridericum Coloniensem vocat, *unsern lieben Neven und Churfürsten.* Eadem ratione compellat Wernerum Archiepiscopum Treuirensem apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXXXII.* atque an. 1423. Conradum Moguntinum apud LVNIGIVM *c. l. p. 60.* Plenius de hac materia in GVNDLINGIANIS *p. XI. n. I.* THVLEMARIVS *c. VIII. §. X. seqq.*

*** Non solum in Capitulationis Carolinae Procemio hic titulus ipsis tribuitur, sed etiam in art. III. decernitur: *denenselben, wie bereits im Eingang dieser Vnserer Capitulation geschehen, also auch fürohin, das Prædicat respectiue Hochwürdigst und Durchlauchtigst zulegen, und damit continuiren.*

**** Licet iamdum Fridericus I. in Epistola ad Hillinum Treuirensem de a. 1157. hac formula vtatur: *Conquerimur Dilectioni vestræ* apud LVNIGIVM *c. l. p. 214.*

§. XXII.

In Constitutione vero Electorum secularium locum habet successio linealis adgnatica, ita, vt quis ex Iure successionis omnia Iura Electoralia adipiscatur, quae per actum inuestiturae confirmantur. Distinguendae tamen sunt Terrae Electorum in Electorales atque haereditarias alias. Terrae Electorales istae sunt, quae Electoratui ita nexae, vt ab inuicem diuelli nequeant. Hae sunt Regis Bohemiae Regnum Bohemiae, Electoris Bauariae, Ducatus Bauariae, Electoris Saxoniae Tractus Saxonicus ad Albim, qui vulgo dicitur der *Chur-Creyß*, cuius Witteberga est caput, * Electoris Brandenburgici Marchia, ** Electoris Brunsuico-Lüneburgensis Ducatus Hanoueranus & Cellensis, qui iunctim in Electo-

ratum

ratum fuerunt euecti. Terræ hæreditariæ vero Electorum sunt, quos vel iure hæreditario vel aliunde adquisiuerunt. Istæ nec diuisioni nec dispositioni paternæ sunt obnoxiæ, sed soli primogenito cedunt. *** In his vero vtrumque obtinet, nisi vel pacta, vel obseruantia adsint contraria. Exemplo nobis sit Testamentum Io. Georgii I. Saxoniæ Electoris, qui primogenito Io. Georgio II. Electoratum cum terris potioribus, secundogenito Augusto Thuringiæ partem, tertiogenito Christiano Episcopatum Merseburgensem cum Lusatiæ parte, quarto genito Mauritio Episcopatum Numburgensem, Voigtlandiæ & Comitatus Hennebergici partem libera dispositione reliquit. ****

* Hinc etiam in litteris inuestituræ a Sigismundo, Friderico Bellicoso Misniæ Marchioni de Saxonia concessis, distinguuntur *Churfürstenthum und Hertzogthum zu Sachsen*, apud LVNIGIVM *teutschem Reichs-Archiv p. spec. II. p. 6.*

** In Diplomate Friderici Imp. Alberto Brandenburgico concesso, apud MÜLLERVM *Friderico p. V. c. XVI. p. 505. das Kurfürstenthum, die Marck zu Brandenburg mit samt der Kure und dem Ertz-Cammer-Ambt des heiligen Reichs.*

*** A. B. *tit. XXV.* §. 2.

**** Extat Testamentum Io. Georgii I. apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. spec. II. p. 169.*

§. XXIII.

In hac autem successione vel soli filii adsunt, vel secundogeniti filius concurrit cum patruo tertiogenito, vel soli adsunt adgnati remotiores. In primo casu, primogenitum, si Laicus sit, * saltim succedere, extra omne dubium est, ita, vt in eiusdem linea, quousque duret, iure primogenituræ semper obseruato, continuetur successio. Nisi forte hic mente captus, fatuus, seu ob alium defectum notabilem regimini præesse nequeat, tunc enim successio defertur secundogeni-

to,

to, vel si hic non adsit, proximo adgnato. ** Idem est, si primogenitus iuri suo renuntiauerit. Exemplum habemus in Friderici I. Electoris Brandenburgici filio primogenito, Ioanne Alchymista, Electoratum Friderico II. fratri secundogenito relinquente. ***

* Clericum enim a successione in Electoratum excludi, testatur H. STERONIS *Contin.* ad an. 1313. *& Dux Saxoniæ Senior, qui in Episcopum Patauiensem a Sede Apostolica erat deputatus, nondum tamen eandem sedem ascenderat, sciens, se frustratum in electione & perfectione Monarchæ, iunioremque Ducem, fratrem suum, timens, eligere volens Ducem Bauariæ Superioris nomine Ludouicum, occasione electionis, gratiæ Apostolicæ renuntiauit, & quod Senior erat, illico habilis fuit eligendo, Ducemque Austriæ cum reliquis sublimauit.*

** Hoc enim claris verbis disponit A. B. *tit. VII.* §. *2.* & *tit. XXV.* §. *2.*

*** AENEAS SYLVIVS *de Statu Europæ c. XXXI.* CERNITIVS *de Elect. Brandenburg. p. 12.* RENSCH *Brandenburg. Cedernbayn p. 586.* THEMARIVS *c. XXIII.* §. *14.*

§. XXIV.

Alter casus est, si mortuo sine liberis primogenito, concurrat huius nepos ex secundogenito, & frater tertio genitus, tunc fratrem, licet sequius genitum, præferendum esse fratris filio præscribit A. B. quæ fratrum successionem requirit, quousque adsint. * Exemplum habemus in domo Saxonica, in qua, mortuo 1370. sine liberis Rudolpho II. controuersia oriebatur, an Ottonis, fratris secundogeniti filius, Albertus, an vero frater tertiogenitus Wenceslaus in successione sit præferendus. Carolus IV. in Comitiis Electoralibus Francofurti an. 1376. celebratis, pro Wenceslao, fratre tertiogenito pronuntiauit. ** Simile exemplum in domo Palatina extitit. Defuncto enim a. 1544. sine liberis Ludouico

Ele-

Electore, quærebatur, an fratris ſecundo geniti Ruperti filius Otto Henricus, an frater tertiogenitus, Fridericus ſuccedere debeat, & quidem pro Friderico fuit deciſum, adprobante etiam Ottone Henrico. ***

* A. B. Tit. VII. §. 3. *ſi vero primogenitus huiusmodi, absque heredibus maſculis legitimis Laicis ab hac luce migraret, virtute præſentis Imperialis edicti, ius, vox & poteſtas electionis prædictæ, ad ſeniorem fratrem Laicum, per veram paternalem lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primogenitum Laicum deuoluatur.*

** Integrum caſum late refert GOLDASTVS *de iure repræſent. in primogenitu* §. 26. & 36. Schema tale erat:

Rudolphus
Elector † 1356.

Rudolphus II Elector † 1370. ἄπαις	Otto, Dux Saxoniæ † 1349.	Wenceslaus Elector Saxoniæ † 1388.
	Albertus Dux Saxoniæ † 1385.	

*** GOLDASTVS *c. l.* §. 31. LVNIG *Reichs-Archiv p. ſp. I. p.* 657.

§. XXV.

Tertius caſus eſt, ſi adgnati adſint remotiores. Sæpius de eodem fuit diſceptatum. Sub finem ſeculi decimi ſexti atque initium decimi ſeptimi, ardua in domo Saxonica agebatur controuerſia, an Linea Altenburgenſis, an vero Vinarienſis, exiſtente caſu, in Electoratum Saxoniæ ſuccederet. * Altenburgenſis ſe fundabat in iure Primogenituræ, quod huic lineæ primogeniti conueniret, eo quod in A.B. ſucceſſio ſecundum eandem definiatur, atque veram paternalem li-

lineam, seu successionem linealem adgnaticam. Hanc A. B. speciali Bulla a Carolo IV. in Comitiis Electoralibus Francofurtensibus a. 1376. Wenceslao, Saxoniæ Electori concessa, eadem ratione fuisse declaratam. ** Sic etiam in Bulla Sigismundi de a. 1414. & 1434. de iure & successione Electorum Palatinorum, idem ius primogenituræ, atque successionem linealem adgnaticam vberius fuit definitum. Vinarienses vero prouocabant ad Senioratum siue Maioratum, eo quod in A. B. dicatur, quod successio, extincta primogeniti progenie, venire debeat ad Seniorem fratrem vel consanguineum laicum. Dein in Bulla Wenceslai dicatur, quod extincta omni progenie, successio ad proximiorem hæredem, secundum lineam paternalem, duntaxat Laicum, Ducem Saxoniæ, ac ejus hæredes legitime deuoluatur.*** Controuersia per singulare decretum Rudolphi II. de a. 1607. pro Altenburgensibus & iure primogenituræ fuit definita, desuper protestantibus & adpellantibus Vinariensibus. Dum autem casus non existeret, prognatis in Linea Electorali hæredibus, res effectu fuit destituta.

* Agitatum de ea controuersia fuit scriptis, caussam Altenburgensem potissimum defendit ARNOLDVS ENGELBRECHT; caussam Vinariensem MELCH. GOLDASTVS *de Maioratu & de iure repræsentationis in primogenitura Imperii Germanici.* Integram controuersiam exponit FRIDERICVS HORTLEDER *im wahrhafften und gegründeten Bericht, was in dem erregtem Præcedenz- und Primogenitur-Streit vorgelauffen,* 1613. 4. Schema tale erat:

Ioannes Guilielmus

Lin. Altenburgensis	*Lin. Vinariensis*
Fridericus Guilielmus	Ioannes
Io. Philippus n. 1597.	Io. Ernestus n. 1594.

Plu-

Plura scripta circa successionem linealem recenset LVDEWIG *ad A. B. p. 766.*

** Extat hæc Bulla apud LÜNIGIVM *p. spec. p. 602.*

*** Extat hæc Bulla Wenceslao data, apud GOLDASTVM *Tom. I. Constit. f. 373.* FREHERVM *de Successione Electoratuum p. 597.* in eademque hæc verba occurrunt: *Succedant ita videlicet primogenitus, primogeniti filius & descendentes ab eo ex ordine genituræ: ex tunc his extinctis secundo genitus & eius filius senior & eius descendentes: tunc, hisce extinctis, tertiogenitus & eius descendentes & deinceps per talem modum directe descendentes.* STRAVCH *dissert. Exot. II. §. 5.* In Bullam Sigismundi sigillatim commentatus est FREHERVS, qui Commentarius, vti & reliqua scripta huc facientia, extant in Repræsentatione Imperii, *Noribergæ 1657. 4.*

§. XXVI.

Noua suborta fuit controuersia, extincto a. 1685. Carolo Palatino Electore, Lineæ Simmerensis vltimo. Tunc enim successionem ex iure lineali adgnatico atque lineæ prioritate petebat Philippus Guilielmus Neoburgensis, contradicente Leopoldo Ludouico, lineæ Veldentinæ, seniore & proximiore adgnato.* Hic quidem caussam suam & coram Imp. & in Comitiis agebat, præualuit tamen Neoburgicus, qui ab Imp. inuestitus, atque ab Electoribus fuit receptus. **

* Caussam Neoburgici, ideoque successionem linealem defendit singulari Dissertatione IO. WOLFGANG TEXTOR, cui respondet IO. SCHILTERVS *Comment. ad II. F. L. de natura successionis feudalis*, quæ accessit ipsius Codici Iuris Feudalis Alemannici, inde varie scriptis inter se egerunt, quæ adnexa sunt SCHILTERI Tractatui de Paragio.

** EVROP. HEROLD *p. I. p. 292.* Pluribus de hac controuersia egit KVLPISIVS *in Comment. ad Montzambano cap. II. §. 5.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XIV. §. 13.* A parte etiam Veldentini prodiit *Erleuterung des Pfaltz-Veldentzischen Succesions-Rechtens, zu der letzt erledigten Pfaltzischen Chur und angehœrigen Landen, Stras-*

burg 1688. 4. Vid. scripta controuersa apud LONDORPIVM *Tomo XII. p.* 215. 232. 235. 482. LVNIGS *Gerechtsame p. II. p.* 83. Add. L. B. de LYNCKER *ad A. B. p.* 51. 52. S. H. G. *Diss XXXVII. §. LX.* LVNIGS *Gerechtsame p. I. p.* 556.

§. XXVII.

Sed de eo videndum, an Elector, cui ex legitima successione alius obuenit Electoratus, eundem habere, atque duos possidere possit Electoratus. Antiquitus quidem haut infrequens erat, vt vnus duos possideret Ducatus, prout Henricus Auceps Saxonum & Thuringorum Dux erat. * Otto M. generum suum, Conradum, Franconiæ Ducem fecit & Lotharingiæ. **Sic etiam Franconiæ & Sueuiæ Ducatus subinde iuncti fuerunt. Dubitabatur tamen de eo seculo XII. dum Henricus Superbus duos possideret Ducatus, Bauariæ atque Saxoniæ. Conradus III. enim Imp. Albertum Vrsum in Saxoniæ Ducatu firmare nisus iniustum esse perhibebat, quenquam Principum duos tenere Ducatus. *** Neque hodie illud facile concedi posse putamus, cum A. B. numerum Electorum velit conseruari. Quare etiam in pactis confraternitatis inter Domum Saxonicam, Brandenburgicam atque Hassiacam conclusis, fuit definitum, vt extincta domo Brandenburgica vel Saxonica, terræ quidem diuiderentur, Electoratu tamen Hassis semper manente. **** Prouocatur quidem ad Exemplum Sigismundi, qui æque Rex Bohemiæ atque Elector fuerit Brandenburgicus, quod tamen non procedit, dum viuo adhuc Wenceslao, Rege Bohemiæ † Electoratum Brandenburgensem Friderico Burggrauio concederet Sigismundus. Deinde prouocatur ad exemplum Friderici Palatini, qui Elector Palatinus in Regem Bohemiæ coronari voluerit, cui tamen ipsi contradixerunt Electores. †† Tertio ad Imp. prouocatur, qui simul esse possit Elector. †††

Verum,

Verum, plane alia est ratio, dum hoc modo integer conseruetur numerus Electorum.

* Prout dicitur LVITPRANDO *lib. II. c. VII.*

** CONTIN. REGINONIS *ad a. 943.* SIGEBERTVS GEMBL. *ad a. 944.*

*** OTTO FRISINGENSIS *de G. Friderici I. lib. II. c. VII.*

**** Extat hoc Pactum de an. 1614. apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. spec. II. p. 154.*

† Hic enim Regnum Bohemiae ad mortem vsque tenuit, quae demum 1419. fuit insecuta, dum concessio Electoratus Brandenburgici 1417. facta.

†† LVDOLPHS *Schau Bühne lib. XX. c. II. p. 755.*

††† Argumentum hoc est THVLEMARII *de Octouir. cap. XXIII. §. XXI.* Late de hac materia disputat LIMNAEVS *pr. addit. ad lib. III. c. VII. p. 349.* & Auctor Quaestionis: *An Elector duos Electoratus vno & eodem tempore possidere queat.*

§. XXVIII.

Quaeritur etiam, an pater & filius diuersorum Electoratuum possint esse possessores. Hoc quidem fieri haut facile posse, * Sigismundus Imp. declarauit, dum Ludouicus Palatinus & Fridericus Brandenburgicus pro filiis suis Saxoniae Electoratum peterent. Ast, dum etiam hac ratione integer conseruetur numerus Electoralis, A. B. hoc minime contrariari putarem. Tempore Friderici III. Imp. dubitabatur an duo fratres simul esse possint Electores. ** Denegabat ea ex ratione Friderico Palatino Electoratum Imp. dum huius frater Rupertus, Elector iamdum esset Coloniensis. *** Ast, plura Exempla sunt in promptu. Sic enim seculo iamdum XII. Bernhardus Dux erat Saxoniae, Otto Marchio Brandeburgicus, vterque Alberti Vrsi filius atque Imperii Officialis; Caroli IV. filii VVenceslaus atque Sigismundus, iste Elector Bohemiae, hic vero Brandenburgicus. Ernesti Saxo-

niae

niæ Electoris filii, Fridericus III. Saxoniæ, Albertus Moguntinus Elector, Ioachimus I. Brandenburgicus erat Elector, frater ipsius Albertus, Moguntinus.

* Sigismundus Imp. *im Bekantnüß Brief über das Churfürstenthum Sachsen* apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. II. p. 103. wiewohl Kayserl. Maiestat der zween Churfürsten Bitte gern erhœret, so hatte doch dieselbe inniglich betrachtet, Gottes und des Heiligen Reichs Ehre, das nicht viel gehœret, und frembd wære, das Vatter und Sohn solten zwey Churfürstenthümer besitzen.* MÜLLER *Hist. Friderici IV. Vorst. c. XIII. §. IX.* S. H. G. *Diss. XXIX. §. XXIX.*

** CAMPANVS lib. VI. ep. XIII. *non oportere duos simul fratres potestatem habere Cæsaris eligendi.*

*** MÜLLER *V. Vorst. c. IX.*

§. XXIX.

Quod si vero Princeps Elector legitimam ætatem nondum attigerit, proximus adgnatus, senior & Laicus eiusdem tutelam gerit, vsque dum annum ætatis decimum octauum adimpleuerit, prout in A. B. constituitur, * licet illud iam olim obseruantia obtinuerit. ** Confirmatur illud per Bullam Sigismundi Aquisgranensem de an. 1414. in domo Palatina. Disquiritur autem, an non Tutela Testamentaria æque locum habeat. Orta hæc controuersia sub initium superioris seculi, mortuo Friderico IV. Palatino, qui Ioannem Bipontinum filio suo adhuc minorenni Friderico V. præterito proximiore Adgnato, Philippo Ludouico Neoburgico, tutorem constituit. Inde controuertebatur, quænam tutela præualeat, an legitima, an vero testamentaria. Pro illa faciebat textus A. B. & dictæ declarationis atque exempla, Ludouicus IV. a. 1449. filio suo Philippo designauerat tutores Archiepiscopum Moguntinum & Vdalricum, Comitem de VVürtenberg, obtinuit tamen contra eosdem frater Ludouici, Fridericus. Sic etiam Io. Casimirus, frater Ludouici an. 1583. præualuit tutoribus

toribus teſtamentariis. Pro teſtamentaria autem tutela adlegatur, Textum A. B. de eo agere, ſi pater filio ſuo de tutore non proſpexerit. Addit DIONYSIVS GOTHOFREDVS, olim in familia Palatina eandem fuiſſe vſitatam, dum Otto ex teſtamento tutor Ludouici IV. electioni Alberti II. interfuiſſet, atque tutelam ad annum 1442. vsque geſſiſſet. Sic etiam Rudolphum II. Imp. confirmaſſe a. 1581. diſpoſitionem teſtamentariam de tutela Electoratus Palatini ab Ludouico Palatino Electore factam, eandemque a Camera fuiſſe adprobatam, & quæ argumenta a libertate vltimæ voluntatis, quæ legibus reſtringi non poſſit, atque alias ſumuntur. Per decretum Rudolphi II. XX. Iulii 1611. & Collegium Electorale Tutor Teſtamentarius in poſſeſſione fuit confirmatus, vsque dum aliter vel Lege vel Transactione lis iſta componeretur. *** Facile autem patet, cur legitimam tutelam definiuerit Carolus IV. dum alia nec moribus, nec legibus Germanorum iſto tempore fuerit nota. Teſtamentaria demum, inualeſcente iure Ciuili, fuit introducta. Hanc tamen æque circa Electores minorennes obtinere crederem, quia communi vſu in Germania fuit recepta, per quem etiam A. B. poterit derogari, eademque ab Impp. etiam atque Camera, vti diximus comprobata. Hoc certum eſt, in Domo Saxonica, vtriusque Lineæ, hucusque inualuiſſe tutelam legitimam. Et, cum Chriſtianus I. Elector a. 1598. diſpoſuiſſet, vt præter proximum adgnatum Fridericum Guilielmum Altenburgenſem, ipſius vidua vna cum Ioanne Georgio, Electore Brandenburgico tutelam gereret, ita inter eos conuenit, vt Fridericus Guilielmus Res Imperii ſolus; Adminiſtrationem terrarum cum reliquis gereret. ****

* Tit. VII. §. IV. *ſi principem electorem, ſeu eius primogenitum aut filium ſeniorem laicum mori & heredes maſculos legitimos laicos de-*

 fectum

fectum ætatis patientes relinquere contigerit: tunc frater senior eiusdem primogeniti tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit. Quam in principe electore decem & octo annos completos censeri volumus & statuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, ius, vocem & potestatem & omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur adsignare. Licet in hoc textu saltim fratris tutela definiatur.

** In Instrumento Electionis Alberti II. apud MVLLERVM Friderico, II. Vorst. c. II. *nec non Ottone Comite Palatino & Duce Bauariæ Illustris Domini Ludouici, Comitis Palatini Rheni & Bauariæ Ducis, Archidapiferi & Principis Electoris, patruo, tutore, & Curatore ad actum infra scriptum ex legibus & obseruantia Sacri Romani Imperii deputato.* Frustra igitur contrarium adserit LVDEWIG *ad A. B. p. 719.*

*** PARÆVS *Hist. Palat. p. 369.* Caussam tutelæ testamentariæ defendit DIONYSIVS GOTHOFREDVS & MARQVARDVS FREHERVS. Pro legitima vero tutela egerunt GEORGIVS CLEMINIVS, IO. ZESCHLINVS & CHRISTOPHORVS GEWOLDVS, cuius scripta controuersa cum Frehero reperiuntur in Repræsentatione Reipublicæ Germanicæ & LIMNÆVS *lib. I. c. XI. n. 103.* De his scriptis plenius in *Bibl. Iuris c. XIV. §. XXII.* Varia Acta publica tutelam hanc testamentariam concernentia reperiuntur in MEYERI *Londorpio suppleto Tomo I. p. 264. 284. 399. 614.* LVDEWIG *ad A. B. p. 721.* Defendit æque Tutelam Testamentariam IO. CASP. VNRATH apud FRITSCHIVM *Exerc. I. P. p. II. n. I.*

**** EVROP. HEROLD. *p. I. p. 217.*

§. XXX.

Excipitur tamen Regnum Bohemiæ. Status enim eiusdem Regni sibi tutelam Regis adhuc minorennis vindicant. Disceptabatur de eodem in electione Caroli V. inter Sigismundi Poloniæ Regis & Bohemici regni legatos, vtri ad electionem sint admittendi. Legati Polonici nitebantur tenore

re A. B. Quam legem ad ſe pertinere negabant Bohemi, quibus in ipſa hac Bulla priuilegia antiqua fuerint confirmata, † ipſis autem ex priuilegio Caroli IV. hoc deberi. Obtinuerunt etiam Bohemi. †† Quare anno 1619. petebant, vt admitterentur ad electionem Ferdinandi II. in Imp. vacante throno, dum electionem Ferdinandi II. in Regem Bohemiæ tanquam illegitimam reiicerent. †††

† *Tit. VII. §. 5.* licet iſta verba ſaltim ad caſum directa, ſi regnum plane vacare contingat.

†† Quid in hac controuerſia actum, exponit GOLDASTVS *Polit. Reichs-Handeln p. I. p. 26. & ſqq.* S. H. G. *Diſſ. XXXII. §. IV.*

††† Extat ea de re Scriptum Statuum Bohemicorum apud LONDORPIVM *Tom. I. lib. IV. c. LXIII. p. 661.*

§. XXXI.

Sed de eo disquiritur, annon annus ætatis decimus octauus poſſit anticipari. Generalis quidem videtur eſſe Textus A. B. vbi dicitur, quod Tutor & adminiſtrator eſſe debeat ſenior Adgnatus Principis Electoris, qui annum ætatis decimum octauum non adimpleuit. Communiter tamen diſtinguitur inter ius & vocem in electione Imperatoris, atque Electoratus adminiſtrationem: ad illam requiri annum decimum octauum completum, de quo A. B. definiat, quæ per Sigismundi Conſtitutionem declaretur, * non æque ad hanc. Inde Fridericus Placidus Saxoniæ Elector, nondum anno XVII. ætatis completo, a. 1428. adminiſtrationem Electoratus ſuſcepit. ** Ex eadem ratione Ioachimus I. Elector Brandenburgicus, conſilio Friderici Electoris Moguntini, patrui, anno ætatis XVI. ſine tutore Electoratum fuit adgreſſus. *** Ludouicus Elector Palatinus, fratri ſuo Ludo-

uico filium suum vnigenitum Philippum, vnum duntaxat ætatis annum habentem, moriturus commendabat, ita, vt cum Philippus annum XVII. attingeret, ei paternum principatum & dominium restitueret. † Sic etiam Fridericus IV. nondum plene completo anno ætatis XVIII. a. 1592. Regimen suscepit. †† Bohemi iterum hic priuilegium obtendunt, illorum Reges anno ætatis XIV. fieri maiorennes, quare etiam Leopoldus anno ætatis XVIII. nondum adimpleto an. 1657. ad electionem fuit admissus. ††† Singulare occurrit Exemplum in hodierno Electore Coloniensi, Iosepho Clemente, qui licet a. 1671. natus, tamen a. 1688. etiam extra Electionis actum ad Collegium Electorale fuit admissus, vt eo facilius Fürstenbergii moliminibus resisterent, †††† sine tamen præiudicio. Vsu quoque inualuit, vt vna cum Electoratu etiam aliarum Terrarum hæreditariarum Regimen susciperent Electores, id quod consentiente Imperatore atque Collegio Electorali fieri facile poterit.

* Hæc enim verba sunt Bullæ Sigismundi apud FREHERVM de Cura p. 397. & GOLDASTVM Const. *Tomo vno p. 372. ætatem autem debitam* IN HOC CASV, ELIGENDI *videlicet* ROMANORVM REGEM *in Imperatorem promouendum, decem & octo annorum censeri volumus & haberi: in Principatibus autem, Ducatibus & Dominiis aliis temporalibus gubernandis, ætatem ob eruandam decernimus, prout a diuis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum.* Quare etiam in Confirmatione Transactionis inter Rupertos de a. 1356. Carolus his verbis vtitur: *wann wir dieselben Iahre* ZV DER CHVRE *zu einem eblichen mündigen Alter gemachet haben.* Vid. FREHERVS *de tutela Elect. p. 411.*

** EVROP. HEROLD. *p. I. p. 217.*

*** CERNITIVS *Hist. Elect. Brandenb. p. 48.*

† TRITHEMIVS *Geneal. Bauaro-Palatina p. 34.*

†† Ri-

†† Richardus quidem Palatinus, administrationem terrarum petebat, vsque dum Fridericus IV. annum ætatis vigesimum quintum lege ciuili definitum, attigisset. Sed inuestitus fuit Fridericus IV. de Palatinatu & Electoratu anno ætatis XX. cum biennio ante iam administrationem suscepisset, FREHERVS *p. 412.* Prodiit hac in caussa *Assertio propriæ Gubernationis Serenissimi Principis, Domini Friderici IV. Heidelbergæ 1593. 4. Kurtze Verzeichnüß desienigen, was Pfaltzgraf Richard einer vermeyndten Tutel und Curatel wegen zu Heidelberg gesucht. Heidelberg 1592.* A parte Richardi vero prodiit: *Wiederlegung des Heidelbergischen Bedenckens, Heidelberg 1594. 4.* Vid. LVDEWIG ad A. B. p. 721.

††† Prout PVFENDORF *lib. VII. Rer. Brandenb. p. 1134.* L. B. de LYNCKER *ad A. B. p. 28.* ex Actis Publicis demonstrarunt.

†††† IMM. WEBERVS de CHRYSOBVLLA ex Actis Ratisbonensibus hoc declarauit. Conclusum Collegii Electoralis tale erat: *Daß hoechsternannte Churfürstl. Durchl. zu Cœlln in das Churfürstl. Collegium zu admittiren, und ad votum & sessionem zu lassen sey. Iedoch mit dieser Bedingung, daß was man dißfals ratione ætatis aus bewegenden erheblichen Vrsachen gethan, künftig hin zu keiner Consequens noch ad exemplum gezogen, oder zu des Churfürstl. Collegii Præiuditz gereichen, auch sonsten der güldenen Bull und andern Reichs-Fundamental-Gesetzen ohnabbrüchig und ohne Nachtheil seyn solle.*

§. XXII.

Vltimo consideranda etiam sunt Officia Electorum in aula Bambergensi. Communis est opinio, Henricum II. ordinasse, vt iidem, qui officia Imperio præstarent, similia Bambergensi Episcopo per certos Subofficiales facerent. Licet autem hoc nulla certa auctoritate firmetur, sed sola coniectura nitatur, quia nimium quid euehere conatus fuit Bambergensem Henricus II, * certum tamen, antiquitate nit hæc ipsa officia. Prout autem officia Imperii olim arbitra

ria, ſic etiam hæc Bambergenſia. Poſt ea autem iſta circa Interregni tempora ſenſim facta fuerunt hæreditaria. Videmus exinde, quod Berchtoldus, Bambergenſis Epiſcopus, Ludouico Palatino Electori demum a. 1269. hoc officium dapiferatus hæreditario iure conceſſerit. ** Idem de reliquis circa Interregni tempora factum, ex quo tanta incertitudo Feudorum his officiis adnexorum. Hæc autem cum officiis Imperii, vt vulgo fit, *** plane non ſunt confundenda, ſed officia ſaltim ſunt Eccleſiæ Bambergenſis. Differunt enim nomine, feudis, obligatione & ſubofficialibus. Vocantur *die Ober-Aemter*, atque Rex Bohemiæ eſt *Ober-Schenck*, Elector Palatinus *Ober-Truchſas*, Elector Saxoniæ *Ober-Marſchall*, Elector Brandenburgicus *Ober-Cammerer*. Nec de integro Electoratu inueſtiuntur a Bambergenſi, ſed de certis bonis ſaltim ad Electoratum pertinentibus.† Rex Bohemiæ de vrbe Praga; Palatini olim a Bambergenſi in feudum tenuerunt caſtrum Hohenſtein, oppida Hersbrück, Vilſeck, Aurpach, Pägentz & Velden, quæ tamen Palatinorum amplius non ſunt.†† Elector Saxoniæ a. 1623. in perſona conſiliarii ſui, Beniaminis Leuberi, inueſtitus eſt a Bambergenſi de VVitteberga, Mülberga, Dubena vna cum pagis Berſtadt, Alſendorf, VVeiſigck & Gabgast. Feudum Brandenburgicum incertum eſt, dum in Litteris inueſtituræ ſaltim dicatur, Brandenburgicum Electorem eſſe curaturum, vt in notitiam veniant feuda. ††† Inueſtitura Electorum moribus antiquis Noribergæ in capella S. Ægidii fieri debebat, quod tamen poſteriori tempore Bambergæ factum. Electores minime iuramento, ſed ſtipulata manu, ſaltim per legatos, ſe obligant. †††† Regis Bohemiæ Subofficialis eſt nobilis Auſſaſius, Electoris Palatini nobilis de Pommerfelden, Saxoniæ, Mareſchallus de Ebnet, Brandenburgici, nobilis de Rotenhan, qui de iſto Subofficio

ab Electoribus suis inuestiuntur, atque soli ad officia tenentur, si euocati fuerint, nunquam vero Electores. Obligatio itaque Electorum erga Bambergensem adeo magna non est, & potius in ritu antiquitatis consistit, quam in iure. †††††

* Vnicus locus OTTONIS FRISINGENSIS *Chron. lib. VI. c. XXVII.* adminiculari videtur, dum ait: *Henricus, cum esset Christianissimus, nobilissimum Episcopatum Babenberg fundauit, ac possessionibus & HONORIBVS, sicut hodie cernimus, locupletauit.* De iisdem egit HOFFMANNVS *Ann. Bamberg. lib. I. §. LXVIII. sqq.* ANDR. GOLDMAYER *Orig. Bamberg. c. II.* CASP. BRVSCHIVS *de Episc. Bamberg. sub initium.* S. H. G. *Diss. XIII. §. XXVI.* THVLEMARIVS *de Octouir. c. XX. §. XXVII. sqq.*

** Extat hoc Diploma apud GEVVOLDVM *de Septemuiratu p. 754.* Ex quo VVAGENSEILIVS habet *de summis Officialibus c. XVIII. §. 7.* qui tamen a primis temporibus hæc officia hæreditaria fuisse contendit.

*** Plures huius sententiæ adseclas recenset THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XX. §. 26.* quos ideo refellit STRAVCHIVS *Diss. Exot. III. §. 12.* CHREGGRENE *de Septem Officialibus §. 13.* & VVAGENSEILIVS *c. XVIII. §. 10.* Vocantur etiam in Litteris inuestituræ, officia ecclesiæ Bambergensis.

† Singula Feuda officiis Bambergensibus adnexa describit THVLEMARIVS *c. XX. §. 28. sqq.* Dapiferatum autem Bambergensem olim Fridericus I. Imp. dum Sueuiæ adhuc Dux esset, gessit, prout ex Diplomate Berchtoldi Bambergensis Episcopi de an. 1269. patet, quod extat apud GEVVOLDVM *de Septemuiratu c. X. p. 754.* in quo: *considerantes grata & laudabilia seruitia, quæ Illustris Princeps Dominus Ludouicus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ dilectus consanguineus noster nobis & Ecclesiæ nostræ fecit, & in antea est facturus, eidem & heredibus suis Officium Dapiferatus Ecclesiæ nostræ, quod ad nos est libere deuolutum, cum omnibus honoribus, dignitatibus & iuribus prout inclyte recordationis Fridericus Rom. Imp. ab Ecclesia nostra tempore quondam Domini Eckeberti Bambergensis Episco-*

piscopi prædecessoris nostri tenuit, cum omnibus feudis ipsi officio annexis feudali titulo duximus conferendum.

†† Feuda hæc exprimuntur in Diplomate Bertholdi Bambergensis Episcopi Ludouico Palatino an. 1269. concesso, apud GEVVOLDVM *de Septemuir. c. X. p. 754.* LVNIGIVM *p. spec. Contin. II. p. 4.*

††† Extant Litteræ inuestituræ Brandenburgico Electori de Camerarii officio de an. 1464. concessæ, apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. spec. IV. p. 310.* & de a. 1652. p. 141. Relatio de hoc officio extat apud LVNIGIVM *Gerechtsame p. I. p. 331.*

†††† EVROP. HEROLD. *p. I. p. 210.*

††††† LIMNÆVS *lib. III. c. VII. n. 77.* THVLEMARIVS *c. XX. §. 35.* Hinc etiam ZECH *Europ. Herold. p. I. p. 220.* probe dicit: *daß also das gantze Bambergische Lehns-Wesen, und dessen Renouation nichts mehr ist, als ein bloßer modus habendi, ohne weitere Obligation oder Beobachtung der Lehns-Rechte, und gehœret unter die alten Reichs- und Stiffts-Gebrauche.*



CAPVT

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM DE ELECTORIBUS SINGULIS.

§. I.

PRimus in ordine Electorum est MOGUNTINUS, Archicancellarius per Germaniam, * qui iam ab Ottonis M. temporibus Primatum obtinuit, & summus Pontifex ** audit, ideoque ab antiquo eximiæ semper fuit auctoritatis. *** Huius Iura sunt triplicia, vel Electoralia, vel Archi-Cancellarii, vel Sedi Moguntinæ adnexa.

* Vide *sup. cap. IX. §. XIV.*

** Hinc de Hildeberto dicit WITTICHINDUS lib. II. Ann. ineunte, *quod summi Pontificatus Moguntiacæ sedis fastigium promeruisset.* Rationem reddit MARIANUS SCOTUS ad a. 750. dum ait: *Pipinus in ciuitate Suessionum, a sancto Bonifacio Archiepiscopo in regem vnctus, regni honore sublimatus est: & deinde ob id, post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus, vsque in hodiernum diem.* LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1073. *His accensus Archiepiscopus Moguntinus, cui potissimum propter Primatum Moguntinæ Sedis, eligendi & consecrandi Regis auctoritas deferebatur.* MALLINCKROT *de Archicancellariis p. 198.*

*** Quare Innocentius III. ad Moguntinum, in Registro ep. XXII. *sicut frequenter tibi proposuimus viua voce, non est, qui post Romanum Pontificem vel in Ecclesia Romana, vel in Imperio Romano tantum locum obtineat, quantum obtines in vtroque.*

§. II.

Iura Electoralia sunt, vt tanquam Decanus Collegii Ele-

Electoralis, * & Elector Primarius, ** omnia Iura in Collegio Electorali exerceat, quæ Præsidi in Collegio conueniunt. Solus itaque habet ius conuocandi Electores ad Electionem Imp. dirigit eandem ad normam A. B. iusiurandum reliquorum excipit, Conuentus indicit, proponit, suffragia colligit, ex maioribus conclusum format, Electionis decretum pronuntiat, Capitulationem secundum vota maiora conficit, immo, ad reliquas diætas Electorales conuocat Electores. ***

* In Epistola ad Benedictum Papam apud FREHERUM Tom. I. p. 616. dicitur. *Henricus Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Moguntinensis, Electorum principum Decanus, nec non per Germaniam sacri Imperii Archicancellarius.* In Litteris Sigismundi ad Conradum Archiepiscopum, apud LONDORPIUM *Tom. II. lib. I. Tr. II. n. 22.* vocatur *der Churfürsten Dechant.* In Chronico Stedernburgensi apud LEIBNITIUM *Tomo I. p. 850.* vocatur *summus Imperii Cancellarius.* MALLINCKROT *p. 198.*

** In Diplomate Maximiliani I. de an. 1498. vocatur: *der Obriste Churfürst.* THULEMARIUS *cap. X. §. 3.*

*** THULEMARIUS *cap. X.*

§. III.

Alia sunt Iura Archi-Cancellarii. Hac ratione omnes Imperii Cancellariæ ab ipso dependent, vtpote Cancellaria Imperii in Comitiis, quæ vulgo dicitur: *die Chur-Mayntzische Cantzelley*, quam per Legatos dirigit Moguntinus. Cancellaria Iudicii Aulici, *die Reichs-Cantzelley*, quam per Substitutum suum, *den Reichs-Vice-Cantzler* dirigit, & Cancellaria Cameræ Imperialis, quam æque per Substitutum suum, dictum *den Cantzelley-Verwalter* dirigit, & singulas personas ad Imperii Cancellarias pertinentes constituit. Hinc vel ipse, vel Vice-Cancellarius Priuilegia & decreta Imperatoris & Imperii in caussis Germanicis & Italicis subscribit. * Ipsi Lega-

Legati Statuum ad Comitia miſſi mandata & credentiales offerunt, & deſuper atteſtata quærunt; diſceſſuri ante conuentum finitum, veniam petunt. Exterorum etiam Legati, Reſidentes & Agentes ipſi litteras ſuas Credentiales exhibent, & negotia ſua primum exponunt. Ipſi, vel Cancellariæ Moguntinæ, quæ eſt in Comitiis, exhibentur omnia Memorialia, reſeruationes, proteſtationes, denuntiationes, requiſitiones & quæ ſunt alia, quæ ad Imperium deuoluuntur. In Propoſitione Cæſarea ipſius Cancellarius & Secretarius Protocollum gerunt, quod Imperii dicitur. Ipſius Cancellario Propoſitio Cæſarea in ſcriptis traditur. Ipſe nomine Statuum omnium ad Propoſitionem Cæſaream reſpondet, dies per Pappenheimium indicit ad deliberationes in Comitiis vel vniuerſalibus vel particularibas, vniuerſum Imperium concernentibus.** Ipſe negotia proponit, quæ in deliberationem ducenda, non in Electorali ſolum, ſed etiam Principum collegio, ſcripta Cancellariæ Moguntinæ exhibita, cum Statibus per dictaturam communicat, atque ſingula negotia Comitialia dirigit. Sigillum & Archiuum Imperii adſeruat. Ipſi competit ius conuocandi Comitia Circulorum vniuerſalia & Deputationum Imperii. Quod ſi Imp. Electorum conſilium requirat, *das Churfürſtliche Gutachten einholet*, ad Moguntinum ſcribit. Viſitationes Cameræ, aliorumque Imperii iudiciorum ipſi incumbunt. Immo Reuiſiones Actorum Camerales dirigit. In ſingulis hiſce poteſtatem habet ſubſtituendi, qui iura ipſius exerceant. Ipſe tempore Interregni vna cum Vicariis Imperii curam eiusdem gerit. Præterea eſt Protector atque Director Poſtæ Imperialis. Hinc etiam ipſius miniſtris debetur immunitas a ſolutione vectigalis litterarum.***

* Confirmantur hæc Iura in Priuilegio Alberti I. Imp. de a. 1298. apud LVNIGIVM *Spicil. Eccles. I. Forts. p. 45.* in CAPIT. CAROLINA *art. XXII. & XXV.*

** Pacta de eo cum Electore Saxoniæ inita reperiuntur apud LVNIGIVM *im Reichs-Archiv p. spec. p. 395.*

*** Singula hæc iura ex Schedis Boineburgii exponit BOECLERVS *Not. Imperii lib. VI. c. V.* & ex eodem THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. X. §. 8.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 199.* Licet a. 1690. contra Directorium Moguntinum a reliquis Electoribus atque Statibus varia Grauamina fuerint exhibita, quæ reperiuntur apud PFEFFINGERVM *ad Vitriarium lib. III. Tit. X. §. 3.*

§. IV.

Inter Iura Moguntinæ Sedi adnexa, alia iure metropolitano exercet Elector, alia iure territoriali. Potissimum Germaniæ Primas audit, idque ex Iure Metropoleos, quod sedi Moguntinæ competit. † Iure metropolitano quoque exercet Ius coronandi Imperatores, ita tamen, vt cum Coloniensi alternet. * Ipsi quoque olim ex Priuilegio Ottocari & Wenceslai de a. 1228. competebat ius coronandi Regem Bohemiæ. ** Exercuerunt illud ad Iohannem vsque, qui Petro, Moguntino Archiepiscopo post Coronationem Pragæ factam, inter alia munera dedit sellam auro gemmisque ornatam, quam Ecclesiæ Cathedrali Moguntinæ illatam S. Martini sedem vulgus adpellare consueuit. *** Hic autem Iohannes a Clemente VI. Papa obtinuit, vt Episcopatus Pragensis hactenus Moguntino subiectus, in Archiepiscopatum eueheretur, & huic Præsuli coronandi Regem Bohemiæ facultas concederetur, quod etiam anno 1343. fuit factum. † Hanc etiam Confirmationem, ex odio erga Henricum Virneburgensem, Moguntinum, speciali Diplomate anno 1347. confirmauit Carolus IV. ††

† Vid. supra *cap. IX. § XIV.*

* *Cap.*

* *Cap. VII. §. XXV.*

** Priuilegium adducit TRITHEMIVS *Chron. Spanheim. ad an. 1228.* & LVNIG *I. Cont. III. Fortſ. p. 3.* Licet negandum non ſit, ante iſta tempora Pragenſes Epiſcopos iure coronandi Bohemiæ Reges iamdum fuiſſe gauiſos, de quo Priuilegium Friderici I. Imp. de a. 1157. apud LVNIGIVM *I. Contin. I. Fortſ. p. 3.* in quo: *ſicut itaque celebratio & impoſitio coronæ noſtræ non debet fieri, niſi per manus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ita præfato Duci Bohemiæ a nullo hominum Circulus imponatur, niſi a dilecto noſtro Daniele, Venerabili Pragenſi Epiſcopo, & Iohanne Olomucenſi Epiſcopo.*

*** TRITHEMIVS *Chron. Hirſaug. ad a. 1310.*

† HENRICVS REBDORFFIVS ad a. 1342. p. 619. *Hic Papa Clemens anno ipſius tertio de Eccleſia Pragenſi ſuffraganea Moguntinenſis, Metropolitanam erexit, conſtituens vt Reges Bohemiæ ab ipſo coronentur, qui prius ab Archiepiſcopo Moguntinenſi coronari conſueuerunt.* S. H. G. *diſſ. XXVII.* §. *III.* ALBERTVS ARGENT. *ad an. 1346. p. 135.* GOLDASTVS *de Regno Bohemiæ in appendice p. 161.* & *Reichs-Satzungen Tom. II. p. 36.* THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. X.* §. *10.*

†† Extat hæc Confirmatio apud LVNIGIVM *I. Contin. I. Fortſ. p. 19.*

§. V.

Alia Priuilegia recenſet BOECLERVS, quæ iure territoriali exercet. Præcipuum, quod ipſi competit, eſt Directorium Circuli Rhenani inferioris. Habet quoque Ius de non adpellando, ex priuilegio Adolphi iura inſignia habet circa Iudæos, Priuilegium ipſi a Sigismundo & Carolo V. fuit conceſſum, ne pactum Confraternitatis inter Saxones & Haſſos ipſi præiudicet. Ex priuilegio Maximiliani I. vtitur iure Stapulæ in vrbe Moguntina, & quæ huic ſunt adnexa, iure Vectigalium, Conductu, nundinarum, iure ſuper Mœno, *das Marck-Schiff zu halten.** Idem Maximilianus a. 1498. ipſi conceſſit priuilegium, ne ſubditi ipſius ab alio in protectionem recipiantur. Tribuitur ipſi quoque ius reluendi bona Imperii

 oppi-

oppignorata, *die Reichs-Pfandschafften einzulæsen*, quod tamen hodie est inane, dum ista per Instrumentum Pacis possessoribus relinquantur. Concessa etiam ipsi priuilegia contra omnia priuilegia ipsius iuri contraria.**

* Pactum ratione *des Marck-Schiffes* & iuris conducendi inter Wolfgangum Electorem & vrbem Francofurtensem an. 1584. initum exhibet LVNIG *im Reichs-Archiv p. spec. p. 396.*

** Singula hæc recenset BOECLERVS *not. Imp. lib. VII. c. V. p. 186.* NICOLAVS SERARIVS *de rebus Moguntinis.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 202.*

§. VI.

Hodiernus Elector est Lotharius Franciscus, ex familia Comitum Schönborniorum, cui Coadiutor datus est Franciscus Ludouicus Elector hodie Treuirensis & Magister Ordinis Teutonici, ex domo Palatina. Suffraganei ipsius Episcopi sunt Würtzburgensis, Wormatiensis, Eichstadtensis, Argentoratensis, Constantiensis, Augustanus, Hildesheimensis, Curiensis, Paderbornensis, olim etiam Halberstadtiensis & Verdensis, quorum terræ per pacem Westphalicam seculo fuerunt addictæ.* Habet etiam suos Officiales, & quidem summi Mareschalli, *die Ertz-Marschallen* sunt Landgrauii Hassiæ, quorum subofficiales *Erb-Marschallen* sunt Comites Heisensteinii. Summi dapiferi *Ertz-Truchsese* sunt Comites Veldentini, quorum subofficiales, *Erb-Truchsese* Greiffenclauii de Vollrath. Summi Pincernæ, *Ertz-Schencken* olim Comites Spanheimenses, nunc Comites Schönbornii, quorum subofficiales *die Erb-Schencken* Kronbergii. Summi Camerarii *Ertz-Cammerer* sunt Comites Stolbergenses, quorum, subofficiales Comites Metternichtii in Winnenberg & Beilstein.**

* De singulis Moguntini Suffraganeis speciatim egit CASPAR BRVSCHIVS *de Episcopatibus Germaniæ.*

** Re-

** Recensentur hæc a THVLEMARIO *cap. X. §. 14.* & EVROP. HEROLD *p. I. p. 202.* apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv VI. Abtheilung p. 334.* reperiuntur Danielis Archiepiscopi Moguntini Litteræ Inuestituræ de a. 1563. super Officio *des Ertz-Cammerers.*

§. VII.

Secundus in ordine Electorum est TREVIRENSIS, Archicancellarius per Galliam * & Regnum Arelatense, qui etiam Belgicæ prouinciæ dicitur Primas, ** idemque antiquissimus inter Germaniæ Episcopatus censetur. *** In Electione semper primum votum gerit, † & in Comitiis, præsente Imp. vel eius Commissario, e regione throni Cæsarei sedet, alias cum Coloniensi alternat. ††

* *Cap. IX. §. XVI.*

** BROWERVS *Ann. Treuir. lib. IV. ineunte*, Agricium dicit a Syluestro Papa seculo IV. Primatem constitutum. Quare etiam Nicolaus Papa Tangwaldum in iure Canonico *c. XI. qu. 3. c. IV.* vocat *Belgicæ prouinciæ primatem.* Hunc primatum Eberhardo Archiepiscopo a. 1057. confirmauit Victor Papa. KYRIANDER *de Augusta Treuirorum p. I. p. 78.* LIMNÆVS *addit. ad lib. III. c. VI. n. 8.* MALLINCKROT *de Archi-Cancellariis p. 193.*

*** Hinc etiam Treuirensis Archiepiscopus in Ottonis M. coronatione primas ob Ecclesiæ antiquitatem petebat, VVITTICHINDVS *lib. III. Ann. ineunte.*

† A. B. *tit. IV. §. 4.*

†† EVROP. HEROLD *p. I. p. 207.*

§. VIII.

Hodiernus Elector est Franciscus Ludouicus, ex domo Palatina. Suffraganei ipsius sunt Episcopi Metensis, Tulensis & Verdunensis, qui Gallis quidem parent, saluo tamen iure Treuirensis. * Officiales hæreditarii sunt & Mareschalli qui-

quidem Nobiles Domini de Eltz, Truchsesii Barones de Leyen, Camerarii Domini de Kesselstadt, olim Nobiles de Sötern, Pincernæ Domini de Schmideberg ** Priuilegia perpauca sunt. Habet ius de non adpellando, sed illud saltim exercet, vbi summa litis mille florenos Rhenenses non excedat. *** Ex priuilegio Caroli IV. de an. 1376. Cunoni Archiepiscopo concesso, omnia Feuda Imperii, in ipsius Archiepiscopatu vacantia ad ipsum, iisdem modis deuoluuntur, quibus ad Cæsarem vel Imperium solerent. †

* Confirmantur hi Suffraganei speciali Priuilegio Calixti II. de an. 1120. quod extat apud LVNIGIVM *Spic. Eccl. Fortf. I. Theils p. 208.* PACE MONAST. §. *LXX. reseruato tamen iure Metropolitano ad Archiepiscopatum Treuirensem pertinente.*

** THVLEMARIVS *cap. XI.* §. *VIII.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 209.*

*** THVLEMARIVS §. *IX.* Extat Priuilegium super hoc Iure a Ferdinando I. a. 1562. concessum, apud LVNIGIVM *I. Contin. III. Fortf. p. 58.*

† KYRIANDER *de Augusta Treuirorum p. XV. p. 159.*

§. IX.

Tertius est COLONIENSIS, Archi-Cancellarius per Italiam. * Huic secundum votum in Cæsaris electione competit, ** & per alternationem cum Moguntino ius coronandi Imp. *** Olim quidem Archi-Cancellarii iura exercuerunt Colonienses, si Impp. essent in Italia. Hinc etiam in Comitiis Spirensibus anni 1310. Henricus VII. Coloniensi Electori priuilegium concessit, vt ab itinere Italico abesse, atque Archi-Cancellarii munus per substitutum exercere queat. **** Inde Diploma Ludouici IV. Ruthenis, de Feudis ipsorum Papiæ 1329. a Vice-Cancellario Coloniensis Electoris est subscriptum. ***** Hodie vero dum Aula Impp. perpetuo sit in Germania, solus omnia iura exercet Moguntinus.

* Supra

* Supra c. IX. §. XV.
** A. B. Tit. IV. n. 4.
*** Supra c. VII. §. XXVI.
**** GELENIVS *Colon.* p. 76. THVLEMARIVS c. XII. §. 4.
***** BECKLER *Stemm. Ruthen.* p. 285. Alia exempla refert MALLINCKROT *de Archicancellariis* p. 39.

§. X.

Potentissimus hic est inter Ecclesiasticos Electores, cui præter Terras Archiepiscopales competunt Pars Ducatus Westphaliæ atque Angariæ, quem post Henrici Leonis proscriptionem, Fridericus I. Philippo Coloniensi Archiepiscopo a. 1180. cessit. * Præterea Marchionatus Francimontanus & Comitatus Arensbergensis, quem Gotfriedus II. a. 1368. Archiepiscopatui vendidit. **

* Diploma extat apud LVNIGIVM *im Reichs-Archiv* p. sp. p. 434. verbis: *vnam partem, eam videlicet, quæ in Episcopatum Coloniensem & per totum Pathebornensem Episcopatum protendebatur.* S. H. G. *diss.* XVII. §. XLVII.
** EVROP. HEROLD. p. I. p. 211.

§. XI.

Electoratum nostro tempore gerit Iosephus Clemens, Episcopus Leodiensis, Ratisbonensis, & Hildesiensis, Administrator Berchtolsgadensis, ex domo Bauarica, qui, contranitente licet Fürstenbergio, a. 1688. fuit electus, * per sententiam declaratoriam tamen a. 1705. Electoratu priuatus, ** per pacem autem Rastadtensem atque insecutam Badensem in pristinum locum restitutus. Pincerna hæreditarius est Princeps Arenbergius, Aulæ Magister (qui Dapiferi loco est,) Comes de Manderscheid, Mareschallus est Comes de Salm Reiferscheid, Camerarius Eques de Frentz. † Gaudet priuilegio

gio de non adpellando, †† quod tamen non plene exercet, dum inter Electores atque Status Prouinciales ita conuenerit, vt in petitorio, si summa esset mille florenorum, adpellatio ad Cameram procederet, in possessorio vero, priuilegio de non adpellando gauderet Elector. †††

* S. H. G. *Diss. XXXVII.* §. *LXVII.*

** Vid. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XI. c. XI.*

† THVLEMARIVS *c. XII.* §. *11.* EVROP. HEROLD. *p. I. p. 213.*

†† Quod a Maximiliano II. a. 1575. fuit confirmatum, atque extat apud LVNIGIVM *Cont. III. Forts. p. 100.*

††† LVDOLPHVS HVGO *de Statu regionum Germaniæ c. III.* §. *40.* In Defensione derer *von Hærda contra Korf*, multa reperiuntur de priuilegio Coloniensi de non adpellando. Controuersia vero inter Electorem atque Status Prouinciales exponitur in S. H. G. *Diss. XXXVII.* §. *XX.* & apud FABRVM *Tom. VI. p. 444.*

§. XII.

Quartus in Electorum ordine, qui tamen inter Laicos ex regiæ dignitatis fastigio iure & merito obtinet Primatum, est REX BOHEMIÆ, S. R. Imperii Archipincerna, qui in electione Imp. tertium votum gerit. Multa semper fuit contentio, an inter Status Imperii referendus sit Bohemus, immo, de iure Electoratus ipsi olim mota fuit controuersia. Non desunt, qui ipsum ex numero Statuum plane excludunt, eo quod non iuris Teutonici sit, sed Slauici, * quam tamen rationem minime sufficere putarem. Licet enim Bohemia non sit originis Germanicæ, ciuitate tamen Germanica fuit donata, licet non plene incorporata. ** Bohemum autem inter Ciues Statusque Imperii Germanici fuisse receptum, docent Exempla tot Comitiorum, quibus non interfuit solum Bohemus, sed etiam suffragium tulit. *** Immo Ot-

tocarus

tocarus a Friderico II. speciale obtinuit priuilegium, quod nec ipse, nec successores ad vllam Curiam venire teneantur; nisi quæ Bambergæ, Noribergæ vel Merseburgi fuerit indicta. † Docent hoc exempla, quod a prima statim Electorum origine electioni interfuerit, & Archipincernatus officium gesserit. Si autem præcipuum iuris Germanici ipsi conuenit, facile patet, illum ex numero Statuum minime debere excludi.

* COCCEIVS quidem distinguit sub finem capitis primi, inter personam & regnum, quod iuris Germanici non sit *c. XIX.* §. *10*. Regem Bohemiæ etiam excludit, tum, quia Rex est, tum quia vt Rex, non est iuris Germanici.

** *Cap. IV.* §. *XI.*

*** Plura exempla refert GOLDASTVS *de Regno Bohemiæ lib. IV. c. III, IV. V.* BOHVSLAVS BALBINVS *lib. VII. Miscell. c. XIV.* & ex eodem LVDEVVIG *de iure suffragii R. Bohemiæ c. II. p. 59.* Auctor Anonymus *de sessione & suffragio Electorali tam in Comitiis vniuersi Imperii, quam in conuentu collegiali Electorum, Austriacis, ratione regni Bohemiæ etiamnum competente 1695. 8.* Inter extantiora est, quod VVIPPO *in Vita Conradi p. 424.* inter Principes, ad electionem Conradi conuenientes, etiam memoret Vdalricum, Ducem Bohemiæ, & Henricus IV. in Rescripto ad Principes Imperii de a. 1106. inter eos, qui ad negotia Imperii sint valdo necessarii, referat Ducem Bohemicum.

† Extat apud GOLDASTVM *append. docum. p. 21.* BOHVSLAVM BALBINVM *Decad. I. lib. VIII. miscell. hist. Regni Bohem. p. I. ep. VIII.* ex quibus habet HERTIVS *sect. II.* §. *23.* LVDEVVIG *c. II. p. 63.*

§. XIII.

Sed, de eo nunc disquirendum, quæ fuerit ratio, quod Comitiis Principum sese subduxerint Bohemi. Communis hucusque fuit opinio, factum hoc ideo, quia vel ipsi eligen-

di, vel horum Adgnati fuerint Reges Bohemiæ, * quæ tamen ratio minus sufficit, dum a Principum potius Comitiis fuissent exclusi Electores, quam ab Electoralibus. GOLDASTVS ** per socordiam Wenceslai hoc factum putat, quod non plane denegamus, nec tamen caussa fuit vnica. Scilicet, vsque ad Caroli IV. tempora vocatus semper ad Comitia fuit Bohemus, quare etiam ipsi in Aureâ B. ius Electorale fuit confirmatum. Exclusus quidem fuit Wenceslaus Rex Bohemiæ a Ruperti Palatini & Sigismundi electione, *** quod tamen aliter fieri non potuit, eo quod Wenceslaus ab Imperio depositus, horum electioni minus adsenserit. Ipse nihilominus Wenceslaus Comitiis Germaniæ interesse voluit a. 1416. Legatos suos, qui suffragio Bohemico vterentur. Idem factum sub Sigismundo Cæsare, Constantiæ. Albertus II. an. 1438. ad electionem vocabatur. In electione Friderici III. Bohemorum legatus primum fuit reiectus, postmodum tamen admissus. **** Hoc tamen defuncto, nec Status Regni, nec etiam Vladislaus Rex ad Maximiliani I. electionem fuit vocatus, † eo quod regnum in schismate esset Hussitarum. †† Dum autem irritam ideo facere conaretur Maximiliani I. electionem Vladislaus, ideoque plane arma minaretur, Transactione tandem a. 1489. inita, res fuit composita, atque sub pœna quingentarum marcarum auri puri prohibitum, ne amplius præterirentur Bohemiæ ††† Electores. Post ista tempora domui Austriacæ adnexa fuit Bohemia, ex quo factum, vt, dum ratione plurium etiam prouinciarum, vnicum saltim in Comitiis votum præstarent Status, †††† Austriæ votum in Comitiis absorberet etiam Bohemicum, solo iure electionis Bohemiæ reseruato, ad quod Austriaci non admittebantur.

* THO-

* THOMASIVS *Not. ad Montzambano c. V.* §. *2.* & plures alii. Fundatur hæc ratio etiam in deductione iuris Ferdinandi II. apud LONDORPIVM Tom. I. lib. IV. c. CXIV. p. 765. *daß aber die Kænige zu Bœheim auf Kayserliche Reichs-Tag, nicht allemahl und zu allen Zeiten beschrieben worden, ist die Vrsach, das vor undencklichen vielen Iahren die Kænige zu Bœheim auch Rœm. Kayser gewesen, und durch ein sonderbahr Priuilegium das sie haben, zu erscheinen nicht genœthigt sind: es wære denn das die Reichs-Tage zu Bamberg, Nürnberg und Mersburg fürgenommen und angesezt würden.*

** *De Regno Bohemiæ lib. IV. c. V. & VI.*

*** Nulla eius mentio fit in actis depositionis Wenceslai & electione Ruperti in OBRECHTI *apparatu Iuris Publici*, nec in electione Sigismundi apud LEHMANNVM *lib. VII. c. LXXXI.*

**** MVLLER *p. I. c. I.* §. *VII.*

† LVDEWIG *c. II. p. 59.*

†† KRANZIVS Metropoli lib. VIII. c. V. *Bohemus, quia nationem specialem fouet, & regnum eius in schismate est, ad electionem non vocatur.*

††† *c. VII. §. X.* & potissimum MVLLERVS *Maximiliano I. Vorst. c. II.*

†††† *c. XV.* §. *V.*

§. XIV.

Cessat tamen hodie plane hæc controuersia, dum communi Trium Collegiorum consensu, denuo in Collegium Electorale introductus Bohemus, ita, vt in omnibus Imperii Conuentibus siue Ordinarii isti sint, siue Extraordinarii, sessionem & votum suo ordine habeat, saluo semper iure Moguntino & reliquorum Electorum. * Quare etiam ad Præparatoria Electionis & Capitulationis Caroli VI. Legatus Bohemus fuit admissus, a quibus olim excludebatur. Hæc etiam renouata introductio facta 7. Septembris 1708. ** ita, vt licet nulli Circulo adscriptus sit Bohemus, inter Status tamen Imperii sine vllo dubio sit referendus.

* Singula Acta reperiuntur apud HERTIVM *de renouato Rom. Germanici Imperii & Regni Bohemiæ nexu.* & LVDEWIG *de Iure Suffragii R. Bohemiæ.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. cap. IX.* ELECTA I. P. *Tom. I. p. 1.*

** Solennia introductionis describit HERTIVS *sect. IV. §. 6.*

§. XV.

Altera, quæ Bohemum concernit, est controuersia de Iure Electoratus. Plures circa eandem sunt tricæ. Alii enim putant, Bohemum saltim fuisse admissum, quoties dissenserint inter se Electores, vt accessione voti sui maiora constitueret, * quod tamen nulla firma suffulcitur auctoritate. Hoc autem certum, Bohemiæ Regem aliter ad Imp. Germanici electionem admissum haut fuisse, nisi cum ipse esset Teutonicus. ** Scilicet, Bohemiæ Reges ratione originis paternæ Slaui erant. Dum autem ad Ius Electorale sufficeret ab vno ex parentibus Germanis esse prognatum, *** & Bohemiæ Reges matribus Germanis plerumque gauderent, ideo quoque ad electionem admittebantur. Postquam autem a. 1231. Premislaus obiisset, & filius ipsius Wenceslaus Monoculus nec paterno, nec materno genere esset Germanus, quia matrem habuerat Constantiam, Belæ, Vngariæ R. filiam, ipsum excludi volebant, quia non esset Teutonicus, **** ideoque personale hoc saltim erat. Hoc autem a. 1253. defuncto, successit Ottocarus & Cunigunda Philippi Imp. filia, cui nullus amplius scrupulus fuit motus, sed ad electionem Guilielmi atque Richardi fuit admissus. †

* Contendit hoc PET. de ANDLO *lib. II. c. II. p. 65.* Plures huius sententiæ asseclas recenset THVLEMARIVS *c. XIV. §. 26.* LVDEWIG *p. 112.* adducit locum ex antiquo Codice: *Ab sich aber dy Pfaffen und dy Leigen czweyen; so ist der Konig von Bohemen eyn Obermann dye zu*

schei-

scheidene, das sy mit eynander eyn richtig werden. Vid. & LIMNÆVS *lib. III. c. VIII.*

** Sic enim SPECVLVM SVEV. c. XXIX. *der vierd ist der Künig von Bæhem des Reichs Schenck, und soll dem Künig den ersten Bechir bieten. Doch ist zu wissen, das der Künig von Bæhem kein Kur hat, wann er nit ein Teutscher Man ist.* Idem dicitur in *Lehn-Recht c. VIII.* declarat THVLEMARIVS *de Octouir. cap. XIV.* §. *IV.* HERTIVS *s. II.* §. *IX.*

*** *Cap. super.* §. *XVII.*

**** Hac ratione intelligendus est ALBERTVS STADENSIS ad a. 1240. *Rex Bohemiæ, qui pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* SPEC. SAXONICVM *lib. III. art. LVII.*

† S. H. G. *diss. XXI.* §. *XI. diss. XXII.* §. *II.*

§. XVI.

Finito magno Germaniæ Interregno, noua Bohemo controuersia fuit cum Bauaro, de iure electionis. Cum enim sub Henrico Superbo atque Leone, Bauaria cum Saxonia esset coniuncta, vt bina, quæ de iisdem præstanda Imperii officia, ab vnica persona præstari non possent, Archipincernatus munus ad Bohemum fuit delatum, * cuius ratione etiam electionibus tempore Interregni factis interfuit. Dum autem durante Interregno, primum inter Ottonis illustris filios Bauaria a Palatinatu esset distincta, Palatinatum nanciscente Ludouico Seuero, Bauariam Henrico iuniore, vtrique, vna cum Bohemo ad electionem Rudolphi Habsburgici fuerunt admissi, sed in ipso hoc actu Legati Bohemi contra admissionem Legatorum Henrici, Bauariæ Ducis fuerunt protestati, protestationem tamen non admittentibus Electoribus reliquis. ** Inde de hoc iure coram Rudolpho Habsburgico fuit disceptatum, qui non solum singulari Diplomate constituit, vt votum Bauari atque Palatini pro vna voce inter

inter ſeptem Principes ſit habendum, ſed etiam Wenceslao Regi Ius Archipincernatus atque Electionis ſpeciali Diplomate Erfurdiæ 1290. confirmauit. *** Quod dein Carolus per ſingularem Conſtitutionem de a. 1348. **** per A. B. † inde quoque ſpecialibus Litteris Gerlaci, Archiepiſcopi Moguntini, & Ruperti Comitis Palatini a. 1356. confirmari curauit. ††

* Coniectura hæc eſt a vero haut abſimilis COCCEII *c. XII. §. 14.* quam etiam ſecuti fuimus ſupra *c. IX. §. XXIX.*

** Patent hæc ſingula ex ipſo Diplomate, quod reperitur apud GOLDASTVM *Conſtit. Tom. I. ad a. 1273.* GEWOLDVM *de Septemuiratu c. X.* TOLNERVM *Cod. Diplom. n. CVII.* HERTIVM *ſect. II. §. 9.*

*** Extat apud GOLDASTVM *Tom. II. Conſtit. f. 85. Append. Docum. p. 31.* LIMNÆVM *lib. III. c. VIII.* HERTIVM *ſect. II. §. 16.*

**** Extat iſta apud LVNIGIVM *I. Cont. I. Fortſ. p. 22.*

† *Tit. IV. §. IV.*

†† Extant iſtæ apud BOHVSLAVM BALBINVM *lib. VIII. miſcell. hiſt. regni Bohem. p. I. ep. LVII. LVIII.* LVNIGIVM *c. 1. p. 43.*

§. XVII.

Eſt igitur Bohemus Archipincerna, & in Coronatione Imp. primum potum præbet per ſubofficialem ſuum, qui hodie eſt Comes de Althan. * Obtinuit etiam ab Alberto I. Imp. ſingulare Priuilegium, vt imposterum Reges Officium ſuum etiam non coronati præſtarent. ** Olim immunis erat a præſtationibus Imperii, *** ad quas tamen nouiter ſe obligauit, & quidem ad quantum matriculare Electorale. Hinc etiam ad ſuſtentationem Cameræ trecentos florenos annuos contribuit. **** Saluis tamen priuilegiis Fori, quæ ipſi in A. B. † fuerunt confirmata. Scilicet, priuilegium de non adpellando, & de non euocando ſubditos.

* *c. VII. §. XXXII. c. IX. §. XXXII.*

** Extat

** Extat hæc constitutio apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. II. p. 28.* & *de Regno Bohemiæ Beylagen p. 154.* LVNIGIVM *I. Cont. I. Fortſ. p. 11.*

*** THVLEMARIVS *c. XIV. §. 25.*

**** In Concluſo trium Collegiorum apud LVDEVVIG p. 10. *hingegen aber auch zu allen Reichs- und Crayß-Præſtationibus & Oneribus publicis auch andern Anlagen für nun, wenigſt einen Churfürſtl. Anſchlag und 300. Cammer-Gülden zum Cammer-Gerichte (ihren Priuilegiis fori iedoch unnachtheilig) übernehmen, und in allen Anlagen bezahlen zu laſſen.*

† *Tit. VIII.* & ibidem LVDEVVIG prolixe.

§. XVIII.

Gaudet etiam Rex Bohemiæ priuilegio, quod inueſtituram vel in finibus regni ſui, vel in finitimis locis, non plus quindecim milliaribus a regno ſuo diſtantibus, queat ſuſcipere, nec Aulam Cæſaris petere teneatur.* Vaſallos habet perplures.** Status Regni hoc iure gaudent, vt extincta linea regia ſibi de nouo Rege proſpiciant,*** neque diſpoſitioni Imp. hoc ſubiiciatur. Sic etiam tutelam Regis adhuc minorennis ſibi vindicant.† Regnum hoc a temporibus Ferdinandi I. Auſtriacæ domui fuit nexum, & licet Status electionis Iura adhuc exercerent, hæreditarium tamen ius a Ferdinando II. armis fuit vindicatum.

* THVLEMARIVS *c. XIV. §. XXVII.*

** Enumerat illos GOLDASTVS *lib. I. de Regno Bohemiæ c. XVII.* & THVLEMARIVS *cap. XIV. §. 34.* Inter hos ſunt Electores, Moguntinus, Palatinus, Saxo & Brandenburgicus, Epiſcopi, Bambergenſis, Herbipolitanus, Eichſtadtenſis, Auguſtanus, Conſtantienſis, Archi-Duces Auſtriæ, Duces Bauariæ, Saxoniæ, Wurtenbergici, plures Abbates, Comites, Barones & alii.

*** A.B. *tit. VII. §. 5.*

† *Cap. XVI. §. XXX.*

§. XIX.

Quintus in Electorum ordine hodie est BAVARVS, qui in Imp. electione quartum votum gerit. Multa ipsi iam olim de iure Electoratus mota fuit quæstio, Bauaro æque ac Palatino Rudolphum Habsburgicum eligente, decretum tamen ab eodem Rudolpho, vt vtrorumque votum pro vnica saltim voce haberetur. * Terris Bauaricis atque Palatinis plane diuisis, Bauari sibi hoc ius vindicarunt, vsque dum speciali Transactione Ticinensi, inter Ludouicum Bauarum & Rudolphi Balbi filios Adolphum, Rudolphum, Rupertum a. 1329. inita, alternatio placeret. ** Carolus IV. autem, ducta Anna, Rudolphi II. filia, Electoratus ius Palatinæ saltim Familiæ speciali Diplomate an. 1339. attribuit, quod deinde a. 1354. & consensu Electorum an. 1356. fuit confirmatum † & per A. B. †† definitum.

* Extat Diploma apud TOLNERVM *n. CVII.*

** Verbis *& sic debet alternatio electionis regni inter nos & nostros hæredes posthac perpetuo permanere, prout reperitur* apud GEWOLDVM p. 760. S. H. G. *diss. XXVI.* §. *XX.*

† Singula hæc Diplomata præmisit FREHERVS Tractatui suo *de Tutela Electoris Palatini.* Extat etiam Caroli IV. Diploma apud LVNIGIVM *p. spec. Cont. II. p. 135.*

†† *Tit. IV. §. 4. & Tit. VIII. §. 2.*

§. XX.

Licet autem tunc tacite consentirent Bauari, adspirabat tamen seculo decimo sexto ad Electoralem dignitatem Guilielmus, Alberti Sapientis filius, qui, cum Fridericus Palatinus an. 1544. in Comitiis Spirensibus a Carolo V. de Electoratu inuestiretur, desuper protestabatur, Rescriptum etiam ab Imp. obtinuit, hanc infeudationem iuribus ipsius minime obesse. * Hinc etiam ægre ferebat, quod post bellum

Smal-

Smalcaldicum Fridericus in gratiam reciperetur.** Superiori demum ſeculo, poſtquam in prœlio Pragenſi an. 1620. victus eſſet Fridericus V. Palatinus, proſcriptus atque Electorali dignitate priuatus, Maximilianus Bauarus de eadem in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1623. fuit inueſtitus.*** Contradicebant quidem Saxo & Brandenburgicus, atque translationem Electoratus rem mali exempli arguebant, aſt, conſenſit tandem Saxo in Conuentu Electorali Schleuſingenſi, a. 1624. vt ideo Maximilianus Noribergæ in Collegium Electorale a Moguntino reciperetur. † Exemplum Saxonis an. 1627. demum ſecutus Elector Brandenburgicus, eundem pro Electore adgnouit. †† Eodem anno agebatur de reſtituendo Palatino, qui alternatiuam iuris Electoralis offerebat, ſed irrito conatu. †††

* GEWOLDVS *de Septemuiratu cap. X. fin.*

** BVRGOLDENSIS *diſcurſ. ad Inſtr. Pacis p. I. d. XXIV.* §. 5.

*** ADLZREITER *Ann. Boi. p. III. lib. VIII.* §. 14. LVDOLPHS *Schaubühne der Welt lib. XXIII. c. II.* S. H. G. *diſſ. XXXV.* §. *XX.* Apud LONDORPIVM *Tomo II. p. 675.* extat Conſilium, an Bauarus acceptare debeat Electoratum.

† ADLZREITER *p. III. lib. IX.* §. *35.* LVDOLPH *lib. XXIV. c. II.*

†† ADLZREITER *c. l.*

††† ADLZREITER *p. III. lib. XII.* §. *XI.*

§. XXI.

Tempore pacis Weſtphalicæ, de iure Electoratus inter Bauaros atque Palatinos varie diſceptabatur, * Palatino reſtitutionem petente, quod tamen ideo factu haut poſſibile putabatur, Palatino Electoratu in Bauarum plene translato, quem etiam in dignitate Electorali eſſe conſeruaturum, ſingulari pacto pollicitus fuit Ferdinandus III. ** Ab initio ſtatim proponebant Cæſarei, Bauaro, eiusdemque proſapiæ Guil-

elminæ Electoralem dignitatem cum superiori Palatinatu debere conseruari, *** Palatino nouum, octauum & infimum locum occupaturo, quod tamen & Palatinis & Suecis displicebat. Hi igitur alternatiuam proponebant, quam reprobabat Bauarus, octauum Electoratum consultiorem reputans. Licet autem non deessent, qui numerum septenarium in A. B. præfinitum augeri minime debere putarent, communi tamen fere consensu fuit conclusum, dandum hoc esse necessitati publicæ, atque Palatino nouus Electoratus, octauus scilicet, vna cum Archithesaurarii officio nouo fuit adsignatus, **** idemque in Palatinatum inferiorem fuit restitutus, hac conditione, vt extincta Linea Guilelmina apud Bauaros, Palatinus in pristinum restitueretur. †

* Bauari caussam defendit NIC. BVRGVNDVS & IO. ADLZREITERVS; Palatini vero IO. IOACH. RVSDORFIVS erudito Tractatu, hoc titulo: *Vindiciæ caussæ Palatinæ.* Bibl. Iuris *cap. XIV.* §. *19.*

** Extat illud in LVNIGII *Reichs-Archiv p. sp. p. 814.*

*** PFANNER *Hist. Pac. Westphal. lib. III.* §. *LV.*

**** PFANNER *lib. IV.* §. *LIII. & sqq.* Vota hac in caussa exponit THVLEMARIVS *de Octouir. c. VI.* §. *XVIII.*

† INSTRVM. PACIS OSNABRVG. *art. IV.* S. H. G. *diss. XXXVI.* §. *XXXIX.*

§. XXII.

Mansit in hoc Statu Bauariæ Electoratus, vsque dum hodiernus Elector Maximilianus Emanuel, eo quod Gallis accessisset, XXIX. Aprilis 1706. Banno Imperii notaretur. * Hinc Electoratum Maiorum, vna cum adnexis, officio Archidapiferatus, ex postliminii Iure ad se reuersurum petebat Palatinus, eundemque vna cum Palatinatu Superiori, accedente Electorum consensu obtinuit, atque de eodem XXII. Iunii an. 1708. ab Imp. fuit inuestitus, ** in eodemque Electoratus loco

loco per Capitulationem Carolinam *** confirmatus. Per Pacem Rastadtensem autem atque insecutam Badensem, Bauarus in locum pristinum fuit restitutus, desuper licet protestantibus Palatino & Brunsuicensi Electoribus. ****

* S. H. G. *diss. XXXVIII. §. IX.*

** FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. c. X.*

*** *art. II.*

**** Prout Acta exhibentur in EL. IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 397.*

§. XXIII.

Possidet autem Bauarus præter omnem Bauariam, Palatinatum etiam Superiorem, Landgrauiatum Leuchtenbergensem, Comitatum Chamensem, Hagensem & Dynastiam VViesensteigensem. Concurrit in Directorio Circuli Bauarici cum Archiepiscopo Salisburgensi. Præter Votum Electorale bina vota gerit in Principum Collegio, ratione Bauariæ Ducatus & Leuchtenbergici Landgrauiatus. Officium gerit Archi-Dapiferatus.

§. XXIV.

Sextus inter Electores est SAXONICVS, qui in electione Imp. quintum votum gerit. De hoc Electoratu exorta fuit sub initium seculi XIII. controuersia, dum in electione Henrici VII. Imp. Ericus atque Ioannes, Duces Saxo-Lauenburgenses vocem & electionem contra Rudolphum Saxoniæ Electorem peterent. * In Electione Ludouici Bauari vocem iterum prætendebat Ioannes Dux Saxoniæ, dum a partibus Caroli IV. staret Rudolphus Saxoniæ Elector. ** Mansit tamen a temporibus A. B. Saxoniæ Electoratus Superiori Saxoniæ adnexus, maxime dum Carolus IV. per singularem constitutionem a. 1376. hoc Ius Electoratus VVenceslao confirmaret. *** Noua exorta fuit controuersia, postquam extincto an. 1422.

Alberto III. ex Afcaniis vltimo, Sigismundus Imp. Fridericum Bellicofum, Mifniæ Marchionem an. 1423. de Saxoniæ Electoratu inueftiret, Erico Lauenburgenfi Duce defuper proteftante & quæuis moliente atque ad Concilium Bafileenfe prouocante, quod etiam a. 1434. Commiffionem hac in cauffa decreuit, e quo tamen cauffam auocauit Sigismundus. **** Ceffauit equidem Controuerfia cum morte Erici paullisper. Huius tamen nepos Iohannes in Comitiis Ratisbonenfibus 1471. cauffam hancce iterum agitabat, † quæ ad Magnum I. vsque fuit continuata, qui fub medium feculi XVI. viuens, primus Electorali titulo abftinuit. Poftquam vero Io. Georgius III. Saxoniæ Elector, a. 1671. pactum Confraternitatis cum vltimo Duce Lauenburgico Iulio Francifco iniuiffet, hic ex pacto gladiis Electoralibus decuffatim pofitis vti cœpit. †† Nunc vero extincta linea Lauenburgica, plane ceffat hæc controuerfia.

* S. H. G. *diff. XXV.* §. *I.*

** S. H. G. *diff. XXVI.* §. *V.*

*** Apud GOLDASTVM *Conft. Imp. Tom. I. p. 372.*

**** S. H. G. *diff. XXIX.* §. *XXIX.* MVLLERVS *Friderico V. Verf. c. XIII.*

† MVLLER *c. l.* §. *XXVI.*

†† SPENER *Op. Herald. lib. I. c. V.* §. *IX.* LVDEVVIG *ad A. B. p. 644.*

§. XXV.

Plura ipfi competunt Iura vel tanquam Imperii Archi-Mareſchallo, eademque varia funt, vel in electione Imp. & in folenni Curia, vel Comitialia, vel Vicariatus, vel in Expeditionibus bellicis. In electione Imp. & folenni Curia competit Electori Saxoniæ ius gladium nudum Imp. præferendi, ita quidem, vt immediate Imp. præcedat. Mota ipfi quidem ea de re controuerfia a Wenceslao, Brabantiæ Duce, confirmati tamen in hoc iure fpeciali Diplomate fuerunt Saxones

a Si-

a Sigismundo Imperatore. * Ipse etiam, vel eius Suboffficialis, Comes de Pappenheim, in coronatione Imp. citato cursu fertur in aceruum auenæ in foro. **

* *c. IX. §. XXVIII.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 250.* THVLEMARIVS *c. XVI. §. XVII.*

** *c. VII. §. XXXII.*

§. XXVI.

In Comitiis & Conuentibus Imperii solennibus, maxime vero vbi eligendus est Imp. competit ipsi per certas ordinationes de alimentis atque hospitiis prospicere, vt in loco Comitiorum rerum adsit abundantia, omnia legitimo pretio vendantur & cuilibet * vel Principum, vel Legatorum pro qualitate Status debita adsignentur hospitia. ** Sic etiam indicit ad Conuentus a Moguntino præstitutos, quod vocatur *die Ansage zum Raths-Tag*, immo absente legato Moguntino, ipse ius habet conuentum præfiniendi. *** Singula autem hæc exercet, si ipse in Comitiis præsens sit, per Vicarium suum Comitem de Pappenheim, *den Reichs-Erb-Marschall*, **** qui ideo monitus de eo ab Archi-Mareschallo in loco Comitiorum antequam celebrentur, præsto est. Si absens sit, vicariam potestatem habet Pappenheimius, sub quo est Metator, *der Reichs-Quartiermeister*, quo in rebus leuioribus vtitur. † Immo ipse Mareschallus Aulæ Cæsareæ in caussis & solennitatibus Imperii ab Archi Mareschallo dependet. ††

* Ex hac ratione præscribere solet *Policey- und Tax-Ordnung* vide supra *c. VII §. XIV.*

** Licet in Comitiis Noribergensibus a. 1487. hoc ipsi a Senatu fuerit denegatum, prout MÜLLERVS nos docet *Friderico VI. Vorst. c. XX.*

*** De hoc plenius Capite *XXII. §. XIX.*

**** Vide

**** Vide supra *c. IX.* §. *XXXIII.* In Instrumento Electionis Alberti II. apud MÜLLERVM *Friderico I. Vorst. p. 2.* vocatur *Haupt-Marschall.*

† Anno 1713. dum Lichtensteinius in Principum Collegium intro duceretur, controuersia oriebatur de sessione inter hunc Metatorem & Secretarios Ducales, atque decernebatur, vt iste in medio Collegii Principum in sella peculiari sederet, id quod etiam a Legato Saxonico cum protestatione de non praeiudicando fuit acceptatum, prout Acta docent, apud FABRVM *Tomo XXII. p. 225.*

†† CAPIT. CAROLINA art. III. *gleichwohl aber dem Hoff-Marschall in seinen zukommenden und von dem Ertz-Marschall-Amt dependirenden Amts-Verrichtungen durch Vnsere Landes Regierung, oder andere, kein Eintrag oder Hinderung gemachet werden.*

§. XXVII.

Exercet hanc Vicariam potestatem in Comitiis, ex Pappenheimiis senior, qui semper in propositione Caesarea, cum insigni suo Mareschallatus praesto esse solet. Ipse nouos Status in Principum Collegium introducit, Principes in eodem ad votandum euocat, atque ex pacto cum Ciuitatibus Imperialibus inito Iurisdictionem sibi vindicat in praesentes in Comitiis legatos horumque ministros. Eadem ratione iurisdictionem petit in Iudaeos, nundinatores, funambulos & eiusmodi farinae homines, licet de eo adhuc plurimum controuertatur. * Ipsis tamen iam olim etiam Criminalem Iurisdictionem fuisse mandatam, docet nos Historia Ottonis.** Confirmata fuerunt haec Iura Pappenheimiis Comitibus an. 1581. a Rudolpho II. Imperatore. ***

* De singulis hisce plenius egit WAGENSEILIVS *de Summis Imperii Officialibus & Subofficialibus cap. IX.* de iurisdictione infra Capite de Iudiciis plenius dicendum. Potissimum vero huc facit SIXTI SOMMERI quondam Vice-Mareschalli substituti scriptum *von des Heil. Reichs Erb-Marschall-Amts-Verwaltung ingemein*, quod extat apud THVLE-

THVLEMARIVM *Octouiratu c. XXI. §. XXVII.* & in LÜNIGII *Gerechtsame p. II. p. 516.*

** CONRADVS VESPERGENSIS p. 326. *cumque venisset Augustam eodem anno in natiuitate Domini, multique principes & milites conuenissent ad curiam, praecepit Imperator Marscalco de Callindin, & militibus suis, quatenus malefactores inuestigarent, & sibi eos exhiberent in iudicio.* Iura Regni & Aulæ Mareschallorum singulari Tractatu exposuit AVGVSTVS ADOLPHVS ab HAVGWITZ, *Budissæ 1690. 4.*

*** LÜNIG *R. Arch. VI. Abth. p. 179.*

§. XXVIII.

Noua haut ita pridem suborta fuit controuersia de iure sigillandi bona Legatorum in Comitiis defunctorum. Defuncto enim superiori anno Limbachio Barone, legato Electorali Brunsuico Lüneburgensi, Saxonicus legatus istius hæreditatem obsignari faciebat. Præterlapsis tamen diebus aliquot die 22. Martii 1710. legatus Cellensis remotis Saxonicis, propria sigilla substituebat. Recruduit controuersia Kl. Aprilis 1716. defuncto legato Guelferbytano, dum legatus Culmbacensis viduæ Curator, nullum ex Ministris Archi-Mareschallatus in domum admitteret. Licet in hac caussa nihil adhuc dum fuerit definitum.

§. XXIX.

In expeditione Romana, aliisque bellicis, quibus interest ipse Imp. Vexillum Imperii maius *des Reichs Haupt-Fahne* gerere prætendit Saxoniæ Elector tanquam Imperii Archi-Mareschallus, sibi etiam alterum Vexillum *des Reichs Renn-Fahne* dictum, vindicat. * Absente vero Saxone, hoc Ius Vicarii ipsius, Mareschalli de Pappenheim exercuerunt.** Iisdem etiam competebat, quodsi Imp. expeditioni non interesset, vt gererent *des Reichs Renn-Fahne.* *** Quodsi ita-

que bellum Imperii nomine ſuſcipiendum, Vexillum maius publice exponebat Saxo, vel nomine eius Pappenheimius, quo ipſo ad expeditionem Status euocabantur. Sic etiam in caſtris nemini ludere licebat, niſi ſub Mareſchalli vexillo, ex quo ipſi lucrum quoddam obueniebat. Hos autem luſus caſtrenſes dum prohibuiſſet Sigismundus Imp. adſignati, ratione lucri ceſſantis, Mareſchallis fuerunt ducenti floreni annui ex vrbe Nördlingenſi, vna cum dimidia parte cenſus Iudæorum ex vrbe Noriberga, quibus adhuc fruitur Senior ex Pappenheimiis. † Ex eodem Archi-Mareſchallatus iure in introitu Caroli V. ad coronationem, Aquisgranum, agmen ducebat Princeps Anhaltinus, Friderici Electoris Legatus, contranitente licet Iuliacenſi ob Territorii proprietatem. †† Ex eodem Archi-Mareſchallatus Iure Vicariatum Imperii Saxoniæ Electori conuenire, ſuperius iamdum demonſtrauimus. †††

* Ex antiquis Diplomatibus hoc ius Saxoni vindicat EVROP. HEROLD. *p. I. p. 251.* Adducit litteras Io. Friderici Electoris ad Wolfgangum de Pappenheim de a. 1542. *wo der Kayſer oder Kœnig ſelbſt zu Feld ziehen, und alsdenn des Reichs Haupt.Fahne fliegen würde, das alsdenn du Wolff von Pappenheim ſolche Haupt-Fahnen führen, und dich davon nicht dringen laſſen ſolten, auch nichts deſtoweniger Fleis fürwenden, das uns darneben des Reichs Renn-Fahne auch gelaſſen.*

** Plura exempla ex relatione Pappenheimiorum adducuntur im EVROP. HEROLD *p. I. p. 251.*

*** HEROLD *p. 251.*

† HEROLD *p. 252.*

†† HARTM. MAVRVS hiſt. Coron. Caroli, THVLEMARIVS *c. XVI.* §. *16.*

††† *cap. XIII.* §. *XXVI.*

§. XXX.

§. XXX.

Competit etiam Saxoniæ Electori, tanquam Imperii Archi-Mareſchallo Ius Protectionis in Tubicines & Buccinatores *über die Hoff-und Feld-Trompeter, auch Hoff-und Heer-Paucker*, in tantum, vt Societas Buccinatorum Electoralis Saxonica *die Chur-Sächſiſche Cameradſchafft*, iurisdictionem prætendat in cauſſis artem concernentibus. Hoc ius quidem in Conuentibus, vbi Archi-Mareſchallatus iura exercentur minime denegatur, diſputatur tamen circa controuerſias Buccinatorum aulicorum, quarum definitionem cuiuslibet Aulæ Mareſchalli ſibi vindicant, licet Societas Saxonica iurisdictionem ſuam velit eſſe vniuerſalem. * In Comitiis diuerſa ſunt iura Saxoniæ Electoris. Quippe vacante ſede Moguntina, vel abſente Legato Moguntino, Directorium in Comitiis ſibi adrogat, contradicentibus licet, Treuirenſi atque Colonienſi, Electoribus. ** Inter Ordines vero Imperii Euangelicos Directorium plerumque geſſit Saxoniæ Elector, licet de eo nunc plurimum diſputetur. ***

* Latius hanc materiam perſequitur EVROP. HEROLD *p. I. p. 253.* Priuilegium Buccinatoribus a Ferdinando III. conceſſum reperitur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IV. p. 845.* Facit huc WILDVOGELII Diſſ. *de Buccinatoribus eorumque Iure.*

** Vid. late PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. X. §. XIII.* & dicetur de eodem infra vberius *c. XXII. § XXI.*

*** Infra de eodem dicetur vberius *c. XXII. §. XLVI.*

§. XXXI.

Hodiernus Elector eſt Fridericus Auguſtus, Rex Poloniarum, ex Linea Albertina, cui proſcripto a. 1548. Io. Friderico, Lineæ Erneſtinæ, Electoratus obuenit. Inter Iura peculiaria eſt referendum, quod ſit Director & Dux Circuli

Saxoniæ Superioris, * officium gerit tanquam Misniæ Marchio, Venatoris Imperii, quod nouiter a Iosepho fuit confirmatum. ** Vtitur Sigillo Maiestatis, *** iure de non adpellando & non euocando subditos. Inde summum Tribunal Dresdæ est erectum, *Ober - Appellations - Gericht.* Attribuitur ipsi tanquam Lusatiæ Marchioni Ius nobilitandi, quod tamen minime exercetur. † Terræ Electorales sunt Tractus Electoralis, vulgo *der Chur-Creyß* ad Albim, cuius Witteberga caput est. †† Ad Terras hæreditarias spectat, pars Landgrauiatus Thuringiæ, Marchionatus Misniæ, & Lusatiæ, pars Comitatus Hennebergici, vt taceamus plures terras, in quas prætendunt Saxoniæ Electores, inter eas potissimum sunt Iuliacenses, Cliuenses & Montenses in quibus caussam communem faciunt cum Saxoniæ Ducibus. A Ferdinando II. a. 1625. obtinuerunt Expectatiuam in Comitatum Hanouiensem. ††† Inter Officiales hæreditarios præcipuus est Mareschallus hæreditarius de Löser, †††† qui iura potissimum in Actibus solennibus & Comitiis prouincialibus exercet.

* Supra *c. V. §. XVII.*

** *c. IX. § XL.*

*** *c. VIII. §. XVIII.*

† EVROP. HEROLD *p. I. p. 257.*

†† ÆNEAS SYLVIVS *Europa c. XXIV. Saxoniæ Ducibus parua vera Saxoniæ portio paret. Sunt enim in ea prouincia multi alii principes, multæ ciuitates quæ vocantur imperiales, multi episcopi proprium territorium habentes. Misnia vero & Thuringiæ maior pars, & Lusatiæ, & Franconiæ pleraque oppida his ducibus parent. Ius autem eligendi Romanorum Imperatorem ex paruo quodam Principatu competere asserunt, inter Misniam Slesiamque iacente: cuius caput oppidum est VVittenberg vulgariter appellatum, id est mons albus.*

††† Extat apud LVNIGIVM *Cont. II. p. 411.*

†††† PECKENSTEIN *Theatrum Saxon. p. I. c. XIII.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Septimus inter Electores est BRANDENBVRGICVS, qui sextum in Imp. electione votum gerit. Archi-Camerarius est Imperii, * atque Imp. in solenni curia sceptrum præfert, Subofficialem suum habet Principem Hohenzolleranum.

* Ludouicus Elector in Diplomate de a. 1331. apud DATTIVM *lib. I. c. V. n. 31. p. 32.* vocatur: *Obrister Gæmmerer des heiligen Ræmischen Reichs.*

§. XXXIII.

Iura ipsius sunt eximia. Vtitur Elector iure primariarum precum in terris suis, * gaudet priuilegio de non adpellando, quod etiam in terris potissimum Electoralibus plene exercet, erecto Berolini Tribunali, tanquam iudicio prouinciali supremo. Obtinuit a Leopoldo Imp. Rex Borussiæ, a. 1702. priuilegium de non adpellando ad omnes terras hæreditarias extensum, ita, vt in possessorio nulla plane liceat adpellatio, & in petitorio vt adpellari possit, summa litis sit bis mille ducenti floreni in auro. ** Præterea tribuitur ipsi ex priuilegio Friderici III. Imp. de an. 1456. quod in suis territoriis possit pro lubitu noua vectigalia instituere & vetera augere. *** Licet hoc in dubium vocetur, & dum haut ita pridem eiusdem renouatio ab Imp. peteretur, Electores Palatinus atque Brunsuico-Lüneburgensis desuper fuerunt protestati. † Ab eodem Imp. an. 1476. priuilegium Electoribus & omnibus huius prosapiæ Marchionibus fuit concessum, vt de singulis ditionibus suis feudalibus etiam pro lubitu possint disponere, licet hoc non semper fuerit obseruatum, dum in alienationibus etiam sæpius Impp. consensum requisiuerint. †† Constituit etiam Magistrum Ordinis Iohannitici per Marchiam, Saxoniam, Vandaliam & Pomeraniam, *einen Herren-Meister*, eiusdemque ordinis est Patronus. †††

* *Cap. X.* §. *XXXVIII.*

** Extat hoc priuilegium in LVNIGII *Reichs-Archiv p. ſpec. ſect. III. p. 282.*

*** Extat illud apud LIMNÆVM *addit. pr. ad lib. V. c. VII. p. 844.* & apud LVNIGIVM *Reichs-Archiv p. ſpec. ſect. III. p. 308.*

† EVROP. HEROLD *p. I. p. 281.*

†† ITTERVS *de feudis Imperii c. XXIII. §. 9.*

††† Plura de hoc ordine infra dicenda, vbi de membris Imperii erit ſermo, *Cap. XXVIII.* §. *XX.*

§. XXXIV.

Hodiernus Elector eſt Fridericus Guilielmus, qui potentia ſingulis Electoribus præualet. Poſſidet præter Regnum Boruſſiæ, Terras Electorales Marchicas. Hæreditariæ ipſius Terræ poſt ſupremum Principatum Arauſionenſem & Nouicaſtrenſem in Germania ſunt, Ducatus Magdeburgenſis, Cliuiæ, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Venedorum: Principatus Halberſtadtienſis, Mindenſis, Caminenſis, Meurſenſis, Comitatus Marcæ, Tecklenburgenſis & plures alii. Horum nomine etiam concurrit in Directorio Circuli Saxoniæ inferioris tanquam Dux Magdeburgi, atque in Weſtphalico, tanquam Dux Cliuenſis. Ex iure & pacto antiquo ipſi competit Expectatiua in Ducatum Megapolitanum a. 1442. in Comitiis Francofurtenſibus a Friderico III. Imp. confirmata.* In Comitiis præter votum Electorale, in Principum Collegio quinque Vota gerit, ratione Magdeburg, Pomeraniæ vlterioris, Halberſtadt, Minden, Camin, plura in Collegio Comitum. **

* Latius hæc Iura exponuntur in FABRI *Staats Cantzelley Tom. XIV. cap. I.* MVLLERI *Hiſt. Friderici I. Vorſt. c. XIII.* & in LVNIGII *Gerechtſame p. I. p. 487.*

** Plura reperiuntur im EVROP. HEROLD *p. I. p. 281.* & in LVDEWIGII *Ger-*

Germania Principe lib. II. c. IV. De incrementis his potentiæ plenius agitur in ELECT. IVR. PVBL. *Tom. I. p. 205.* Superiori demum anno prodiit: *Consilium Catholico-Politicum von dem Aufnehmen und der grossen Macht des Churfürstlichen Hauses Brandenburg*, quod in caussa Successionis Iuliacensis a Catholico quodam fuit conscriptum.

§. XXXV.

Octauus hodie Elector est PALATINVS. Qua ratione iste per A. B. quintum in Collegio Electorali locum obtinuerit, sed superiori seculo Electoratu priuatus, atque per pacem VVestphalicam octauum locum iterum adeptus, rursus autem in eundem per pacem Badensem fuerit restitutus, superius iamdum demonstrauimus.* Restitutus etiam fuit in Officium Archi-Thesaurarii, ipso Electore Brunsuico-Lüneburgensi consentiente, & Reuersales ab Imp. confirmatos hoc ipso anno desuper edente. Ideoque Imp. Coronam præfert, atque in electione septimum votum gerit. Subofficialem habet Comitem de Sintzendorf.**

* Supra §. *XIX. sqq.*
** *Cap. IX. §. XXXIV.*

§. XXXVI.

Plura ipsi iura tanquam Comiti Palatino competunt. Vicariatum quidem Regni Germanici exercet in partibus Rheni, Sueuiæ & Franconiæ.* Iudex dicitur Imperatoris,** atque *des Reichs-Hoffmeister* *** quod tamen Iudicium plane in desuetudinem abiit. Ipsi olim quoque ius conuocandi Electores ad Electionem Impp. competebat.**** Exercet autem Ius creandi nobiles ex inueterata consuetudine.† Habet ius conducendi in territoriis quibusdam alienis.†† Cum autem de eo grauamina exhiberent vicini, in Laudo Heilbrunnensi de a. 1667. fuit decisum, hoc ius ipsi saltim competere in

in transitu Principum & illustrium personarum, copiarum equestrium vel pedestrium, Mercatorum ad solennes nundinas proficiscentium, Iudaeorum, Cingarorum & similium personarum, quae iuxta Leges Imperii conducendae, & quidem in viis saltim regiis. ††† Attribuit sibi insulas in Rheno natas. †††† Protectione vtitur fabrorum cuprariorum *des Kessler-Handwercks*, in partibus Rheni, Alsatiae, & certis Franconiae locis, & nemo illorum, in dictis tractibus artem suam poterit exercere, nisi a iuratis, & qui ideo constituti, nummo vno vel altero soluto, in album opificii fuerit relatus. De hoc Iure subinfeudat in tractu Alsatiae & Rheni Nobiles de Ratsamhausen, in tractu Franconiae vero Zobelios de Gibelstadt, cum emolumento, vt fabri illis familiis supellectilem cupream ad totius rei domesticae vsum gratis suppeditare teneantur. ††††† Inane est ius oppida atque dominia Imperii a Caesareis oppignorata, eodem pretio redimendi, donec a Caesaribus reluantur, dum bona oppignorata, per I. P. possessoribus relinquantur.

* *Cap. XIII.*

** Plenius de hoc *Cap. XXIV.* §. *I.*

*** In Litteris Maximiliani I. a. 1499. ad Palatinum datis vocatur: *Hochgebohrner lieber Oheim, Fürst, Rath, und des Reichs-Hoffmeister.* Et a Praeside suo Landeshutano salutatur: *Der Roemischen Koniglichen Maiestat, und des H. Reichs Hoffmeister.* Vid. *Deduction von Pfaltz-Neuburg wieder Kaysersheim p. 279.*

**** Supra *cap. VII.* §. *IX.*

† *Cap. XI.* §. *XIII.*

†† *Durch die Ober-Graffschafft Catzenellenbogen von der Berg-Strassen an, biß gen Franckfurt, item in der Marggraffschafft Baden, bis gen Pfortzheim.*

††† BVRGOLD. *p. I. disc. ad Instr. Pacis m. II.* §. *13. p. 473.*

†††† THVLEMARIVS *de Octouiratu c. XVIII.* §. *XLII.*

††††† Varia hac de re priuilegia exhibet THVLEMARIVS *cap. XVIII. §. 45. sqq.* LVNIG *p. Gen. p. 567.* Concessit tamen æque Fridericus III. Imp. a. 1444. Marchionibus Brandenburgicis hoc Ius protectionis in certo districtu, quod Rudolphus II. a. 1582. confirmauit apud LVNIGIVM *Fortſ. der II. Contin. p. 244.*

§. XXXVII.

Nec minimum inter Iura ipsius est *Ius Wildfangiatus*, quod in eo consistit, *vt omnes Baſtardi, & alia peregrinæ personæ, mares & fœminæ, quæ non habent persequentem Dominum, nemine excepto, vt Wildfangii, qui in eiusdem Principatu & Prouinciis, & adiacentibus Ecclesiasticis & secularibus Dominiis, oppidis, pagis & ditionibus, in Vrbibus vel agris nati fuerint, vel qui domicilium ibi ceperint, homines ipsius proprii ad eumque pertinentes fiant, ipsique, eorum baſtardorum, cum absque descendentibus, aut legitimo, rito, firmoque testamento decesserint, nec minus aliarum personarum, quæ hæredem non habent, aut relinquunt, omnem hæreditatem & bona mobilia ac immobilia, nomina & pignora, aliaque vbicunque sita, absque vllius rei exceptione, ceu Principi territoriali, hæreditario iure obueniant*, prout ipsa verba habent priuilegii Maximiliani I. quod ab omnibus insequentibus Impp. fuit confirmatum.* Dicuntur autem Wildfangii, quia ferarum modo capiuntur, licet in præfectura Oppenheimensi dicantur Homines Imperiales, *die Reichs-Leute*, in documentis antiquis sæpius aduentitii, *ankommende Leute.* Recipiuntur autem tales peregrini aduentantes in loca, vbi Ius Wildfangiatus in tractu Rhenensi potissimum viget, in censum hominum propriorum, atque in clientelam Electoris, & quidem sub initium statim præfecto soluunt florenum, qui dicitur, *der Fahe-Gülden*, atque Electori fidem promittunt iuramento, sol-

uunt certum censum annuum, vel ære vel gallinis, *an Zinß-Hübnern*, qui tamen leuis esse solet. Præcipuum est Mortuarium, quod in casu mortis soluunt, *das Hauptrecht*, *der Todes-Fall*, quod marito mortuo, communiter pecorum est præstantissimum, vxore vero defuncta, vestium est optima, quæ tamen plerumque ære redimuntur. Quod si defunctus cœlebs moriatur, vel desint adgnati proximiores, tota hæreditas ad Palatini fiscum deuoluitur. In nonnullis locis accedunt Angariæ & opera, in aliis iura sequelæ, lustrationis, armorum & similia. Hæc autem iura non in suo solum territorio exercet Elector Palatinus, sed etiam in vicinorum terris ad Rhenum, habetque Præfectos suos, qui dicuntur *die Ausfauthe*, per quos hominibus propriis in alienis terris habitantibus dat tutores, inuentaria confici iubet, eos non solum aduersus omnem vim tuetur, nec ipsorum territorii Dominorum iniuriis aut immodicis exactionibus vexari patitur, ad sua vero tanquam Heri sui (*als ihres Leib-Herren*) obsequia concessis in casibus constringit. ** In hoc iure etiam Palatinus Elector per Laudum Compromissoriale Heilbrunnense a. 1667. fuit confirmatus. ***

* Extat hoc Priuilegium in *Iustitia caussæ Palatinæ cap. III.* & ex eadem habet THVLEMARIVS *cap. XVIII.* §. *XXXVII.*

** Debemus ista THVLEMARIO *cap. XVIII.* §. *XLI.*

*** De hac controuersia S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XL.* Facit huc HENR. HILDEBRANDI *Diss. de Iure Wildfangiatus, Serenissimo Electori Palatino proprio, Altdorfi 1717. 4.*

§. XXXVIII.

Hodiernus Elector est Carolus Philippus, ex familia Neoburgica, qui superiori anno fratri suo natu maiori Io. Guilielmo successit. Inter Iura ipsius peculiaria * est reputandum, quod ratione Electoratus sit præcipuæ auctoritatis in Cir-

Circulo Rhenano Inferiori: ratione Principatus Simmerensis concurrit in conuocatione Circuli Rhenani Superioris cum Episcopo VVormatiensi: ratione Ducatus Iuliacensis concurrit etiam in Directorio Circuli VVestphalici. In Comitiis præter votum Electorale in Principum Collegio tria ipsi vota competunt, ratione Lautern, Simmern, Neuburg. Terræ Electorales consistunt in Palatinatu Inferiori. Terræ Hæreditariæ sunt Ducatus Lauterensis, Simmerensis, Neoburgicus & Veldentinus, qui tamen adhuc est sub lite, Iuliacensis, Bergensis & plures Comitatus. Truchsesii hæreditarii sunt Hirtzhornii, Pincernæ Comites Erpacenses, Mareschalli Rheingrauii.

* De his sigillatim egit GABR. SCHWEDERVS *de Serenissimorum Comitum Palatinorum Rheni singularibus Iuribus ac Prærogatiuis præcipuis, Tubingæ 1705. 4.*

§. XXXIX.

Nonus hodie Elector est BRVNSVICO-LVNEBVRGENSIS, dum Ernestus Augustus a Leopoldo Imp. d. 19. Dec. 1692. certis pactis præuiis,* Electoratum per solennem Inuestituram obtineret, ita tamen, vt secundum Ius Primogenituræ successio in Electoratum ad descendentes saltim Ernesti Augusti, primi adquirentis, minime vero hisce plane extinctis, ad Adgnatos, vna cum terris deuolueretur. Multa de hoc Electoratu fuit controuersia, an locum haberet. Moguntinus, Bauarus, Saxo & Brandenburgicus Electoratum quidem adprobabant, non æque modum, dum concessio Electoratus a solo Imp. facta, qui in Comitiis Electoribus a. 1690. hunc Electoratum Electoribus quidem proposuerat, ast, sine impetrato eorundem consensu, Hanoueranum postmodum de eodem inuestiuerat. Contradicebant plane Treuirensis, Coloniensis & Palatinus Elector, qui solius Cæsaris hoc minime esse ad-

ferebant, contrariari etiam nouum huncce Electoratum A. B. & quod ipsi, tanquam Catholici potissimum vrgebant, augeri numerum Protestantium.

* Pacta de concedendo Electoratu cum Leopoldo inita, reperiuntur in EVROP. HEROLD *p. I. p. 313.* & in LVNIGII *R. Archiv. p. spec. sect. I. p. 167. Forts. der II. Cont. p. 356.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXXIII.* Vid. Bedencken in hac caussa apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tomo II. p. 1159.*

§. XL.

In Principum Collegio plures erant, qui nono Electoratui se opponerent; inter quos praecipue Episcopus Herbipolitanus, Monasteriensis, Hildesheimensis, Dux Saxo-Gothanus, Guelferbytanus, Marchio Badensis, Landgrauius Cassellanus, Rex Daniae tanquam Dux Holsatiae, & Megapolitanus, qui nonum hunc Electoratum A. B. & potissimum Paci Westphalicae dicerent esse contrarium, eundem ansam dare oligarchiae Electorum, si potentiores ex Principum Collegio in Electorale transferantur. Potissimum vero Antonius Vlricus Guelferbytanus opponebat, hac ratione iura Maioratus in domo Brunsuico-Lüneburgensi hucusque vsitata euerti, sibi potius tanquam familiae seniori Electoratum deberi, immo Familiam Guelferbytanam etiam a successione plane esse exclusam. * Factum exinde, vt dicti Principes Ratisbonae d. 16. Ianuarii 1693. contra hunc Nouum Electoratum Vnionem inirent, ** quae Francofurti ad Moenum 1695. fuit confirmata. Hac ipsa conabantur, qua ratione eundem Electoratum pro nullo declararent, ipsi etiam contradicentes dicti: *die wieder die neundte Chur correspondirende Fürsten.* Hi etiam varios inter se Conuentus Goslariae atque Nori-

Noribergæ instituerunt, *** vt consilia contra nouum hunc Electoratum agerent, & dum ad Gallos potissimum, tanquam pacis Westphalicæ vindices prouocaretur, parum abfuit, quin ad arma deueniret. Exorto vero bello de successione Hispanica, mitigatis contradicentium animis, vnus post alterum Hanouerano de Electoratu fuit gratulatus.

* Rationes contra Electoratum late exponit EVROP. HEROLD. *p. I. p.* 315. Vid. etiam CASSANDRI THVCELII *Electa I. P. cap. II. III.* LVNIGS *Reichs-Archiv p. Gen. II. Forts. p. 280. 309.* ADAMI CORTREII *Obseruata de Nono Electoratu*. s. u. G. *diss. XXXVII. §. LXXIII. XCIV.*

** EVROP. HEROLD. *c. l.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. V. c. VI. p. 239.* LVNIGS *Reichs-Archiv p. spec. p. 359.*

*** Quid in his Conuentibus actum, late exponit FABER *Tomo V. cap. VI.*

§. XLI.

Licet autem omnes iamdum Hanoueranum pro Electore adgnouissent, agebatur tamen de modo, dum ad solius Imp. arbitrium spectare hoc minime arbitrarentur. Tandem res eo deuenit, vt, Leopoldus Imp. declararet,* se per Decretum Commissionis totam caussam ad Comitia esse delaturum, immo inposterum sine consensu Comitiali nullum Electoratum concessurum. Defuncto interea Leopoldo, denuo in Comitiis hoc negotium a Commissario Imp. principali fuit propositum, atque concluso Trium Collegiorum 30. Iunii 1708. definitum, vt Hanoueranus in Electoratu communi consensu confirmaretur, ita tamen, vt cum descendentibus masculis Ernesti Augusti desineret, & si durante eodem, Palatinus Electoratus ad familiam e Protestantibus deuolueretur, Catholicis votum supernumerarium concedendum, quod a primo Electore Catholico præstandum. Hoc Con-

 cluso

cluſo ab Imp. facile adprobato, facta eſt d. 12. Septembris 1708. Introductio in Collegium Electorale, datis reuerſalibus de ſuſcipiendo quanto Matriculari Electorali. **

* Reperitur iſta declaratio apud FABRVM *Staats-Cantzelley Tom. V. p. 252.*

** Extat Concluſum Trium Collegiorum in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p. 410.* ELECTA I. P. *Tom. I. p. I.* S. H. G. *diſſ. XXXVIII. §. XXIV.*

§. XLII.

Neque tamen de ſolo Electoratu fuit controuerſia, ſed etiam de Officio, Electoratui adnexo. Inueſtitus enim nouus Elector inſimul fuit de Officio Archiuexilliferi Imperii, ita, vt in ſolenni Curia vexillum præferret. Huic officio non adeo contradicebat Saxoniæ Elector, eo quod Elector Brunſuico-Lüneburgenſis declararet, ſe officio Saxonico, quod bellicum ſit, nullum adlaturum eſſe præiudicium, ſed aulicum ſaltim officium petere, quod non niſi in ſolenni curia præſtandum, dum Saxo Imp. gladium præferret. * Proteſtabatur tamen de eodem Dux Würtenbergicus, qui munus hoc Archiuexilliferi Imperii, ratione caſtri Gröningenſis ſibi vindicabat, cui quidem opponebatur, Vexillum Gröningenſe non eſſe maius Vexillum Imperii, ſed vel Vexillum Sueuicum prouinciale, vel Vexillum Principale, cui Vexillum Imperiale a Summo Officiali in coronatione Imp. gerendum nullum adferret præiudicium. ** Manſit tamen hæc res in ſuſpenſo, vsque dum Palatinus de Archidapiferatus Officio inueſtitus, ceſſit itaque Officium Architheſaurarii Electori Brunſuico-Lüneburgenſi, ad quod communi concluſo Comitiali d. 13. Ianuarii 1710. fuit confirmatus. † Hoc tamen Officium nuper demum, Palatino iterum dimiſit Hanoueranus, ita

ita vt de nouo nunc Officio constituendo in Comitiis agatur, atque Officium Archistabularii vel Archiarmigeri Imperii fuerunt proposita.

* EVROP. HEROLD *p. I. p. 253.*

** Scripta de eodem contraria extant in CASSANDRI THVCELII *Electis Iuris Publici c. IV. & in VVechsel-Schrifften vom Reichs-Bannier, Hanouera 1695. 4.*

† LVNIG *p. Gen. p. 670.* ELECTA IVR. PVBL. *Tom. II. p. 55.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XV. cap. XII.* etiam in CAPIT. CAROLINA *art. III.*

§. XLIII.

Hodiernus Elector est Georgius Ludouicus. Terræ Electorales consistunt in Ducatu Cellensi, Calenbergensi & Grubenhagensi, vna cum adnexis Comitatibus Hoya & Diepholt, introducto etiam iure Primogenituræ. Inter iura domus præcipuum est successio in Regnum Magnæ Britanniæ, quæ communi consensu Parlamenti fuit definita. * Concurrit in Directorio Circuli Saxoniæ Inferioris, saluis tamen iuribus & prærogatiua Regis Sueciæ tanquam Ducis Bremensis, licet de eo nuper, occasione Commissionis Cæsareæ in caussa Hamburgensi mota fuerit controuersia de præcedentia. ** In Comitiis præter votum Electorale, in Collegio Principum hodie bina adhuc vota gerit ratione Zell & Calenberg; Votum Grubenhagense, hodiernus Elector Blanckenburgensi Principi ad vitæ tempus cessit. In Osnabrugensi Episcopatu, Hanouerani Duces cum Catholicis alternant. Gaudet etiam in terris suis iure de non adpellando.

* Decretum vocatur *die Successions-Acte* atque reperitur in LVNIGII *Reichs-Archiv p. spec sect. IV. p. 164.*

** Acta reperiuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. c. XVII.*

§. XLIV.

§. XLIV.

Sæpius equidem de adaugendo Electorum numero fuit actum. Sic Maximilianus Coloniæ, Austriæ Duces in Electorum numerum voluit referri.* Carolus V. de Philippo II. in Electorem euehendo fuit sollicitus. Dum Iosephus in Romanorum Regem eligeretur, de Vngariæ quoque Regibus in Electorum numerum cooptandis fuit actum. ** Verum, singula hæc effectu fuerunt destituta.

* HIST. CORON. CAROLI V. p. 94. *Egit Maximilianus Coloniæ cum Principibus Electoribus, vt Archiducibus Austriæ, exemptis alioqui, honos ille haberetur, vt ipsis suffragii quoque Latio tempore Electionis Regis esset; Sed Principes ne antiquissima instituta maiorum commutarentur, precibus Maximiliani, votoque abnuerunt.*

** Prout RINCK *Leben Iosephi p. I. p. 226.* docet.



CAPVT

CAPVT DECIMVM OCTAVVM DE PRINCIPIBVS ECCLESIASTICIS.

§. I.

AB Electoribus pergimus ad Principes, qui vel Ecclesiastici sunt, vel Seculares, olim dicti *Pontifices & Principes*, * vel vt Theganus scribit, *Pontifices & Optimates.* ** Postea tamen ab Henrici IV. temporibus inualuit, vt communi nomine vtrique Principes *** vocarentur, id quod ab eo potissimum tempore vsu venit, quo Ecclesiastici caput efferre cœperunt, idemque magis increuit, dum Inuestitura episcopalis Pontifici fuerit cessa, ipsique Episcopi tanquam Principes ab Imp. inuestirentur. Hodie communi nomine dicuntur *Reichs-Fürsten.*

* Membrana antiqua apud du CHESNE *Tomo II. p. 325.* de Ludouico Pio: *peracto igitur triumpho, in Venetia vrbe generale Principum atque Pontificum celebrat Concilium.* WIPPO vita Conradi p. 423. *res petit, vt dicam summorum nomina quadam seu Pontificum siue secularium Principum.* WALTRAMVS de Vn. Eccl. conserv. lib. II. c. IX. *conuenerunt mense Martio Episcopi & Principes,* & *lib. II. c. XXV.* Cont. Lamberti Schafnab. ad an. 1160. *postea episcopi & principes super regni negotiis conuentum Erphordiæ celebrant.*

** THEGANVS *vita Ludouici Pii c. VI.* quos antea dixerat *Episcopos, Abbates, Duces, Comites,* statim vocat *Pontifices & Optimates.* Clarius hoc declaratur apud MABILLONIVM de re Diplom. lib. VI. n. 38. *igitur cum nos in Dei nomine vna cum optimatibus vel Pontifi-*

 cibus

cibus Apostolicis Patribus, seu & inlustribus viris, Ducibus atque Comitibus Attiniaco villa in Palatio nostro ad vniuersorum causas audiendas, vel recto iudicio terminandas resideremus. Licet etiam sub Optimatibus quandoque Episcopos comprehendi videamus, vtpote in ANN. FVLD. ad a. 873. *in præsentia illius & Optimatum suorum Episcoporum videlicet atque Comitum.*

*** Primum hoc apud BRVNONEM reperi Hist. B. Saxonici p. 192. *Vt enim a Rege nostro, cunctisque regni Principibus, maximeque ab Episcopis nostris confratribus igni ferroque terra nostra vastaretur.* Et clarius adhuc: p. 193. *singulos Principes, Sacerdotes & Laicos, scriptis & dictis suppliciter orauimus.* CHRON. SAXO ad a. 1133. *his ita gestis, Imperator* (Lotharius) *transcensis Alpibus celebrat natiuitatem Sanctæ Mariæ in VVerzeburch, habuitque gloriosum occursum, ad curiam suam ex principibus diuersarum prouinciarum, tam Ecclesiastici ordinis sublimitate, quam & seculari dignitate præfulgentibus.* In Diplomate Friderici I. quo in numerum Sanctorum Carolus M. refertur, apud LAMBECIVM *lib. II. c. V. Principum tam secularium quam ecclesiasticorum.* ALBERICVS ad an. 1234. *in Alemannia omnes Archiepiscopi, & Episcopi quidam excellentiores, nigri Abbates & omnes Duces & quidam Marchiones, & Landgrauii Thuringiæ & Palatinus Comes de Rheno, omnes isti vocantur Principes, cæteri autem sunt vel Comites vel Castellani vel nobiles.*

§. II.

Initium facimus a Principibus Ecclesiasticis, quorum considerada est constitutio, iura, ordo & Officiales. Constituebantur olim Episcopi Germaniæ vel a Regibus, vel a populo electi * ab iisdem firmabantur, & per annulum & baculum inuestiebantur, ** ita, vt nulla Pontifici iura, dum & ipsi Impp. ius haberent ordinandi Papam.*** Post Impp. inuestituram confirmationem obtinuerunt a Papa, ordinationem vero ab Episcopis. **** Inde Ecclesiæ suæ aliquid Bonorum cedere tenebantur. ***** Immo etiam Episcopi non

non ſine Impp. voluntate poterant deponi. ****** Dum autem Gregorius VII. Henrico IV. de hac Inueſtitura epiſcopali ſcrupulum moueret, factum, vt ſpeciali Transactione inter Henricum V. Imp. & Calixtum II. Papam an. 1122. inita, hæc Epiſcopalis inueſtitura Papis cederetur, ſalua tamen Impp. inueſtitura de terris Epiſcoporum. ****** *Manſerunt nihilominus in hoc etiam Iura Regum, *vt ſi forte in eligendo partes fiant, Regis arbitrii ſit Epiſcopum, quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio ponere: nec electum aliquem ante conſecrandum, quam ab ipſius manu Regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* ******** Exercuit hanc poteſtatem Lotharius, qui, ſciſſa propter Epiſcopi electionem, Magdeburgenſi Eccleſia, Epiſcopum ei dedit Norbertum. † Idem egit Conradus III. qui Traiectenſi eccleſiæ in partes ſciſſæ dedit Epiſcopum. †† Idem in diſſidioſa electione Magdeburgenſi præſtitit Fridericus Barbaroſſa, atque Wichmannum impoſuit Epiſcopum, ††† quod contranitente licet Papa, inualuit. †††† Idem Fridericus pro arbitrio ſuo dicitur dediſſe Moguntinis Epiſcopos, ††††† atque definiuit controuerſiam in Archiepiſcopatu Colonienſi poſt mortem Arnoldi †††††† Henricus VI. Imp. Iura ſua quoque exercuit in electione diſſidioſa in Epiſcopatu Leodienſi.* Et licet intermiſſum parumper hoc Impp. Ius fuerit, reſtitutum tamen a. 1688. dum Leopoldus reprobato Fürſtenbergio, Ioſephum Clementem hodiernum Electorem, Colonienſibus daret Archiepiſcopum. **

* LEX BAIVAR. Tit. I. §. XI. n. 1. *ſi quis Epiſcopum, quem conſtituit* REX, *vel* POPVLVS *elegit ſibi Pontificem, occiderit.* CAPIT. AQVISGRAN. Ludouici Pii de a. 816. c. 2. *ſacrorum canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, adſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi* PER ELECTIONEM

CLERI ET POPVLI *secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsque quoque prodesse valeant.* Sic etiam HINCMARVS in epistola ad Proceres Regni cap. IX. *& ideo, quia res Ecclesiasticas diuino iudicio tuendas & defensandas suscepit, consensu eius,* ELECTIONE CLERI AC PLEBIS, *& approbatione Episcoporum prouinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi debet.* ANN. FVLD. ad a. 870. *Luitbertus Moguntinæ sedis archiepiscopus cum quibusdam suffraganeis suis profectus Coloniam, VVillibertum presbyterum iussu Hludouici Regis &* TOTIVS CLERI ET POPVLI *electione, etiam Karlo nolente, in locum Guntharii ordinauit Episcopum.* Ad a. 898. *sed non multo post a Deotmaro Archiepiscopo cæterisque suffraganeis suis, contra voluntatem Regis* (Patauiensis Episcopus) *canonicali iudicio obiectus, ac Richardus ad eandem sedem Episcopus, in id ipsum tempus ordinatus est.* ANN. METENSES ad a. 883. *eodem tempore Bertulfus Treuirorum episcopus migrauit ad Dominum Id. Febr. cui successit in Pontificali cathedra per* ELECTIONEM CLERI ET TOTIVS PLEBIS *Ratbodus reuerendissimus Antistes.* HVGO FLAVIN. & FRODOARDVS ad a. 911. *Hermannus Coloniensis Archiepiscopus eligente Clero & fauente Populo.* DITMARVS *lib. II. p. 344. Lib. IV. p. 374.* LAMB. SCHAFNAB. CHRON. SAXO ad a. 1133. *& quia Heinricus Basiliensis Episcopus omnino degradatus fuit, Adalbero Nienburgensis Abbas eidem Canonica Electione cleri & Populi per consilium Imperatoris successit.* Exempla constitutorum a Regibus Episcoporum præbent ANN. FRANC. FVLDENSES, qui ad an. 856. *Hrabano successit Karlus magis ex voluntate Regis & consiliariorum eius, quam ex consensu & electione cleri & populi;* & paulo post: *decessit autem & Hatto Abbas Fuldensis cœnobii, pridie Id. April. in cuius locum per electionem fratrum & auctoritatem regiam ordinatus est Thioto vnus ex ipsis monachis.* REGINO ad an. 887. *prædictus Gozzilinus episcopus inter ipsas obsidionum pressuras migrauit a seculo, in cuius loco substitutus est ab Imperatore Haschiricus episcopus.* Lotharius vero Imp. dum a. 1131. in Archiepiscopatu Treuirensi de electione esset controuersia, profitebatur: *se minime electionem ad-*

pro-

probasse, cuiuscunque, qui non omnium communiter tam Clericorum quam Laicorum suffragia tulisset, BROWER *Ann. Treuir. lib. XIII. n. CII.* Vid. CONRING. *de Constit. Episcopor. Germ.* §. *XXV. sqq.* Hanc mutationem per singula Secula persequitur PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XV. p. 1328. sqq.*

** GVIL. TYRIVS de B. Sacro lib. I. c. XIII. *Inoleuerat consuetudo, praesertim in Imperio, quod defungentibus ecclesiarum Praelatis, annulus & virga pastoralis ad dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde postmodum vnumquemlibet de familiaribus & capellanis suis inuestiens, ad ecclesiam vacantem dirigebat, vt ibi pastoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione.* SVGERIVS *vita Ludouici Grossi* apud du CHESNE Tomo IV. p. 289. Treuirensem Archiepiscopum sic inducit ad Paschalem II. loquentem: *Temporibus antecessorum nostrorum sanctorum & Apostolicorum virorum, magni Gregorii & aliorum, hoc ad ius Imperii pertinere dinoscitur, vt in omni electione hic ordo seruetur, antequam electio in palam proferatur ad aures domini Imperatoris perferre, & si personam deceat assensum ab eo ante factam electionem assumere, deinde in conuentu secundum Canones petitione populi, electione Cleri, assensu honoratoris proferre, consecratum libere nec simoniace ad dominum Imperatorem pro regalibus, vt annulo & virga inuestiatur redire, fidelitatem & hominium facere.* Vid. vberius ALTESERRA *de Duc. & Comit. Prouinc. lib. I. c. VII.*

*** *c. I. §. III.*

**** ADAMVS BREMENSIS lib. III. sub initium: *Adalbertus Archiepiscopus sedit annis vndetriginta. Virgam pastoralem suscepit ab Henrico Imp. filio Conradi, pallium a Papa, ordinatio facta est ab Episcopis.* DITMARVS postquam de sua Inuestitura Imperiali dixisset *lib. VI.* p. 386. ait: *in Regis praesentia, chrismate in sacerdotem perunctus sum.* Idem p. 395. *Ibi tunc regali petitione & salua inposterum electione, Gero communiter eligitur, & in Ecclesia se primitus altari prodens, & communionem fratrum decem mansis adquirens, baculum a Rege accepit pastoralem & mox inthronizatus ab Eido vnctus est Episcopo nobis confratribus praedictis eum adiuuantibus.*

***** DITMARVS lib. VI. p. 395. *communionem fratrum decem mansis acquirens.* Lib. VI. p. 386. *Fuit tunc in nostra vicinitate clericus nobili genere Thiedricus nomine qui suasu præfati Comitis decem mansis præposituram hanc comparauit. Quo tot annis vel plus sedente, defuncta matre mea, ego hæres tertius, successi, & prædii medietatem quæ cœnobium respiciebat præfatum, a confratribus meis suscepi. Exin patruum sæpe alloquebar meum quatenus mihi liceret curam subire prædictam, etsi non potuisset id fieri dono saltim fieret mediocri pretio.*

****** Patet hoc ex ANNAL. METENS. ad a. 865. *Ludouicum Imperatorem fratrem Lotharii Regis adeunt, qui eo tempore apud Beneuentum morabatur, vociferantes, se iniuste esse depositos. Ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam esse factam: cum nusquam auditum sit, vel vspiam lectum, quod vllus Metropolitanus sine voluntate Principis, vel præsentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus.*

******* *Cap. X. §. XXII. XXIII.*

******** Verba sunt OTTONIS FRISING. *de gestis Friderici I. lib. II. c. VI.* Confirmatur hoc etiam SPEC. SAX. *lib. III. art. LIX.*

† TRITHEMIVS Chron. Hirsaug. ad a. 1127. *Clerici ad Imperatorem nuncios mittentes, episcopum sibi dari petunt. Casu Norbertus iste adfuit, vir scientia & sanctitate in toto notissimus orbe, quem consilio principum Imperator Archiepiscopum delegauit.* KRANTZIVS *Metrop. lib. VI. c. XII.*

†† OTTO FRISING. *de G. Friderici I. lib. I. c. LXII. LXIII.*

††† OTTO FRISING. *de Gest. Friderici I. lib. II. c. VI.* S. H. G. *diss. XVII. p. XX.*

†††† Patet controuersia, quæ ideo inter Imp. fuit & Papam, ex epistolis apud OTTONEM FRISING. *lib. I. c. VIII. & X.* SCHILTER *de Libert. eccles. Germ. lib. V. c. I.*

††††† GODEFRIDVS MONACHVS a. 1163. *Imperator quendam cognatum suum, nomine Conradum Episcopum ei suo arbitrio præfecit.* OTTO FRISING. lib. II. c. IX. *Fridericus Henricum Moguntinum deposuit, ac Arnoldum Cancellarium suum, per quorundam ex clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei surrogauit.*

†††††† OTTO

†††††† OTTO FRISING. *lib. II. c. XXXI. XXXII.*

* ALBERICVS ad a. 1191. *venerunt ambo ad Henricum Imperatorem, Imperator noluit Louaniensi regalia dare, dicens, quod electio deuenisset ad manum ipsius, ex quo habuerunt in electione discordiam.*

** Sic enim Legatus Cæsareus Comes de Kaunitz, in Propositione Capitulo Coloniensi facta apud LONDORPIVM Tomo XIII. p. 605. *nunc vero vacante Archiepiscopali Sede, Cæsaream Maiestatem sui muneris esse, & Aduocatiæ sibi in Ecclesias Germaniæ competenti incumbere, duxisse &c.*

§. III.

Dependebant itaque ante Gregorii VII. tempora, Episcopi a solis Imperatoribus, ita tamen, vt ex horum concessione, Principes quoque potestate in Episcopos vterentur. Exemplum habemus in Arnolpho, Bauariæ Duce, cui Henricus Auceps concessit, vt totius Baioariæ Pontifices ipsius subiacerent ditioni, atque vt in potestate ipsius sit, vno defuncto alterum ordinare.* Ex quo etiam controuersia, quæ olim inter Bauariæ Duces atque Episcopos Ratisbonenses fuit, suborta, quæ demum a. 1205. inter Conradum Ratisbonensem, & Ludouicum, Ducem Bauariæ fuit composita.** Eadem ratione Henricus Leo ius Inuestiendi Episcopos in terris suis viuentes sibi vindicauit,*** id quod speciatim ipsi concessit Fridericus I.† Ad hæc & similia exempla prouocabat Io. Fridericus, Saxoniæ Elector, dum a. 1542. Nicolaum Amsdorfium Numburgi Episcopum constitueret.††

* LVITPRANDVS *Chron. lib. II. c. VII.* S. H. G. *diss. XI. §. XIV.*

** HVND *Metrop. Salzburg. p. 134.*

*** ALBERTVS STAD. ad a. 1162. *Heinricus Dux castrum Werle cepit. Deinde vocatis Episcopis, Geroldo Aldenburgense, Euermodo Racisburgense, Bernone Magnipolitano locutus est eis, vt ab ipso reciperent suas dignitates, & fecerunt.* HELMOLDVS lib. I. c. LXXI. de Vicelino: *& his dictis, fecit, quod necessitas imperabat, & suscepit Episcopatum per virgam, de manu Ducis.* Lib. I. c. vlt. *& vacauit sedes*

Lubi-

Lubicensis vsque in Calendas Februa. eo quod Dux abesset, & expectaretur eius sententia, & lib. II. c. I. *compositis ergo rebus in Bauaria, Henricus Leo gemino ducatu clarus, reuersus est in Saxoniam, & accessito Clero Lubicensi dedit eis Pontificem Dominum Conradum Abbatem de Reddegeshusem.*

† Extat Diploma Concessionis apud MADERVM Antiquit. Brunsuic. p. 121. in quo: *ipsi & omnibus sibi in hac prouincia successuris concedimus inuestituram trium Episcopatuum, Aldenburc, Michilenburc, Racesburc: vt quicunque in locum Episcoporum ibidem subrogandi sunt, a manu ipsius, quod regii iuris est, tanquam a nostra recipiant.* Quare CHRONOGR. SAXO ad a. 1160. *Heinricus Dux propter multiplicandam Christianitatem constituendi & inuestiendi Episcopos in Sclauonia potestatem a Cæsare accepit.*

†† HORTLEDER *lib. V. c. XV. p. 1317.* Plura exempla apud Gallos recenset ALTESERRA *de Duc. & Comit. Prouinc. lib. I. c. VII.*

§. IV.

Inde turbata Germania nostra, mutata plane fuit ratio constituendi Episcopos, Ecclesiarum iura magis magisque inuadente Pontifice, quo factum, vt sensim ab Episcoporum constitutione excluderetur populus, inde Clerus, vsque dum soli Capitulo ius eligendi talem relinqueretur. Factum hoc partim ex concessione Impp. partim ex Lege Papali. Prioris exemplum reperimus in Annalibus Paderbornensibus, dum Carolus Crassus Clericis concesisset ius eligendi Episcopum.* Idem Ius Otto II. Magdeburgensibus indulsit.** In Diplomate Conradi III. Capitulo Traiectensi a. 1045. concesso, *vt, cum Episcopatum prædictum vacare contigerit, iidem Præpositi, Decani, & Capitula maioris & sancti Saluatoris Traiectens. ante dicti, & nulli alii, nisi Ecclesiarum suarum Concanonici Episcopum alium eligendi plenariam habeant potestatem*, quod etiam ab Eugenio III. Papa fuit confirmatum.*** Idem Capitulo Mindensi concessit Henricus IV. saluo tamen Regis siue Imp.

Imp. consensu. **** In Synodo Parisiensi a. 846. Monachis Corbeiensibus proprium Abbatem eligendi Ius rerumque suarum dispensationis libertas fuit concessa. ***** Sic etiam Fridericus II. Imp. singulari Constitutione iussit, vt Capitulares siue omnes, siue saltim pars eorum sanior Episcoporum eligendorum habeant potestatem. ****** Inter Papas Honorius III. perpetuo prohibuit, ne per Laicos cum Canonicis Pontificis fiat electio, quod a Gregorio IX. fuit adprobatum. † Inde Canonici Treuirenses in electione Archi-Episcopi Laicos a. 1242. plane excluserunt. †† Licet hoc reliquum clerum & populum male haberet, vt exinde sæpius orirentur dissensiones. ††† Et dum confirmatio a Sede Romana esset petenda, cœpit, vt Episcopi hoc titulo vterentur Dei & Apostolicæ Sedis gratia. ††††

* Extat Diploma d. a. 885. apud SCHATENIVM *lib. III. p. 193.*

** DITMARVS lib. III. ineunte: *insuper licentiam Archiepiscopum eligendi confratribus, domino famulantibus in Magdeburg, præcepto imperiali, præsenti Archiepiscopo dedit Adelberto, & cum vno libro, qui hodie ibidem est, in quo sua Imperatricisque Theophania imago auro splendet formata, munus affirmauit.*

*** Extat Diploma in WILHELMI HEDÆ *Hist. Vltraiect. p. 163.*

**** CHRON. MINDENSE apud PISTORIVM *p. 741.*

***** Prout MARLOTVS testatur *Metrop. Rem. lib. III. p. 390.*

****** CONRING *de Constit. Episcoporum Germaniæ* §. *LXV.* & CASPAR ZIEGLER *de Episcopis lib. II. c. I.*

† *Cap. LVI. de electione & electi potestate.*

†† BROWER *Ann. lib. XVI. ineunte.*

††† LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1066. de Electione Cunonis in Archi-Episc. Treuirensem: *grauiter & indigne nimis tulit tam Clerus quam Populus Treuerorum, quod ipsi in electionem eius admissi consultique non essent.* GODEFRIDVS ad a. 1203. *ipso anno mortuus est Herimannus Monasteriensis Episcopus & facta est dissensio pro electione. Nam*

 prio-

priores & ministeriales elegerunt Ottonem maioris Ecclesiæ Bremensis præpositum; Comites autem & Liberi ipsisque attinentes Abbatem de Claolt elegerunt.

†††† CONRING §. LXXV. AVENTINVS *lib. VII. c. IV. n. 15.* MABILLONIVS *de Re Diplom. lib. II. c. II. §. X.*

§. V.

Exinde triplex Modus fuit subortus constituendi Episcopos, vel Electione, vel Postulatione, vel Collatione. *Electio* fit tribus modis, vel per *inspirationem* quasi diuinam, quando vno omnium Capitularium consensu quis in Episcopum eligitur, vel per *Compromissum*, quando Collegium Capitularium in vnum vel plures compromittit, vt, quem isti sint electuri, in eum omnes consentiant, vel per *Scrutinium*, quando singuli, datis suffragiis, declarant, quem velint eligi, qui modus hodie est frequentissimus. Licet haut raro vota dicantur esse venalia.*

* Vid. Titulus Decretalium *de electione & electi potestate.* DVARENVS *de Sacris Ecclesiæ Ministeriis lib. V. tit. I.* BOEHMERVS *Iure Eccles. lib. I. Tit. VI.*

§. VI.

Vbi vero vitium quoddam adparet, vel impedimentum, ob quod quis secundum canones eligi non possit, *Postulatio* locum habet, dum Capitulum a Papa petit, vt circa certam personam, quæ ob canones eligi prohibetur, dispenset. Habet autem ista locum, si vitium quoddam adsit corporis, vel si iam Episcopus sit in alio Episcopatu, propter coniugium spirituale,* quod intelligitur contraxisse cum priore Ecclesia, atque tunc non nisi Papa dispensante, poterit postulari.** Quibusdam autem postulantibus, quibusdam eligentibus, duplo maior postulantium numerus requiritur, sin secus, præfertur per pauciora suffragia facta electio.*** Exemplum habemus in electione Coloniensi 1688. mortuo Maximilia-

miliano Henrico, Electore facta. Bini erant Candidati, Iosephus Clemens, Bauariæ Princeps, & Wilhelmus Egon Fürstenbergius, vtrique inter postulandos saltim erant referendi, eo quod Bauarus esset Episcopus Ratisbonensis & Frisingensis, Fürstenbergius autem Episcopus Argentinensis, Papa tamen in Bauari fauorem dispensabat, vt pro eligendo esset habendus. Dum itaque Bauarus per nouem vota eligeretur, Fürstenbergius autem per tredecim vota postularetur, nec vota duplo maiora constitueret, Bauarus ex dicta ratione a Papa fuit confirmatus ab Imp. & Collegio Electorali adprobatus. †

* Testatur de eo DITMARVS *lib. IV. p. 357.* quod nullus olim duas Parochias tenere potuisset. Licet de Salomone quodam dicat ECCARDVS *de Vita Notkeri c. XIV.* quod vna cum Episcopatu duodecim rexerit Abbatias.

** Extat Titulus Decretalium *de Postulatione Prælatorum.* GREGORIVS *lib. IV. ep. XIX. c. 3. dist. LIV.* SCHILTER *Instit. I. Can. lib. I. Tit. VII. §. 9.*

*** *cap. Scriptum est de Electione & electi potestate.*

† Scripta quæ in hac controuersia agitata, exhibet PFEFFINGER *not. ad Vitriarium lib. I. tit. XIV. §. 5.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXIV.*

§. VII.

Tertius modus constituendi Episcopos Germaniæ consistit in *collatione*, quæ Papæ est, cui in Concordatis nationis Germanicæ cessum, vt Episcopatus, prælaturas & beneficia, apud sedem Pontificiam vacantia, siue si Episcopi, & Prælati Romæ fuerint defuncti, conferre debeat. *

* *c. X. §. XXVI.* Hinc Leo Papa in epistola ad Carolum V. apud BEMBVM lib. XVI. ep. XVI. *Latere te non debet, Sacerdotia omnia, quorum Præfecti apud Romanos Pontifices obierunt, eosdem Pontifices, sine vlla Regum aut Principum recusatione, quibus voluerunt semper dedisse, semper illa sui iuris habuisse.*

§. VIII.

Electus autem a Capitulo, Inuestituram, tanquam Princeps Imperii petit ratione Terrarum suarum & Regalium à Cæsare, * eandemque intra tres menses petit, confirmationem vero a Papa, quam sequitur consecratio ab Metropolitano suo, siue Archiepiscopo facta. Archiepiscopi quidem insuper *Pallium* a Papa intra trimestre spatium petere & luere tenentur. Erat autem Pallium olim ornamentum Impp. proprium, post dono datum ab iisdem Patriarchis & Metropolitanis, in signum gratiæ & honoris, post, ex Sedis Romanæ consuetudine introductum. ** Hac ratione autem Pallium conficitur. *** In die Agnetis virginis, qui est Ianuarii XXI. in templo Diuæ Agnetis, Romæ, cum in missa imploratur agnus Dei, super altare ponuntur agni duo candidi, postea traduntur basilicæ D. Petri subdiaconis: hi mittunt illos in pascua, suoque tempore tondent, ex eaque lana, permixta reliquæ lanæ, cum in filum diducta fuerit, parantur pallia. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora diui Petri atque Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem vnam: altera die subdiaconi recipiunt & honesto loco diligenter adseruant, donec qui opus habet, Archiepiscopus, aut eius procurator sibi dari petat. Est vero pallium fascia latitudinis trium digitorum, ex candida lana, linoque confecta, habens circulum humeros circumstringentem, & duas lineas, seu Chordulas ab vtraque parte, ante & retro pendentes, item quatuor cruces nigras, seu purpureas, quarum vna ad pectus, altera retro in humeris iacet, vltima hinc inde brachia exornant. **** Gratis hoc olim conferebatur, postea mille florenis, inde viginti millibus, hodie viginti quinque millibus redimitur. Soli idem petere tenentur Archiepiscopi, & cum Papa illud ad omnes Episcopos vellet extendi, grauiter de eo-

dem

dem fuerunt conquesti Germani, † ita, vt hodie adhuc solis conueniat Archiepiscopis, atque Episcopo Bambergensi, qui iura habet Metropolitani. †† Omnes vero ad certas Taxas & Bullas luendas tenentur. †††

* ALBERTVS ARGENT. p. 132. de Berchtoldo, Episcopo Argentoratensi: *de communi consilio omnium suorum fidelium, Spiram Principem* (Ludouicum Bauarum) *accedens, scrupulum conscientiæ obmittens, sibi homagium fecit, & regalium suorum ab eo tanquam Imperatore, inuestituram accepit: protestans in Principis præsentia, eo consentiente, quod non minus Domino suo Papæ vellet in omnibus obedire.* Plenius hæc persequitur atque exemplis illustrat PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. c. XV. §. XXII.*

** De Pallio sic dicit HENRICVS STERO ad a. 1190. *quo notatur plenitudo pontificialis officii.* Signum autem gratiæ pontificalis olim fuisse pallium, docet nos LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1063. *Papa redeunti Bucconi Halberstadtiensi pro præmio bene curatæ legationis pallium dedit, & alia quædam Archiepiscopatus insignia.* Idem ad an. 1070. *Episcopus Bambergensis & pallium & alia quædam archiepiscopatus insignia a Sede Apostolica pro benedictione accepit.* Vid. Titulus Decretalium *de auctoritate & vsu Pallii.* STRAVCHIVS *diss. Exot. V. §. XI.* BECMANN *not. dign. illustr. diss. XVIII. cap. I. §. 10.*

*** SLEIDANVS *lib. XIII p. 377.*

**** STRAVCHIVS *c. l. §. XII.*

† Hoc etiam inter Grauamina nationis Germanicæ erat, STRAVCHIVS *§. XV.* Conqueritur de eodem Auctor Orationis dissuasoriæ in Comitiis Augustanis a. 1518. habitæ, apud FREHERVM *Tomo II. p. 394. prouenit Pontifici ex sua terra vectigal, quantum nulli Regum Christianorum: & tamen Pallia emimus, & tamen asinos auro onustos Romam mittimus, patibula Christi erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias* (*hem lapso calamo*) *indulgentias passim admittimus.*

†† Inter Grauamina Germanorum apud HORTLEDERVM Tom. I. lib. I. c. XLVII. n. 45. *vor die Bestætigung eines Bischoffs, muß man vom Pabst den Bischœfflichen Mantel læsen, so doch einen solchen eigentlich*

allein der Bischoff zu Bamberg in Teutschen Landen hat, und die Ertz-Bischoff.

††† HORTLEDER n. 44. *viel ein mehrers wird von allen Nationen aus den Palliis der Bischœffen emungiert, oder erschunden, da noch über die Haupt-Tax erlegt werden muß, die Haupt-Bulla, die Befelchs-Bulla, die Bulla der Absolution, die Bulla an das Capitel, die Bulla an die Clerisey, die Bulla an die Gemein, die Bulla an die Lehen-Leut, die Bulla an den Kœnig, die Form des Eyds, und was man behalten muß, im Consistorio für die Einweyhung, und Einsegnung.*

§. IX.

Consideratur igitur ex pacto illo inter Henricum V. & Calixtum II. Papam a. 1122. inito, Episcopus Germaniæ tanquam duplex persona. Vt princeps & Vasallus Imperii dependet ab Imp. & Imperio, eademque ratione ab eodem inuestitur: * hinc inter clypeos militares locum habet Clypeus *der Pfaffen-Fürsten.* ** Tanquam Episcopus dependet a Papa. Hinc feudis suis & dignitate Principali priuari potest Episcopus ab Imp. non vero Iure Episcopali, ideoque nec Banno notari potest, quod personale est, dum in personalibus Papam adgnoscat superiorem.

* S. H. G. *diss. XVI.* §. X. GOFFRIDVS VINDOCINENSIS lib. I. ep. VII. *possunt Reges per inuestituram regalem in Ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium & defensionem Episcopo dare, quod quolibet signo factum extiterit, Regi vel Pontifici seu Catholicæ fidei non nocebit.* HVGO FLORIACENSIS de regia potest. & sacerd. dign. lib. I. c. V. *post electionem non anulum aut baculum a manu regia, sed inuestituram rerum secularium electus Antistes debet suscipere.*

** *l. Feud. Alemann. cap. I.*

§. X.

Iura Episcoporum vel Comitialia sunt, vel territorii vel diœcesana. In Comitiis semper ab antiquo inter Regni Germani-

manici Status ad negotia publica fuerunt admissi, de quo omnis historia Comitiorum * testatur, & fuerunt Cancellariæ præfecti, dum soli Ecclesiastici linguam callerent Latinam. Verum, in solos Clericos exercebant iurisdictionem, ** seculari erant destituti, quæ ab Impp. per Duces, Comites atque Aduocatos administrabatur. *** Primo itaque ipsis sensim concessa Iura quædam, & exemtio a iurisdictione Ducum & Comitum, quam per Aduocatos suos & Vicedominos exercebant, **** inde propria iurisdictio † & territorium. †† Accedebant aliæ concessiones speciales de vectigalibus, monetis, mercatibus & iuribus similibus, remanente adhuc penes Impp. Superioritate territoriali. Accedebant post tot iura, territoria, Comitatus, dynastias Episcopis cessas, potestas secularis, atque Regalia a Ducibus alias exerceri solita siue Regimen prouinciæ, ††† postquam Otto M. Brunonem fratrem suum, Coloniensem Archiepiscopum crearet Ducem Lotharingiæ, quod ista ætate tanquam nouum omnes admirantur. †††† Exercebat autem Bruno secularem potestatem non tanquam Episcopus, sed tanquam Dux.

* HINCMARVS epist. ad Proceres Regni c. XXIX. *in quo placito generalitas vniuersorum maiorum tam Clericorum quam Laicorum conueniebat.* Plura hac de re loca collegit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XV. §. II. lit. d.*

** CAPIT. lib. V. c. 378. *nemo audeat Clericum aut monachum vel sanctimonialem fœminam ad ciuile iudicium accusare, sed ad Episcopum.*

*** CAPIT. lib. V. c. XVI. CAPIT. PRIMO a. 802. c. XIII. XIV. CAPIT. LVDOVICI PII a. 823. *qualiter vnusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis, comperire, qualiter scilicet Comites iustitiam diligant & faciant, & quam religiose Episcopi conuersentur & prædicent.* CAPIT. lib. II. c. IX. X. De reliquis loquitur CAPIT. AQVISGRAN.

PRIM.

PRIM. a. 802. c. XIII. *vt Episcopi, Abbates, atque Abbatissæ Aduocatos atque Vicedominos Centenariosque legem scientes & iustitiam diligentes pacificosque & mansuetos habeant.* Quare etiam MAGN. CHRON. BELG. p. 31. ait: *Carolus Martellus laicis Episcopatus dedit & Episcopis nullam potestatem habere permisit.*

**** Hoc persecutus fuit vberius HERM. ADOLPH. MEINDERS *de Iudiciis Centenariis cap. II. §. XXXI.*

† Sic Pipinus ecclesiæ Traiectensi inter alia concedit: *Præcipientes ergo iubemus, vt sicut constat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Ecclesiæ D. Martini integram immunitatem absque introitu iudicum fuisse concessam; ita, vt in antea auxiliante Domino, inspecta priorum Principum authoritates omnimodo conseruentur & neque vos, neque iuniores successoresque vestri, vel vllus quilibet de Indiciaria potestate in villas ante dictæ Ecclesiæ, quas moderno tempore vbicunque in regno nostro noscuntur possidere vel in antea a Deum timentibus hominibus ibidem fuerint collatæ aut collaturæ, tam de ingenuis, quam de seruientibus, vel de qualibet natione hominum in prædictis ipsius Ecclesiæ villis commanentibus, quod legitime ad ipsum Episcopatum, vel ipsam Ecclesiam S. Martini legitimo redibit initio, nec ad causas audiendum, nec freda exigendum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec homines ipsius Ecclesiæ de qualibet causa distringendum, nec vlla redhibitione requirendum ingredi non præsumatis.* HEDA *Hist. Vltraiect. p. 35.* Simili ratione Carolus M. Priuilegium Osnabrugensi Ecclesiæ concessit, in quo sequentia: *omne regale vel seculare iudicium super suos seruos & liddones & liberos malman & mundman & omnes vtriusque sexus homines eidem Ecclesiæ pertinentes, quos modo possidet vel deinceps acquisierit, & perpetuam de regia potestate confirmamus absolutionem, ita, vt nullus iudex publicus, Dux, comes vel vicecomes vel scultetus siue missi dominici per tempora discurrentes loca illius Episcopatus ad placita habenda, vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de præscriptis eidem Ecclesiæ pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem vsque terrarum diiudicare vel aliquo modo vllo vnquam tempore aggrauare audeant,* MONVMENTA PADERBORN. p. 325. Ludouicus Pius concedit Priuilegium: *vt homines Ecclesiæ Traiectensis sub Mun-*

Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ existerent. HEDA *Hist. Vltraiect. p. 45.* id quod multis inde priuilegiis confirmatur, præcipue Priuilegio Ottonis M. de iurisdictione Ecclesiarum Imperii, quod reperitur apud GOLDASTVM *Constit. Imp. Tom. III. p. 304.* De Ludouico Pio testatur HELMOLDVS lib. I. c. IV. *qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua pater eius, erga cultum domus Dei, & omnem clerum vsus est, amplissimas regni diuitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ intorquens, in tantum, vt Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni.* Carolus Crassus a. 887. Ecclesiæ Paderbornensi concessit, vt homines famulatum monasterii facientes *coram nulla iudiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, vel aduocato, quem eiusdem loci Episcopus elegerit* apud SCHATENIVM *lib. III. p. 199.*

†† Adlegat SCHILTERVS Comm. ad Ius Alemann. Feud. ad cap. I. §. 7. Diploma Lotharii I. quod Monasterio S. Stephani concessit, in quo: hæc verba: *ita duntaxat, vt salua per omnia reuerentia SS. Antistitis* (Argentoratensis) *in cuius consistit Territorio, nullus iudex publicus in loca vel agros nisi defensor, quem ipsius loci congregatio & Abbatissa voluntarie a Palatio impetrauerit, audeat ingredi ad causas audiendas.* Qua ratione sensim Terras cum iurisdictione adquisiuerint, prolixe demonstrauit PFEFFINGER *ad Vitriarium p. 115. sqq.*

††† Sunt equidem, qui ante Ottonis M. tempora Episcopos Regalia, sub Carolingicis iamdum Impp. obtinuisse, contendunt, id quod singulari dissertatione fuit persecutus PHILIPPVS HENRICVS HELMSTETTER, exhibens *Quæstionem, an Status Ecclesiastici habuerint Regalia tempore Francorum, Argentorati 1714. 4.* quem sequitur IO. WILH. GOEBEL *de Iuribus Procerum Imperii Maiestaticis p. 17.* Verum, licet Ius Comitiorum, Monetæ, Teloneorum, Mercatus, partim etiam Iurisdictionem ante Ottonis M. tempora obtinuerint multi ex Episcopis, non vero potestatem siue Regimen Episcopatus sui seculare, quod Bruno primus sub Ducis nomine cœpit exercere.

†††† WITTICHINDVS lib. I. Ann. p. 638. de Brunone: *quem Pontificis summi ac Ducis magni vidimus officium gerentem.* LEWOLDVS NORTHOFIVS in Catalogo Archiepisc. Colon. quem exhibuit MEIBOMIVS Notis ad Wittichindum p. 68. *Imperator dicto fratri suo Coloniensi Episcopo, vt suam petitionem & magnificentiam suisque successoribus & Archiepiscopis in perpetuum concessisset.* Apud DITMARVM *lib. IV. p. 354.* Bruno dicitur XV. Comitatuum Comes & *lib. II. p. 335.* quod Otto M. ipsi dederit Archiepiscopatum Ducatumque Lotharingiæ. Hoc autem AVCTOR VITÆ BRVNONIS apud LEIBNITIVM *p. 280.* ipse tanquam isto tempore insuetum adlegat, licet WITTICHINDVS ad exemplum Samuelis prouocet, id quod ipse Auctor Vitæ Brunonis innuere videtur, dum ait: *nec vero noua fuit huiusmodi gubernatio, aut sanctæ Dei Ecclesiæ Rectoribus antea inusitata, cuius exempla, si quis requisierit, in promptu sunt.* Hinc Auctor MAGNI CHRONICI BELGICI p. 80. ait: *Bruno Ducatum Lotharingiæ acquisiuit & Coloniensi Ecclesiæ applicauit, cum ante hæc sua tempora Archiepiscopi Colonienses non iudiciis gladii temporalis, sed tantummodo iurisdictione vsi fuissent baculi pastoralis.* S. H. C. *diss. XII. §. XXIX.*

§. XI.

Dum autem vnus ex Episcopis secularem nactus fuisset potestatem, reliqui minoris conditionis esse nolebant, eandemque adfectabant, atque eo adnitebantur, vt ab Imp. Comitatus obtinerent, quo, non tanquam Episcopi, quod alienum esse videbatur, sed tanquam Duces & Comites Iurisdictionem exercerent. Eadem enim ratione Otto filio suo Guilielmo, Archiepiscopo Moguntino concessit Thuringiam & Hassiam, cum iure dominii, vt sub nomine Ducis Thuringiæ secularem exerceret potestatem. * Otto III. Imp. concessit Otgero Episcopo Spirensi de a. 989. similem potestatem in vrbe & marca Spirensi. ** Tempore Henrici II. Burchardus Episcopus potestatem exercuit in vrbe Wormatensi. ***

Idem

Idem Henricus II. dum Episcopo Herbipolitano secularem potestatem in Episcopatu suo concessisset, eandem **** sub titulo Ducis dedit. Ab eodem Henrico II. Imp. Paderbornensis Episcopus obtinuit Comitatum cum Iurisdictione. ***** Idem ad exemplum Herbipolensis tentauit Archiepiscopus Bremensis, qui æque potestatem secularem adfectabat, atque Comitatum ab Henrico IV. Imp. obtinuit. ****** Secutus Philippus Coloniensis Archiepiscopus, qui Ducatum Angariæ atque Westphaliæ a Friderico I. obtinuit. ******* Hermanno, Monasteriensi Episcopo Fridericus Barbarossa a. 1185. primum Regalia concessit, eundemque Principem creauit. † Recentius est Exemplum Episcopi Argentinensis, qui seculo demum decimo quarto Landgrauii Alsatiæ titulo vti cœpit.†† Dum etiam in Westphalia Iudicium olim Vehmicum obtineret, Episcopis terræ demum a Ludouici Bauari temporibus liber Ducatus, vna cum potestate iudicia exercendi *nach Vemerecht* fuit concessus. ††† Reliquis Episcopis Comitatus Iura vel Iurisdictio in diœcesi sua fuerunt relicta, * ex quo in ipsas vrbes Imperiales iura exercere cœperunt Episcopi. ** Qui fons est controuersiarum quam olim Moguntinus, Treuirensis, Magdeburgensis, Monasteriensis, Osnabrugensis cum vrbe sua Metropoli, hodie adhuc Coloniensis, Bremensis, Wormatiensis habent de iure Territorii. Inde crescente indies Episcoporum potentia, eandem sibi omnes potestatem tribuerunt, ac Seculares. *** Potissima itaque origo crescentis indies Episcopalis potentiæ tribuenda est Ottoni M. qui tanta profusione Episcopatus fundauit, opibusque & potestate ornauit, quem secuti reliqui Impp. in tantum fastigium euexerunt Episcopos, vt isti se demum, quantum ad personam, Imp. iurisdictioni eximerent.

* LANGIVS Chron. Citic. apud PISTORIVM Tom. I. p. 767. *Wilhelmo Pater Otto, post mortem Ducis Burchardi, qui ab Hungaris interfectus, sine liberis obierat, dedit totam Thuringiam & Hassiam, cum pleno iure & Dominio, ad honorem Dei, & S. Martini, Moguntinensis Ecclesiæ Patroni.* HIST. LANDGRAV. THVRINGIÆ cap. X. Licet hic Thuringiæ Ducatus ad dies vitæ saltim concessus videatur, cum alios postea habuerit rectores, vid. SAGITTARIVM *de antiquo Statu Thuringiæ p. 47.*

** Extat Diploma apud LEHMANNVM lib. IV. cap. III. in quo hæc verba: *vt nullus Dux, siue Comes, vel nullus publicus iudex ex iudiciaria potestate, aut aliqua cuiuslibet potestatis ignota persona, nisi solus Episcopus & Aduocatus ipsius supra dictæ Spirensis Ecclesiæ, ex iussione & concessione nostra deinceps potestatem habeat, pro quocunque negotio, vel pro aliqua re parua aut magna placitum retinere, seu publicum iudicium facere, infra ciuitatem Spira seu Nemeta vocatam, aut in circuitu extra ciuitatem, id est, in villa Spira, & in marcha, quæ eidem vrbi adiacens est, aut aliquid per regale bannum in vsum nostri, successorumque nostrorum exigere.*

*** DITMARVS *lib. V. fin.* LEHMANN *lib. IV. c. III.*

**** Vide supra *c. III. §. XII.*

***** Prout demonstrauit NIC. SCHATENIVS *Ann. Paderborn. lib. V. p. 394 403.*

****** ADAMVS BREMENSIS lib. IV. c. V. *voluit efficere, Episcopo Würtzburgico similem se esse, qui in Episcopatu suo neminem dicitur habere consortem, quia ipse tenet omnes Comitatus suæ Parochiæ, & Ducatum quoque Prouinciæ gubernat. Ita & Episcopus Brem. statuebat, omnes Comitatus sui Episcopatus, iurisdictionem habentes, in Ecclesiæ potestatem redigere.* Concesserat etiam Henricus IV. an. 1057. Bremensi Ecclesiæ Comitatum in Pagis Hunesga & Fiuilga, prout Diploma extat apud LVNIGIVM *Spicil. Eccl. Anhang zu denen Ertz-Stifftern p. 83.*

******* Aurea Bulla Friderici extat apud LVNIGIVM *p. spec. p. 434.* S. H. G. *diss. XVII. §. XLVIII.*

† SCHIPHOVERVS in Chron. Oldenburg ad a. 1185. *Hic obtinuit a Fride-*

Friderico I. Imperatore circa annum Christi 1185. quod ipse & sui successores, Episcopi Monasterienses, Principes & Duces in Westphalia deberent esse, & vocari. Et tales dignitates, & Iura Vrigrauiatus, & plura Regalia iura Episcopi prædicti deberent ab Imperatore perpetuo recipere iure homagii. Et alia bona plurima suis successoribus Hermannus Episcopus ab Imperatore, item libertates, & dignitates acquisiuit. Rationem reddit KRANTZIVS Metrop. lib. VII. c. XXVII. *Obsecutus Imperatori in expeditione Italica ad Mediolanum, obtinuit, vt ipse & deinde successores sui essent deinceps & appellarentur in perpetuum Principes.* NIC. SCHATENIVS equidem *Hist. VVestphal. lib. VIII. p. 531* auctor est longe ante ista tempora Monasterienses Regalia habuisse, cum Gerfridus II. iamdum a Ludouico Pio Nouiomagum euocatur, inter Imperii Principes Iudex consederit. Verum, hæc iura erant Comitiorum, quæ satis antiqua.

†† HERTZOGS *Elsaßische Chronic lib. IV. p. 97.* KÖNIGSHOVEN *Elsaßische Chronic p. 260.*

††† Patet hoc ex Priuilegio Ludouici Bauari, quod Ludouico Mindensi a. 1334. concessit, apud MARQV. FREHERVM *de Iudiciis VVestphaliæ secretis* p. 11. *geben Ime ein fry Hertzogdom in dem Stifft to Minden, und Fry-Gerichte darinne tho sittende, und Konigsbonne nach Vemerechte also in dem Lande VVestfalen recht is, an weltlichen Rechte, van unsir, und unsir Nakomen wegen, Ræmischer Keyser oder Kænige.* Hoc plenius persequitur MEINDERS *c. l. §. XLIV. sqq.*

* SCHWÆBISCH LEHNRECHT c. XLIII. *Alle Bischæffe empfahen von dem Kænige Müntz und Zoll, etliche empfahen Fahnen-Lehn, und etliche weltliche Gerichte.*

** Patet hoc ex Pace Friderici I. Constantiæ a. 1183. erecta, apud LEHMANNVM lib. IV. c. III. *in ciuitate illa, in qua Episcopus priuilegio Imperatoris aut regis comitatum habet, si consules per ipsum Episcopum consulatum recipere solent, ab ipso recipiant, sicut consueuerunt accipere.*

*** Egregie de hoc loquitur GVILIELMVS KYRIANDER *Ann. Augustæ Treuir. p. XVII.* dum ait: *occasio ambiendi totum dominatum pontifici-*

tificibus plerumque fuit tam Ecclesiastica iurisdictio, quam exercebant amplissime, tum possessio ac vsus regalium in vrbibus, vti sunt Palatia, Comitatus, Iurisdictio, merum & mixtum Imperium, ius creandorum magistratuum, ad expellendam iustitiam, pœna, mulctaque, telonia, moneta, Iudæi, pluraque alia. Vid. etiam LEHMANNVS *lib. IV. c. III.*

§. XII.

Variant autem Principes Ecclesiastici in Ordine & Statu suo. De Primatu præcipue multa est controuersia, dum plures in Germania nostra reperiantur *Primates*, quod multis scrupulum mouet. Verum, si consideremus, Primatum non nisi honoris titulum fuisse, quosdam etiam Primates certarum Prouinciarum dictos, facile omne dubium cessabit. Patet hoc tanto magis ex eo, quod nec Moguntinus hoc titulo amplius vtatur, quem Electoris titulus tanquam potioris dignitatis absorbuit, indicio satis certo, Primatum in dignitate potius consistere, quam in potestate. Antiquissimum esse Primatum Treuirensem, vel omnes contendunt, & quidem Agricius a Syluestro Papa seculo quarto hanc dignitatem dicitur adeptus. † Neque tamen vniuersalis hic Primatus fuit, verum per Galliam Belgicam saltim & tractum Transrhenanum, quare etiam *Primas* dicitur *Galliæ Belgicæ*.†† Alter Primatus est Mogontinus, quem antiquum sane esse, ex antiquis patet historiis. Dum non solum Moguntina Franciæ vel Germaniæ dicatur Metropolis, ††† sed etiam Moguntino Archiepiscopo summi Pontificatus tribuatur fastigium †††† & sæpius adpelletur Primatus Moguntinæ sedis.††††† Nec de Coloniensi Ecclesia diffitentur Scriptores, ipsi Primatum olim fuisse adsignatum. ††††††

† BRO-

† BROVVERVS *Ann. Treuir. lib. IV. ineunte.* MALLINCKROT *de Archicancellariis, c. IV. p. 193.*

†† ANN. FVLD. *ad a. 863.* In Iure Canonico *c. XI. qu. III. c. X.* Tanguaſdus dicitur Primas Belgicæ Prouinciæ. In Conſtitutione Friderici I. apud GOLDASTVM Tom. I. Conſtit. Imp. p. 265. *Primas eſtis cis Alpes, & cor regni, & metropolis illa veſtra, Treueris, inquam inclyta.*

††† Vide ſupra *c. IX.* §. *XIV.*

†††† VVITTICHINDVS *lib. II. Ann. ineunte.*

††††† LAMBERTVS SCHAFNABVRG. ad a. 1073. *his acceptus Archiepiſcopus Moguntinus, cui potisſimum, propter Primatum Moguntinæ Sedis, eligendi & conſecrandi Regis auctoritas deferebatur.* MALLINCKROT *p. 198.*

†††††† ÆGIDIVS GELENIVS *de iure arch. Colon. Mallinckrot p. 197.*

§. XIII.

Proximus ab his Primas eſt Magdeburgenſis. Hunc Primatum Ottonis M. temporibus Magdeburgenſi Epiſcopo Adalberto conceſſit Iohannes XIII. ita quidem, vt ſimilis ſit Moguntino, Treuirenſi & Colonienſi, * quare etiam hic Primatus ſaluo illorum honore erit intelligendus. Et quidem haut abſimilis eſſe videtur ratio, quod Otto M. in animo habuerit, primariæ prouinciæ honorem, quem a temporibus Carolingicis ſibi Francia Rhenenſis tribuerat, in Saxoniam transferre. ** Reiicienda igitur illorum eſt opinio, qui Magdeburgenſem Primatum a Lotharii Imp. demum temporibus ducunt, quibus Innocentius II. Norbertum Primatus honore tituloque condecorauerit *** dum iſta potius confirmatio, quam prima origo fuerit. Hunc autem, prout alios etiam Primatus in ſolo conſtitiſſe honore, ipſa verba teſtantur conceſſi Diplomatis. †

* Re-

* Reperitur Diploma in LVDEVVIGII dissert. de Iure Primatus Germaniæ cap. II. §. VII. in quo hæc verba: *te tuosque successores in perpetuum, & ecclesiam tuam omnium ecclesiarum, Archiepiscoporum & Episcoporum, qui in Germania sunt ordinati, in sedendo, in iudicando, in confirmando, in subscribendo, in sententiis dandis; omnique ecclesiastico ordine Primatum habere volumus. Eorum vero, qui sunt in Gallia, itemque Moguntinensi, Treuirensi & Coloniensi ecclesiæ, in omnibus parem honorem & similem vigorem, præsenti priuilegio confirmamus.* Sic etiam Historia Erectionis Archiepiscopatus apud MEIBOMIVM Tomo I. p. 735. de Adalberto: *eum in omni ordine ecclesiastico Primatum habere omnium ecclesiarum Archiepiscoporum, qui in Germania sunt ordinati, in Gallia quoque, Coloniensi, Moguntiensi, Treuirensi Archiepiscopis, per omnia* HONORE SIMILEM *esse, crucis signaculum inter se ferre, & inter Cardinales Episcopos Romanæ sedis consortium habere.* CHRON. MAGDEBVRG. apud MEIBOMIVM *Tom. II. p. 274.* Quare etiam LANGIVS Chron. Citicensi: *anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXI. Adelbertus Magdeburgensis Ecclesiæ primus Archipræsul, & Germaniæ primas obiit in Domino.* Dicitur adhuc THVANO lib. II. p. 41. *Germaniæ Primas.*

** LVDEVVIG *c. II. §. 9.*

*** Adlegat MALLINCKROT de *Archi-Cancellariis c. IV. p. 194.* sententiæ auctorem MARTINVM MERTZ *in Norberto Triumphante lib. III. c. XVI.* sed ipse refutat.

† LVDEVVIG quidem cap. II. §. 33. & sqq. diuersa Iura Magdeburgensi Primati adsignat. Verum, singularia hæc sunt, quæ ipsi, tanquam Archiepiscopo, ex speciali priuilegio fuerunt concessa. Nec iurisdictionem aliter exercuit, quam in suffraganeos suos, prout reliqui Archiepiscopi, synodos instituit diœcesanas, leges tulit ecclesiasticas. Quare etiam THEOD. ENGELHVSIVS Magdeburgensi Ecclesiæ Iura saltim Archiepiscopatus attribuit, dicens: *Chron. p. 179.* de Ottone M. *ipse Parthenopolim Archidiaconatum Haluerstadensem fecit Archiepiscopatum, præficiens ei Adelbertum & subiiciens eidem Episcopatus, Cizensem, Misnensem, Mersbrguensem, Brandenburgensem & Hauelbergensem, cum terra Slauorum.*

§. XIV.

§. XIV.

Multa adhuc ſupereſt controuerſia de Primatu Salisburgenſis. Non deſunt equidem, qui Salisburgenſi hunc titulum tribuant, quo tamen ipſe nec vſus vnquam fuit, nec eundem adfectauit, * quin potius recuſauerit. Obtinuit tamen Gebhardus Iuuauienſis Epiſcopus, (ex quo Salisburgenſes orti fuerunt) a Gregorio VII. Papa, vt diceretur Legatus natus, ** qui titulus poſtea ad omnes ſucceſſores fuit deuolutus. Ex hoc autem fundamento Salisburgenſis non tam de Primatus titulo, quam de Proedrias Iure Archiepiſcopis ſcrupulum mouit, cui tamen ſemper reſtitit Magdeburgenſis, qui nunc ſeculi iuri eſt addictus. †

* EVROP. HEROLD *p. I. p. 330.*

** HVNDIVS Metrop. Salisburg. p. 6. *Heinricus quartus Cæſar excommunicatus fuit a Gregorio ſeptimo, a quo Pontifice Gebhardus propter fidem, quam illi tanquam vero Romano Pontifici ſeruârat, remuneratus eſt iure & titulo Legationis ſuper omnes Eccleſias Regni Theutonici, vt diceretur Legatus natus, qui poſtea ad omnes ſucceſſores hareditario quodam iure deuolutus eſt.*

† ZWANTZIGS *Theatrum Præced. p. II. Tit. III.*

§. XV.

Hodie Principum Eccleſiaſticorum diuerſæ ſunt Claſſes, vel enim Archiepiſcopi ſunt, * vel Epiſcopi, vel Principalis dignitatis Abbates. Archiepiſcoporum olim in Imperio fuerunt octo, ex quibus Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, nunc in Electorum Eccleſiaſticorum numero habentur; Magdeburgenſis atque Bremenſis per Inſtrum. Pacis ** ſeculo fuerunt addicti, Rigenſis Imperio plane excidit, vt nulli amplius ſuperſint quam Salisburgenſis & Veſontinus. ***

* Dicti etiam Archiantiſtites, prout apud DITMARVM *lib. IV. p. 348.*

** *art. VII. §. VII. art. XI. §. VI.*

*** De singulis PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XV. §. XII.*

§. XVI.

Episcoporum varia est ratio. Alii enim Imperii finibus plane exciderunt, quo spectant Episcopatus Lotharingiæ, Metensis, Tulensis, Verdunensis, pace Monasteriensi Gallis cessi, * saluo tamen iure Metropolitano Treuirensis. Sic etiam Imperio exciderunt omnes per Heluetiam, Borussiam & Liuoniam Episcopatus. Alii seculi naturam fuerunt adepti, vt Verdensis, Halberstadtensis, Mindensis, Caminensis, Suerinensis, Ratzeburgensis. Alii in clientela sunt aliarum gentium, quales in Austria & Carinthia sunt Episcopatus Viennensis, Gurcensis & Lauantinus, in Carniola Labacensis, qui Austriacis parent. In Saxonia Misnensis, Merseburgensis, Numburgensis, in Marchia Hauelbergensis, Libusensis. **

* *art. LXX.*

** De his THVANVS lib. XXXVI. p. 288. ad a. 1564. *in Saxonia item Augustus VIIuir Naumburgensem diœcesin episcopo mortuo sibi regendam tradi a collegio non aduersante, obtinuit: ab eoque tempore Saxonis & Brandeburgici VIIuirorum Imperio subiectorum episcopatuum reditus in principum fiscos redacti sunt, corporibus collegiorum saluis, & disciplina ecclesiastica ephoro & consistorio seruata.* Vid. etiam CHYTRÆVS *Saxonia p. 552.* In LVNIGS *Gerechtsame p. I. p. 309.* reperitur: *Sammt-Schrifft derer Churfürsten und Fürsten zu Sachsen, an K. Carolum V. wegen Ihrer Landesfürstlichen Obrigkeit, Herrlichkeit über die Bischœffe und Bischoffthümer Meissen und Merseburg, übergeben auf dem Reichs Tage zu Regenspurg den 17. Iulii 1541.* De Saxoniæ Domus Iuribus in Episcopatum Naumburgensem MÜLLER *Maximiliano II. Vorst. c. XLIII.* BECHMANN *de Iuribus Seren. Domus Saxon. §. XVII.*

§. XVII.

Inter Episcopos, qui hodie adhuc Imperio subsunt, alii

sunt

ſunt *Exemti*, alii *Suffraganei.* Exemti illi dicuntur, qui nulli ſubſunt Metropolitano, ſed immediate a Papa dependent, ideoque Iura habent Archiepiſcoporum. Inter hos præcipuus eſt Bambergenſis, quem Henricus II. immunem eſſe voluit a iugo Archiepiſcopali, * & exemtum. Talis etiam eſt Ratisbonenſis. ** Olim talis quoque erat Misnenſis, *** licet Magdeburgenſi Primati primum ſubiectus, & Caminenſis. † Reliqui Epiſcopi ſunt Suffraganei, †† dum quilibet ſuum ſupra ſe habeat Metropolitanum, cuius iurisdictionem ſacram tenetur adgnoſcere. Suffraganeos ſub Moguntino, Treuirenſi & Colonienſi ſuperius iam dum memorauimus. Salisburgenſis Suffraganei ſunt Friſingenſis, Patauienſis, ††† Brixienſis, Tridentinus, Viennenſis, Chiemſecenſis, Gurcenſis, Seccauienſis & †††† Lauantinus. Veſontini Suffraganei ſunt, Baſileenſis & Sedanenſis. Inter Epiſcopos etiam locum inuenit Magiſter Ordinis Teutonici.

* BRVSCHIVS *Cat. Epiſc. Bamb. p. 1096.* S. H. G. *diſſ. XIII.* §. *XXVI.*

** Extat Priuilegium Exemtionis a Carolo M. conceſſum, apud LVNIGIVM *Spicil. Eccleſ. Tom. III. p. 641.* In Diplomatibus ab HVNDIO in *Metropoli Salisburgenſi p. 149.* adductis, ſæpius reperitur: *Eccleſiam Dei liberam eſſe, & in poteſtate Imperatorum ſiue Regum, vsque in æuum permanſuram.* Vid. & EVROP. HEROLD *p. I. p. 362.* Sic etiam inter exemtos refertur a THVANO *lib. II. p. 41.*

*** PAVLVS LANGIVS Chron. Citic. p. 758 *Otto Epiſcopatum in Magdeburg fundauit & ſubiecit ei Epiſcopatus ſuffraganeos, quos & idem Otto fundauerat, quinque: Hauelbergenſem, Brandenburgenſem, Merſeburgenſem, Misnenſem, qui nunc eſt exemptus, & noſtrum, Citicenſem.*

† Plenius hoc demonſtrauit EGIDIVS von der MYLEN *antiqua Pomeranorum Republica* §. *9.* apud RANGONEM *Pomerania diplomatica p. 96.*

†† Epiſcopi Germaniæ qui olim fuerint, recenſentur in *Vita Godehar-*

di cap. IV. apud LEIBNITIVM *Tomo I. p. 493.* & a WALTRAMO *lib. II. c. XX.*

††† Passauiensis tamen Episcopus exemtionem prætendit a Iure Metropolitano Salisburgensi, prout scripta ab vtraque parte reperiuntur in LVNIGII *Gerechtsame p. I. p. 701.*

†††† EVROP. HEROLD *p. I. p. 228.* Singulos Archiepiscoporum Suffraganeos recenset PFEFFINGER *ad Vitrarium lib. I. Tit. XV. §. XIII.*

§. XVIII.

Sequuntur Abbates & Prælati Principalis dignitatis, a quibus Prælati simplices sunt distinguendi, qui votum quidem in Comitiis gerunt, verum non virile, sed curiatum, ideoque Comitibus æquiparantur.* Inter istos autem, qui principalem habent dignitatem, præcipui sunt Benedictini, qui antiquissimus est Ordo. Hi sensim ex Prælatorum numero inter Principes Imperii recepti, atque regalia fuerunt adepti.** Primatum inter eosdem habet Abbas Fuldensis, eodemque titulo vtitur,*** exemtus etiam est, solique Pontifici Romano immediate subiectus,**** idemque tanquam Primas inter Abbates Sessionis honorem præ Archiepiscopis sæpe prætendit.† Hunc sequuntur Abbates reliqui, atque inter hos Magister Ordinis Iohannitici, pro ordine superius inter Status adducto. Olim quoque Hirsfeldensis Abbas iisdem adnumerabatur, qui tamen per I. P.†† seculo fuit addictus.

* Vide supra *cap. XV. §. XVIII.*

** Exempla quædam refert VITRIARIVS *lib. I. Tit. XV. §. 7.*

*** R. I. de a. 1654. §. 200. *Ioachim, Abt des Fürstlichen Stiffts Fulda, der Rœmischen Kayserin Ertz Cantzler, durch Germanien und Gallien Primas.* BROWER *antiquit. Fuld. lib. I. c. XV. & XVI.*

**** Extat Priuilegium Exemtionis Stephani III. Papæ in LVNIGII *Spicil. Eccles. Tom. III. p. 134.* Vid. BROWER *c. l.*

† Vid. s. H. G. *diss. XV. §. VII.*
†† *art. XV.*

§. XIX.

Verum, de Episcopis A. C. addictis olim disceptabatur, in quo numero sint habendi, eo quod Episcopi Pontificii eosdem noluerint admittere, dum secundum Canones Episcopi esse non possent. Acerrime de eodem disputabatur in Tractatibus Pacis Westphalicæ, sed fuit ita definitum, † vt, postquam intra annum Electionis aut Postulationis suæ fidem fecerint, & iuramenta Regalibus consueta feudis præstiterint, absque vlla exceptione inuestiantur, vltraque taxæ ordinariæ summam, insuper eiusdem dimidium pro infeudatione pendant, titulo vtantur Postulatorum Episcoporum, sessionem autem in scamno transuerso, seu inter Ecclesiasticos & Seculares intermedio capiant, quod vulgo vocatur *die Quer-Banck.* †† Olim itaque in eodem locum capiebat Administrator Episcopatus Magdeburgensis, defuncto autem a. 1680. Augusto Administratore, cum Archiepiscopatus sub seculi iure & Ducatus titulo Brandenburgensi obuenerit, hic inter seculares Principes locum occupauit. Hodie in eodem locum postulatus Episcopus habet Osnabrugensis, si pro ordine alternationis sit ex Protestantibus, ††† & Episcopus Lubecensis, qui sedem in eodem habet perpetuam. Hi tamen vota præbent secundum sessionis & alternationis ordinem, prout in Comitiis moris est. Ex hoc facile etiam sequitur, quod non pro clericis, sed pro laicis sint habendi, dum nec tonsuram accipiant, nec Ecclesiasticis officiis detineantur. *

† *art. V §. 21. 22.*
†† Vid. WILDVOGELII *Diss. de Scamno transuerso.*

††† Prout hodiernus est Ernestus Augustus, post mortem Caroli Lotharingi a.1716. postulatus. EL. IVR. PVBL. *Tom. IX. p. 521. Tom. XI. p. 715.*
* BETSIVS *de pactis illustrium c. VII. §. 15.*

§. XX.

Prælati simplices in Ordinum Imperii quidem sunt numero, sed bina saltim Vota gerunt curiata, distincti in Prælatos Sueuicos atque Rhenenses. Hi etiam præcedentiam prætendunt præ aliis Prælatis qui Iura Imperii non habent, prout ex controuersia patet inter Abbatem Imperii Petershusanum & Abbatem Helueticum Creutzlingensem mota. † Inter istos etiam quædam reperiuntur Abbatissæ †† de quibus si Euangelicæ sint religionis, qualis est Quedlinburgensis, dubitatur, an saluo iure Abbatiæ matrimonium possint inire. †††

† Extant Scripta hanc controuersiam concernentia in EL. IVR. PVBL. *Tom. V. p. 53. Tom. VI. p. 381. 630. 959.* LVNIGS *Gerechtsame p. II. p. 501.*
†† Recensentur *Cap. XV. §. XVII.* WAGENSEIL *de Abbatissis.*
††† Reperitur de hac Quæstione scriptum HENRICI GÜNTHERI THVLEMARII in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. II. p. 88.* Quid circa nuperam Electionem Abbatissæ fuerit actum, exponitur in EL. IVR. PVBL. *Tom. I. p. 325.* LVNIGS *Gerechtsame, Tomo I. p. 358. 785.*

§. XXI.

Inter prærogatiuas Episcopatuum referendum, quod potentiores suos habuerint Officiales hæreditarios certos Comites vel Nobiles. Dum enim quatuor isti Officiales in aulis Regum Germanorum fuerint noti, Camerarius, Dapifer, Pincerna, Mareschallus; Episcopi potentia indies crescentes, vt Reges æmularentur, & Comitum atque Dynastarum armis defenderentur,

tur, ab Impp. certos vaſallos obtinuerunt, quos de feudo inſimul & officio inueſtirent. Horum munus erat, vt Epiſcopos ſuos, tanquam Dominos directos ab omni iniuria defenderent, & in ſolenni curia officia ſua præſtarent. † Exemplum nobis præbet Bambergenſis Epiſcopatus, de quo in ſuperioribus †† iamdum dictum. Sic Archiepiſcopatus Salisburgenſis Camerarii hæreditarii ſunt Comites de Ladron, Dapiſeri Comites de Thanhauſen, Pincernæ Comites de Thoring. ††† Epiſcopatus Herbipolitani Mareſchalli hæreditarii ſunt Comites de Henneberg, Dapiferi Comites Rheineccii, Pincernæ Comites de Caſtel, Camerarii Comites Wertheimenſes. †††† Præter iſtos quatuor, alii quoque fuerunt Epiſcopatuum Officiales, vtpote in Diplomate Eccleſiæ Traiectenſis ††††† occurrunt Dux Brabantiæ Dapifer Epiſcopi Traiectenſis, Comes Gelriæ Venator, Comes Hollandiæ Mareſchalcus, Comes Cliuienſis Camerarius, Comes de Bentheim Ianitor, Dominus de Cuke Pincerna, Dominus de Ghoer Signifer. De Officialibus Eccleſiæ Paderbornenſis & Argentoratenſis * teſtantur Diplomata. Nec defuerunt tales Eccleſiæ Bremenſis. ** Epiſcopos ſecuti fuerunt Abbates, qui tales quoque ſibi ſumſerunt. ***

† Vocantur iſti in VVEICHBILD art. XIII. *vier eingebohrner Dienſtman des Gottesbauß zu Magdeburg der Marſchalck, der Trukſeß, der Schenck und der Kamerer.* Hinc THEODORICVS A NIEM *de Priuil. Imperii p. 261. de Magdeburgenſi Epiſcopatu ſibique multis Alemanniæ prouinciis nobiles & vaſallos potentes, & eorum dominia quæ obtinebant ab Imperio, in feudum perpetuo ſubiecit.* Quare CONRADVS VRSPERG. p. 289. de Welphone: *manus ſuas epiſcopis & abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit.*

†† *Cap. XVI. §. XXXI.*

††† EVROP. HEROLD *p. I. p. 230.*

†††† SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic. p. I. c. VI.*

††††† HEDA *Hiſt. Vltraiect. p. III.*

* In

* In Diplomate Bernhardi Paderbornensis apud SCHATENIVM lib. IX. p. 881. *testes huius rei sunt Altmannus maior Præpositus, Volbertus Decanus, Theodericus custos, Heinricus Scolasticus, Lambertus Cellerarius, & reliquus conuentus S. Tiborii in Patherburnen. Ministeriales Conradus Camerarius, Iohannes Dapifer, Witheroldus Pincerna, Hermannus Marschallus.* De Argentoratensibus plenius WENCKERVS *App. Archiv p. 205.*

** Excerpta ex *Chron. Brem.* IO. RHODE apud LEIBNITIVM Tomo II. p. 271. *Coram nobis per sententiam definitum est, quod mortuo vno Episcopo & alio substituto omnia officia vacant, exceptis quatuor principalibus, Dapiferi videlicet & Pincernæ, Mareschalci & Camerarii.* Latius inde hæc officia describuntur.

*** Patet hoc ex Diplomate Conradi III. Imp. de a. 1150. Wiboldo Corbeiensi Abbati concesso, apud SCHATENIVM Ann. Paderborn. lib. VIII. p. 783. *Siquidem Dapiferi & Pincernæ, & reliqui, qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quasdam abusiones in eisdem officiis sibi vsurpauerant.* Vid. HIST. IVRIS *cap. VIII. §. VIII.*

§. XXII.

Habent etiam certi Episcopatus suos Aduocatos Hæreditarios, *Schutz-und Schirm-Vægte.* Dum enim Episcopatus & Monasteria primis temporibus nec potestatem secularem, nec iurisdictionem haberent, diuersis Conciliorum Canonibus constitutum fuit, vt Ecclesia semper iusto Aduocato contra malignantes opus haberet, qui iura, bona & facultates Ecclesiarum administraret & tueretur, quare Aduocati etiam dicti fuerunt Defensores. Licet nonnunquam Aduocati a De-

a Defensoribus atque Tutoribus distinguerentur * Intererant etiam Comitum placitis, atque vt Patroni Ecclesiarum suarum Iura tuebantur. ** In alienationibus bonorum Ecclesiasticorum, ipsorum requirebatur consensus. Armis etiam defendebant Episcopatus, vasallos ipsorum educebant, Ecclesiarum vexilla gerebant. Inde, dum immunes fierent Episcopatus a Ducum vel Comitum iurisdictione, ipsi iura exercebant. *** Constituebantur autem potissimum ab Impp. ita tamen, vt sæpe Duces atque Comites in Monasteriis a se fundatis hæc iura Aduocatiæ sibi reseruarent, quare etiam iure vxorio ad alios deuoluebantur. † Inde vxores quoque Aduocatorum dicebantur Aduocatissæ †† Emolumenta constabant in iurisdictione, certis feudis, tertia parte banni siue mulctarum & quæ alias erant pacta. †††

* In DOCVM. WÜRTENBERG & quidem in Monasterio Bebenhusano n. 21. Rudolphus, Comes de Hohenberg a. 1388. promittit, quod velit: *monasterium Bebenhusanum non tanquam Aduocatus, sed tanquam defensor tueri.* In Charta Rudolphi I. an. 1275. Simon, Comes Gemini Pontis & Otto de Eberstein fatentur, *se monasterio Alba dominorum & bonis ad ipsum pertinentibus præfuisse, non aduocatorum nomine, sed tutorum,* DOCVM. VVÜRTENB. *p. 137.* In alio Diplomate p. 141. Aduocati & Defensores ab inuicem distinguuntur. Vid. Præfatio nostra ad MAGERVM a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata.*

** Sic in Recessu Rudolphi Habsburgici Herbipolitano de an. 1287. iniungitur Aduocatis, vt defendant Episcopatus suos, apud LEHMANNVM *lib. V. c. CVIII.* Plenius de Aduocatorum Iuribus egit MARTINVS MAGERVS a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata*, CAROLVS du FRESNE *voce Aduocatus.* PETRVS de MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. I. c. XII.* DANIEL HEIDERVS *Bericht von Reichs-Vogtheyen.* LEHMANNVS *lib. II. c. XXXVI.* HERTIVS *Tom. II. Oper. p. 437.* CHRISTIANVS FRAN-

de dependentes fructus Episcopis vel Abbatibus vendiderint. ††

* Latius de his agitur DEDVCT. LINDAV *p. 576. sqq.*

** Nomen hoc, & quæ inter vtrosque Aduocatos fuerit differentia, docet Diploma Friderici I. Ecclesiæ SS. Simeonis & Iudæ Goslariensi an. 1198. concessum, in quo hæc verba: *Cum enim de iure aduocatorum coram nobis in palatio Goslar. questio moueretur, de communi principum Consilio sententiatum fuit, quod in bonis Ecclesiarum aduocati nihil iuris haberent nisi tantum in tribus casibus, in furto videlicet, in pugna & in raptu, & omnes aliæ quæstiones essent ad yconomum seu villicum Ecclesiæ referendæ,* apud HAYNECCIVM *Antiquit. Goslar. lib. II. p. 186.* Vid & PAVLLINI *de Aduocatis Monasticis* § 3. & TENTZEL *Vindic. Lindau. p. 171.*

*** Sic vocatur Aduocatia Monastarii ad S. Emeranum Ratisbonensis in litteris a. 1295. apud HVNDIVM *Bayr. Stamm-Buch p. I. f. 110.*

† DEDVCTIO LINDAV. *p. 333.* TENTZELIVS *Vindiciis Dipl. Lind. p. 171.*

†† PAVLLINI *§. XI.*



CAPVT

CAPVT DECIMVM NONVM DE PRINCIPIBVS SECVLARIBVS.

§. I.

PRincipes Seculares in diuersas vel ab omnibus Scriptoribus Iuris Publici distinguuntur Classes, vt alii sint Archi-Duces, Duces, Comites Palatini, Marchiones, Landgrauii, Burggrauii, & qui simpliciter dicuntur Principes. * Verum, licet istorum quidam in Principum Collegio locum habeant, non tamen tanquam Comites Palatini, Landgrauii & reliqui admittuntur, quorum dignitas propria Comitum, sed tanquam Duces & Principes. Archi-Ducis titulus ob honoris saltim prærogatiuam nouiter fuit concessus.

* TRITHEMIVS Ann. Hirsaug. ad a. 1354. *omnes Principes, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Burggrauii, Landgrauii & Barones totius Regni.*

§. II.

Principis olim varia acceptio. Primis Germanorum temporibus dicebantur Principes, qui iura per pagos vicosque reddebant. * Media ætate generalis erat vox Principis, ita, vt communis esset, ** & sub eadem omnes Proceres etiam Episcopi & Comites intelligerentur. *** Sæpe tamen etiam Duces hoc nomine insigniebantur. **** Quare etiam Scriptores non solum his vocibus promiscue vtuntur. In Iure Feudali dicuntur Principes Laici, *die Layen-Für-*

** *art. VII. §. VII. art. XI. §. VI.*
*** De ſingulis PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XV. §. XII.*

§. XVI.

Epiſcoporum varia eſt ratio. Alii enim Imperii finibus plane exciderunt, quo ſpectant Epiſcopatus Lotharingiæ, Metenſis, Tulenſis, Verdunenſis, pace Monaſterienſi Gallis ceſſi, * ſaluo tamen iure Metropolitano Treuirenſis. Sic etiam Imperio exciderunt omnes per Heluetiam, Boruſſiam & Liuoniam Epiſcopatus. Alii ſeculi naturam fuerunt adepti, vt Verdenſis, Halberſtadtenſis, Mindenſis, Caminenſis, Suerinenſis, Ratzeburgenſis. Alii in clientela ſunt aliarum gentium, quales in Auſtria & Carinthia ſunt Epiſcopatus Viennenſis, Gurcenſis & Lauantinus, in Carniola Labacenſis, qui Auſtriacis parent. In Saxonia Miſnenſis, Merſeburgenſis, Numburgenſis, in Marchia Hauelbergenſis, Libuſenſis. **

* *art. LXX.*
** De his THVANVS lib. XXXVI. p. 288. ad a. 1564. *in Saxonia item Auguſtus VIuir Naumburgenſem diœceſin epiſcopo mortuo ſibi regendam tradi a collegio non aduerſante, obtinuit: ab eoque tempore Saxonis & Brandeburgici VIuirorum Imperio ſubiectorum epiſcopatuum reditus in principum fiſcos redacti ſunt, corporibus collegiorum ſaluis, & diſciplina eccleſiaſtica ephoro & conſiſtorio ſeruata.* Vid. etiam CHYTRÆVS *Saxonia p. 552.* In LVNIGS *Gerechtſame p. I. p. 309.* reperitur: *Sammt-Schrifft derer Churfürſten und Fürſten zu Sachſen, an K. Carolum V. wegen Ihrer Landesfürſtlichen Obrigkeit, Herrlichkeit über die Biſchœffe und Biſchoffthümer Meiſſen und Merſeburg, übergeben auf dem Reichs Tage zu Regenſpurg den 17. Iulii 1541.* De Saxoniæ Domus Iuribus in Epiſcopatum Naumburgenſem MÜLLER *Maximiliano II. Vorſt. c. XLIII.* BECHMANN *de Iuribus Seren. Domus Saxon. §. XVII.*

§. XVII.

Inter Epiſcopos, qui hodie adhuc Imperio ſubſunt, alii ſunt

ſunt *Exemti*, alii *Suffraganei*. Exemti illi dicuntur, qui nulli ſubſunt Metropolitano, ſed immediate a Papa dependent, ideoque Iura habent Archiepiſcoporum. Inter hos præcipuus eſt Bambergenſis, quem Henricus II. immunem eſſe voluit a iugo Archiepiſcopali, * & exemtum. Talis etiam eſt Ratisbonenſis. ** Olim talis quoque erat Misnenſis, *** licet Magdeburgenſi Primati primum ſubiectus, & Caminenſis. † Reliqui Epiſcopi ſunt Suffraganei, †† dum quilibet ſuum ſupra ſe habeat Metropolitanum, cuius iurisdictionem ſacram tenetur adgnoſcere. Suffraganeos ſub Moguntino, Treuirenſi & Colonienſi ſuperius iam dum memorauimus. Salisburgenſis Suffraganei ſunt Friſingenſis, Pataulenſis, ††† Brixienſis, Tridentinus, Viennenſis, Chiemſecenſis, Gurcenſis, Seccauienſis & †††† Lauantinus. Veſontini Suffraganei ſunt, Baſileenſis & Sedanenſis. Inter Epiſcopos etiam locum inuenit Magiſter Ordinis Teutonici.

* BRVSCHIVS *Cat. Epiſc. Bamb. p. 1096.* S. H. G. *diſſ. XIII.* §. *XXVI.*

** Extat Priuilegium Exemtionis a Carolo M. conceſſum, apud LVNIGIVM *Spicil. Eccleſ. Tom. III. p. 641.* In Diplomatibus ab HVNDIO in *Metropoli Salisburgenſi p. 149.* adductis, ſæpius reperitur: *Eccleſiam Dei liberam eſſe, & in poteſtate Imperatorum ſiue Regum, vsque in æuum permanſuram.* Vid. & EVROP. HEROLD *p. I. p. 362.* Sic etiam inter exemtos refertur a THVANO *lib. II. p. 41.*

*** PAVLVS LANGIVS Chron. Citic. p. 758 *Otto Epiſcopatum in Magdeburg fundauit & ſubiecit ei Epiſcopatus ſuffraganeos, quos & idem Otto fundauerat, quinque: Hauelbergenſem, Brandenburgenſem, Merſeburgenſem, Misnenſem, qui nunc eſt exemptus, & noſtrum, Citicenſem.*

† Plenius hoc demonſtrauit EGIDIVS von der MYLEN *antiqua Pomeranorum Republica* §. *9.* apud RANGONEM *Pomerania diplomatica p. 96.*

†† Epiſcopi Germaniæ qui olim fuerint, recenſentur in *Vita Godehardi*

di cap. IV. apud LEIBNITIVM *Tomo I. p. 493.* & a WALTRAMO *lib. II. c. XX.*

††† Passauiensis tamen Episcopus exemtionem praetendit a Iure Metropolitano Salisburgensi, prout scripta ab vtraque parte reperiuntur in LVNIGII *Gerechtsame p. I. p. 701.*

†††† EVROP. HEROLD *p. I. p. 228.* Singulos Archiepiscoporum Suffraganeos recenset PFEFFINGER *ad Vitrarium lib. I. Tit. XV. §. XIII.*

§. XVIII.

Sequuntur Abbates & Praelati Principalis dignitatis, a quibus Praelati simplices sunt distinguendi, qui votum quidem in Comitiis gerunt, verum non virile, sed curiatum, ideoque Comitibus aequiparantur.* Inter istos autem, qui principalem habent dignitatem, praecipui sunt Benedictini, qui antiquissimus est Ordo. Hi sensim ex Praelatorum numero inter Principes Imperii recepti, atque regalia fuerunt adepti.** Primatum inter eosdem habet Abbas Fuldensis, eodemque titulo vtitur, *** exemtus etiam est, solique Pontifici Romano immediate subiectus, **** idemque tanquam Primas inter Abbates Sessionis honorem prae Archiepiscopis saepe praetendit.† Hunc sequuntur Abbates reliqui, atque inter hos Magister Ordinis Iohannitici, pro ordine superius inter Status adducto. Olim quoque Hirsfeldensis Abbas iisdem adnumerabatur, qui tamen per I. P. †† seculo fuit addictus.

* Vide supra *cap. XV. §. XVIII.*

** Exempla quaedam refert VITRIARIVS *lib. I. Tit. XV. §. 7.*

*** R. I. de a. 1654. §. 200. *Ioachim, Abt des Fürstlichen Stiffts Fulda, der Roemischen Kayserin Ertz Cantzler, durch Germanien und Gallien Primas.* BROWER *antiquit. Fuld. lib. I. c. XV. & XVI.*

**** Extat Priuilegium Exemtionis Stephani III. Papae in LVNIGII *Spicil. Eccles. Tom. III. p. 134.* Vid. BROWER *c. l.*

† Vid.

† Vid. S. R. G. *diss. XV.* §. *VII.*
†† *art. XV.*

§. XIX.

Verum, de Episcopis A. C. addictis olim disceptabatur, in quo numero sint habendi, eo quod Episcopi Pontificii eosdem noluerint admittere, dum secundum Canones Episcopi esse non possent. Acerrime de eodem disputabatur in Tractatibus Pacis Westphalicæ, sed fuit ita definitum, † vt, postquam intra annum Electionis aut Postulationis suæ fidem fecerint, & iuramenta Regalibus consueta feudis præstiterint, absque vlla exceptione inuestiantur, vltraque taxæ ordinariæ summam, insuper eiusdem dimidium pro infeudatione pendant, titulo vtantur Postulatorum Episcoporum, sessionem autem in scamno transuerso, seu inter Ecclesiasticos & Seculares intermedio capiant, quod vulgo vocatur *die Quer-Banck.* †† Olim itaque in eodem locum capiebat Administrator Episcopatus Magdeburgensis, defuncto autem a. 1680. Augusto Administratore, cum Archiepiscopatus sub seculi iure & Ducatus titulo Brandenburgensi obuenerit, hic inter seculares Principes locum occupauit. Hodie in eodem locum postulatus Episcopus habet Osnabrugensis, si pro ordine alternationis sit ex Protestantibus, ††† & Episcopus Lubecensis, qui sedem in eodem habet perpetuam. Hi tamen vota præbent secundum sessionis & alternationis ordinem, prout in Comitiis moris est. Ex hoc facile etiam sequitur, quod non pro clericis, sed pro laicis sint habendi, dum nec tonsuram accipiant, nec Ecclesiasticis officiis detineantur. *

† *art. V.* §. *21, 22.*
†† Vid. WILDVOGELII *Diss. de Scamno transuerso.*

††† Prout hodiernus est Ernestus Augustus, post mortem Caroli Lotharingi a. 1716. postulatus. EL. IVR. PVBL. *Tom. IX. p. 521. Tom. XI. p. 715.*
* BETSIVS *de pactis illustrium c. VII. §. 15.*

§. XX.

Prælati simplices in Ordinum Imperii quidem sunt numero, sed bina saltim Vota gerunt curiata, distincti in Prælatos Sueuicos atque Rhenenses. Hi etiam præcedentiam prætendunt præ aliis Prælatis qui Iura Imperii non habent, prout ex controuersia patet inter Abbatem Imperii Petershusanum & Abbatem Helueticum Creutzlingensem mota. † Inter istos etiam quædam reperiuntur Abbatissæ †† de quibus si Euangelicæ sint religionis, qualis est Quedlinburgensis, dubitatur, an saluo iure Abbatiæ matrimonium possint inire. †††

† Extant Scripta hanc controuersiam concernentia in EL. IVR. PVBL. *Tom. V. p. 53. Tom. VI. p. 381. 630. 959.* LVNIGS *Gerechtsame p. II. p. 501.*
†† Recensentur *Cap. XV. §. XVII.* WAGENSEIL *de Abbatissis.*
††† Reperitur de hac Quæstione scriptum HENRICI GÜNTHERI THVLEMARII in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. II. p. 88.* Quid circa nuperam Electionem Abbatissæ fuerit actum, exponitur in EL. IVR. PVBL. *Tom. I. p. 325.* LVNIGS *Gerechtsame, Tomo I. p. 358. 785.*

§. XXI.

Inter prærogatiuas Episcopatuum referendum, quod potentiores suos habuerint Officiales hæreditarios certos Comites vel Nobiles. Dum enim quatuor isti Officiales in aulis Regum Germanorum fuerint noti, Camerarius, Dapifer, Pincerna, Mareschallus; Episcopi potentia indies crescentes, vt Reges æmularentur, & Comitum atque Dynastarum armis defenderentur,

tur, ab Impp. certos vaſallos obtinuerunt, quos de feudo inſimul & officio inueſtirent. Horum munus erat, vt Epiſcopos ſuos, tanquam Dominos directos ab omni iniuria defenderent, & in ſolenni curia officia ſua præſtarent. † Exemplum nobis præbet Bambergenſis Epiſcopatus, de quo in ſuperioribus †† iamdum dictum. Sic Archiepiſcopatus Salisburgenſis Camerarii hæreditarii ſunt Comites de Ladron, Dapiferi Comites de Thanhauſen, Pincernæ Comites de Thoring. ††† Epiſcopatus Herbipolitani Mareſchalli hæreditarii ſunt Comites de Henneberg, Dapiferi Comites Rheineccii, Pincernæ Comites de Caſtel, Camerarii Comites Wertheimenſes. †††† Præter iſtos quatuor, alii quoque fuerunt Epiſcopatuum Officiales, vtpote in Diplomate Eccleſiæ Traiectenſis ††††† occurrunt Dux Brabantiæ Dapifer Epiſcopi Traiectenſis, Comes Gelriæ Venator, Comes Hollandiæ Mareſchalcus, Comes Cliuienſis Camerarius, Comes de Bentheim Ianitor, Dominus de Cuke Pincerna, Dominus de Ghoer Signifer. De Officialibus Eccleſiæ Paderbornenſis & Argentoratenſis * teſtantur Diplomata. Nec defuerunt tales Eccleſiæ Bremenſis. ** Epiſcopos ſecuti fuerunt Abbates, qui tales quoque ſibi ſumſerunt. ***

† Vocantur iſti in VVEICHBILD art. XIII. *vier eingebohrner Dienſtman des Gotteshauß zu Magdeburg der Marſchalck, der Trukſeß, der Schenck und der Kamerer.* Hinc THEODORICVS A NIEM *de Priuil. Imperii p. 261. de Magdeburgenſi Epiſcopatu ſibique multis Alemanniæ prouinciis nobiles & vaſallos potentes, & eorum dominia quæ obtinebant ab Imperio, in feudum perpetuo ſubiecit.* Quare CONRADVS VRSPERG. p. 289. de Welphone: *manus ſuas epiſcopis & abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit.*

†† *Cap. XVI. §. XXXI.*

††† EVROP. HEROLD *p. I. p. 230.*

†††† SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic. p. I. c. VI.*

††††† HEDA *Hiſt. Vltraiect. p. 111.*

*In

* In Diplomate Bernhardi Paderbornensis apud SCHATENIVM lib. IX. p. 881. *testes huius rei sunt Altmannus maior Praepositus, Volbertus Decanus, Theodericus custos, Heinricus Scolasticus, Lambertus Cellerarius, & reliquus conuentus S. Tiborii in Patherburnen. Ministeriales Conradus Camerarius, Iohannes Dapifer, Witheroldus Pincerna, Hermannus Marschallus.* De Argentoratensibus plenius WENCKERVS *App. Archiv p. 205.*

** Excerpta ex *Chron. Brem.* IO. RHODE apud LEIBNITIVM Tomo II. p. 271. *Coram nobis per sententiam definitum est, quod mortuo vno Episcopo & alio substituto omnia officia vacant, exceptis quatuor principalibus, Dapiferi videlicet & Pincernae, Mareschalci & Camerarii.* Latius inde haec officia describuntur.

*** Patet hoc ex Diplomate Conradi III. Imp. de a. 1150. Wiboldo Corbeiensi Abbati concesso, apud SCHATENIVM Ann. Paderborn. lib. VIII. p. 783. *Siquidem Dapiferi & Pincernae, & reliqui, qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quasdam abusiones in eisdem officiis sibi vsurpauerant.* Vid. HIST. IVRIS *cap. VIII. §. VIII.*

§. XXII.

Habent etiam certi Episcopatus suos Aduocatos Haereditarios, *Schutz-und Schirm-Vœgte.* Dum enim Episcopatus & Monasteria primis temporibus nec potestatem secularem, nec iurisdictionem haberent, diuersis Conciliorum Canonibus constitutum fuit, vt Ecclesia semper iusto Aduocato contra malignantes opus haberet, qui iura, bona & facultates Ecclesiarum administraret & tueretur, quare Aduocati etiam dicti fuerunt Defensores. Licet nonnunquam Aduocati a De-

a Defenſoribus atque Tutoribus diſtinguerentur * Intererant etiam Comitum placitis, atque vt Patroni Eccleſiarum ſuarum Iura tuebantur. ** In alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum, ipſorum requirebatur conſenſus. Armis etiam defendebant Epiſcopatus, vaſallos ipſorum educebant, Eccleſiarum vexilla gerebant. Inde, dum immunes fierent Epiſcopatus a Ducum vel Comitum iurisdictione, ipſi iura exercebant. *** Conſtituebantur autem potiſſimum ab Impp. ita tamen, vt ſæpe Duces atque Comites in Monaſteriis a ſe fundatis hæc iura Aduocatiæ ſibi reſeruarent, quare etiam iure vxorio ad alios deuoluebantur. † Inde vxores quoque Aduocatorum dicebantur Aduocatiſſæ †† Emolumenta conſtabant in iurisdictione, certis feudis, tertia parte banni ſiue mulctarum & quæ alias erant pacta. †††

* In DOCVM. WÜRTENBERG & quidem in Monaſterio Bebenhuſano n. 21. Rudolphus, Comes de Hohenberg a. 1388. promittit, quod velit: *monaſterium Bebenhuſanum non tanquam Aduocatus, ſed tanquam defenſor tueri.* In Charta Rudolphi I. an. 1275. Simon, Comes Gemini Pontis & Otto de Eberſtein fatentur, *ſe monaſterio Albæ dominorum & bonis ad ipſum pertinentibus præſuiſſe, non aduocatorum nomine, ſed tutorum,* DOCVM. VVÜRTEND. *p. 137.* In alio Diplomate p. 141. Aduocati & Defenſores ab inuicem diſtinguuntur. Vid. Præfatio noſtra ad MAGERVM a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata.*

** Sic in Receſſu Rudolphi Habsburgici Herbipolitano de an. 1287. iniungitur Aduocatis, vt defendant Epiſcopatus ſuos, apud LEHMANNVM *lib. V. c. CVIII.* Plenius de Aduocatorum Iuribus egit MARTINVS MAGERVS a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata.* CAROLVS du FRESNE *voce Aduocatus.* PETRVS de MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. I. c. XII.* DANIEL HEIDERVS *Bericht von Reichs-Vogtheyen.* LEHMANNVS *lib. II. c. XXXVI.* HERTIVS *Tom. II. Oper. p. 437.* CHRISTIANVS FRAN-

CISCVS PAVLLINI *de Aduocatis Monasticis*. PETRVS de MARCA *Opusc. p.* 430.

*** In litteris Inuestiturae Alphonsi, Electi Regis Romanorum, quibus inuestit Fridericum, Lotharingiae Ducem, apud LEIBNITIVM Cod. Iur. Gent. p. I. Diplom. XIII. *Quintum* (Vexillum) *damus tibi in signum & inuestituram pro regalibus nostris in monasterio Sancti Petri Metensis, & in alio monasterio Sancti Martini Metensis & quod debes habere custodias Ecclesiarum in Ducatu tuo.*

† Sic Aduocatiam Abbatiae S. Galli ad se, quasi haereditario iure coniugis, Philippi Regis filiae, transmissam vindicabat Otto Rex, teste CONRADO de FABARIA *de Cas. S. Galli c. VIII.*

†† ANN. COLMAR. ad a. 1276. *nono Calendis Octobris, obiit Aduocatissa Alsatiae, vxor Conradi Wernheri.*

††† In Diplomate Henrici IV. Monasterio Hirsaugiensi 1075. concesso, in DOCVM. WÜRTENBERG. p. 516. *nullum autem aliud seruitium, ius, aut beneficium sibi pro hoc concedi recognoscet, nisi tertium bannum & consuetudinariam iustitiam & legem quam ceteri aduocati in aliis liberis monasteriis habent, super fures, proteruiam & censuales & cetera alia & in illis trium placitorum diebus in vnoquoque maltrum de frumento & vnum friskingum & vnum siclum de vino & cetera ad haec pertinentia.*

§. XXIII.

Talis Aduocatus haereditarius Archiepiscopatus Salisburgensis est Archi-Dux Austriae, dum Henricus IV. Imp. Ernesto Marchioni, hoc ius an. 1058. singulari Diplomate concederet.* Iisdem Archi-Ducibus iura Aduocatiae in Episcopatum Tridentinum, Brixiensem & Abbatiam Murbacensem confirmantur per R. I. de an. 1548. ** Eadem ratione ius Protectionis & Aduocatiae in Episcopatus Misnensem, Merseburgensem & Numburgensem ab antiquo tempore exercuerunt Electores Saxo-

Saxoniæ. † Caminensis Episcopatus Pomeraniæ Principes olim adgnouit patronos. †† Elector Brandenburgicus tanquam Cliuiæ Dux Ius Aduocatiæ exercet Abbatiam Werdensem. †††

* CVSPINIANVS *Austria p. 12.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 330.*

** §. *69.* Licet Episcopus Brixiensis Iura sua Territorii singulari Scripto demonstrare voluerit, quod extat apud LVNIGIVM *Gerechtsame T. I. p. 750.* Ludouicus tamen Marchio Brandenburgicus in Diplomate de an. 1350. quod exhibet LVDEWIG *in Syllabo Noribergæ Insignium Tutelari adiecto p. 2.* se ipsum vocat supremum Aduocatum basilicarum Aquilegiæ, Tridenti & Brixiæ.

† HORTLEDER *lib. V. c. X.* CASSANDRI THVCELII *Electa I. P. T. I. c. VIII.* vide supra §. *XVI.*

†† RANGO *Pomerania Diplomatica p. 96.* Plura exempla reperiuntur apud PAVLLINI *de aduocatis Monasticis.*

††† Compositionem desuper factam exhibent ELECTA I. P. *Tom. VII. p. 935.*

§. XXIV.

Alia ab hac Aduocatia Armata, quæ in iure consistebat Protectionis, erat Ecclesiastica, quæ vulgo dicitur *Kasten-Vogtbey* & qui illi præsunt, *Kasten-Vægte*, * Oeconomi vel villici Ecclesiæ, ** hoc est Præfecti redituum, alias dicta Aduocatia Granarii. *** Habebant tales Aduocati suos sub se præfectos, & Vicarios, dictos *die Kastner.* Alia etiam erat Aduocatia vniuersalis, quæ in omnia bona & homines Episcopatus vel monasterii se extendebat, alia particularis, ad quædam saltim bona directa. † Plures harum aduocatiarum supersunt, licet Aduocati sæpius munus hoc atque in-

de dependentes fructus Episcopis vel Abbatibus vendiderint. ††

* Latius de his agitur DEDVCT. LINDAV *p. 576. sqq.*

** Nomen hoc, & quæ inter vtrosque Aduocatos fuerit differentia, docet Diploma Friderici I. Ecclesiæ SS. Simeonis & Iudæ Goslariensi an. 1198. concessum, in quo hæc verba: *Cum enim de iure aduocatorum coram nobis in palatio Goslar. quæstio moueretur, de communi principum Consilio sententiatum fuit, quod in bonis Ecclesiarum aduocati nihil iuris haberent nisi tantum in tribus casibus, in furto videlicet, in pugna & in raptu, & omnes aliæ quæstiones essent ad yconomum seu villicum Ecclesiæ referendæ,* apud HAYNECCIVM *Antiquit. Goslar. lib. II. p. 186.* Vid & PAVLLINI *de Aduocatis Monasticis § 3.* & TENTZEL *Vindic. Lindau. p. 171.*

*** Sic vocatur Aduocatia Monastarii ad S. Emeranum Ratisbonensis in litteris a. 1295. apud HVNDIVM *Bayr. Stamm-Buch p. I. f. 110.*

† DEDVCTIO LINDAV. *p. 333.* TENTZELIVS *Vindiciis Dipl. Lind. p. 171.*

†† PAVLLINI *§. XI.*



CAPVT

CAPVT DECIMVM NONVM
DE
PRINCIPIBVS SECVLARIBVS.

§. I.

PRincipes Seculares in diuersas vel ab omnibus Scriptoribus Iuris Publici distinguuntur Classes, vt alii sint Archi-Duces, Duces, Comites Palatini, Marchiones, Landgrauii, Burggrauii, & qui simpliciter dicuntur Principes. * Verum, licet istorum quidam in Principum Collegio locum habeant, non tamen tanquam Comites Palatini, Landgrauii & reliqui admittuntur, quorum dignitas propria Comitum, sed tanquam Duces & Principes. Archi-Ducis titulus ob honoris saltim prærogatiuam nouiter fuit concessus.

* TRITHEMIVS Ann. Hirsaug. ad a. 1354. *omnes Principes, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Burggrauii, Landgrauii & Barones totius Regni.*

§. II.

Principis olim varia acceptio. Primis Germanorum temporibus dicebantur Principes, qui iura per pagos vicosque reddebant. * Media ætate generalis erat vox Principis, ita, vt communis esset, ** & sub eadem omnes Proceres etiam Episcopi & Comites intelligerentur. *** Sæpe tamen etiam Duces hoc nomine insigniebantur. **** Quare etiam Scriptores non solum his vocibus promiscue vtuntur. In Iure Feudali dicuntur Principes Laici, *die Layen-Für-*

ſten, ***** ſed etiam in Diplomatibus promiſcue hæ binæ voces vſurpantur. † Duces autem primum dicti, qui Exercitui præerant, poſtea etiam, cum tales prouinciis præficerentur, Præſides earum ſic adpellati. Apud alios Princeps maior erat Duce atque talem notabat, qui iuris erat ſupremi. †† Hinc etiam Arauſionenſes ad denotaudum Supremaтum ſuum, Principis titulo ſemper fuerunt vſi.

* TACITVS *de Mor. Germ. c. XII.*

** ALBERICVS *ad a. 1234.*

*** LAMBERTVS SCHAFNABVRG. *p. 192.* ſub communi Principum Saxoniæ nomine intelligit Archiepiſcopos, Duces, Marchiones, Comites. Idem repetit *p. 228.* & *p. 139. praterea omnes Saxonia & Thuringia principes, qui adhuc in deditione tenebantur, ab exilio reuocari iubet.* Idem p. 236. *erant duo cuiusdam Geronis Comitis filii, ſatis quidem edito loco nati, ſed propter inopiam rei familiaris inter Principes Saxonia nullius nominis & momenti.* BRVNO Hiſt. B. Saxonici p. 181. *pracepit Rex, vt vniuerſa Principum Saxonia multitudo Goslariam conueniret, vt ſi quid de communibus regni negotiis agi dignum emergeret, hoc ipſe communi Principum conſilio tractaret. - - Igitur feſtiuitate celebriter celebrata, cum dies ad cauſas agendas ſtatuta veniſſet, Epiſcopi, Duces, Comites, caterique ad palatium primo diluculo congregantur.* Idem p. 194. *cum noſtris ex partibus, ex Summis Principibus Geuehardus Comes, ex mediis vero Folcmarus, & Suidgerus cecidiſſent.* Idem p. 194. quos modo Epiſcopos, Duces, Comites, cæterosque Maiores vocaſſet, ſtatim adpellat Principes. DODECHINVS ad an. 1131. *rex antea Lotharius Leodium cum Principibus totius regni, archiepiſcopis, epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis, Comitibus, & etiam cateris nobilibus ad curiam condictam venit.* HELMOLDVS lib. I. cap. XL. *Tunc ii, qui ſuperſtites fuerunt de Principibus Saxonum, videlicet Luderus Dux, Reingerus Haluerſtadenſis Epiſcopus, Fridericus Comes de Arnesberg.* GODEFRIDVS Monach. ad an. 1168. *II. Kal. Iunii curiam Frankinfort habuit, vbi Ducem & Principes Saxonia*

xoniæ ad pacem reuocauit. Idem ad an. 1173. *Inde Imperator rediens Saxoniam ingreditur, cui omnes Principes eiusdem prouinciæ deuote occurrerunt, præter filios Alberti Marchionis.* OTTO FRISINGENSIS de G. Friderici I. lib. I. c. XXIV. *honorandum Principem Imperii nostri, Rogerium Illustrem Comitem de Adriano.*

**** LVITPRANDVS lib. II. cap. VII. postquam Duces sub Conrado I. enumerasset, addit: *secundo itaque regni huius susceptionis anno, memorati Principes.*

***** *Cap. I.*

† Sic in Diplomate Friderici II. super erectione Ducatus Brunsuicensis apud MEIBOMIVM Tom. III. p. 207. dicitur, *dictum consanguineum nostrum Ottonem Ducem & Principem facientes.* Et in alio Diplomate p. 208. *Ottonem de Lüneburg, dilectum nostrum in Principem creauimus, concedentes ei de gratia speciali Ducatum de Brunsuic.* Et in Diplomate erectionis Ducatus Luceburgensis p. 212. *& quia Tu, carissime frater, tanquam Dux L. Sacri Imperii vasallus & princeps, dum eundem tuum Principatum seu Ducatum a regia Maiestate in feudum susciperes.*

†† Patet hoc ex LEONIS OSTIENSIS *Chronico Casin. lib. I. cap. X.* vbi de Archiso dicit: *cui Adalberga, altera Desiderii filia, matrimonio iuncta fuit, eadem de causa abdicato Ducis titulo, qui superioribus omnibus suffecerat, primum se Beneuenti Principem nominasse, & ab Episcopis vnctum, corona vsum esse, Diplomati sacratissimo palatio, quod Reges solent, ascripto.*

§. III.

Sed, de origine atque potestate Ducum primorum multa adhuc subest controuersia. Non desunt, qui propriam atque regalem ab initio statim fuisse Ducum potestatem velint, * quod tamen cum Monarchico Regum Francorum regimine minime stare poterit. Sed Officiales saltim erant Imperii, quibus prouinciarum regimen fuit commissum, & qui-

quidem de prouincia, quam administrabant, cui certum adnexum erat officium, inuestiebantur, ** ideoque nomen Ducis ætate Carolingica nomen officii & cum eodem connexæ erat dignitatis. Patet hoc ex HINCMARO, *** qui disertis verbis testatur, Duces a Rege fuisse constitutos, ad regendum populum. Si autem constituti fuerunt a Regibus Duces, facile patet, eos a Regibus dependisse. Patet hoc exercitio potestatis in Duces, quos Ducatu priuare liberum erat. † Exemplo sit Thassilo Dux Bauariæ, qui teste EGINHARDO, †† varie ad Carolum euocatus, nec redire permissus, neque prouinciæ, quam tenebat, vlterius præesse, sed ea Comitibus ad regendum commissa est. Si itaque Thassilo non a potestate Caroli dependisset, sane, Carolus eundem e prouincia eiicere minus potuisset, vt eandem Comitibus traderet regendam.

* COCCEIVS in Diss. *de fundata in Territorio & plurium locorum concurrente iurisdictione tit. I. §. 3.* vbi dicit: *fixum sibi esse, nunquam Principatuum s. Ducatuum & qui ipsis præfuerunt, Ducum nomina species officiorum, sed semper, ex quo Francorum reges subigere alios Germaniæ populos cœperunt, proprias ac regales potestates, feudi lege concessas fuisse.* Licet ipse in Prudentia I. P. c. XV. §. 43. haut diffiteatur, sub Carolingis omnem Principum potestatem fuisse mere administratoriam. Præcipue vero PHILIPPVS THEODORVS VERPORTENNIVS singulari Oratione *de Ducatibus in Veteri Germaniæ Regno hæreditariis* hanc opinionem præ cæteris defendere nititur, prodiit *Coburgi 1707. 4.*

** NIC. CVSANVS de Concord. Catholica lib. III. cap. XXVIII. *ordinabatur, etiam tunc Principes, Duces & Comites, constitui debere, tanquam Officia publica imperiali iussione habentes, ad nutum remouibilia: rationem sui ministerii ærario publico reddentes.* VADIANVS *lib. I. de colleg. Monast. Germ.* apud GOLDASTVM Rer. Alemann. Tom. III. p. 25. *Franci reges regnum suum Ducum maxime & Comitum opera moderabantur, qui in illa quidem ætate non suam ceu pro-*

propriam, sed publicam regni ditionem administrabant. Perinde enim, vt apud Romanos Proconsules, Praesides, Quaestores, Procuratores. Ita in Francorum regno Duces, Comites, & qui Camerae Nuncii dicebantur, alienae potestatis functionem gerebant. TRITHEMIVS Ann. ad 618. & 641. *Dagobertus Rex regnum tam per se quam per Duces & Comites bene disposuit. Sub Rege Sigeberto erant in plerisque locis siue prouinciis sub ditione Sigeberti & maioris domus Pipini constituti Reguli, Duces, Comites & Praefecti, quorum administratione populus regebatur.* LEHMANN *lib. II. c. XVI.* PONTANI *Origg. Franc. lib. VI. c. XIII.*

*** Admonitione altera ad Episcopos Regni pro Carolomanno Rege ad Sparnacum facta n. 24. Operum Tom. II. p. 223. *qui post Regem populum regere debent, id est, Duces & Comites, necesse est, vt tales instituantur, qui sine periculo eius, qui eos constituit, quos sub se habent, cum iustitia & aequitate gubernare intelligant, atque cum bona voluntate, quod intelligunt, adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, vt plebem saluent & regant, non vt dominentur & affligant: neque vt populum Dei suum aestiment, aut ad suam gloriam sibi illum subiici, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia rex aequissimo iudici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, vt etiam singuli, qui sub eo sunt ministri, ab eo diligentissime inquirantur, & tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat diuinum.* Putat quidem VERPOORTENNIVS, hunc locum neque ad Germaniae Statum, neque ad Duces proprie pertinere. Ast de posteriori verba satis sunt clara: nec de priori erit dubitandum, dum Germania sub Francis, ipsorum more fuerit gubernata. De constitutis apud Francos Ducibus testatur REGINO ad a. 887. ANN. METENSES *ad a. 861.*

† Notabilis est LEX BOIORVM Tit. II. cap. 9. *si quis autem Dux de prouincia illa, quem Rex ordinauerit, tam audax aut contumax, aut leuitate stimulatus, seu proteruus & elatus, vel superbus atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contempserit, donatu dignitatis ipsius ducati careat, etiam & insuper spem supernae contemplationis sciat se esse condemnaturam, & vim salutis amittat.*

†† *Vita Caroli M. c. XI.*

§. IV.

Tertio hic Status Ducum sub Carolingicis ex eo patet, quod, si ab initio statim propriam potestatem habuissent, minime opus fuisset, vt sub Conrado I. tantas facerent contentiones de regali, quam petebant, potestate. * Quarto, ipsi Scriptores antiqui de hac potestate administratoria præbent testimonium. Dicuntur enim Duces Germaniæ contra Reges rebellasse, ** quod fieri non potuit, si non ab iisdem mere dependissent. Dicuntur administrasse Ducatus atque dono Regum Duces constituti. *** WITTICHINDVS † auctor est, quod Conradus, Germaniæ Rex, veritus sit, Henrico tradere omnem potestatem patris, qui tamen postea, orto bello ciuili, primus †† libera potestate regnauit in Saxonia, quod etiam de Burcardo, Alemanniæ Duce dicitur. ††† Hoc tamen certum, in Bauaria Duces hæreditarios fuisse Agilolfingos, quod ipsis ex speciali priuilegio fuit concessum. †††† Neque tamen Successio hæreditaria pura erat, sed ad certam familiam saltim restricta, ita, vt Bauari eandem eligendi haberent potestatem.

* Patet hoc ex eo, quod Scriptores dicant, Duces illos Conrado extitisse rebelles, vt statim docebitur. S. H. G. *diss. XI. §. IV.*

** LVITPRANDVS lib. II. cap. VII. *secundo itaque Regni huius susceptionis anno, memorati Principes huic, præsertim Henricus, rebelles extiterunt. Quos Conradus Rex tam sapientiæ vigore quam fortitudinis robore superauit, suamque ad fidelitatem perduxit.* Idem dicit SIGEB. GEMBLAC. *ad a. 914.*

*** WITTICHINDVS Ann. lib. I. p. 634. *Bruno cum Ducatum administraret totius Saxoniæ.* Patet hoc etiam ex formula concessi Ducatus apud MARCVLPHVM *lib. I. form. c. VIII.* ROSWITHA *de Constructione Cænobii Gandersheimensis* apud LEIBNITIVM Tom. II. p. 325. de Ludouico Germanico: *cuius dono Luidulfus suscepit primum propria*

priæ Gentis Dominatum. Et de Ludolphi filio Brunone, qui in bello Normannico fuit interfectus:

Quo mox occiso, Iunior frater suus Oddo,
Dux factus Populo, dono Regis Hludowici.

† p. 635. *Rex autem Conradus cum sæpe expertus esset virtutem noui Ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris. Quo factum est, vt indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude & gloria optimi Ducis plura locutus, promisit se maiora sibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones vero huiusmodi simulationibus non attendebant, sed suadebant Duci suo, vt si honore paterno cum nollet sponte honorare, rege inuito, quæ vellet, obtinere posset.*

†† WITTICHINDVS *p. 634.*

††† EKKEHARDVS Iun. de Cas. S. Galli cap. I. *Sueuiæ Principum assensu statuitur Alemannis Dux primus Burchardus gentis illius nobilissimus.* Idem dicit HERMAN. CONTRACTVS *ad a. 918. Eo defuncto Hermanno Ducatus Alemanniæ committitur*, prout CONT. REGINONIS *ad a. 926.* dicit.

†††† LEG. BAIVAR. Tit. II. cap. XX. n. 3. *Dux vero, qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & debet esse, quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, vt qui de genere illorum fidelis regi erat & prudens, ipsum constituerent Ducem ad regendum populum illum.* Quare DITMARVS *lib. V. p. 368.* Henricum II. ita inducit loquentem: *Bauarios ab initio Ducem eligendi liberam habere potestatem.* Idem *lib. IV. p. 352.* postquam mortem Henrici Ducis retulisset, addit: *quod cum filius eiusdem comperisset, electione & auxilio Bauariorum patris bona apud Regem obtinuit.*

§. V.

Ducum potestas in eo constabat, vt Comites, qui iurisdictioni præerant, sub ipsorum essent potestate. Communis quidem est opinio, Ducem duodecim sub se habuisse Comites, eo quod ANNALES FRANCORVM * de Pipino dicant, quod Grifonem *more Ducum*, duodecim Comitatibus donauerit.

 Sed,

Sed, dum reliqui Scriptores ** idem referentes, verba *more Ducum* omittant, nihil facile exinde concludimus. Potius dicimus, incertum fuiſſe Comitum numerum, quos ſub ſua poteſtate Duces habuerint, cum ſæpe duos vel tres ſaltim rexerint Comitatus. *** Ipſi quoque Marchiones Ducum poteſtatem atque iurisdictionem adgnoſcere tenebantur, vti ſub Ducatu Bauariæ olim fuerunt Marchiones Auſtriæ, Stiriæ, Iſtriæ, Carnotenſes. **** Poteſtas illorum non propria, ſed adminiſtratoria erat. Hinc etiam prouinciam gubernabant, reditus ex domaniis capiebant, nec tamen, niſi ex iuſſu Regis leges proponebant, & tributa indicebant. A rege euocati, milites educebant in Regis auxilia, † immo ſæpius expeditionibus bellicis præerant. †† Hoc autem officium licet hæreditarium minime eſſet, ſæpius tamen, ſi Duces filios vel fratres relinquerent, haut degeneres, ex Regis voluntate ipſis quoque fuit conceſſum. ††† Erant autem præter Duces Prouinciarum, quoque certi Duces in limitibus conſtituti, prout Dux Sorabici & Danici limitis in Annalibus memoratur. ††††

* EGINHARDVS *ad a. 748.*

** ANN. FRANC. FVLD. REGINO. SIGEB. GEMBLAC. *ad a. 748.* ſaltim dicunt, quod Pipinus Griphoni duodecim Comitatus dederit. GREGORIVS TVRONENSIS *lib. VIII. c. XVIII.* de Nicetio dicit, quod ſaltim *in vrbe Aruerna, Ruthena, atque Vcetica Dux fuerit ordinatus.*

*** Prout ALTESERRA *de Ducibus & Comitibus Prouincialibus lib. I. c. IV.* demonſtrauit. Longæua etiam fabula eſt Lotharium Imp. dum Thuringiæ Principatum reſtituiſſet, eidem duodecim Comites ſubiecisſe, de quo TENTZELIVS *Supplem. Hiſt. Goth. p. 449.*

**** HENR. STERO Ann. ad a. 1156. *Auſtria Marchionatus a iurisdictione Ducis Bauariæ exemtus eſt. Stiria, Iſtria, Carnotenſis, qui dicebatur de Vobburg, euocati ad celebrationem Curiæ Ducis Bauariæ veniebant, ſicut hodie Epiſcopi & Comites ipſis fermo facere tenentur.*

† Patet

† Patet hoc ex EGINHARDO *vita Caroli M. c. XIII.* dum ait: *vnam per se in Pannoniam expeditionem fecit: cæteras filio suo Pipino, ac Præfectis prouinciarum, Comitibus etiam atque legatis perficiendas commisit.* Sub Ottone M. WITTICHINDVS lib. II. p. 656. *primam & secundam tertiamque legionem direxerunt Baioarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Henrici, nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laboraret.*

†† LEHMANN *lib. II. c. XVI.*

††† Patet hoc satis clare ex HINCMARI Epistola ad Proceres Regni pro institutione Carolomanni Opp. Tom. II. p. 201. dum in fine ait: *personas autem hominum & mores ac qualitates illorum, per quos, si aliqua sunt collapsa, restituantur, vestra sollertia prouidebit, quoniam de his, quos tempore domni Hludouici Imperatoris vidi Palatii procuratores & regni præfectos, neminem scio esse superstitem, scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi vero procurent, vt non sint moribus ac virtute, atque pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia & studiis bonis degeneres, quatenus merito patrum loca & officia suppleant, & se in ipsa suppletione caute custodiant.* ANNAL. METENSES ad a. 867. *Siquidem Odo & Robertus filii Roberti adhuc paruuli erant, quando pater extinctus est, & iccirco non est illis Ducatus, (siue Marchia ad oram Legeris,) commissus.* Olim quandoque ad certos annos saltim concessum fuisse hoc Officium, docet nos ALTESERRA *de Duc. & Comit. Prouinc. lib. I. c. V.*

†††† ANN. FVLD. ad a. 898. & 873. memorant: *Ducem Sorabici Limitis* ad a. 852. *tandem principibus Borealium partium, & custodibus Danici limitis, quasi lubricæ fidei & molimine proditionis cœpit esse suspectus.*

§. VI.

Hic igitur Status Ducum sub Regibus Francorum, etiam ante Carolum M. * Dum autem Germania quinque saltim constaret prouinciis, quibus totidem Duces præfecti qui ideo maioris erant potentiæ, quam vt commodum videretur Statui Monarchico, sensim Ducatus sustulit Carolus M. eos-

demque in plures Comitatus diuisit: cuius exemplum præbet Bauaria, atque Aquitania ** licet hæc Francorum Occidentalium esset prouincia. Idem institutum prosecutus fuit Ludouicus Pius, qui Baldericum, Ducem Foroiuliensem, honoribus, quos habuerat, priuauit, & Marcham, quam solus tenuerat, inter quatuor Comites diuisit. *** Ex hac ratione rarius ista ætate Duces occurrunt, sæpissime Comites. Sensim vero Duces sub Carolingis reliquis fuerunt reducti.

* EGINHARDVS *c. XI.*

** AIMOINVS lib. V. c. I. *ordinauit per totam terram Aquitaniæ Comites Abbatesque, nec non alios plurimos, quos Vassos vulgo vocant, ex gente Francorum, quorum prudentiæ & fortitudini, nulla calliditate, nulla vi obuiare fuerat tutum, eisque commisit curam regni, prout vtile iudicauit, finium tamen, villarumque ruralium prouisionem.* Idem dicit AVCTOR VITÆ LVDOVICI *p. 340.* PFEFFINGER *Vitriario Illustr. lib. I. c. XI. Tit. XVI. §. XI. p. 84.*

*** EGINHARDVS *ad an. 828.*

§. VII.

Licet autem Duces de certis prouinciis essent inuestiti, non deerant tamen, qui, licet sola possiderent Allodia, nomen & dignitatem Ducis gererent. Exemplum nobis præbet Wittikindus Dux. Hic enim Saxoniæ Ducatum non tenebat, cum Saxonia per Comites, Missos, & Aduocatos regios, post etiam per Duces fuerit recta: * sed patrimonium suum retinebat sub titulo Ducis, ideoque Dux erat honorarius, allodialis, non feudalis, qui titulum saltim gerebat, absque Ducis officio. ** Aliud exemplum præbet Bertoldus, Zeringensis, qui, eo quod Rudolphi Sueui haberet filiam, post eius mortem Sueuiæ Ducatum vna cum titulo prætendit, illum tamen ab Henrico IV. Friderico Hohenstaufensi cedere

re

re fuit coactus, vacuo nomine Ducis retento. *** Eadem ratione Henricus Pinguis Dux erat honorarius sine Ducatu, Dux ad Visurgim dictus, dum Comes saltim esset Northeimensis **** & terras possideret allodiales. Antiquitus enim distinguebatur inter *Fürsten Ambacht* & *Fürsten-Lehn.* † Illud comprehendebat & nomen & officium Principis, quæ tamen erant distincta, hoc beneficium officio adnexum. †† Immo, possidebant etiam Duces præter Ducatum ipsis ab Impp. commissum, sua bona patrimonialia. †††

* Vberius hæc demonstrauimus in S. H. G. *diss. VII. §. XX.*

** *c. l.*

*** OTTO FRISING. de gestis Friderici I. lib. I. c. IX. *Beroldus, vacuum ex hinc nomen Ducis gerens, id quasi hereditarium posteris reliquit. Omnes enim vsque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes.* Sic etiam BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. 1092. de eodem: *quod nondum aliquem Ducatum habuerit, etsi iamdudum nomen Ducis habere consueuerit.* S. H. G. *diss. XV.* §. XXXVI. Idem dicit de Ottone, postquam Bauariæ Ducatu fuisset priuatus, BRVNO *B. Saxon. p. 108. tunc Otto, qui Dux olim fuerat, sed adhuc Ducis nomen habebat.* DITMARVS lib. V. p. 371. *inde Rex discedens Museleorum pagum visitauit, & ad Theodonis villam veniens, generale ibidem colloquium cum comprouincialibus habuit. Rege vero ibidem omnibus aliqua necessitate laborantibus, benigne legem dare cupiente, Hermannus ac Theodoricus solo nomine Duces, sed non re, certabant hoc impedire.*

**** Hinc CHRON. BRVNSVIC. apud MADERVM p. 12. *Gertrudis nupsit Comiti Henrico qui Pinguis dicebatur, qui fuit filius Ottonis de Northeym, Ducis quondam Saxoniæ.*

† IVR. FEVD. ALEMANN. cap. XLII. §. 2. & SCHILTER *in Comment.*

†† Nomen & officium Principis vtrumque a beneficio esse distinctum, patet ex loco GODEFRIDI MONACHI Ann. ad a. 1181. *Henricus sententia cunctorum Principum, nomine & officio priuatus, quicquid*

ab Imperio & Episcopis habuit, ei confertur. Vid. plenius Dissert. *de Allodiis Imperii* §. X.

††† Exemplum adducit CONT. REGINONIS de Conrado Lothariensi Duce ad a. 954. *Chunradus etiam omnium quas habuit diuitiarum nudus, omisso Ducatu, in gratiam regis intromittitur, vita, patria & prædio contentus.*

§. VIII.

Extinctis autem Carolingis, & mutato Statu Regni Germanici, dum sibi ipsis Reges eligerent, pro Statu quinque Germaniæ populorum, quinque etiam remanebant Duces, e quibus sub Conrado I. memorantur Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Euerhardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia, Henricus, Dux Saxonum & Thuringorum. * Hi contra Conradum rebellantes, eiusdem potestati sese subducere conati, tandem illud ipsi extorserunt, vt sub fidelitatis ** lege libera potestate regnarent, quilibet in prouincia sua & iure hæreditario. Idem Status fuit, regnante Ottone M. sub initium Iuris Publici, in cuius coronatione memorantur Dux Lotharingiæ, Dux Franconiæ, Dux Sueuiæ, Dux Bauariæ, dum ipse esset Dux Saxoniæ, quam nomine ipsius procurabat Sifridus. *** Tempore Henrici II. Imp. qui ipse Dux erat Bauariæ, memorantur Maiores in regno, Benno, Dux in Saxonia, Hermannus, Dux in Alemannia, Theodoricus in Lothariense Regno, Ekehardus Marchio in Thuringia. **** Immutatus igitur plane fuit Status, ita, vt Ducum nomina non amplius essent officii sed dignitatis, atque propria vterentur potestate, sub Feudi tamen lege concessa. Dum autem Germaniæ Principes plena nondum vterentur Superioritate Territoriali, maiore adhuc potestate in ipsorum Territoriis gaudebant Imperatores. Hinc

Hinc etiam hæreditaria Iura in feudis non plane concedebant, cuius exemplum eſt Bauaria, quam Arnolphi Ducis filiis, relinquere noluit Otto M. † ſed eandem demum Henrico fratri conceſſit. Immo, adhuc ſub Francicis Impp. hi Ducatus auferendi exercebant poteſtatem. ††

* LVITPRANDVS *lib. II. c. VII.*

** Huc faciunt verba LVITPRANDI : *ſuam ad fidelitatem perduxit.* Præcipue vero verba finalia dicti capitis: *Conueniens igitur Arnoldus huic optimo ſuorum conſilio Henrici regis miles efficitur, & ab eo, vt iam dictum eſt, conceſſis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.*

*** VVITTICHINDVS *Ann. lib. II. ineunte.*

**** Verba ſunt ADELBOLDI *vita Henrici c. II.*

† REGINO *ad an. 938.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 939. & 946.*

†† LAMBERTVS SCHAFNAB. ad an. 1073. *Rex Natalem Domini Babenberg celebrauit, ibi Bertoldo Duci Carnotenſium Ducatum ſine legitima diſuaſione abſenti abſtulit & Marcwardo cuidam propinquo ſuo tradidit.* Vid. plenius CONRING. Diſſ. *de Ducibus & Comitibus* §. *XXII.* & LVDEVVIGS *Germaniæ Princeps poſt Carolingica ſub Conrado.*

§. IX.

Manſit igitur hic Status ſub reliquis Impp. vt vnus ſemper eſſet Rex, reliqui Duces * vna cum prouinciis, Imperii quoque Officia tenerent, atque iura poteſtatis non ſolum, ſed etiam hæreditaria ſub Francicis Impp. magis magisque firmarent, ** ita tamen vt Duces, licet patri ſuccederent, adhuc ſub Sueuicis Impp. horum confirmatione niterentur.*** Quod ſi vero conſideremus, qui factum, vt numerus Principum ſecularium creſceret, **** illud vel diuiſioni familiarum Principum, vel adſciſcendo nouos Principes tribuendum. Et dum priſtinæ Ducum familiæ ſenſim deficerent, Status familiarum Ducalium plane fuit immutatus. Sic Franciæ atque Sueuiæ Ducatus poſt Conradini mortem varie fuit

 diſſi-

dissipatus. † Supersunt ab antiquo Duces Saxoniæ atque Bauariæ, licet & isti inter Electores locum inueniant, atque Duces Lotharingiæ, qui tamen Imperio se fere subduxerunt.

* *cap. IX. §. XX.*

** Sub Henrico IV. Imp. enim hæreditarium Ius iamdum inualuisse docet nos LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1073. p. 192.* vbi de Magno, Saxoniæ Duce: *huic veniam admissis non alias impetrare poterant, nisi ducatu & aliis quæ sibi ex defunctis parentibus* HÆREDITARIO IVRE *competebant, in perpetuum se abdicaret,* & p. 193. de eodem *cui Ducatus legitima successione debebatur* & p. 225 *tametsi vxor marchionis Adala filium suum, cui hæreditaria successione marchia debebatur, & paulo ante pro se obsidem misisset.*

*** Patet hoc ex ALBERICO ad an. 1139. & 1144. *Conradus tertius huius nominis Rex Godefridum, Godefridi filium fecit paterni honoris successorem, ea maxime pro causa, quia suæ coniugis sororem ei dederat in vxorem.*

**** Sub Henrico IV. Imp. iamdum sub Henrico IV. apud LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM ad a. 1074. memorantur: *Duces Baioariæ, Sueuiæ, Lotharingiæ, Mosellæ, Carentinorum.*

† *cap. III. §. IX. sqq.*

§. X.

Plures autem nouiter accesserunt Germaniæ Duces atque Principes, qui vel prouincias suas tanquam Accessoria Germaniæ subiecerunt, vel ex Comitum numero in Principum ordinem fuerunt adlecti, vt taceamus nostro æuo Episcopatus in Ducatus conuersos. Prioris exemplum nobis præbent Duces Pomeraniæ, Slauorum olim, sub Friderico Barbarossa tamen in ciuitatem Germanicam recepti; * Mecklenburgici, Obotritorum olim, a Carolo IV. a. 1349. in Ducum fastigium euecti. ** Amadeus ex Sabaudiæ Comite, quæ iuris erat Arelatensis, inter Germaniæ Duces adlectus. †

* *c. III. §. XXXII.*

** DV-

** DVBRAVIVS *Hist. Bohem. lib. XXII. f. 137.* SCHVRTZFLEISCH *Rer. Mecklenburg.* §. X.
† *c. IV.* §. *VIII.*

§. XI.

Posterioris plura sunt Exempla, dum ex Marchionibus, Landgrauiis, Burggrauiis, plures facti fuerunt Duces vel Principes. Non itaque tanquam Marchiones & Landgrauii Principes sunt, quæ Comitum sunt dignitatis, sed quatenus in Principalem dignitatem fuerunt euecti. Inter Comites Palatinos quidem Rhenensis, qui Supremus Aulæ Iudex, Dux Terræ Rhenensis dicitur, atque eadem ratione dignitatem Ducalem gerit. * Inter Marchiones, Brandenburgicus, eo quod inter Imperii Officiales fuerit adlectus, ** eandem Ducis dignitatem ab antiquo gerit. Ex Marchionibus reliquis Duces creati fuerunt Marchiones Austriæ, Iuliacenses, Badenses, Misnenses. Ex Landgrauiis in Principum numerum receptus fuit Thuringiæ & Hassiæ Landgrauius. † Ex Burggrauiis, Fridericus Noribergensis a Carolo IV. in Principum numerum fuit cooptatus. †† Ex Comitibus Duces & Principes facti fuerunt, Comes Würtenbergicus, Holsatiæ, Sabaudiæ, Gelriæ, Lutzelburgensis, Montensis, Anhaltinus. ††† Ex Dynasta Ducem creauit Ottonem Lüneburgicum Fridericus II. Imp. †††† Vt taceamus illos, qui a Ferdinandis & Leopoldo inter Principes nouiter fuerunt recepti.

* COCCEIVS Prud. *I. P. c. XV. sect. II.* §. *17.* THOMASIVS *de iurisdict. & Magistratus differentia* §. *86.* TOLNER *in Historia Palatina.*
** Vide supra *c. IX.* §. *XXIX.* In Diplomate Henrici VI. dicitur *in Ducatu Transalbino seu Marchia Brandenburgensi.* Plenius hoc declarauit LVDEWIG *de Formula Ducatus Brandenburgici* §. *IV. & sqq.*
† *c. XI.* §. *VI.*

†† Extat Diploma apud WAGENSEILIVM *de Rep. Noribergensi p. 293.*
††† *c. XI. §. VI.*
†††† Extat Diploma apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 206.*

§. XII.

Dum autem plures Duces ſint emortui, ſeptem ſaltim Familiæ Ducales in Germania adhuc ſuperſunt, Saxonica, Bauarica, Brunſuico-Lüneburgenſis, Würtenbergica, Mecklenburgica, Holſatica, Sabaudica, Lotharingica. Quibus accedunt in Ducalem dignitatem adlecti, Comites Palatini, Marchiones Brandenburgici. Inter Principes recepti Haſſiæ Landgrauii, Marchiones Badenſes, Anhaltini & plures recentiores. Cum autem plures ex Comitibus eueherentur, diſtinctio orta fuit inter Duces & Principes, vt, qui ab antiquo dignitatem habuiſſent, Ducum titulum ſibi ſeruarent, Germanice *Hertzoge:* Principum titulo illis relicto, qui ex Comitibus in Principalem dignitatem fuerunt euecti, Germ. *Fürſten*, quæ differentia hodie probe obſeruanda. Sabaudiæ vero Comites, Geldriæ, Holſatiæ & Würtenbergici * ob ſingularem ſplendorem atque potentiam ſtatim Ducali dignitate fuerunt ornati.

* Qua ratione Eberhardus Illuſtris, Würtenbergenſis Comes in Ducem fuerit euectus, explicauimus in S. H. G. *diſſ. XXXI. §. VI. p. 1135.*

§. XIII.

Haut incongrue quoque COCCEIVS * diſtinguit inter Principes atque Principalis dignitatis Comites. Iſti ſunt, quorum Terræ æque in Principatus fuerunt euectæ, hi, quibus iura quidem Principum conceſſa, dum terræ Comitatus manerent. Patet hæc differentia ex nomine, dum iſti, Principes *die Fürſten;* hi Principalis dignitatis Comites dicantur, *Gefür-*

Gefürstete Graffen, Principes ratione personæ & glebæ Principum iuribus gaudent, dum *Gefürstete Grafen* saltim ratione personæ horum Iurium sint participes. Patet illud ex ipsa concessione. Quod si enim Diploma ** consideremus, quo Henricus VII. Imp. Principalem dignitatem concedit Bertholdo Hennebergico, alia plane verborum in eodem reperimus solennia, ac in aliis. Dicitur enim in eodem: *quod ipsi ac suis hæredibus conferantur omnia iura Principum & quod ipse Comes & liberi sui debeant iure & more aliorum Principum nostrorum & Imperii coruscare, & Homines suos iure aliorum Principum congaudere: sic, quod ipse Comes & liberi sui debeant iure & more aliorum Principum congaudere: sic quod ipse Comes & sui liberi, non alibi, quam vbi alii Principes Imperii: & Homines eorum, non alibi, quam vbi Homines aliorum Principum conueniuntur, valeant conueniri*, dum in Diplomatibus, quæ aliis de Principali dignitate fuerunt concessa, dicatur, quod ipsi in Principes, ipsorum Comitatus in Principatus fuerint euecti. *** Vocatur igitur adhuc *die Grafschafft Henneberg* licet Serenissimi Saxoniæ Duces de eadem Sessione & voto gaudeant in Comitiis. Rationem reddit FRANCISCVS GVILLIMANNVS, **** quod Comites Principes aut Principales illi fuerint dicti, qui soli Imperio nexi, ad eorum differentiam, qui terras suas ab aliis Principibus accipiebant. Addo etiam singularem prærogatiuam fuisse Comitum potentiorum. Sic eodem nomine vsi fuerunt Comites Habsburgici. In cessione Margarethæ Maultaschiæ de Comitatu Tyrolensi Austriacis facta, dicuntur: *Graffen zu Tyrol Fürsten.* † Recentiori tempore Princeps Eggenbergicus dicitur *Gefürsteter Graf zu Gradisca*, †† Lobkowitzius *Gefürsteter Graf zu Sternstein*, ††† Auersbergicus *Gefürsteter Graf zu Thengen und Milterburg.* ††††

 *Prud.

* *Prud. I. P. c. XV. sect. II. §. 28.* quem sequitur LINCK *diss. de Comitibus Principibus p. I. §. 10.*

** Extat illud apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 208.* & SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic lib. V. cap. V. p. 180.* Simile videmus in Diplomate, quod Io. Nassouio fuit concessum, apud LONDORPIVM *Tomo VI. p. 830.* in quo: *& illustres Principes Comites creamus, ordinamus, & facimus, vt videlicet Principes Comites existatis, & in Collegio Principum Comitum qui vulgari Theutonico, Gefürstete Graffen dicuntur, in antea computemini. Nec non omnibus & singulis priuilegiis, honoribus, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, gaudeatis expresse, quibus illustres Principes Comites Sacri Imperii freti sunt hactenus, & iure seu honorabili laudanda & praescripta consuetudine, quomodolibet potiantur in consiliis imperialibus, in deliberandis, ferendis ac promulgandis interlocutoriis, aut diffinitiuis sententiis, in prouocatione duelli, in regendis iudicatibus, & caeteris officiis sacri Imperii, & in quibuslibet publicis seu priuatis actibus.*

*** Patet hoc potissimum ex Diplomate Erectionis Comitatus Holsatiae in Ducatum de a. 1474. in quo: *Titulos Comitatuum Holsatiae & Stormariae extinximus, cassauimus, eorumque Comitatuum, terras & dominia vniuimus, eisque districtum Dithmarsiae incorporauimus, huiusmodique terras, districtus, & Dominia vnita & incorporata, in Ducatum ereximus, extulimus & constituimus.* S. H. G. *diss. XXX. §. XLIV.*

**** *Rer. Habsburg. lib. VI. c. II. p. 338.*

† Reperitur *in Beschreibung Tyrol p. 4.*

†† EVROP. HEROLD *p. I. p. 555.*

††† EVROP. HEROLD *p. 557.*

†††† EVROP. HEROLD *p. 576.*

§. XIV.

Accessit demum noua dignitas Archi-Ducalis, quam sola Domus Austriaca gerit. Licet enim sensu oratorio, Bruno, Coloniensis Archiepiscopus, ob singulares praerogatiuas dicatur Archi-Dux Lotharingiae; * Duces praecipui dicti Pa-

latini

latini Archi-Duces: ** In curiali tamen ſignificatu ſoli competit domui Auſtriacæ. De origine ſingularis huius dignitatis plurimum diſputatur. Sunt, qui ab Henrici IV. temporibus ducant, qui Erneſtum Strenuum S. R. I. dixerat Priorem, *** quod tamen perſonale ſaltim erat. Alii a Friderici I. temporibus repetunt, in cuius Priuilegio dicitur: † *ſi quibusuis Imperii Curiis publicis Dux Auſtriæ præſens fuerit, vnus de Palatinis Archi-Ducibus eſt cenſendus.* Quo ipſo tamen titulus hic minime fuit collatus, verum illud, vt Auſtriæ Duces æquiparentur Ducibus Officialibus Palatinis, eadem iura, easdem teneant prærogatiuas. Fridericus II. quidem regalem dignitatem huic familiæ contulit, qua tamen vſi †† non fuerunt. Alii a Rudolphi Habsburgici temporibus ducunt, qui tamen Albertum filium, de Auſtriæ ſaltim Ducatu inueſtiuit. ††† Potius a Friderico III. hanc Archi-Ducalem dignitatem ducimus, qui primus ſingulari Diplomate eandem Auſtriacæ domui contulit. †††† Licet negandum non ſit, quosdam Auſtriæ Duces iam antea Archi-Ducis titulo fuiſſe vſos, prout Leopoldi ſigillum de an. 1320. cum hoc titulo adducit FVGGERVS. *

* AVCTOR VITÆ BRVNONIS apud LEIBNITIVM Tomo I. p. 179. *fratrem ſuum Brunonem occidenti tutorem & prouiſorem, & vt ita dicam, Archiducem in tam periculoſo tempore miſit.* SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 959. *Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, & Archi-Dux Lotharingiæ.* MAGN. CHRON. BELG. *p. 80.*

** GEWOLDVS *de Septemuiratu c. VII. n. 6.*

*** CVSPINIANVS Auſtria p. 11. *ab Heinrico IV. Imperatore Prior Rom. Imperii eſt appellatus, quod Chriſti fidem tam ſtrenue defenſaret, multisque eſt libertatibus ab Imperatore donatus.*

† Extat Diploma Friderici I. de an. 1156. apud MIRAEVM *in Cod. Donat. Belg. lib. II. c. LII.*

†† Extat Diploma apud CVSPINIANVM *Auſtria p. 35.*

††† Ex-

demque in plures Comitatus diuisit: cuius exemplum præbet Bauaria, atque Aquitania ** licet hæc Francorum Occidentalium esset prouincia. Idem institutum prosecutus fuit Ludouicus Pius, qui Baldericum, Ducem Foroiuliensem, honoribus, quos habuerat, priuauit, & Marcham, quam solus tenuerat, inter quatuor Comites diuisit. *** Ex hac ratione rarius ista ætate Duces occurrunt, sæpissime Comites. Sensim vero Duces sub Carolingis reliquis fuerunt reducti.

* EGINHARDVS *c. XI.*

** AIMOINVS lib. V. c. I. *ordinauit per totam terram Aquitaniæ Comites Abbatesque, nec non alios plurimos, quos Vassos vulgo vocant, ex gente Francorum, quorum prudentiæ & fortitudini, nulla calliditate, nulla vi obuiare fuerat tutum, eisque commisit curam regni, prout vtile iudicauit, finium tamen, villarumque ruralium prouisionem.* Idem dicit AVCTOR VITÆ LVDOVICI *p. 340.* PFEFFINGER *Vitriario Illustr. lib. I. c. XI. Tit. XVI. §. XI. p. 84.*

*** EGINHARDVS *ad an. 828.*

§. VII.

Licet autem Duces de certis prouinciis essent inuestiti, non deerant tamen, qui, licet sola possiderent Allodia, nomen & dignitatem Ducis gererent. Exemplum nobis præbet Wittikindus Dux. Hic enim Saxoniæ Ducatum non tenebat, cum Saxonia per Comites, Missos, & Aduocatos regios, post etiam per Duces fuerit recta: * sed patrimonium suum retinebat sub titulo Ducis, ideoque Dux erat honorarius, allodialis, non feudalis, qui titulum saltim gerebat, absque Ducis officio. ** Aliud exemplum præbet Bertoldus, Zeringensis, qui, eo quod Rudolphi Sueui haberet filiam, post eius mortem Sueuiæ Ducatum vna cum titulo prætendit, illum tamen ab Henrico IV. Friderico Hohenstaufensi cede-

re

re fuit coactus, vacuo nomine Ducis retento. *** Eadem ratione Henricus Pinguis Dux erat honorarius sine Ducatu, Dux ad Visurgim dictus, dum Comes saltim esset Northeimensis **** & terras possideret allodiales. Antiquitus enim distinguebatur inter *Fürsten Ambacht* & *Fürsten-Lehn.* † Illud comprehendebat & nomen & officium Principis, quæ tamen erant distincta, hoc beneficium officio adnexum. †† Immo, possidebant etiam Duces præter Ducatum ipsis ab Impp. commissum, sua bona patrimonialia. †††

* Vberius hæc demonstrauimus in S. H. G. *diss. VII. §. XX.*

** *c. l.*

*** OTTO FRISING. de gestis Friderici I. lib. I. c. IX. *Beroldus, vacuum ex hinc nomen Ducis gerens, id quasi hereditarium posteris reliquit. Omnes enim vsque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes.* Sic etiam BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. 1092. de eodem: *quod nondum aliquem Ducatum habuerit, etsi iamdudum nomen Ducis habere consueuerit.* S. H. G. *diss. XV.* §. *XXXVI.* Idem dicit de Ottone, postquam Bauariæ Ducatu fuisset priuatus, BRVNO *B. Saxon. p. 108. tunc Otto, qui Dux olim fuerat, sed adhuc Ducis nomen habebat.* DITMARVS lib. V. p. 371. *inde Rex discedens Museleorum pagum visitauit, & ad Theodonis villam veniens, generale ibidem colloquium cum comprouincialibus habuit. Rege vero ibidem omnibus aliqua necessitate laborantibus, benigne legem dare cupiente, Hermannus ac Theodoricus solo nomine Duces, sed non re, certabant hoc impedire.*

**** Hinc CHRON. BRVNSVIC. apud MADERVM p. 12. *Gertrudis nupsit Comiti Henrico qui Pinguis dicebatur, qui fuit filius Ottonis de Northeym, Ducis quondam Saxoniæ.*

† IVR. FEVD. ALEMANN. cap. XLII. §. 2. & SCHILTER *in Comment.*

†† Nomen & officium Principis vtrumque a beneficio esse distinctum, patet ex loco GODEFRIDI MONACHI Ann. ad a. 1181. *Henricus sententia cunctorum Principum, nomine & officio priuatus, quicquid*

ab Imperio & Episcopis habuit, ei confertur. Vid. plenius Differt. *de Allodiis Imperii* §. *X.*

††† Exemplum adducit CONT. REGINONIS de Conrado Lothariensi Duce ad a. 954. *Chunradus etiam omnium quas habuit diuitiarum nudus, omisso Ducatu, in gratiam regis intromittitur, vita, patria & prædio contentus.*

§. VIII.

Extinctis autem Carolingis, & mutato Statu Regni Germanici, dum sibi ipsis Reges eligerent, pro Statu quinque Germaniæ populorum, quinque etiam remanebant Duces, e quibus sub Conrado I. memorantur Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Euerhardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia, Henricus, Dux Saxonum & Thuringorum. * Hi contra Conradum rebellantes, eiusdem potestati sese subducere conati, tandem illud ipsi extorserunt, vt sub fidelitatis ** lege libera potestate regnarent, quilibet in prouincia sua & iure hæreditario. Idem Status fuit, regnante Ottone M. sub initium Iuris Publici, in cuius coronatione memorantur Dux Lotharingiæ, Dux Franconiæ, Dux Sueuiæ, Dux Bauariæ, dum ipse esset Dux Saxoniæ, quam nomine ipsius procurabat Sifridus. *** Tempore Henrici II. Imp. qui ipse Dux erat Bauariæ, memorantur Maiores in regno, Benno, Dux in Saxonia, Hermannus, Dux in Alemannia, Theodoricus in Lothariense Regno, Ekehardus Marchio in Thuringia. **** Immutatus igitur plane fuit Status, ita, vt Ducum nomina non amplius essent officii sed dignitatis, atque propria vterentur potestate, sub Feudi tamen lege concessa. Dum autem Germaniæ Principes plena nondum vterentur Superioritate Territoriali, maiore adhuc potestate in ipsorum Territoriis gaudebant Imperatores. Hinc

Hinc etiam hæreditaria Iura in feudis non plane concedebant, cuius exemplum eſt Bauaria, quam Arnolphi Ducis filiis, relinquere noluit Otto M. † ſed eandem demum Henrico fratri conceſſit. Immo, adhuc ſub Francicis Impp. hi Ducatus auferendi exercebant poteſtatem. ††

* LVITPRANDVS *lib. II. c. VII.*

** Huc faciunt verba LVITPRANDI : *ſuam ad fidelitatem perduxit.* Præcipue vero verba finalia dicti capitis: *Conueniens igitur Arnoldus huic optimo ſuorum conſilio Henrici regis miles efficitur, & ab eo, vt iam dictum eſt, conceſſis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.*

*** VVITTICHINDVS *Ann. lib. II. ineunte.*

**** Verba ſunt ADELBOLDI *vita Henrici c. II.*

† REGINO *ad an. 938.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 939. & 946.*

†† LAMBERTVS SCHAFNAB. ad an. 1073. *Rex Natalem Domini Babenberg celebrauit, ibi Bertoldo Duci Carnotenſium Ducatum ſine legitima diſuaſione abſenti abſtulit & Marcwardo cuidam propinquo ſuo tradidit.* Vid. plenius CONRING. Diſſ. *de Ducibus & Comitibus* §. *XXII.* & LVDEVVIGS *Germaniæ Princeps poſt Carolingica ſub Conrado.*

§. IX.

Manſit igitur hic Status ſub reliquis Impp. vt vnus ſemper eſſet Rex, reliqui Duces * vna cum prouinciis, Imperii quoque Officia tenerent, atque iura poteſtatis non ſolum, ſed etiam hæreditaria ſub Francicis Impp. magis magisque firmarent, ** ita tamen vt Duces, licet patri ſuccederent, adhuc ſub Sueuicis Impp. horum confirmatione niterentur.*** Quod ſi vero conſideremus, qui factum, vt numerus Principum ſecularium creſceret, **** illud vel diuiſioni familiarum Principum, vel adſciſcendo nouos Principes tribuendum. Et dum priſtinæ Ducum familiæ ſenſim deficerent, Status familiarum Ducalium plane fuit immutatus. Sic Franciæ atque Sueuiæ Ducatus poſt Conradini mortem varie fuit

 diſſi-

dissipatus. † Supersunt ab antiquo Duces Saxoniæ atque Bauariæ, licet & isti inter Electores locum inueniant, atque Duces Lotharingiæ, qui tamen Imperio se fere subduxerunt.

* *cap. IX. §. XX.*

** Sub Henrico IV. Imp. enim hæreditarium Ius iamdum inualuisse docet nos LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1073. p. 192.* vbi de Magno, Saxoniæ Duce: *huic veniam admissis non alias impetrare poterant, nisi ducatu & aliis qua sibi ex defunctis parentibus* HÆREDITARIO IVRE *competebant, in perpetuum se abdicaret*, & p. 193. de eodem *cui Ducatus legitima successione debebatur* & p. 225 *tametsi vxor marchionis Adala filium suum, cui hæreditaria successione marchia debebatur, & paulo ante pro se obsidem misisset.*

*** Patet hoc ex ALBERICO ad an. 1139. & 1144. *Conradus tertius huius nominis Rex Godefridum, Godefridi filium fecit paterni honoris successorem, ea maxime pro causa, quia sua coniugis sororem ei dederat in vxorem.*

**** Sub Henrico IV. Imp. iamdum sub Henrico IV. apud LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM ad a. 1074. memorantur: *Duces Baioariæ, Sueuiæ, Lotharingiæ, Mosellæ, Carentinorum.*

† *cap. III. §. IX. sqq.*

§. X.

Plures autem nouiter accesserunt Germaniæ Duces atque Principes, qui vel prouincias suas tanquam Accessoria Germaniæ subiecerunt, vel ex Comitum numero in Principum ordinem fuerunt adlecti, vt taceamus nostro æuo Episcopatus in Ducatus conuersos. Prioris exemplum nobis præbent Duces Pomeraniæ, Slauorum olim, sub Friderico Barbarossa tamen in ciuitatem Germanicam recepti; * Mecklenburgici, Obotritorum olim, a Carolo IV. a. 1349. in Ducum fastigium euecti. ** Amadeus ex Sabaudiæ Comite, quæ iuris erat Arelatensis, inter Germaniæ Duces adlectus. †

* *c. III. §. XXXII.*

** DVBRAVIVS *Hist. Bohem. lib. XXII. f. 137.* SCHVRTZFLEISCH *Rer. Meck-lenburg. §. X.*
† *c. IV. §. VIII.*

§. XI.

Posterioris plura sunt Exempla, dum ex Marchionibus, Landgrauiis, Burggrauiis, plures facti fuerunt Duces vel Principes. Non itaque tanquam Marchiones & Landgrauii Principes sunt, quæ Comitum sunt dignitatis, sed quatenus in Principalem dignitatem fuerunt euecti. Inter Comites Palatinos quidem Rhenensis, qui Supremus Aulæ Iudex, Dux Terræ Rhenensis dicitur, atque eadem ratione dignitatem Ducalem gerit. * Inter Marchiones, Brandenburgicus, eo quod inter Imperii Officiales fuerit adlectus, ** eandem Ducis dignitatem ab antiquo gerit. Ex Marchionibus reliquis Duces creati fuerunt Marchiones Austriæ, Iuliacenses, Badenses, Misnenses. Ex Landgrauiis in Principum numerum receptus fuit Thuringiæ & Hassiæ Landgrauius. † Ex Burggrauiis, Fridericus Noribergensis a Carolo IV. in Principum numerum fuit cooptatus. †† Ex Comitibus Duces & Principes facti fuerunt, Comes Würtenbergicus, Holsatiæ, Sabaudiæ, Gelriæ, Lutzelburgensis, Montensis, Anhaltinus. ††† Ex Dynasta Ducem creauit Ottonem Lüneburgicum Fridericus II. Imp. †††† Vt taceamus illos, qui a Ferdinandis & Leopoldo inter Principes nouiter fuerunt recepti.

* COCCEIVS Prud. *I. P. c. XV. sect. II. §. 17.* THOMASIVS *de iurisdict. & Magistratus differentia §. 86.* TOLNER *in Historia Palatina.*
** Vide supra *c. IX. §. XXIX.* In Diplomate Henrici VI. dicitur *in Ducatu Transalbino seu Marchia Brandenburgensi.* Plenius hoc declarauit LVDEWIG *de Formula Ducatus Brandenburgici §. IV. & sqq.*
† *c. XI. §. VI.*

†† Extat Diploma apud WAGENSEILIVM *de Rep. Noribergensi p. 293.*
††† *c. XI. §. VI.*
†††† Extat Diploma apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 206.*

§. XII.

Dum autem plures Duces ſint emortui, ſeptem ſaltim Familiæ Ducales in Germania adhuc ſuperſunt, Saxonica, Bauarica, Brunſuico-Lüneburgenſis, Würtenbergica, Mecklenburgica, Holſatica, Sabaudica, Lotharingica. Quibus accedunt in Ducalem dignitatem adlecti, Comites Palatini, Marchiones Brandenburgici. Inter Principes recepti Haſsiæ Landgrauii, Marchiones Badenſes, Anhaltini & plures recentiores. Cum autem plures ex Comitibus eueherentur, diſtinctio orta fuit inter Duces & Principes, vt, qui ab antiquo dignitatem habuiſſent, Ducum titulum ſibi ſeruarent, Germanice *Hertzoge:* Principum titulo illis relicto, qui ex Comitibus in Principalem dignitatem fuerunt euecti, Germ. *Fürſten*, quæ differentia hodie probe obſeruanda. Sabaudiæ vero Comites, Geldriæ, Holſatiæ & Würtenbergici * ob ſingularem ſplendorem atque potentiam ſtatim Ducali dignitate fuerunt ornati.

* Qua ratione Eberhardus Illuſtris, Würtenbergenſis Comes in Ducem fuerit euectus, explicauimus in S. H. G. *diſſ. XXXI. §. VI. p. 1135.*

§. XIII.

Haut incongrue quoque COCCEIVS * diſtinguit inter Principes atque Principalis dignitatis Comites. Iſti ſunt, quorum Terræ æque in Principatus fuerunt euectæ, hi, quibus iura quidem Principum conceſſa, dum terræ Comitatus manerent. Patet hæc differentia ex nomine, dum iſti, Principes *die Fürſten;* hi Principalis dignitatis Comites dicantur, *Gefür-*

Gefürstete Graffen, Principes ratione personæ & glebæ Principum iuribus gaudent, dum *Gefürstete Grafen* saltim ratione personæ horum Iurium sint participes. Patet illud ex ipsa concessione. Quod si enim Diploma ** consideremus, quo Henricus VII. Imp. Principalem dignitatem concedit Bertholdo Hennebergico, alia plane verborum in eodem reperimus solennia, ac in aliis. Dicitur enim in eodem: *quod ipsi ac suis hæredibus conferantur omnia iura Principum & quod ipse Comes & liberi sui debeant iure & more aliorum Principum nostrorum & Imperii coruscare, & Homines suos iure aliorum Principum congaudere: sic, quod ipse Comes & liberi sui debeant iure & more aliorum Principum congaudere: sic quod ipse Comes & sui liberi, non alibi, quam vbi alii Principes Imperii: & Homines eorum, non alibi, quam vbi Homines aliorum Principum conueniuntur, valeant conueniri*, dum in Diplomatibus, quæ aliis de Principali dignitate fuerunt concessa, dicatur, quod ipsi in Principes, ipsorum Comitatus in Principatus fuerint euecti. *** Vocatur igitur adhuc *die Grafschafft Henneberg* licet Serenissimi Saxoniæ Duces de eadem Sessione & voto gaudeant in Comitiis. Rationem reddit FRANCISCVS GVILLIMANNVS, **** quod Comites Principes aut Principales illi fuerint dicti, qui soli Imperio nexi, ad eorum differentiam, qui terras suas ab aliis Principibus accipiebant. Addo etiam singularem prærogatiuam fuisse Comitum potentiorum. Sic eodem nomine vsi fuerunt Comites Habsburgici. In cessione Margarethæ Maultaschiæ de Comitatu Tyrolensi Austriacis facta, dicuntur: *Graffen zu Tyrol Fürsten.* † Recentiori tempore Princeps Eggenbergicus dicitur *Gefürsteter Graf zu Gradisca*, †† Lobkowitzius *Gefürsteter Graf zu Sternstein*, ††† Auersbergicus *Gefürsteter Graf zu Thengen und Milterburg.* ††††

* *Prud. I. P. c. XV. sect. II. §. 28.* quem sequitur LINCK *diss. de Comitibus Principibus p. I. §. 10.*

** Extat illud apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 208.* & SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic lib. V. cap. V. p. 180.* Simile videmus in Diplomate, quod Io. Nassouio fuit concessum, apud LONDORPIVM *Tomo VI. p. 830.* in quo: *& illustres Principes Comites creamus, ordinamus, & facimus, vt videlicet Principes Comites existatis, & in Collegio Principum Comitum qui vulgari Theutonico, Gefürstete Graffen dicuntur, in antea computemini. Nec non omnibus & singulis priuilegiis, honoribus, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indulcis, gaudeatis expresse, quibus illustres Principes Comites Sacri Imperii freti sunt hactenus, & iure seu honorabili laudanda & praescripta consuetudine, quomodolibet potiantur in consiliis imperialibus, in deliberandis, ferendis ac promulgandis interlocutoriis, aut diffinitiuis sententiis, in prouocatione duelli, in regendis iudicatibus, & caeteris officiis sacri Imperii, & in quibuslibet publicis seu priuatis actibus.*

*** Patet hoc potissimum ex Diplomate Erectionis Comitatus Holsatiae in Ducatum de a. 1474. in quo: *Titulos Comitatuum Holsatiae & Stormariae extinximus, cassauimus, eorumque Comitatuum, terras & dominia vniuimus, eisque districtum Dithmarsiae incorporauimus, huiusmodique terras, districtus, & Dominia vnita & incorporata, in Ducatum ereximus, extulimus & constituimus.* S. H. G. *diss. XXX. §. XLIV.*

**** *Rer. Habsburg. lib. VI. c. II. p. 338.*

† Reperitur *in Beschreibung Tyrol p. 4.*

†† EVROP. HEROLD *p. I. p. 555.*

††† EVROP. HEROLD *p. 557.*

†††† EVROP. HEROLD *p. 576.*

§. XIV.

Accessit demum noua dignitas Archi-Ducalis, quam sola Domus Austriaca gerit. Licet enim sensu oratorio, Bruno, Coloniensis Archiepiscopus, ob singulares praerogatiuas dicatur Archi-Dux Lotharingiae; * Duces praecipui dicti Pa-

latini

latini Archi-Duces: ** In curiali tamen significatu soli competit domui Austriacæ. De origine singularis huius dignitatis plurimum disputatur. Sunt, qui ab Henrici IV. temporibus ducant, qui Ernestum Strenuum S. R. I. dixerat Priorem, *** quod tamen personale saltim erat. Alii a Friderici I. temporibus repetunt, in cuius Priuilegio dicitur: † *si quibusuis Imperii Curiis publicis Dux Austriæ præsens fuerit, vnus de Palatinis Archi-Ducibus est censendus.* Quo ipso tamen titulus hic minime fuit collatus, verum illud, vt Austriæ Duces æquiparentur Ducibus Officialibus Palatinis, eadem iura, easdem teneant prærogatiuas. Fridericus II. quidem regalem dignitatem huic familiæ contulit, qua tamen vsi †† non fuerunt. Alii a Rudolphi Habsburgici temporibus ducunt, qui tamen Albertum filium, de Austriæ saltim Ducatu inuestiuit. ††† Potius a Friderico III. hanc Archi-Ducalem dignitatem ducimus, qui primus singulari Diplomate eandem Austriacæ domui contulit. †††† Licet negandum non sit, quosdam Austriæ Duces iam antea Archi-Ducis titulo fuisse vsos, prout Leopoldi sigillum de an. 1320. cum hoc titulo adducit FVGGERVS. *

* AVCTOR VITÆ BRVNONIS apud LEIBNITIVM Tomo I. p. 279. *fratrem suum Brunonem occidenti tutorem & prouisorem, & vt ita dicam, Archiducem in tam periculoso tempore misit.* SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 959. *Bruno Archiepiscopus Coloniensis, & Archi-Dux Lotharingiæ.* MAGN. CHRON. BELG. *p. 80.*

** GEWOLDVS *de Septemuiratu c. VII. n. 6.*

*** CVSPINIANVS Austria p. 11. *ab Heinrico IV. Imperatore Prior Rom. Imperii est appellatus, quod Christi fidem tam strenue defensaret, multisque est libertatibus ab Imperatore donatus.*

† Extat Diploma Friderici I. de an. 1156. apud MIRAEVM *in Cod. Donat. Belg. lib. II. c. LII.*

†† Extat Diploma apud CVSPINIANVM *Austria p. 35.*

††† Extat Diploma Rudolphi apud FVGGERVM *lib. II. c. IV. p. 196.* quo Albertus saltim dicitur Dux Austriæ.

†††† In Priuilegio Friderici III. *ex nunc, in antea, Archi-Duces dici & nominari. Eorumque nomine, in futurum, perpetuis temporibus, a nostris in Imperio successoribus, & vniuersis S. R. I. Principibus Electoribus, & aliis, ita nominari & adpellari, proque talibus teneri debeant.* Vid. BECMANNI *Synt. dign. illustrium Diss. X. cap. III.* S. H. G. *diss. XXX. §. LXI.* Vid. etiam PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVI. §. IX. p. 17.*

* *lib. III. c. III. p. 285.*

§. XV.

Insignibus hæc Familia gaudet Priuilegiis, quæ ab Henrico IV. & V. Friderico I. Henrico VI. Friderico II. Rudolpho Habsburgico, Alberto, Henrico VII. Ludouico Bauaro, Carolo IV. Wenceslao, Sigismundo & Friderico III. concessa, atque a Carolo V. confirmata. Inter hæc præcipua sunt, quod nihil sine Austriæ Ducis consensu in rebus Imperii debeat concludi. Libera est ab Imperii oneribus, exceptis duodecim militibus, quos contra Turcas in Hungaria per mensem alere tenetur. Inuestituram de terris suis accipiunt principali habitu amicti equis insidentes,* pileo Archiducali tecti, sceptrum manu tenentes, nec extra fines Austriæ, & sine onere. Immunes sunt a iurisdictione Imperii, nisi ipsi voluntarie se subiiciant. Liberum ipsis est, an in Comitiis Imperii comparere velint, in iisdemque locum tenent proximum post Electores. Aduocati sunt Archiepiscopatus Salisburgensis atque Episcopatus Passauiensis. Nec vrbes, nec terræ immediatæ esse debent in Austria. Terræ Imperii etiam feudales libere in eosdem poterunt alienari. Gaudent iure indicendi noua vectigalia, priuilegio de non adpellando & non euocando. Creant libere Comites, Barones, Equites, Nobiles, poetas, notarios, habent Ius legitimandi, Banno

no notatum recipere possunt, ita tamen, vt iuri se sistat. In Successione Ius Primogeniturae obtinet, atque extinctis etiam masculis succedunt foeminae ex iure lineali, nullis vero extantibus haeredibus, liberum est Archi-Ducibus, de Terris hisce disponere. In tantum igitur fastigium haec domus fuit euecta, vt facile se ab Imperio possit separare. **

* Solennem actum inuestiturae describit FVGGERVS *lib. I. c. XIII. p. 114.*

** Singula haec & plura alia confirmantur in Priuilegio Caroli V. quod extat apud CVSPINIANVM *Austria p. 36.* Vid. & PONTVS HEVTERVS *de origin. & Priuilegiis Austriacis.* Potiora congessit FVGGERVS sub initium Libri secundi. Possideo etiam RICHARDI STREINII *Landhandfest des Hauses Oesterreich* in MSCo, in quo singula haec priuilegia atque alia, quae Statibus Austriae concessa, fuerunt collecta. Reperiuntur eadem in LVNIGII *Teutschen Reichs-Archiv Contin. I.* Vid. etiam LONDORP *Tomo XIV. c. XXIV.*

§. XVI.

Iura Principum vel sunt in Imperio, vel Territorii, vel in honoribus consistunt, Titulis & Insignibus. Iura Imperii iam olim tam in ingressu quam egressu ad Imperialem deliberationem consistebant. * Potissimum requirebatur, vt sint immediati atque a solo Imp. inuestiantur. ** Hodie talia sunt, vt Duces vel Principes, qui de Ducatu vel Principatu ab Imp. fuerunt inuestiti, in Statuum numero habeantur, & Sessionem ac Votum habeant in Comitiis. Requirit autem Capitulatio, ne Concessio Principalis dignitatis vergat in praeiudicium Familiarum antiquarum, vt non nisi bene meritis conferatur, bona dignitati suae condigna possi-

deant, & Diploma concessionis ex Cancellaria sit Imperii. *** Requiritur etiam vt certum Quantum matriculare in se suscipiant.

* Ita exprimuntur in Diplomate Hennebergico concesso, apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 598.*

** SÆCHSISCH LANDRECHT lib. III. art. LVIII. *Des Reichs-Fürsten sollen keinen andern Lehen-Fursten haben zu Lehen-Herren, dann den Kœnig allein. Es ist kein Fhanen-Lehn, da ein Man des Reichs-Fürst von meg gesein, er entpfahe es dann von dem Kœnige. Was ein Man vor einem andern zu lehen entpfehet, do ist der ander der es vorbas auch empfehet, der forderste nithe an dem Lehen, seid das es iener von ihm empfangen hatt. Vnd dieser mag auch des Reichs Fürste darnach nicht gesein davon.*

*** CARIT. IOSEPHI. *art. XLIII.*

§. XVII.

Dantur tamen æque hodie Principes Honorarii. Tales sunt Principes Paragiati & Apanagiati, qui nomine quidem titulo atque Insignibus, quæ suæ conueniunt familiæ, vtuntur, nec tamen Iuribus Imperii gaudent & Comitialibus, nec iuribus Territorii. Tales item sunt Principes honorarii, qui Titulum quidem Principum Imperii adepti, neque tamen in Principum Collegium fuerunt recepti. Huc faciunt isti, qui ex Comitum in Principum dignitatem euecti, noua vota in eodem Collegio quærunt, qui inter Principes honorarii, inter Comites sessionem & votum habent, vtpote Schwartzburgici, Hanouiensis & quidam Nassouii. Tales etiam sunt exteri quidam ab Impp. Principum Imperii titulo ornati, qualis olim

olim Sigismundus Bathorius, Transyluaniæ Princeps, Radzivilius. Inter Ecclesiasticos Archiepiscopus Pragensis, Viennensis, & plures alii.

§. XVIII.

Ad Iura Territorii potissimum spectabat, vt proprio iure vterentur, * de quo infra pluribus agendum. Dicendum igitur adhuc de honoribus, titulis, Insignibus Ducum atque Principum. Vtuntur Duces titulo *Serenissimi*, conuenit etiam inter Familias Ducum antiquorum, vt sibi inuicem tribuant Titulum *Durchlauchtigste*. Imperator vero Ducibus atque Principibus nullum alium titulum concedit, quam Illustrissimi, *Hochgebohrne*, nisi vel pretio vel singulari Priuilegio Titulum *Durchlauchtig* ab Imp. impetrauerint. ** Recentiores Principes, licet olim saltim titulo *Fürstlicher Gnaden* fuerunt vsi, nunc vero etiam Serenitatis Titulum adfectant. Vtuntur tamen omnes Titulo *Nos Dei Gratia*, idque iam a seculi vndecimi temporibus, *** licet, si ad Imp. vel superiorem, æquales etiam scribant, vtantur voce *Ego*. Insignia sua ornant vel corona vel mitra ducali. In Actibus solennibus Principes singulari habitu fuisse vsos *einen Fürstlichen Kleide* Acta publica nos docent, *mit einen Fürsten-Hut*. ****

* Ita in Diplomate Henrici VII. Hennebergico concesso apud MEIBOMIVM Tom. III. p. 209. *concedimus Bertholdo, ac suis heredibus omnia iura Principum, tam in ingressu quam egressu ad Imperialem deliberationem, in sententiis conueniendis, dictandis, pronuntiandis, in iure ciuili & plebiscito, quod vulgo dicitur Landrecht.*

** Duces & Principes, qui pro ordine temporis hunc Titulum Curia-

lem ab Imp. obtinuerint, recenset PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. IV. §. VI.* Dux Würtenbergicus an. 1664. Marchiones Badenses anno eodem. Landgrauius Hasso-Darmstadtiensis a. 1666. Duces Brunsuico-Lüneburgenses a. 1667. Marchio Brandenburgicus in Culmbach a. 1667. in Onoldsbach a. 1677. Princeps Anhaltinus Senior, anno eodem. Dux Megapolitanus a. 1680. Duces Merseburgenses & Numburgenses a. 1689. Dux Weissenfelsensis a. 1692. Dux Saxo-Gothanus a. 1693. Olim dicebantur *die Ehrbahren und Achtbahren Fürsten*, EL. IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 422.*

*** *cap. VIII. §. V.*

**** Adducit MÜLLERVS *Maximiliano II. Vorst. c. LXIII.* Registraturam Anhaltinam in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. factam, in qua: *Graf Rudolfs Kleider sein gewesen, nach Inhalt der gülden Bullen, Braun Damasten, einen langen Rock und Mantel biß auf die Erden, der Mantel in der Seiten offen, und der Rock mit langen Schluzen, biß an die Bünde, und einen braunen Damasten Hut, Mantel, Rock und Hut alles mit Schwanen unterfüttert, der Hut mit einem Aufffchlage forne. Also haben müssen alle Fürsten und Land-Grafen und Marggraffen gekleidet seyn, ausgeschlossen die Churfürsten.* Quare etiam in Litteris Inuestiturae dicitur, quod inuestitus fuerit, *gekleidet mit seinem Fürstlichen Kleide.* De hac etiam Inuestitura agit BECKMANNVS *Accessionibus Hist. Anhalt. p. 85.* THVLEMARIVS equidem *de Octouiratu c. XXIII. §. XXIX.* auctor est, Maximilianum I. in dictis Comitiis cuilibet Principum Ordini certum habitum praescripsisse, quem etiam ibidem definit. Subdubitat tamen de eo MÜLLERVS §. V. dum in Actis publicis de eodem nihil reperiatur. De aliis Principum Honoribus ratione Caeremoniarum agit FRITSCHIVS ELECT. IVR. PVBL. *c. VIII.*

§. XIX.

Habent etiam Duces ad aemulationem Impp. suos Officia-

ciales. Istorum primitus saltim fuerunt quatuor isti praecipui, Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Mareschalli, * quibus postmodum alii quoque accesserunt. Austriacæ quidem Prouinciæ singulæ suos & olim & nunc habuerunt Officiales. Inter hos vero quatuor isti Officiales Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Mareschalli, antiquitus fuerunt constituti, accesserunt postea plures alii. Præcipue in solenni ista Ducatus Stiriæ Cessione an. 1186. in Leopoldum Austriacum ab Ottocaro, Stiriæ Duce facta, cautum: *Vt Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Mareschalli, qui de nostris sunt Styriæ partibus intranti Duci Austriæ, singuli cum suis subiectis per Officia sua ministrent, ea disciplina, qua Nobis & Parentibus Nostris ministrauerunt; Petenti curiam imperatoris aut in expeditionem eunti dicti Officiarii paribus hebdomadibus, paribus diebus, paribusque sumptibus seruiant.* Sic etiam Impp. ex domo Austriaca sæpius declararunt, se nullo modo concessuros, vt præiudicium adferatur, iuribus vel emolumentis Officialium suorum. ** Marchia Brandenburgica præter quatuor istos antiquos plures numerat Officiales. *** Quatuor dictos Officiales numerat Pomerania **** & Cliuia. † Ludouicus Bauarus Imp. Geldriæ Ducibus singulare concessit Priuilegium vt ad instar reliquorum Principum quatuor vtantur Officialibus. †† Tales quoque ab antiquo habuerunt Thuringiæ Landgrauii.

* LEHMANNVS lib. V. c. III. factum fuisse putat iussu & constitutione Impp. quod etiam ex Constitutione de Expeditione Romana §. VI. patet, vbi: *Singuli vero Principes suos habeant Officiarios speciales, Marscalcum, Dapiferum, Pincernam & Kamerarium.* Et licet hæc Constitutio Carolum Crassum non habeat auctorem, ad seculum XI. tamen est referenda.

** Longum foret, omnes enumerare, atque ab instituto nostro alienum, quibus Ius Publicum Imperii vniuersale saltim curæ est. Prouocamus potius ad Illustrissimi Comitis de WVRMBRAND Commentationem *de Officialibus hæreditariis prouinciarum Austriacarum*, quæ accessit ipsius *Collectaneis Genealogico-historicis*. Vndecim Officia hæreditaria Ducatus Carniolæ recenset IO. WICHARD VALVASOR *Ehre des Hertzogthums Crayn lib. IX. c. II.* Officia hæreditaria Principatus Tyrolensis accesserunt *der Beschreibung der Gefürsteten Grafschafft Tyrol.*

*** LVDEWIG *Form. Ducatus Brandenburgici p. 14.*

**** RANGO *Pomerania diplomatica p. 313.*

† HOPPE *Beschreibung Cleue cap. XI. p. 33.*

†† Sic enim Priuilegium de an. 1339. apud LEIBNITIVM *Cod. Diplom. p. 154. Insuper ad maiorem dicti Ducatus & Principatus splendorem assignamus ipsi, iuxta morem Imperii, quatuor officiarios infra nominandos, & eorum heredes, videlicet, Iacobum von Myrlaer Oeconomum, Euerardum von Wylp Marescalcum, Theodericum van Lienden, Buticularium seu Pocillatorem, & Guilielmum von Brouchuyssen Camerarium.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM DE COMITIBVS ET BARONIBVS.

§. I.

PRoximi sunt Comites, qui a Ducibus post Carolingos potissimum, ea ratione differunt, vt Duces haberent potestatem in prouinciis, atque immediate ab Imp. dependerent, Comites vero saltim iurisdictionem, * atque dum antiquitus communiter in terris essent mediatis, a Ducibus dependerent, licet ab Imp. de potestate Iudiciaria & Comitatu inuestirentur.** Dicebantur igitur Comites, quia e Comitatu Regis mittebantur, vt iudicia exercerent, *** in certis vrbibus, Pagis atque territoriis. Dicebantur etiam *Grafiones*, id quidem a graphio scriptorio, quo vtebantur; **** quod idem erat ac Comites. ***** *Grafia* idem ac Comitatus. ****** Licet quandoque Grafiones a Comitibus distinguerentur, † atque ea ratione iudices fiscales & tributorum exactores denotari putarem, licet & hoc cum munus Comitum officio saepius fuerit coniunctum, †† Maiores ex iisdem, qui Ducibus proximi erant atque insignia possidebant allodia, dicebantur Liberi Domini, *Frien-Herren*, vt distinguerentur a Comitibus minoribus, qui saltim in vicis iudiciariam exercebant potestatem.††† Comitatus vero media aetate plerumque dicebatur Comitia. ††††

* Patet

* Patet hoc ex Reformatione Politica Sigismundi c. IX. apud GOLDASTVM Const. Tomo vno f. 190. in qua: *Hohe Fürsten haben fast Kayserl. Rechten zu ihrem Theil, aber Graffen, Freyen &c. Zwing und Baten.* Quare in constitutione Henrici VII. apud GOLDASTVM *Tomo I. p. 79.* distinguuntur: *Fürsten & Edle.* Communi tamen nomine *der Hochleute* atque Dominorum Terræ olim comprehendebantur, prout demonstrauimus in *Historia Iuris cap. VIII. §. XII.* Licet negandum non sit, æuo Carolingico Comites quandoque Duces fuisse adpellatos, prout Gerhardus, qui Comes erat in Burgundiæ partibus, SERVATO LVPO *Ep. LXXXI.* vocatur Comes *Ep. CXXII.* vero Dux. Plura exempla adducit BALVTZIVS *ad d. l.* quæ tamen Galliam saltim tangunt.

** Patet hoc ex SPECVLO SAXONICO lib. III. art. LII. *Der Kayser leihet den Fürsten Fanleben und Graffschafften, und den Graffen ihre Schultheisthumb, daß sie und die Schultheissen mægen fortrichten an seiner stadt.*

*** VITA LVDOVICI PII apud du CHESNE Tom. II. p. 303. ad a. 804. *statutum est etiam iuxta antiquum morem, vt ex latere Imperatoris mitterentur, qui iudiciariam exercentes potestatem.*

**** Hinc coniunguntur *Duces & Grauiones*, & hoc per Comites explicatur. In CAPIT. CAROLI M. de a. 798. *ambulet ad Grafionem loci illius, in cuius pago manet.* Vid. du CANGE *Glossario* & SAGITTARIVS *Antiq. Duc. Thur. lib. IV. cap. VI.* WENDELINVS *Glossario Salico.*

***** De quo plenius IO. IAC. CHIFFLETIVS *Anastasi Childerici cap. XIII. p. 191. Vindiciis Hispan. c. VI. p. 38.*

****** FORMVLA BIGNONIANA c. VII. *qua est in pago illo, in Grafia illa, in loco qui vocatur ille.*

† Ludouicus Pius in Præcepto Cormaricensis Cœnobii an. 816. *notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, Episcopis videlicet, Abbatibus, virisque illustribus. Ducibus, Comitibus, Domesticis Grafionibus, Vicariis, Centenariis, eorumque Iunioribus.* Præcipue vero in Placito Chlodouæi III. apud MABILLONIVM *lib. VI. n. 19.* sic distinguuntur.

†† In Capitulari Dagoberti an. 630. c. 51. Grafio explicatur per iudicem fiscalem, licet statim etiam dicatur Comes. LEGIBVS

RIPVA-

RIPVARIORVM Tit. LIII. *si quis Iudicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit.*

††† SCHILTER *ad Kœnigshouen p. 1070.* Vid. *Historia Iuris cap. VIII. §. XI.*

†††† Sæpius hæc vox pro Comitatu dicitur, sic ALBERTVS STAD. ad an. 1106. *Comitiam* memorat *Holsatiæ* ad an. 1112. & 1233. *Comitiam Stadensem.* HELMOLDVS *Chron. Slau. Lib. I. cap. XLIX. Cometiam terræ Nordalbingorum.* Sic in Diplomate Henrici Palatini de a. 1197. apud FREHERVM lib. I. c. XI. p. 112. occurrit *Comitia in Meinefelde* & in alio Ludouici de an. 1273. *Comitia Scynensis.* FREHERI *Origg. Palat. lib. I. c. VII.* In Diplomate Henrici Wormatiensis Episcopi de an. 1225. *Cometia Stalbubel* apud FREHERVM ORIGG. PALAT. p. 99. In Diplomate Rudolphi Habsburgici de a. 1273. apud WAGENSEILIVM de Rep. Noriberg. p. 293. dicitur *Comitia Burggrauii in Nürnberg.* Quandoque tamen Comitia dicitur pro Iurisdictione, vt in Diplomate Ludouici Pii apud LERCHIVM f. 25. *& ne alicuius Cometiam, siue Aduocatiam, seu ad aliam qualemcunque potestatem pertineant, libertati eos donemus.* In Diplomate Friderici I. de a. 1185. Comitibus Heiligenbergensibus concesso, in *Salmansweilerischer Deduction p. 13.* dicitur: quod *Conradus Comes de Sancto Monte prædium duorum liberorum hominum, Eberhardi & Vlrici, qui præsentes erant, & liberam Werschafft coram omnibus Abbati ferebant, violenter abstulisset, asserens non esse potestatis eorum, vt ipsi, vel aliquis liberorum* IN SVA COMITIA, *sine consensu eius vlli cœnobio vel Ecclesiæ suæ conferre valeret.* Vel dicitur pro Aduocatia, vtpote apud HEDAM p. 199. dicitur *Comitia Ecclesiæ Sallandiæ* quæ antea p. 197. fuerat dicta *Aduocatia Sallandiæ.*

§. II.

Scilicet, diuisæ erant Germaniæ Prouinciæ in certos Pagos, qui nihil aliud, quam certi districtus, vel præfecturæ, * Germanis dictæ *Goüæ*, vnde *das Breisgau, Nordgau, Wasgau* &c. Hisce ad faciendam iustitiam præfecti erant Comites,

quare etiam Pagi & Comitatus sæpius habiti fuerunt pro Synonymis, ** atque Pagenses Comitibus obedire dicuntur. *** Singulis pagis plerumque vnicus saltim præfectus erat Comes, **** licet non desint exempla, quod etiam plures Pagi vni Comiti fuerint commissi, † & dum pagus etiam alteri præualuerit, Comites inde diuisi in fortiores, mediocres & minores. †† Nec in pagis solum erant Comites, sed etiam in certis Ciuitatibus maioribus. ††† Immo, in vno Comitatu nonnunquam duo erant Comites, dum Impp. sæpe Comitibus, vel accepta argenti summa, vel ob præstita ministeria, dominia concederent, reseruatis sibi saltim fisci iuribus, inde alios mittebant Comites, qui res fiscales curarent. Hinc eueniebat, vt cum suis ex possessionibus, & in iis Monasteria extruerent Comites, hoc in alterius Comitis Comitatu, seu præfectura facere testentur. ††††

* De hoc vberius S. H. G. *diss. III.* §. *III.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVII. p. 574.*

** Sic dicitur TRAD. FVLD. n. 13. & 14. *Pagus Gozfeld* lib. I. n. 153. *Traditio ista eodem anno acta est in Comitatu, qui dicitur Gozfelda.*

*** CAPIT. CAROLI M. de a. 811. *c. VI.* dicunt ipsi Comites, *quod alii eorum pagenses non illis obediant*, & CAPIT. LVDOVICI PII de a. 829. c. XI. *Comites reddant rationem de e rum pagensibus.*

**** De Carolo M. MONACHVS S. GALLI lib. I. c. XIV. *prouidentissimus Karolus nulli Comitum, nisi bis, qui in confinio vel termino barbarorum constituti erant, plusquam vnum Comitatum aliquando concessit.*

† Patet hoc ex diuersis Diplomatum subscriptionibus, in quibus pagus in Comitatu quodam situs dicitur TRAD. FVLD. lib. II. n. 109. *in pago Grabfeld situm in Comitatu Gebeharti Comitis.* In Priuilegio Ottonis II. Ecclesiæ Mindensi concesso, apud PISTORIVM p. 738. dicitur *Pagus Lidbetegoue in Comitatu Bernardi situs.* Vid. MEIBOMIVS *de Pagis Saxoniæ p. 97.*

†† CAPIT. V. c. 207. *qui redimere ipsam triduanam voluerit, fortiores*

res Comites vncias tres, mediocres denarios triginta, minores solidum vnum.

††† Gundobaldus Rex in prooemio Legis Burgundionum: *Comites Ciuitatum & Pagorum* notanter distinguit, dum ait: *sciant itaque Optimates, Comites, Consiliarii, Domestici, Ciuitatum, aut Pagorum Comites vel Iudices deputati omnes.* Licet enim THOMASIVS *diss. de Iurisdict. & Magistratus diff.* §. *100.* Comites Ciuitatum aut pagorum hic synonymice intelligi velit, dum alias asserendum, Comitum vel Iudicum hic potestatem distingui. Ast illi omnino sunt distinguendi, dum Iudices Comitum fuerint subalterni, particula disiunctiua adsit, & alii Scriptores distinguant. GREGORIVS TVRONENSIS lib. VI. c. XLI. *Chilpericus Rex misit ad Duces & Comites Ciuitatum nuntios.* Idem in vita Nicetii *nam vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum, missum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem vrbem his diebus potestate iudiciaria gubernabat.* Plura exempla suppeditat SAGITTARIVS *Antiquit. Duc. Thuring. lib. IV. c. IV.* Longum horum Catalogum nectit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVII.* §. *I.*

†††† In Diplomatibus enim exprimi solebat Comes, in cuius Comitia villa quædam erat sita, vtpote in CHRON. LAVRISHAMENSI p. 110. *in pago Darnon, in marcha vel villa Eodeia, quæ sita est super fluuium Geldiun, in Comitatu Geiselberti, sancto Nazario contulit.* Alia Exempla apud LERCHIVM *f. 22.* & & passim reperiuntur. Vid. etiam HERTIVS *de Consult. Iudiciis Legibus Imperii* §. *XIX.* Latius hæc declarat GVILLIMANNVS *Habsburg. lib. IV. c. II.*

§. III.

Potissimum Comitum Officium in iure dicundo constabat. Ipsis igitur præscriptum, vt iustitiam diligant, * & iuxta vires eorum expleant, caussas orphanorum, viduarum, pauperum, plenissima & iustissima deliberatione definiant. Quare etiam Regis veri adiutores & populi conseruatores dicuntur. Belli tempore Nobiles etiam & Ministeriales suos Regis vel Ducum iussu conuocabant & bellis intererant. **

Concessa ipsis salarii loco, certa bona atque domania, quæ dicebantur Comitum beneficia *** vna cum hominibus propriis, quibus ad culturam bonorum vterentur, cum certa, plerumque tertia parte mulctæ. † Licet præter hæc, multa sæpe iure patrimoniali possiderent bona allodialia, †† quæ vel iure hæreditario, vel etiam ex Impp. liberalitate adquisiuerant, qui fit, vt plures Comitatus, qui postea in feudum non fuerunt oblati, adhuc sint allodiales, vel pluribus allodiis intermixti.

* HINCMARVS admonitione ad Proceres Regni n. 10. *tales etiam Comites & sub se iudices constituere debet, qui auaritiam oderint, & iustitiam diligant, & sub hac conditione suam administrationem peragant, & sub se huiusmodi ministeriales substituant.* In CAPITVLARIBVS passim.

** CAPIT. PRIM. LVDOVICI PII c. I. *eo videlicet modo, vt sicut ceteri liberi homines cum Comite suo in exercitum pergant, & in marcha nostra iuxta rationabilem eiusdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes, & excubias, quod vsitato vocabulo vvactas dicunt, facere non negligant,* & CAPIT. CAROLI CALVI Tit. LIII. c. 18. *Comites quoque per suos Comitatus de raptoribus & malis hominibus præuideant, qualiter pax fiat, & malla teneant, & omnibus qui hostem debent, denuntient, vt parati sint, quatinus, si necessitas fuerit, in Dei & nostrum seruitium pergere valeant.* CAPIT. CAROLI CALVI Tit. VI. c. I.

*** Passim *Beneficia Comitum* occurrunt in Capitularibus, vtpote in CAPIT. CAROLI M. *de a. 806. & Cap. III. de a. 812. Cap. V. 803. c. 17.* ANN. BERTIN. ad a. 869. *Vasalli autem dominici Comitum beneficia, & Comites Vasallorum beneficia inbreuiarent.* Potissimum huc facit singularis locus apud DITMARVM lib. VI. p. 380. *Comitatum super Merseburg, & beneficium ad hunc pertinens, Burchardo, & super quatuor vrbes, iuxta Mildam fluuium positum, Thiedberno benefitium concessit.* Vbi Comitatum a Comitis beneficio videmus distingui. LEHMANN *lib. II. c. XVII.* SAGITTARIVS *Antiquit. Duc. Thur. lib. IV. c. XVI. §. 12. sqq.*

† CAPIT.

† CAPIT. CAROLI M. de a. 793. c. V. *de compositionibus, quæ ad palatium pertinent, si Comites ipsas causas commoueant ad requirendum, illam tertiam partem ad eorum recipiant opus, duas vero ad palatium. Et si per suam negligentiam remanserint, & Missus dominicus ipsas causas cœperit inquirere, tunc volumus, vt ipse Comes, illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad palatium veniat.*

†† CAPIT. CAROLI CALVI Tit. LIII. c. X. de Comite: *& si in alode suo quiete viuere voluerit, nullus ei aliquod impedimentum facere præsumat, neque aliud aliquid ab eo requiratur, nisi solummodo vt ad patriæ defensionem pergat.*

§. IV.

Ipsi vero Comites Præsides erant iustitiæ, ideo suos sub se habebant Iudices, * qui Centenarii, ** & Decani, Vicecomites etiam, Præfecti & Officiales fuerunt dicti, *** dum quiuis Pagus in certas centenas a centum circumcirca familiis, hæ in decurias, quæ decem complecterentur familias, essent diuisæ. **** Licet isti de rebus minoribus saltim iudicarent. † Adsidebant ipsis in iudiciis Scabini, Scultesii, vel Rachinburgii, †† & quidem in placitis, vbi res maioris momenti agerentur, requirebantur duodecim Scabini. †††

* ANTIQVIT. FVLD. lib. II. n. 106. *Facta hæc traditio in conuentu publico, in villa Sundheim, coram Comite & iudicibus suis.* Patet hoc etiam ex Edicto dominico Caroli M. apud BALVZIVM Tom. I. p. 329. *Carolus dilectis Comitibus seu Iudicibus & Vassis nostris, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Missis nostris & agentibus.* S. H. G. *diss. VI. §. XVIII.*

** CAPIT. LVDOVICI PII de a. 819. c. 19. *vt nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatissa Centenarium Comitis Aduocatum habeat.* CAPIT. CAROLOMANNI Tit. III. c. 9. *Comes præcipiat suo Vice-Comiti suisque Centenariis.* SYNODO CABILONENSI sub Carolo M. c. 21. *Comitibus & Iudicibus hoc summopere obseruandum est, vt*

 iuste

iuste iudicent, & paullo post: *sed & ministros, quos Vicarios & Centenarios vocant, iustos habere debent.*

*** MONACHVS SANGALLENSIS lib. I. c. XXXII. de Carolo M. *fuit consuetudo in illis temporibus, vt vbicunque aliquod opus ex Imperiali præcepto faciendum esset, ea Comites per Vicarios & Officiales suos exsequerentur.* CAPIT. *lib. II. c. XXVIII. habeat vnusquisque Comes Vicarios & Centenarios secum.* ANNALES FVLDENSES ad an. 852. *vbi apud Erpfesfurt habito conuentu, decreuit inter alia, vt nullus Præfectus in sua præfectura, aut Quæstionarius infra quæsturam suam alicuius causam aduocati nomine susciperet agendam: in alienis vero præfecturis vel quæsturis singuli pro sua voluntate aliorum causis agendis haberent facultatem.*

**** Latius hoc declarauit du CANGE *Glossario voce Centena*, & SAGITTARIVS *Antiquit. Duc. Thur. lib. IV. c. V.*

† CAPIT. lib. III. c. LXXIX. *vt nullus homo in placito Centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur, sed ista in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum iudicentur.* CAPIT. lib. IV. c. XXVI. *omnis controuersia coram Centenario definiri potest, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non nisi coram Comite fieri potest.*

†† Frequens in Legibus Francorum vtrorumque fit mentio. Dicuntur enim vtrique interfuisse placito siue Iudiciis Comitum & quidem Lege Salica Tit. LII. §. 3. dicitur: *Tunc Grafio congreget secum septem Rachinburgios*, idem de Scabinis CAPIT. lib. III. c. XL. *vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet, exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita præesse debent.* Vid. BIGNONII *notæ ad appendicem Marculphi cap. I.* WENDELINVS *Glossario Salico p. 172.* SAGITTARIVS *lib. IV. c. X.*

††† CAPIT. II. a. 809. c. 2. *Vult dominus Imperator, vt in tale placitum, quale ille nunc iusserit, veniat vnusquisque Comes, & adducat secum duodecim Scabinos, si tanti fuerint: Sin autem de melioribus hominibus illius Comitatus, suppleat numerum duodenarium.*

§. V.

Sub Ducum autem erant potestate, paucis exceptis, qui Du-

Ducem supra se non habebant. * Ex quo abunde sequitur, parem Comitibus cum Principibus dignitatem non fuisse, prout nouiter quidam adserere ausi fuerunt. ** Et quidem primitus ab Impp. non inuestiebantur de toto Comitatu, licet Salarii loco certa beneficia essent concessa, *** nec hæreditarii erant, sed si filius dignus fuisset, ex Regis nutu patri sufficiebatur. **** Postquam autem Duces sibi hæreditariam vindicarent potestatem, Comites etiam, qui sub iisdem erant, tanquam Vasallos sibi subiecerunt, ex quo tot Comites olim Ducum Vasalli, iis exceptis, qui sub Duce non erant, vel in terris immediatis degebant, qui ad Ducum exemplum, Comitatus suos sibi proprios vindicarunt, atque immediate Imperio subiectos. Difficile admodum est, Familias Comitum mediæ ætatis eruere, cum ante Henrici IV. tempora fere insolitum fuerit Comitatus vel Familiæ nomen addere, quod post ista tempora demum inualuit. ***** Per Capitulationem Caroli VI. Comitibus Imperii Immediatis Præcedentiæ Ius præ Comitibus mediatis etiam Camerariis, Imp. fuit definitum. †

* FREDEGARIVS cap. LXXVIII. *quo cum decem Duces cum exercitibus, exceptis Comitibus, qui super se Ducem non habebant, perrexissent.* Sic etiam de Burgundia testatur DITMARVS lib. VII. p. 407. *in his partibus nullus vocatur Comes, nisi is, qui Ducis honorem possidet.*

** Extat Consultatio apud LVNIGIVM *Spicil. Sec. p. I. p. 13.*

*** ANN. BERTINIANI ad a. 867. *Carolus* (Caluus) *Vicario Salomonis Comitatum Constantini cum omnibus fiscis & villis regiis & Abbatiis in eodem Comitatu consistentibus, ac rebus vbicunque ad se pertinentibus, excepto Episcopatu donat, & sacramento Primorum suorum confirmat: & ex parte Salomonis a prefato ipsius Vicario fidelitatis & pacis atque prastandi adiutorium contra inimicos suos suscipit.* Vide supra *§. III.*

**** CA-

**** CAPIT. CAROLI CALVI Tit. LIII. c. 9. *Si Comes obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet de his, qui illi plus familiares & propinquiores fuerint, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus & Episcopo ipsum Comitatum prouideat vsque dum nobis renuntiatur. Si autem filium paruulum habuerit, isdem cum ministerialibus ipsius Comitatus & Episcopo in cuius parrochia consistit, eundem Comitatum prauideat, donec ad nostram notitiam perueniat. Si vero filium non habuerit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus & Episcopo ipsum Comitatum prouideat, donec iussio nostra inde fiat. Et pro hoc nullus irascatur, si eundem Comitatum alteri, cui nobis placuerit, dederimus, quam illi, qui eum hactenus prauidit &* cap. X. *Si aliquis ex fidelibus nostris post obitum nostrum, Dei & nostro amore compunctus, seculo renuntiare voluerit, & filium vel talem propinquum habuerit, qui reipublicae prodesse valeat, suos honores prout melius voluerit, ei valeat placitare.*

***** Adgnouit illud FRANC. GVILLIMANNVS *Habsburg. lib. III. p. 93.* scribens: *nomina enim & titulos Comitatuum aut familiae addendi consuetudo ante Henricum II. Caesarem nulla ferme tenuit, rara quoque ad Henricum IV. fuit, postea prope inualuit. Quae res multis licentiae & lubidinis fenestram aperuit exigua ratione stirpis quiduis aliud, quam quae eius essent, perulgandi.*

† *art. III.*

§. VI.

Sensim autem inualescebant diuersae Comitum Classes,* quorum praecipui erant Comites Palatini, Landgrauii, Marchiones, Burggrauii, qui inter Principes vulgo referuntur, sed secundum originem suam, non nisi Comitum habebant dignitatem, nisi speciatim in Principum numerum fuerint euecti. Antiquissimi erant COMITES PALATII, a Palatio Imperatoris sic dicti. Licet enim communis fuerit opinio,** Comites Palatinos a Palatio Treuirensi ita fuisse adpellatos, satis tamen eandem redarguit FREHERVS, *** demonstrans

etiam,

etiam, denominationem a castello, *Pfaltz,* sito in ipso Rheni alueo, locum non habere.

* De diuersis his Comitum classibus ex antiquis Germanorum legibus egit IO. STEPHANVS BVRGERMEISTER *im Graven - und Ritter-Saal,* qui tamen Nobiles Immediatos Comitibus haut esse inferiores, demonstrare contendit.

** ANDREAS PRESBYTER Chron. Bau. p. 7. *Pipinus dictus Grossus, filius Angisi, in regno Franciæ primus fuit post Regem, & dicebatur Maior Domus, scilicet vbi nunc est palatium Treuirense, a quo palatio modo dicuntur Comites Palatini, qui olim Maiores domus dicebantur.* PETRVS de ANDLO *lib. I. de Imperio Romano c. XIII. & XVI.* B. RHENANVS *Rer. German. lib. III. p. 426.*

*** *Origg. Palat. lib. I. c. II.*

§. VII.

Officium eorum consistebat * in definiendis controuersiis, quæ ad palatium vel Imp. deferebantur, & si quid in legibus esset emendandum, id Principi exponerent, acceptoque responso, emendarent. Sedebant autem Comites Palatini in Palatio, cum certis Proceribus, ** qui etiam *Scabini Palatii* vocabantur. Nonnunquam & statis diebus, ipsi Impp. placitis Palatinorum intererant, atque caussas diiudicabant. *** Non tamen licebat ipsis potentiorum caussas sine Impp. iussione finire, sed tantum pauperibus & minus potentioribus iustitias facere. † Inde sæpius caussam ad Imp. deferebant. ††

* Eleganter eius officium describit HINCMARVS in sæpius adlegata Admonitione ad Proceres Regni §. XXI. dum ait: *Comitis autem palatii, inter cetera pene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis iudicium palatium aggrediebantur, iuste ac rationabiliter determinaret, seu peruerse iudicata ad æquitatis tramitem reduceret, vt*

& coram Deo propter iustitiam, & coram hominibus propter legum obseruationem cunctis placeret. c. XIX. dixerat, *quod Comes palatii de omnibus secularibus caussis vel iudiciis suscipiendi curam instanter haberet.* Sic etiam in CAPIT. CAROLI CALVI Tit. XXVII. c. 7. *Comes palatii in caussis Reipublicæ dicitur esse constitutus.*

** MONACHVS SANGALLENSIS lib. II. c. IX. *videntes Comitem palatii in medio procerum concionantem, Imperatorem suspicati, terra tenus sunt prostrati.* Hos autem Scabinos Palatii dici ex Chronico S. Vincentii de Vulturno confirmat du FRESNE, atque iidem videntur, qui alias quoque *Iudices palatii* dicuntur, MABILLONIVS *lib. IV. p. 243.*

*** CAPIT. TERT. LVDOVICI PII c. 3. *sciatis ob hanc caussam nos velle per singulas hebdomadas vno die in Palatio nostro ad caussas audiendas sedere: vt per hunc aut illum Comitem & prouidentia Missorum, & obedientia populi manifestius adpareat.* Sic caussam Monasterii Laurishamensis contra Heinricum a. 776. ipse diiudicauit Carolus, CHRON. LAVRISHAM. apud FREHERVM *Tom. I. p. 98.*

† CAPIT. CAROLI M. TERT. ad a. 812. *neque Comes palatii nostri potentiores causas sine nostra iussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum,* quod reperitur CAPIT. *lib. III. c. LXXVII.*

†† EGINHARDVS vita Caroli M. c. XXIV. *si Comes Palatii litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introduci iussit, & velut pro tribunali sederet, lite cognita, sententiam dixit.* Vid. du FRESNE *differt. XIV. ad Ioinuillam.*

§. VIII.

Sed, de eo disceptatur quam maxime, an primis temporibus vnicus saltim fuerit Comes Palatinus, an plures. CONRINGIVS * haut absone distinguit inter Comites Palatii atque Comites Palatinos, illos dicit in aula Francorum notos, hos in prouinciis Germaniæ constitutos. Neque Francici isti aliter ab HINCMARO, in Capitularibus, vel Diplomatibus adpellantur, quam Comites Palatii. Inter hos vnus saltim præcipuus,

cipuus, & supremus aulæ Iudex erat; cuius officium considerauimus. Præter hunc tamen, alii quoque erant, qui Senatum quasi Palatinum constituerent, qui vel primarium istum in caussis diiudicandis adminicularentur, ** vel in prouincias quandoque ad faciendam iustitiam ablegarentur. *** Exinde nonnulla occurrunt Diplomata, quibus plures vno Comites palatii † subscribunt, ita tamen, vt vnus quandoque alterius vice subscribat, †† cuius prærogatiua exinde patescit. Ex his igitur Comites Palatii Lateranensis originem duxerunt, qui vice & nomine Impp. horum iura exercerent. †††

* *Censura Diplom. Ludouiciani cap. XI. p. 198.*

** Huc facit iudicium Pipini, Maioris domus de rebus S. Dionysii: *vbicunque eorum iustitiam inuenimus, sicut proceres nostri seu Comites Palatii nostri, vel reliqui legis Doctores iudicauerunt.*

*** EGINHARDVS Ann. ad an. 823. de Lothario: *qui cum Imperatori de iustitiis in Italia a se partim factis, partim incboatis fecisset indicium, missus est in Italiam Adalhardus Comes Palatii, iussumque est, vt Mauringum Brixiæ comitem secum assumeret, & incboatas iustitias perficere curaret.*

† Iudicium Ludouici Pii subscribit *Fulco Vassus dominicus & Comes Palatii, Rugenarius Vassus dominicus & Comes Palatii,* apud BALVTZIVM *Misc. Tom. III. p. 130.* Precariam de villa Calisames subscripsit *Ragenarius Comes Palatii & Ramnulfus Comes Palatii* apud BALVTZIVM *Tom. III. n. 171.* Plura exempla adlegat MABILLONIVS *de re Diplomatica lib. II. c. XII. n. 14.* & TENTZELIVS *Vindic. Histor. Lindau. p. 280.* Quotquot tamen adducuntur Exempla, subscriptiones sunt Iudiciorum publicorum, quibus interfuerunt etiam Episcopi, Principes & Comites alii, vt ideo istos, qui subscribunt, solos Comites minores fuisse putarem, maxime, cum inter reliquos Comites subscribunt.

†† MABILLONIVS lib. VI. n. 29. adducit placitum Childeberti III. quod solenne non fuit, dum nullorum Episcoporum vel Principum fiat mentio, in quo; *in quantum inluster vir Bero Comis Palatie*

nostri, qui ad vice itemque inlustri viro Grimberchto Comite Palatii nostri adestare vedebatur.

††† *cap. XI. §. XVII.*

§. IX.

Hic Status Comitum Palatii vsque ad tempora Impp. Teutonicorum mansit, sub quibus alia cœpit ratio. Quippe, dum Germania in quinque diuisa fuisset prouincias, quælibet prouincia suum specialem habuit Comitem Palatinum. Scilicet, licet primis Ottonis M. temporibus, vnicus fuisse videatur in Germania Comes Palatii, posteriori tamen tempore quælibet Germaniæ prouincia suum habuit Ducem, suum æque Comitem Palatinum. * Dux prouinciam suam gubernabat, de qua erat inuestitus, & sub eodem erant Comites. In quolibet autem Ducatu certam terram immediatam sibi reseruarunt Impp. certa palatia, in quibus, dum Germaniam peragrarent, sedem haberent, quæ a Ducum potestate erat exemta. ** In hac terra Palatina iurisdictionem nomine Imp. exercebant Comites Palatini. Quod autem in Lotharingia nulli fuerint Comites Palatini, hæc ratio suberat, quod sub Lotharingorum potestate olim ipsa regni Teutonici sedes, Aquisgranum, ideoque ipsi Comites Palatini in Imperio essent præcipui. *** Ex ipsa vero amplissimi Lotharingiæ Ducatus diuisione exorta fuit noua prouincia Rhenensis, cuius Hermannus Dux, Comes Palatinus Rheni & Nemoris primarius auctor extitit & fundator. † Hic autem Comes Palatinus præcipuus erat atque supremus in Imperio, reliqui saltim, de quibus Speculator loquitur prouinciales.

* SPEC. SAX. lib. III. art. LIII. §. 1. & SPEC. SVEV. lib. I. art. XIX. *In Teutschen Landen hat iedes Land seinen Pfaltzgraffen, Saxen hat einen, Bayern hat einen, Francken hat einen, Schwaben hat einen. Diese 4. Landen waren hievor alle Kœnigreiche.*

** *cap.*

** *cap. IX. §. III. sqq.*

*** Patet hoc ex WITTICHINDI Ann. lib. II. ineunte: *Lothariorum Dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat.*

† TOLNERVS *Hist. Palat. c. II. p. 25. & c. VIII. p. 197.*

§. X.

Præcipuus ergo inter hosce erat Comes Palatinus ad Rhenum. Hic primum vnicus in Germania fuisse videtur. Primis quidem temporibus dignitas hæreditaria non erat, sed officium arbitrarium. Sub Ottone M. Giselbertus, Dux Lotharingiæ omnia procurasse dicitur. Post mortem vero Giselberti, Hermannus, Arnulphi, Bauariæ Ducis filius officium Comitis Palatii fuit nactus, atque partem Lotharingiæ, a finibus scilicet Brabantiæ vsque ad Mosellam & vtramque Rheni ripam. Ex quo dignitas ista sensim ad posteros fuit deuoluta. *

* Latius hoc demonstrauit TOLNERVS *c. l.* LEIBNITIVS equidem *Introduct. ad Collect. Script. Histor. Brunsuic. Tomo I. n. XXVII.* autumat, Henricum I. recuperato Lotharingiæ regno, hunc Giselbertum constituisse Comitem Palatii Lothariorum. Sic etiam LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad an. 1057.* memorat Henricum Palatinum Comitem Luthariorum.

§. XI.

Dum autem vnicus saltim ab initio esset, dicebatur vel Comes Palatii, post Comes Palatinus. Postquam vero in Germaniæ Ducatibus plures orti fuissent Comites Palatini, isti ad differentiam aliorum dicti fuerunt Comites Palatini Rheni, quæ adpellatio iamdum seculo IX. reperitur. Exinde bene notanda est differentia inter Comites pagi Rhenensis, qui dicitur *das Rhingou*, qui non nisi simplices Comites

mites erant, atque Iudices dicti pagi, & Comites Palatinos ad Rhenum, qui præter insigne territorium, eximia quoque, nomine Imp. Iura exercebant. * Seculo vndecimo, iam dum fuerunt hæreditarii, ** ita tamen, vt post ista tempora quoque nonnunquam absolute dicerentur Comites Palatini. †

* Extat enim Diploma Ludouici Pii Imp. de a. 824. apud LERCHIVM *de Ord. Equestri f. 25.* in quo: *Si vero Palatinus Comes de Rheno post trium annorum curriculum ad eos diuertere voluerit.* Inter testes vero recensentur: *Guntzo Comes de Rheno, Megenza Comes de Rheno.* In litteris fundationis Monasterii ad Lacum a. 1093. datis: *Ego Henricus Comes Palatinus Rheni, Dominus de Lacu,* in TOLNERI *Cod. Diplom. n. XXXVII.* Ludouicus Romanus in Diplomate de a. 1356. apud LVNIGIVM *Fortf. der II. Contin. p. 8.* se ipsum vocat *Land-Pfaltenz Graven bie Ryn.* Apud ARNOLDVM LVBECENSEM *lib. VI. c. VI. vocatur dignitas palatii circa Rhenum,* FREHERI *Origg. Palat. lib. I. c. IV. & VI.*

** Latius hoc demonstrauit TOLNERVS *cap. VI. p. 168.* licet Henricus Palatinus liberis careret, scripsit tamen testamento hæredem Sigefridum, priuignum suum. Hinc in priuilegio Henrici II. *post mortem vero prædicti Henrici Comitis Palatini Sigefridus, qui ei in Comitatu Palatii succesfit, de Patrimonio suo Mylen in Brabantia, Ouerhofen & Geneheiden Monasterio ad Lacum dedit.* TOLNERVS *c. XI. p. 297.* Opposuit tamen COCCEIVS *prud. Iur. Publ. cap. XXXIII. §. 5. & sqq.* TOLNERO varia.

† Patet hoc ex Diplomate Sigefridi Comitis Palatini, apud TOLNERVM *n. 38.* qui se absolute vocat Comitem Palatinum, ex Diplomate Henrici IV. n. 39. vbi Friderici & Sigefridi Palatinorum Comitum fit mentio, quorum ille Saxoniæ Comes Palatinus, hic Rheni fuit.

§. XII.

Territorium itaque Comitum Palatinorum Rheni olim fuit peramplum, atque originarius olim Rheni Palatinatus con-

constabat ex Comitatu Nemoris, pago Meyenfeld, Dominio Lacu, Tolpiaco, castro Thonberg, Capræmontio, quæ partim adhuc sub Pallentiæ nomine comprehenduntur. Hermannus II. post mortem Wilhelmi, a. 1143. Comes Palatinus Rheni factus, Comitatum suum Stalecke & Baccharacum iungit, cui postea accessit castrum cum Burgo Heidelberg & Cometia Stalbühel. Et cum priora bona sensim fuerint alienata, Territorium Palatinorum Comitum in hoc tractu Rhenensi resedit.*

* Vberius hæc explicantur a FREHERO *Origg. Palat. lib. I. c. III. & X. XI.* & potissimum a TOLNERO *cap. II.* de incrementis Palatinatus Rheni.

§. XIII.

Iura Comitis Palatini ad Rhenum semper fuerunt eximia. Ista vero concernunt vel vniuersum Imperium, vel tractum Rhenensem. Quantum ad vniuersum Imperium, Supremus iudex Imperii erat. Ex eadem ratione inter primos semper habitus in electione noui Regis. Tutor, Vicarius & supremus Capitaneus regni fuit, necessitate sic vrgente. Ipsi competebat seditiones in regno exortas sedare, discordiam, quæ inter Regem & Regnum suborta, componere, si Rex simplex vel negligens fuisset, eius vices gerere.* Hinc etiam in tractu Rhenensi tam egregia Iura in aliorum territoriis exercet, quæ de auctoritate atque potestate ipsorum antiqua adhuc testantur.

* Extat de eodem antiqua Ordinatio de Officio Comitis Palatini apud GOLDASTVM *Tomo III. p. 403.* licet hæc potius a priuato quodam homine facta, quam iussu publico, & ex eodem apud THVLEMARIVM *cap. XVIII. p. 242.* Vide supra *cap. XVII. §. XXXVI.*

§. XIV.

Ex prouincialibus primus memoratur Saxoniæ Palatinus,

nus, * circa Ottonum tempora notus, licet iam Albionem, Wittikindi comitem, primum Palatinum fuisse velit PETRVS ALBINVS. ** Alii *** Trutmannum Comitem supponunt; quem Carolus M. in Saxoniæ parte Comitem ordinauit, vt resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad vniuersas causas audiendas, vel ad recta iudicia terminanda. **** Inde Ottonum ætate memoratur Athalbero, S. Bernwardi. Episcopi Hildesiensis auus maternus, ***** eorundem temporibus etiam memoratur Burcardus Palatinus. ****** Postea hoc officium gesserunt Comites Gozecenses. Ex his primus fuit Dedo, Friderici I. & Agnetis Vinariensis filius, Adelberti, Archiepiscopi Bremensis frater. Huic sine prole legitima defuncto, ex beneficio Henrici IV. Imp. successit frater Fridericus II. † qui nepotem reliquit Fridericum IV. quo adhuc minorenne Fridericus I. Comes Sommersenburgensis †† Comitiam Palatinatus sibi vindicauit, ab Henrico IV. confirmatus, sed ab Henrico V. eadem iterum exutus ipsi rebellauit, Lothario Saxoniæ Duci in pugna ad Welphonis saltum opem ferens. Huic successit filius Fridericus II. cui filius Albertus est suffectus. †††

* Apud BRVNONEM *H. B. Saxonici p. 215.* Fridericus Saxoniæ Comes Palatinus vocatur *Palatii Præfectus.*

** *Stamm-Buch des Hauses Sachsen p. 113.*

*** SCHILTERVS *ad I. F. Alemann. p. 250. & in Tr. de Inuestitura Principum simult. c. IV. §. II.*

**** In Præcepto Caroli M. ad ipsum dato in BALVZII *Capit. Reg. Franc. Tom. I. p. 249.*

***** TANGMARVS initio vitæ S. Bernwardi: *auus quippe eius Athelbero Palatinus Comes, vir plurima virtutum laude insignis, qui commissæ præfecturæ exactionem magis ex debito, quam ex intentione gerebat.* Licet dubium adhuc supersit, an Saxoniæ fuerit Palatinus.

****** Apud DITMARVM *lib. II. p. 388. 405.*

† Iste

† Iste apud BRVNONEM c. l. occurrit. In Diplomate Lotharii apud SCHATENIVM *Ann. Paderborn. lib. VIII. p. 720.* occurrit *Fridericus Palatinus de Putendorf*, & inter Testes *Fridericus Palatinus de Sumersenburg.*

†† Liber de fundatione Monasterii Gozecensis, adiectus MADERI Chron. Montis Sereni p. 229. *Praterea Comes Fridericus de Sumersenburg, licet consanguineus eius fuerit, Palatina Comitia adhuc infantulum, exharedauit, quam quia alio ingenio non potuit, ferro expetere disposuit, sed sano amicorum consilio ab hac intentione se abstinuit.* A MONACHO PEGAVIENSI ad a. 1114. memorantur *Sigefridus Palatinus Comes de Orlamunde*, ad a. 1115. *Palatinus Comes de Sumersceburg.*

††† Plenius hæc recenset dictus Auctor & SAGITTARIVS *Antiquitatibus Alstetensibus.* Ex quibus hausit FRIDER. LVCAS.

§. XV.

Ab Alberti obitu a. 1178. titulum Palatini sibi vindicauit Henricus Leo, ipse Dux Saxoniæ, † licet eundem retinere haut valuerit, dum proscripto ipso, Saxoniæ Palatinatus peruenit ad Hermannum, Thuringiæ Landgrauium, qui Sophiam, Friderici V. vltimi ex Gozecensibus filiam habuit in matrimonio, †† licet alii Ludouicum, Thuringiæ Landgrauium supponant. ††† Extincta vero prima Landgrauiorum Thuringiæ linea, Landgrauiatus vna cum Palatinatu Saxoniæ ad Henricum illustrem Misniæ Marchionem peruenit, qui etiam de eadem a Friderico II. Imp. fuit inuestitus. †††† Dum autem mortuo Henrico illustri a. 1288. Rudolphus I. generum suum Albertum Saxoniæ Ducem de Comitia Palatinatus Saxonici inuestiret, ††††† Saxoniæ Electores hoc titulo quoque vti cœperunt, quem etiam ipsis Carolus IV. Imp. confirmauit. †††††† Ab isto tempore non Saxoniæ solum Electores, sed Duces etiam, * immo quidam Brunsuicenses Duces

iure Henrici Leonis, titulo Comitum Palatinorum Saxoniæ fuerunt vsi. ** Ludouicus Bauarus Imp. a. 1320. Bernhardum III. Albertum & Waldemarum, Anhaltinos Principes, ipsorumque hæredes de Comitatu Palatino Saxoniæ, Marchia in Landsberg & Castris Imperialibus Gifhausen & Alsted inuestiuit, idemque an. 1348. repetiit Carolus IV. *** qui tamen eundem nunquam possederunt, sed Saxoniæ Ducibus mansit, ab isto tamen tempore postquam Saxonia ad Misnenses Marchiones deuenerat, Titulus hic plane cessauit.

† Auctor est SCHVRZFLEISCHIVS *not. ad Mich. Boiemi vitam Alberti III. p. 658.* qui ipse fateri necessum habet, Palatinatum sæpius a Ducatu Saxoniæ abfuisse. SAGITTARIVS *Antiquit. Alstedensibus* §. XXXIII. ait: *Henricum Leonem Palatini Saxoniæ titulo vsum, testantur aliquot eius Diplomata.* Mallem tamen ipsos indicasse talia Diplomata. Sola igitur hic ipsorum nitor auctoritate, dum mihi de Diplomatibus nondum constet.

†† ARNOLDVS LVBECENSIS *lib. II. c. XXX. & XXXV.* distinguit inter Ludouicum, Comitem prouincialem Thuringiæ, & Hermannum, Palatinum. Sic etiam AVCTOR *Hist. Landgrav. Thur. c. XXIX.* dicit: *Hermannus frater Ludouici Landgrauii defuncti. Hic cum per Fridericum Imperatorem Comes Palatinus fuit factus.* THEODOR. ENGELHVSIVS *Chron.* apud LEIBNITIVM Tom. II. p. 1106. *Fridericus Imp. Hermanno Lantgrauio Thuringiæ contulit Comitatum Palatini Saxoniæ in ciuitate Erford.* Vid. Progr. *de Comitia Palatinatus Saxonici p. 14.*

††† CHRON. MONTIS SERENI ad an. 1180. *Ludouicus Landgrauius Thuringiæ Comes Palatinus effectus est.*

†††† Quid quod Henrico Misniæ Marchioni, viuo adhuc Henrico Raspone, Thuringiæ Landgrauio, Expectatiuam, in eundem Palatinatum concessit Fridericus II. Verba Diplomatis Beneuenti a. 1242. dati, hæc sunt: *Considerantes auunculi tui, Henrici Landgrauii Thuringiæ, Comitis Palatini Saxoniæ, dilecti consanguinei nostri petitionem, notum esse volumus vniuersis, quod tibi post mortem auunculi tui*

tui Henrici Landgrauii Thuringiæ, duos Principatus suos videlicet Landgrauiam Thuringiæ & Commatiam Palatii Saxoniæ, & omnia alia feuda, quæ a nobis & imperio tenentur, cum ipsorum pertinentiis iure contulimus feudali, apud ANT. WECKIVM *Hist. Dresd. p. 153.* SCHVBARTVM *de Comitibus Palatinis p. 189. 190.* TENTZELIVM *Supplem. Hist. Goth. p. 586.*

††††† S. H. G. *diss. XXIII. §. XXVIII.*

†††††† Patet hoc ex Bulla Caroli IV. Alberto, Saxoniæ Duci concessa, in REPRÆSENTATIONE IMPERII p. 599. *si vero præfatum Wenceslaum, modernum Saxoniæ, & Luneburgensem Ducem, sine legitimis masculini sexus hæredibus, laicis, de lumbis eius directa linea genituræ descendentibus, mori contingeret, & tunc Principatus & Comitatus Palatinus Saxoniæ, nec non Archi-Mareschallia Sacri Imperii &c. ad Albertum deuoluatur.* Hanc C. P. Saxoniæ successionem vberius declarauit CONR. FRIDER. REINHARDVS *de Officiis Imperii Saxonicis* Sect. prima, & CASP. HENR. HORNIVS *de Comitibus Palat. Saxoniæ.*

* Plenius hoc demonstraui in Programmate de Comitia Palatinatus Saxonici.

** Patet hoc ex CYRIACI SPANGENBERGII Adel-Spiegel lib. X. c. XVII. *So habe ich auch einen Brief gesehen, den H. Henrich H. Magni zu Braunschweig Son, der Pfarrhe zu Holtzhausen an der Ruene gegeben. Anno 1330. in dessen Sigill folgende Vmbschrifft zu finden:* S. DEI GRATIA HENRICI PRINCIPIS PALATINI SAXONIÆ, & LEIBNITIVS *Introduct. in Collect. Script. Brunsuic.* Tom. I. n. XXXI. *Henricus Dux Brunsuicensis, Alberti* (Magni) *filius Grubenhagiæ Lineæ auctor se aliquando Palatinum Comitem Saxoniæ scripsit.*

*** Vtraque Diplomata reperiuntur apud BECMANNVM *Hist. Anhalt. p. IV. c. X. §. V.* apud LVNIGIVM *II. Cont. III. Forts. p. 166.*

§. XVI.

Disceptatur tamen adhuc, cuinam Saxoniæ Palatinatus hodie competat. Territorio Palatinatus eundem inhærere nemo forsan adseret, quod varie fuit dissipatum: † aut igi-

tur Saxonico Electoratui nexus erit, aut vniuersæ competet Serenissimorum Saxoniæ Ducum Familiæ. Primum adserunt quidam ex Saxoniæ Iureconsultis, atque inter hos Celeb. GRIBNERVS †† argumenta sumens ab Inuestitura Alberti II. Saxoniæ Ducis, de Saxoniæ Palatinatu, ††† ab Aurea Bulla Saxoniæ Electoribus concessa, quæ hunc Palatinatum in perpetuum vniat cum Electoratu, †††† a titulo Comitis Palatini Saxoniæ, quo ad Misnensium Marchionum in Electoratum Saxoniæ successionem Electores fuerint vsi, ††††† ab Inuestitura Friderici Bellicosi, qui a Sigismundo Imp. insimul de Electoratu atque Palatinatus Comitia fuisset inuestitus, †††††† atque ex eo tempore titulo Palatinorum Electores vti desiuisse, non alia de causa, quam quod Electoratus appellatione omnia Palatinatus iura intelligerent comprehendi. * Immo, reliquos Electores vsque ad Io. Fridericum Palatinatus Iura sibi vindicasse, maxime, dum Georgius, Alberti filius, Palatinatum æque ac Burggrauiatum Magdeburgensem tanquam Electoratus accessionem adgnouerit, adeoque liti, quam pater ipsius Albertus mouerat, prorsus renuntiauerit. ** Deinde, vna cum Electoratu hanc Comitiam translatam fuisse in Lineam Albertinam, atque Mauritium de eodem sigillatim fuisse inuestitum, *** eademque ratione ipsius Successores. **** Demum, quod Saxoniæ Duces expectatiuam saltim in huncce Palatinatum obtinere necessum habuerint, ***** quo ipso horum iura satis, vti putat, conuellantur.

† De Territorio Saxonici Palatinatus dictum fuit supra *cap. IX. §. V.* Patet hoc tanto magis ex eo, quod Rudolphus Saxoniæ Elector vna cum reliquis adgnatis a. 1369. Gebhardo, Dynastæ Querfurtensi Alstedium vrbem concessit, salua tamen Palatina dignitate, prout demonstrauimus in Progr. *de Comitia Palatinatus Sax. p. 6.*

†† Sin-

†† Singulari Dissertatione *de Iuribus Palatinatus Saxonici Duci Electori Propriis*, *Witteberga 1715*. quæ directa est contra Programma *de Comitia Palatinatus Saxonici Serenissima Genti Communi*, quod Ienæ 1712. exhibui.

††† De quo §. superiori & GRIBNERVS §. IX.

†††† HORNIVS equidem atque SCHVRZFLEISCHIVS contendunt, Ius Palatinatus Saxonici Electoratui nexum, confirmari in Titulo V. Aureæ Bullæ, licet GRIBNERVS ipse hoc minime concedat, dum A. B. nihil de Saxoniæ Palatinatu tradat. Hic tamen prouocat ad A. B. Caroli IV. a. 1357. Rudolpho Iuniori, Saxoniæ Electori concessam, in qua: *daß niemands anders, dann sein lieber Mutter Bruder, Herzog Rudolph zu Sachsen, der Iünger, die Gerechtigkeit, Würdigkeit, Gewalt und Macht ein Ræmischen Kœnig helffen zu wehlen, und sambt den Herzogthum und Pfaltz zu Sachsen; Desgleichen das Ertz-Marschall-Amt des H. Reichs auch den Anfall zum Herzogthum zu Luneburg haben solt.* Exhibet illam HORTLEDER *von Vrsachen Teutschen Krieges lib. IV. c. XXIII. n. 51. p. 1500.* & GOLDASTVS *in Reichs Satzungen p. II. p. 56.* Alia est Bulla Aurea, quam Carolus IV. Wenceslao Saxoniæ Electori, eiusdemque Successoribus concessit, quam integram exhibet GOLDASTVS in Constit. Imperii Tomo I. p. 368. in qua: *ac ipse velut Saxoniæ Dux S. Romani Imperii Archimareschallus verus & legitimus Princeps Elector & post obitum eius heredes & successores sui legitimi, modo & forma submissis, Ducatum, Principatum, & Comitatum Palatinum Saxoniæ, & Archimareschalliam Imperii S. sine impedimento quolibet debeat obtinere.*

††††† Exempla Rudolphi II. Wenceslai, Rudolphi III. & Alberti III. qui hoc titulo fuerunt vsi, §. XIII. demonstrat GRIBNERVS.

†††††† Reperiuntur istæ Litteræ apud ALBINVM *Chron. Misn. tit. XVI. p. 215.* & MÜLLERVM Ann. Saxon. ad a. 1415. in quibus: *das Churfürstenthum und Hertzogthum zu Sachsen, mit sampt der Kure, und Ertz-Marschall-Amt darzu gehœrende und auch sust mit der Pfaltzhuse und Stadt zu Altstedte, und der Graffschafft zu Brene.* Idem contendit SCHVRTZFLEISCHIVS *ep. CCXXXIII.* dicens: *in Di-*

plomate autem nihilominus inaugurationis beneficiariæ Palatinatus Saxoniæ comprehenditur, indicioque id mihi est, nunc Saxoniæ Ducatui postliminio ita innexum esse, vt nec posset diuelli ab eo, nec debeat.

* GRIBNERVS §. *XXII.*

** LVNIG *Contin. II. p. 256. sqq.* exhibet Transactionis Tabulas, in quibus dicitur: *das solche vergleicht, vertragen, aufgehoben und gentzlich getædtet seyn, also das kein Theil derselben gegen den andern hinführo mehr gedencken, noch damit gehæret werden soll.*

*** GRIBNERVS §. XVII. hoc demonstrare contendit ex eo, quod Iohannes ab Ortenburg Vexillum Palatinatus Saxonici in ipsius Inuestitura inter alia prætulerit.

**** Demonstrat hoc GRIBNERVS ex litteris Inuestituræ Ferdinandi I. de a. 1561. Augusto Electori factæ, in quibus: *dergestalt, daß vorgenandte H. Augustus und S. Mannliche Leibes Lehn-Erben obermeldte Churfürstenthum mit dem Ertz-Marschall-Amt und Vicariat, Pfaltz zu Sachsen, Burggraffschafft und Grafen-Gedinge zu Magdeburg und Halle.*

***** Extant apud LVNIGIVM *p. Spec. p. 272. sqq. & Contin. p. 369.* Litteræ Maximiliani II. de a. 1572. sub Titulo: *Expectantz und Begnadigungs-Brieff Kaysers Maximiliani II. H. Iohann Wilhelm zu Sachsen über die Primogenitur am Ertz-Marschall-Amte und Churfürstenthum Sachsen,* in quibus: *alle und iede obangeregte Expectanz und Anwartung &c. auf das Churfürstenthum zu Sachsen und den Ertz-Marschall-Amt, der Chur, und was von Rechtswegen dazu gehæret &c. so von Vns und dem H. Reich zu Lehn rühret, und ietzo der Hochgebohrne Hertzog Augustus zu Sachsen innen hat und besitzet, zusamt der Pfaltz zu Sachsen und dem Burggraffthum Magdeburg.* Idem Io. Guilielmus a. 1573. alias Cæsaris Litteras obtinuit, quibus ipsi promittitur *die Primogenitur, Succession und Anwartung zu dem Churfürstenthum und Pfaltz zu Sachsen samt dem Ertz-Marschall-Amte &c. und allen andern, so gedachter Hertzog Augustus, Churfürst itzo inne hat.*

§. XVII.

§. XVII.

Verum, licet Potentissimo Saxoniæ Electori Palatinatus Iura minime denegauerim, tribuendum tamen etiam Serenissimis Saxoniæ Ducibus quod ipsis debetur, dum communis sit Serenissimæ Genti Saxoniæ Palatinatus. * Patet hoc ex eo, quod dum, Gozecenses Comites hunc Palatinatum tenerent, iste vniuersæ Familiæ esset communis. ** Nec ante Henrici Leonis tempora vllus ex Saxoniæ Ducibus hunc Palatinatum tenuerit, immo isto proscripto, Palatinatus non ad Bernhardum Ascanium, qui de Saxoniæ Ducatu fuerat inuestitus, verum ad Thuringiæ Landgrauios fuerit delatus, atque ab his iure Inuestituræ *** ad Misniæ Marchiones peruenerit. Et licet Rudolphus Habsburgicus Albertum II. generum suum de hoc Palatinatu inuestiuerit, minime tamen exinde præiudicium potuit adferre iuribus Misniæ Marchionum, qui etiam titulo Comitis Palatini Saxoniæ fuerunt vsi, hoc ipso iure suo Electoribus minime se cedere demonstrantes. **** Maxime, cum Fridericus Admorsus, viuo patre, antequam adhuc terras teneret, se vocet: Fridericus Dei gratia illustris Principis Thuringiæ Landgrauii Filius, & Saxoniæ Comes Palatinus ***** hoc ipso indicans, titulum huncce & iura familiæ esse propria. Continuauit hunc titulum Wilhelmus Cocles Misniæ Marchio. ****** Immo, hi Marchiones, postquam Saxoniæ Electoratus sub Friderico Bellicoso ad ipsos peruenisset, vna cum ipsis Electoribus titulo Palatinorum Saxoniæ fuerunt vsi, † quod sane fieri non potuisset, nec ipsi Electores concessissent, si Electoratui fuisset adnexus. Patet hoc tanto magis ex eo, quod, dum Rudolphus Saxoniæ Elector domum Alsterensem a. 1369. concederet Gebhardo Querfurtensi non solum Saxoniæ Ducibus Palatinatum reseruauerit, sed etiam consensum adhibuerit Wenceslai fra-

tris

tris atque Alberti patrui, quod tamen fieri haud potuiſſet, ſi Electoratui nexus, dum A. B. integritatem requirat Terrarum Electoralium, nec reliquorum Saxoniæ Ducum conſenſus fuiſſet neceſſarius. Quare etiam in Diuiſione terrarum inter Erneſtum Saxoniæ Electorem & Albertum fratrem, hic Electori litem mouit de Saxoniæ Palatinatu, quam etiam arbitri per compromiſſam conſtituti decidere non fuerunt auſi, ſed per placitum compromiſſoriale Numburgenſe de an. 1486. cauſſam ad Fora Imperii deferri voluerunt. ††† Manſit hæc controuerſia vsque ad annum 1531. quo per laudum Grimmenſe inter Iohannem Electorem & Georgium Ducem hic demum Palatinatui Saxonico renuntiauit, poſtquam Elector alias etiam prætenſiones dimiſiſſet. ††††

* Adſeruerunt hæc ALBINVS *im Sæchſiſ. Stamm-Buch p. 215.* FABRICIVS *Origg. Saxon. lib. I. fin.* SCHVBARTVS *de Comitibus Palatinis p. 196.*

** Patet hoc ex fundatione Monaſterii Gozecenſis apud MADERVM p. 210. in qua: *Ego Adelbertus ſanctæ Bremenſis Metropolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, fratresque mei Dedo, Fridericus, Palatini præſides.* In alio Diplomate Henrici IV. p. 217. Dedo & Fridericus dicuntur Palatini. Obiicit hic doctiſſimus GRIBNERVS §. *XXI.* ſi vel maxime omnes Gozecenſes titulo fuerint vſi Palatini, exinde tamen nullum ad Iura Comitiæ Palatinatus petendum eſſe argumentum, quæ vnus ſaltim exercuerit. Verum, licet exercitium Iurium perſonale ſaltim fuiſſe concederem, exinde tamen iura familiæ erunt communia, prout ex Subofficiis Imperii videmus, qui ab vno ſaltim exercentur, familiæ tamen vniuerſæ competunt.

*** Vide ſupra §. *XV.*

**** Prout Diplomata Henrici Illuſtris & Alberti degeneris adducuntur in dicto Programmate *p. 17.*

***** Prout diuerſa occurrunt Diplomata *c. l.* Idem adgnouit HORNIVS *de C. P. S.* §. *XXI.* Quare etiam idem Fridericus in Sigillis ſuis ſolam aquilam gerit.

****** *c. l. p. 21.* ipsis Ascaniis, qui tunc Saxoniæ erant Electores minime contradicentibus. Contradicit equidem litteratissimus ICtus, GRIBNERVS §. *XXIII.* ex eo capite, quod titulo saltim fuerint vsi, dum Iura essent penes Electorem. Verum, si Misniæ Marchiones a Friderico II. Imp. de hac Comitia non inuestiti fuissent, facilius crederem, illos titulo saltim gauisos fuisse sine iure. Hoc autem iure Henrici illustris vna cum titulo gauisi fuerunt ipsius posteri. Immo, cur Electores non contradixerunt, dum titulis Electoralis iuris Duces nunquam fuerint vsi.

† Patet hoc ex Diplomate, Monasterio Dobrilugensi an. 1394. concesso, cuius tale est initium: *Wir Rudolff von Gotis Gnadin des Heyl. Rœm. Richs Ertz-Marschalck, Albrecht und VVentzlaw von denselbin Gnadin zu Angarn, zu VVestfaln, zu Sachsen und Lüneburg Hertzogen, Pfaltzgraven zu Sachsen, Graven zu Brenne, Burgraven zu Magdeburg &c.*

†† Verbis: *und VVir vorgenenter Rudolff, Hertzoge zu Sachsen, haben mit VVillen und Rate unsers Brudern, Hertzogen VVentzlaws und Hertzogen Albrechts unsers Vettern, und den egenanten Ern Gebebarden von Querinfurde belebend mit dem egenanten Huse Alstett. - Vnschædelich uns und unsern Erben nachkommenden Hertzogen zu Sachsen an derselben Pfaltzgraffschafft zu Sachsen.* GRIBNERVS equidem §. XII. putat, Alstedtum facile Querfurtensibus Dynastis dimitti potuisse, cum huic vrbi Palatinatus minime inhæreat. Verum, si Palatinatus Electoratui est nexus, inhæret etiam Territorio, quod ab ipso diuelli nequit, dum A. B. requirat Territorii Electoralis integritatem. Ex eo tamen, quod Territorio non inhæreat, magis concludo, hunc Palatinatum Electoratui nexum haut esse. Consensum autem adgnatorum ob iura simultaneæ inuestituræ dicit fuisse adhibitum. Verum, vix crederem consensum huncce ex eo capite fuisse necessarium, & contrarium ex eo concluditur, quod Palatinatus Iura singulis consentientibus reseruentur, non vt GRIBNERVS contendit, solis descendentibus Electoris.

††† Reperitur Laudum apud LVNIGIVM *p. spec. Cont. II. f. IV. p. 247.* vbi *n. 25. 26. 27.* dicitur: *umb die Ansprache im Lande zu Sachsen,*

 das

das Burggraffthumb zu Magdeburgk, und GrafenDing zu Halle, und Pfaltz zu Sachsen, kœnnen wir nichts versprechen, sondern wo V. Gn. Hr. Hertzog Albrecht unsern Gn. Hrn. Hertzog Ernsten der Anforderung darumb nicht vertragen will, so soll unser gnædigster Herr, Hertzog Ernst S. Ld. an den Enden da sich das geburt gerecht werden.

†††† Extat Laudum Grimmense apud LVNIGIVM *c. l. p. 256.* in quo: *Vnd hiermit sollen alle und iede neue und alte Gebrechen, so sich zwischen hochgedachten Chur- und Fürsten vor dieser Zeit enthalten, und sonderlich von wegen Vnsers gnadigsten Herrn des Churfürsten, die Ansprach an Mülberg, den Præbenden zu Meissen, der Vniuersitæt zu Leipzig am Petersberg, den Voigteyen zu Quedelburg und Northausen, am Closter Sittichbach, auch der Geyrischen und Eßsilber halben, von wegen Vnsers gnædigen Herrn, Hertzog Georgen, die Ansprach an der Pfaltz zu Sachsen und Allstedt, Grafschafft zu Brehne, Burggraffthumb zu Magdeburg, Graf Geding zu Halle &c. gegen einander vergleicht, vertragen, auffgehaben, und gæntzlichen getœdt seyn, also daß kein Theil derselbigen gegen den andern hinfœrder nicht mehr gedencken, noch damit gehœrt werden soll.* Putat equidem GRIBNERVS §. XV. Albertum saltim hæc postulasse, vt dimitteret alia Ernestus, immo arbitros de hoc Palatinatu decidere ausos haut fuisse, eo quod Electoratui esset nexus. Verum, contrarium patet ex litteris Inuestituræ a Friderico III. a. 1465. Ernesto atque Alberto factæ, in quibus Electoratus atque Archi Mareschallatus a Palatinatu notanter distinguitur.

§. XVIII.

Neque argumenta in contrarium adducta proderunt Iuri Electorali, dum, vti diximus, per Inuestituram iuri anteriori Misnensium Marchionum nullum adferri potuerit præiudicium. Nec A. B. Caroli IV. Rudolpho atque Wenceslao Electoribus concessa, Misniæ Marchionum Iura abolere poterit, immo nec titulus, quo & ipsi Marchiones constanter fuerunt

fuerunt vsi, maxime, dum in dicta Bulla distinguatur inter Terras Electoratui nexas, atque hæreditarias, * Rudolphus II, antequam dictam Bullam fuisset adeptus, hoc titulo vti plane ausus non fuisset. ** Inuestitura Friderici Bellicosi nouum ius Misnensibus haut tribuit, sed confirmat saltim anterius, dum omnes Terræ & Electorales & hæreditariæ extinctis Ascaniis apertæ, per hanc Inuestituram ad Misnenses transferantur. Et, si ipsas Inuestituræ litteras probe inspiciamus, patebit, per verba *und auch susten*, bene distingui Electoratum vna cum adnexo Archi-Mareschallatu a Palatinatu. Immo, si Electoratus esset accessio, cur Fridericus Bellicosus concessit, vt patruelis ipsius Fridericus Iunior hoc titulo, his Insignibus vteretur. *** Quod Misnenses, postquam facti fuissent Electores, a Comitis Palatini titulo abstinuerint, rationem subesse puto, quod illa ætate maior titulus minorem absorbuerit, maxime, dum Palatinatus iura ista ætate desierint. Inuestitus equidem fuit Mauritius, non vero de Palatinatu saltim, sed etiam omnibus Terris Saxonicis & Thuringicis, paucis saltim Io. Friderico, eiusdemque posteris relictis, quis ideo hæc omnia crederet Electoratui esse nexa. Neque litteræ Inuestituræ de a. 1572. & 1573. præiudicium adferunt Saxoniæ Ducibus, dum in iisdem distinguantur Terræ, quas Augustus Elector possideat, ab iis, quas ex iure paterno teneat Io. Guilielmus, atque inter has refertur *die Pfaltz zu Sachsen uff Alstedt*, idque tanto magis, quod Alstedtum iamdum per Numburgensem Transactionem de a. 1554. Io. Friderico Electori iterum fuisset cessum.

* His verbis: *ætatem autem debitam, in hoc casu, eligendi videlicet Romanorum Regem, in Imperatorem promouendam, decem & octo annorum censeri volumus, & haberi. In principatibus autem, Ducatibus, & dominiis aliis temporalibus gubernandis, ætatem obseruandam*

nandam decernimus, prout a Diuis Romanis Imperatoribus est sancitum.

** Prout ipse adseruit GRIBNERVS §. *XII. p. 23.*

*** Progr. de C. P. S. *p. 29.*

§. XIX.

A Terris vero immediatis, in quibus iura dicebant Saxoniæ Palatini, distinctæ erant ipsorum terræ hæreditariæ, inter quas referendus Comitatus Sommersenburgensis & Gozecensis, vt ideo male agant, qui Sommersenburgensem Comitatum pro singulari venditent Palatinatu. Quare dum Henricus Leo mortuo Alberto II. Sommersenburgensem Comitatum ex propinquitatis iure sibi vindicaret, contradicente Wichmanno Magdeburgensi antistite, lis tandem ita fuit composita, vt Henricus Comitatum Magdeburgensi Ecclesiæ traderet, Palatinatum vero retineret. * Sic etiam oppidum Thuringiæ Sultza,** coctura Salis nobile, ad hæreditatem olim Palatinorum Saxoniæ spectauit. A LAMBERTO SCHAFNABVRGENSI *** etiam memoratur Vokenroth, quod Friderici Palatini fuerit, idque forsan pagus in nostra vicinia Volckersroda atque alia loca. ****

* FABRICIVS *Origg. Saxon. lib. I. p. 89.* REINHARD *de O. I. S. f. I. §. XII.*

** Patet hoc ex Diplomate Henrici IV. Imp. super coctura Salis an. 1064. concesso, apud LVNIGIVM *p. spec. Cont. II. p. 761.* in quo hæc verba: *qualiter nos ob petitionem & fidem & frequens seruitium Friderici Palatini Comitis in loco hæreditatis suæ Sultza dicto, in pago Thuringiæ, in Comitatu Otthonis Marchionis sito, liberum exerceri mercatum permisimus.*

*** p. 196. *Vokenroth Friderici Palatini Comitis fuerat, idque ei Rex quadam legum violentia eripuerat, præsidiumque suum imposuerat.*

**** De

**** De his intelligendum CHRON. LAVRISHAM. p. 183. *Fridericus Comes Palatii conquestus est, quod beneficium, quod de Abbatia Heradesfeldt magnum habuerit, iniusta sibi iussione Regis ablatum, centum mansis agrorum a Rege redimere volebat, nec valebat.*

§. XX.

Sed, dum insignia Saxonica duplicem præ se ferant aquilam, quarum illa dicitur Palatinatus Saxonici, hic Thuringiaci, videndum, quænam sit ratio discriminis. COCCEIVS * quidem hanc rationem subesse putat, quod eadem prouincia, quæ hodie est Saxonia, olim fuerit Thuringorum, ideoque cum ipsa prouincia eius etiam Palatium Saxonibus cesserit. ** ALBINVS coniectatur ob diuisionem Palatinorum in diuersos ramos, hanc etiam distinctionum fuisse ortam, quem sequitur SPENERVS. *** Alii duplicem ideo fecerunt, quod alterius sedes fuerit Alstedti, alterius vero Lauchstedti. **** Si coniectari licet, hæc erat ratio. Post mortem Henrici Rasponis, Saxoniæ Palatinatum sibi ex concessione Friderici II. vna cum Thuringiæ Landgrauiatu vindicabat Henricus, Marchio Misnensis, dum eundem Rudolphus Habsburgicus concederet Alberto II. Saxoniæ Electori ex Ascaniis, qui ipsum elegerat, qui etiam ipsi dotis loco cum filia Agnete & Comitatu Brenensi dedisse videtur vrbem Palatinam Alstet. † Dum vero Misniæ Marchiones eadem iura Palatinatus sibi vindicarent, factum, vt horum Palatinatus Thuringiæ diceretur, Electorum, qui etiam Alstetum possidebant, Saxoniæ. Maxime vero hæc differentia orta esse videtur a temporibus Caroli IV. Inuestiuerat iste a. 1348. Anhaldinos de Comitia Palatinatus Saxoniæ & castro Imperiali Alstedt. †† Contra hoc protestati fuisse videntur & Misniæ Marchiones & Electores Saxoniæ Ascanii. Istorum Iu-

ribus vt prospiceret Carolus, contulit ipsis a. 1350. Palatinatum Lauchstedtensem, ††† Rudolphum II. vero Saxoniæ Electorem an. 1363. inuestiuit de Comitatu Palatino Saxoniæ & Allstedto. ††††

* *prud. Iur. Publ. c. XV. sect. II. §. 18.*
** *Meisn. Chronic. tit. XV. p. 193.*
*** *de insign. Saxon. p. 193.*
**** REINHARD *de Offic. Imp. Saxon. s. I. §. XIV.* GRIBNERI Programma *de Palatinatu Thuringiæ.*
† Vide supra *§. XV.*
†† De quo supra §. *XV.*
††† Extant Litteræ Inuestituræ apud REINHARDVM *de O. I. S. p. 95.* in quibus: *dem Hochgebornen Friderich Balthasar Ludwigen und Wilhelmen Gebrüdern Lantgraven zu Düringen, Marc-Graven zu Meissen, in den Osterlande, und zcu Landsperg, Graven zu Orlamünd und Herren des Landes zcu Plyssenn, unsern lieben Oheimen und Fürsten lieben die Phallantz-Graffschafft zcu Lauchstete mit allen Herschafften und Ampten, domit dieselbe Phallantz-Graffschafft gewirdet, geeret und ugesatzt ist von Alter.*
†††† Prout Litteras exhibet REINHARD *p. 80.*

§. XXI.

Alter est *Comes Palatinus Bauariæ.* Hoc munus gessisse Comites Schirenses, omnes contendunt, quorum genus ab Arnulpho II. Arnulphi I. Bauariæ Ducis filio secundogenito ducitur. * Ex horum familia erant Wittelsbachii, qui æque titulum Comitum Palatinorum gerunt. ** Iunctus igitur Bauariæ Palatinatus fuit Ducatui, dum Fridericus Barbarossa, proscripto Henrico Leone, de Bauaria inuestiret Ottonem Wittelsbachium. ***

* ANDR. PRESBYTER Chron. Bauar. p. 15. *Arnolfus igitur Regum Europa famosissimus, Castrum Scheyrn construens, Comitatus Palatinos ibidem*

ibidem instituit. Horum seriem nectit FRIDERICVS LVCAS *im vbralten Graffen-Saal p. 559.*

** Sic Diploma Henrici V. subscribit Otto, Palatinus Comes a Wittelsbach apud HEDAM *p. 255.* Otto de Wittelsbach modo dicitur Palatii Comes RADEVICO *lib. I. c. XX.* modo Palatii Comes de Baioaria Eidem *lib. II. c. LIX.* In Registro Innocentii III. Ep. XIV. occurrit: *Comes Palatinus de VVitelinesbach.* In CÆSARIO *lib. VI. cap. XXVI.* apud LEIBNITIVM Tom. II. p. 520. *Bertolphus Palatinus de VVitilimbach.*

*** ADLZREITER *Ann. Bauar. p. I. lib. XXIII. ineunte.*

§. XXII.

Franconiæ Comes Palatinus communiter cum Comite Palatino Rheni confunditur, * cum tamen vtrique probe sint distinguendi. ** Iste quidem præcipuus regni, hic saltim erat prouincialis. Scilicet, Francia primum per Cameræ nuntios recta, post per Duces, qualis erat Conradus, qui extinctis Carolingis, Germanorum Rex factus. *** Hic fratrem suum Euerhardum videtur constituisse Comitem Palatii in Francia. Mouet me, quod iste Scriptoribus saltim dicatur, Comes, † & SIGEBERTO GEMBLACENSI Comes Palatii. †† Scilicet, dum Conradus ex Duce Francorum Rex factus, vt ipse Euerhardus istius officium & vices gereret. Licet autem incerta sit Comitum Palatinorum Franconiæ succesfio, videtur tamen, dum nonnunquam bini vno tempore memorentur in Francia Teutonica, ††† vnum fuisse Ducem, alterum Comitem Palatinum. Si coniectari licet, Comites a Limburg forsan Comites Palatini Franconiæ fuerunt. Habuisse autem eosdem quandam cum Franconiæ prouincia connexionem, satis testantur Insignia, quæ cum Franconiæ insignibus conueniunt. ††††

* Pro

* Pro vno eodemque habet COCCEIVS *cap. III. sect. VI. §. 97. & cap. XV. sect. II. §. 18.*

** Patet hoc etiam ex historia coronationis Ottonis M. apud WITTECHINDVM *lib. II. ineunte*, in qua memoratur Giselbertus in Terra Rhenensi, Euerhardus in Franconia.

*** *cap. III. §. VIII.*

† LVITPRANDO lib. II. c. VII. saltim vocatur *Comes potentissimus de Francia.* Ipse etiam apud eundem lib. IV. c. X. ad vxorem inducitur loquens: *iucundare, inquit, in gremio Comitis, breui laetatura in amplexibus Regis,* REGINONI vero, a. 937. dicitur *Dux*, quod sine dubio factum, quia totam prouinciam administrabat.

†† *Ad a. 938.*

††† Sic binos Cunones memorat WIPPO *Vita Conradi Salici p. 425. vid. cap. III. §. IX.*

†††† SPENER *lib. I. cap. LIII.*

§. XXIII.

Succedunt demum *Palatini Sueuiae.* Hunc Palatinatum gessisse Tubingenses, extra dubium est, licet horum origo admodum sit dubia atque incerta. * Occurrunt tamen saepius in Diplomatibus Comites Palatini de Tübingen. ** Postquam autem Rudolphus III. seculo decimo quinto vrbem atque arcem Tübingensem Comitibus Wüttenbergensibus vendidisset, cessauit plane titulus Palatinorum, atque reliqui saltim Comitum titulo fuerunt contenti, vsque dum omnis eorum Linea cum Conrado Guilielmo an. 1631. plane desineret. †

* Horum seriem recenset CRVSIVS *Ann. Sueu. p. II. lib. VIII. c. XIII. & lib. X. c. X. fin. & p. III. lib. III. c. VIII. & X.*

** CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1163.* mentionem facit Hugonis, Comitis Palatini de Tübingen. Sic etiam Heinricus & Hugo Comites Palatini de Tübingen a. 1195. dicuntur fundatores Monasterii Blaubeurensis. In Registro Innocentii III. ep. XIV. occurrit *Comes Palatinus de Tuing.*

† Vid.

† Vid. FRID. LVCÆ *vhralter Fürsten-Saal p. 192. sqq.*

§. XXIV.

Plures adhuc memorantur Comites Palatini, vtpote in Titulo Maximiliani I. inter alia occurrit: *Palatinus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Namurci & Zutphaniæ.* * Carolus V. inter alia Titulo vtitur: *Comes Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Phireti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ & Zutphaniæ,* ** qui tamen antiquitate haut nituntur, nisi forsan dicere velimus, dictos Comites quandoque vicariam potestatem ab Imp. accepisse, ideoque dictos fuisse Comites Palatinos. Habuerunt etiam Impp. in Italia suum Palatii Comitem, qualis temporibus Conradi I. memoratur Odelricus, Palatii Comes, qui ex Sueuorum sanguine duxerat originem. † Eadem ratione dicitur tempore Friderici I. Otto Burgundiæ Dux, Comes Palatinus. ††

* In Constitutione Maximiliani I. contra Blasphemos de a. 1495. apud GOLDASTVM *Tom. II. Constit. Imp. p. 110.*

** In Edicto Caroli V. de a. 1521. apud GOLDASTVM *Tom. II. p. 148.*

† LVITPRANDVS *lib. II. c. XV.*

†† In Constitutione Friderici I. apud GOLDASTVM *Tom. III. p. 335.* & in Constitutione Henrici VI. *p. 366.*

§. XXV.

Officium Comitum Palatinorum Prouincialium in eo constabat, vt Vices Cæsaris gererent, fidem Imperatoris implorantibus adessent, iura ipsius nomine redderent, fiscum Augusti, prædia Salica, reditus regios procurarent, Cæsarum censum exigerent. † Præcipue vero ipsorum munus in eo constabat, vt sub banno iudicarent imperiali. †† Hinc distinguebantur a reliquis Comitibus, qui sub Ducum erant potestate, hi saltim sub Imperatoris, ideoque ab istis ad hos po-

 terat

terat adpellari. Iudicabant itaque in Palatiis ipſis adſignatis cauſſas Palatinas ſeculares, ††† quandoque etiam ex iure conceſſo, Monaſteriorum, immo etiam publicas, quæ ipſam regni vtilitatem in quauis prouincia concernerent. †††† Adiuncti ipſis erant Scabini Palatii. Vicarii itaque erant Imp. & iudicia Palatina in prouinciis exercebant. Ipſos quoque inter alios Imperii Status Comitiis interfuiſſe ††††† animaduertimus. An vero diſſipatis Terris Immediatis, & exorta Statuum Superioritate, intermiſſa per tot Secula horum Palatinorum Iura hodie reſtitui poſſent, de eo merito dubitamus.

† AVENTINVS *lib. IV. Ann. Boi. c. XXIII. n. 12.*

†† SPEC. SAX. lib. III. art. LXIV. *Palantzgrauii & Landgrauii ſub banno vt Comites iudicant imperiali, & ideo eis ſexaginta ſolidi pro mulcta dantur.*

††† WALAFRIDVS STRABO lib. de reb. Eccleſ. c. XXXI. *quemadmodum ſunt in Palatiis Præceptores vel Comites Palatii, qui ſecularium cauſas ventilant: ita ſunt & illi quos Capellanos Franci appellant, Clericorum cauſis prælati.*

†††† LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1058.* exemplum Friderici Palatini adducit, qui in controuerſia inter Burcardum Halberſtadtienſem & Abbatem Herueldenſem ſuam exercuit auctoritatem. Licet negandum haud ſit, Impp. ſæpe ipſos, ſi in vrbibus Palatinis eſſent præſentes, Iura dare fuiſſe ſolitos, prout DITMARVS *Chron. Merſeburg. lib. VII. p. 402.* ait: *interim Cæſar in Alſtide populis iura dabat.* REINHARD *de O. I. S. ſ. I. §. XIX. ſqq.*

††††† Fridericus I. Summerſenburgicus in Diplomate Henrici IV. de a. 1103. inter alios Imperii Status teſtis adducitur, apud TOLNERVM *Cod. Diplom. Palatino p. 35.* Idem interfuit Comitiis Brunſuicenſibus a. 1129. SPANGENB. *c. CCXVII.* DITMARVS *lib. V. p. 368.* de Comitiis Merſeburgenſibus a. 1136. ſub Lothario Imp. celebratis: *Huc conueniunt Archiepiſcopi Luitzo Bremenſis, & Giſilerius Magdeburgenſis, cum ceteris confratribus Rothario Patheburnenſi &c.*

Duci-

Ducibus autem Bernhardo & Boltzlauo, cum Marchionibus Lothario & Gerone ac Palatino Comite Friderico, aliisque quam pluribus tam Episcopis quam Comitibus. Eundem Comitiis Bardeuicensibus a. 1137. interfuisse, testatur Diploma Lotharii apud MADERVM *Antiq. Brunsf. p.* 117. Plura Exempla quod ad negotia Imperii fuerint adhibiti, adlegant REINHARD *f. I. §. XX.* HORN *de Com. Pal. Sax. §. XXIII.*

§. XXVI.

Sequuntur LANDGRAVII, dicti etiam Comites Prouinciales.* Præerant isti iudicio prouinciali, *dem Land-Gericht*, atque iurisdictionem in certa prouincia exercebant, ideo dicebantur *Land-Richter.* ** Communiter etiam dicuntur *Land-Vœgte*, cum tamen Aduocati Prouincialis & Landgrauii officium fuerit separatum, prout in Alsatia videmus, vbi Alsatiæ Landgrauius atque Aduocatus Prouincialis Hagenouiensis plane erant distincti. A Comitibus simplicibus in eo distinguebantur, quod isti iura in certis pagis vel Ciuitatibus exercerent: hi in certa prouincia. Primis quidem Carolingorum temporibus nulli adhuc memorantur, sed postea fuerunt orti.

* ARNOLD. LVBEC. lib. II. c. XXXV. *cui occurrit Ludouicus, Comes Prouincialis & lib. III. c. IX.* Idem in Nummo dicitur: *Prouincialis Comes de Thuringia.* In Fragmento historico, ALBERTO ARGENTOR. præfixo *Henricus Comes prouincialis Alsatiæ.* SVFFRIDVS PRESBYTER ad a. 1141. de Ludouico Barbato ait: *Landgrauius, quod latine sonat, Comes prouincialis adpellatur.* WILH. HEDA *Hist. Traiect. p.* 206. *super electo Henrico, cognomento Raspe, Comite Prouinciæ Thuringorum, (Landgrauios vocant.)*

** Ita vocantur IVRE FEVD. ALEMANN. *c. XLIV.* SPANGENBERG *Adel-Spiegel lib. X. c. XVIII.* COCCEIVS *cap. V. §.* 41.

§. XXVII.

Omnes autem Landgrauii origine saltim sunt Comi-

tes. Quare etiam Landgrauii Alsatiæ, Sausenbergenses, Nellenburgenses, Baarenses, Klettgouienses, Stülingenses, Brisgouienses, Sisgouienses, Turgouienses, Steueningenses atque alii, Comitum dignitate gaudent. Hinc etiam Landgrauiorum titulus sæpe post Comitum ponebatur. * Soli Thuringiæ atque Hassiæ Landgrauii Principalem dignitatem gerunt, dum Lotharius Imp. Ludouicum III. Thuringiæ atque Hassiæ Landgrauium, in Principum numerum eueheret. **

* SCHILTER *ad Kœnigshouii Chron. p. 1070.*

** *Cap. III.* §. *XX.* Occurrit apud SCHATENIVM *Ann. Paderborn. lib. VIII. p. 771.* Diploma Conradi III. Imp. de a. 1147. quod subscripsit *Luthewicus Comes patria de Thuringia.*

§. XXVIII.

Sequuntur MARGGRAVII, qui a Marcha nomen habent. Marcha autem varie sumitur apud mediæ ætatis Scriptores. * Quandoque notat certum Territorium cum iurisdictione *Marck-Recht*, ** quandoque pagi cuiusdam seu certæ prouinciæ partem, † haut raro etiam limitem & terminum, vnde *die Marck-Steine* dicuntur pro *Grentz-Steine.* ††

* Animaduertit hoc olim SAGITTARIVS *de Marchia Soltwedel.* §. *XXVI.*

** Diploma Dagoberti apud COCCEIVM Dagoberto cap. XVIII. p. 173. *concedimus balneas illas trans Rhenum in pago Auciacensi sitas, cum ipsa Marcha ad ipsas balneas pertinente.* Huc quoque facit DITMARVS lib. VI. p. 396. vbi de Lothario, Marchione: *filii sui met Werinhario beneficium patris, & Marcam cum ducentorum pretio talentorum acquisiuit.* Et in notitia Alemannica GOLDASTI n. 91. *Testificati sunt, quod ex traditione Peratholdi Comitis medietas omnis marchæ, qua ad villam Filisininga nuncupatam aspicit tam in siluis quam in aquis siue pascuis vel aliis quibuslibet rebus ad Monasterium S. Galli iuste & legaliter pertinere debet.* Et Charta XVIII. *& ca-*

& casis cum curtis caterisque adificiis, atque cum siluaticis marchis ad eosdem pertinentibus. WALTRAMVS de vnitate Eccles. cons. lib. II. c. XXXIII. *Egbertus Marcham suam & Comitatus ab Imperatore recepit.*

† CHRON. LAVRISHAM. p. 100. *vt in alia Marca, qua ad Virnheim pertinet de pago Lobodense* ad a. 883. *quasdam res proprietatis sua in Comitatu Wormatiensi in Roecbesheimen marcha* & p. 68. *in pago Enrichgowe in villa vel marcha Audinesheim.*

†† Charta diuisionis Caroli M. c. I. *vt nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites inuadere prasumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum eius vel marcas minuendas.* ANN. FRANC. FVLD. ad a. 788. *similiter & Auares in Marchia Baioaria atque Italia a regis exercitibus victi & fugati sunt.* ad a. 823. *Imperator cum filiis Godefridi pacem quam ipsi petebant, cum eis in marca eorum confirmare iussit.* ad a. 827. *nisi desidia ducum, quos copiis prafecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is quem ducebant, ad marcam venisset exercitus.*

§. XXIX.

Erant igitur Marchiones Comites limitanei, qui ad tutandos fines certi Territorii destinati,* atque in certis Marcis iudicia exercebant, ** licet ipsis sub banno regio iudicare concessum haut esset. *** Communis est opinio, Marchiones Caroli M. temporibus nondum fuisse notos, **** cum tamen & ab HINCMARO ***** & in ipsius iamdum memorentur Capitularibus. ****** Hoc interim certum est, plerosque Marchiones ab Henrico Aucupe fuisse institutos, qui fines regni custodirent. Danis quidem, deuicto Rege Gormone, obiecit Marchiam Slesuicensem, † Sarmatis & Slauis Brandenburgensem, †† Misnensem ††† & Lusaticam, Hunnis Austriacam, †††† Gallis obiectus fuit Marchionatus Antwerpiensis ad Scaldim. ††††† Hi vero, licet Marchiones essent Imperii, sub Ducum tamen erant potestate. Sic Austriae

Marchia Bauaris parebat, * Brandenburgensis Ducatui Transalbino nexa. ** Sic etiam Misniæ Marchionatus Saxoniæ olim subfuit. ***

* Vita Ludouici Pii apud PITHOEVM ad a. 786. *Carolus M. ex Aquitania militem eduxit, relictis tantum Marchionibus, qui fines regni tuentes, omnes, si forte ingruerent, hostium arcerent incursus.* In CAPITVL. lib. IV. c. V. dicuntur: *Comites, qui ad custodiam maritimam deputati sunt.* ANNAL. FRANC. FVLD. ad a. 961. *Carlmannus filiorum Regis maximus, res nouas molitus est. Expulit enim duces, quibus custodia commissa erat, Pannonici limitis & Carantani, atque per suos Marcam ordinauit.* In iisdem ANNALIBVS dicuntur ad an. 969. *tutores partium illarum.* DITMARVS lib. VIII. p. 423. *Henricus, qui Marcham inter Vngarios & Bauarios positam tenuit.* Apud EGINHARDVM *Ann. ad a. 826.* occurrunt *Auarici limitis custodes* ad an. 822. *Comites Marcæ Hispanicæ.* Apud AVCTOREM *Vitæ Ludouici Pii* ad a. 822. *Comites limitum.* CHRON. MOISSIAC. ad a. 814. *Ludouicus disposuit Marchas suas vndique,* ad a. 815. *Ludouicus misit scaras vbi necesse fuit per Marchas, & præsidia per littora maris.* ANN. BERTINIANI ad a. 821. *simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum est.* ANN. FVLD. ad a. 864. *Carolomannus filius Hludouuici Regis Germaniæ, qui in libera custodia cum patre suo morabatur, simulans se venatum ire, a patre fuga labitur, & Marcas sibi a genitore ablatas, cum consensu Marchionum, qui eum tradiderant reoccupat.* ANN. FVLD. ad a. 861. *Expulit duces, quibus custodia commissa erat Pannonici limitis & Carantani atque per suos marcam ordinauit: quod Regis animum rebellionem suspicantis non parum commouit.* Vid. PETRI de MARCA *Marca Hispanica.* LVDEWIG *Formula Duc. Brandenburg p. 9.* CVSPINIANVS *Austria p. 8.*

** Patet hoc ex ARNOLDO LVBECENSI, *lib. I. Chron. Slav. c. LXVII.* dum ait: *vocantur autem vsitato more Marcomanni, gentes vndecunque collectæ, qua Marcam incolunt. Sunt autem in terra Slauorum Marcæ quam plures, quarum non infirma nostra Wagirensis est pro-*

prouincia, habens viros fortes & exercitatos præliis, tam Danorum quam Slauorum. Super hos omnes functus est Comes honore Cometix.

*** SÆCHSISCH LANDRECHT lib. III. art. XII. *kein bescholden Vrtel mag man ziehen aus einer Graffschafft in ein Marck, obgleich der Graff die Graffschafft von einem Marggraffen hat: Das ist darumb, das inn der Marck kein Kænigs-Bann ist, und ihr Recht zweiet sich, darumb soll man es vor das Reich ziehen.*

**** KRANTZIVS *Vandalia lib. III. c. XVI.* LEHMANN *lib. II. c. XVII. der Graffen seyndt nur dreyerley unter der Carolinorum Regierung, Pfaltz-Grauen, Grauen und Cent-Grauen, und weder Marggrauen noch Landgrauen im Teutschen Reich zu befinden.*

***** In sæpe allegata Admonitione n. 30. *si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextra data fuissent.*

****** Ipse LEHMANNVS *lib. II. c. XV.* adlegat Capitulare Caroli M. Aquisgranense de a. 804. in quo sequentia: *Ego Carolus, qui Deo fauente curam Regni gero, & Romanorum Imperator existo, consilio principum regni nostri, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum &c.* In alio Capit. Quarto c. IV. apud BALVZIVM p. 529. Idem testatur locus ante adlegatus ex vita Ludouici Pii. *Præfectorum Saxonici limitis* mentionem facit MONACHVS BENEDICTINVS *ad a. 706,* Saxoniæ Marchionum EGINHARDVS. In Diplomate Ludouici Pii apud PITHOEVM p. 428. *in ea portione Hispaniæ, quæ a nostris Marchionibus in solitudinem redacta fuit.*

† ADAMVS BREM. Hist. Eccles. lib. I. c. XLVII. *Sic Heinricus victor apud Sliaswich, quæ nunc Heidaba dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem statuit & Saxonum coloniam habitare præcepit.* HELMOLDVS *lib. I. c. VIII.*

†† LVDEWIG *de form. Duc. Brandenb. p. 18.*

††† DITMARVS lib. I. p. 329. *hic* (Henricus) *montem vnum iuxta Albim positum & arborum densitate tunc occupatum, excoluit, ibi vrbem faciens. Cui de riuo quodam qui in septentrionali parte eiusdem fluit, nomen Misni imposuit, quam, vt hodie in vsu habetur, præsidiis & impositionibus cæteris muniuit.* S. H. G. *diss. XI. §. XI.*

†††† CVSPINIANVS *Austria p. 8.*

††††† IAC. le ROY & SCRIBANIVS *de S. R. I. Marchionatu Antwerpiensi.*

* Patet hoc ex TRITHEMII Chron. Ducum Bauariæ ad a. 1156. dum ait: *Nam antehoc Marchiones Austriæ, quotiescunque per duces Bauariæ ad curiam eorum fuissent vocati, tanquam subiecti illis solebant occurrere, quemadmodum Comites, & alii nobiles adhuc tenentur obedire.* Idem dicit HENRICVS STERO *ad a. 1156.* S. H. G. *diss. XVII. §. XXI.*

** Vid. LVDEWIG *p. 35. & 41.*

*** COCCEIVS *cap. XV. sect. III. §. 30.*

§. XXX.

Aliæ ab his erant Marchiæ quædam Prouinciales, in finibus certorum Ducatuum constitutæ. Sic Ducatus transalbini terminum constituisse videtur Marchia Soltwedelensis: * Ducatus Sueuiæ Marchia Burgouiensis: Ducatus Bauariæ Marchia Carniolæ, Istriæ & Carinthiæ: ** Ducatus Franconiæ Marchia Suinfurtensis *** & Marchiones a certis Marcis, quibus præfecti, sic denominati. Hi igitur tanquam Status & Vasalli a Ducibus suis poterant euocari. †

* Vid. SAGITTARII *Hist. Marchiæ Soltwedelensis.*

** HENRICVS STERO ad a. 1156. *Austriæ Marchionatus a iurisdictione Ducis Bauariæ exemtus est. Stiriæ, Istriæ, Carnotensis, qui dicebatur de Vohburg, euocati ad celebrationem Curiæ Ducis Bauariæ veniebant, sicut hodie Episcopi & Comites ipsis ferme facere tenentur.* Huc facere videtur REGINO ad an. 955. vbi de Ottone M. *Henricus frater regis desperatis rebus recuperatis, recepto Bauariæ ducatu obiit: cuius filio Henrico Pius Rex ducatum & Marcam dedit.* Inde occurrit apud TRITHEMIVM Chron. Duc. Bau. p. 107. *Ernestus, Marchio Bauariæ.*

*** HERM. CONTRACTVS ad a. 1048. *Imperator natalem Domini in Saxonia moratus, confestim per VVurciburgum in Alemanniam venit,* &

& Vlmæ colloquium habens, Ottonem de Suinfurto Marchionem, Sueuis Ducem constituit.

† Vid. LVDEWIG *form. Duc. Brandenb. p. 25.*

§. XXXI.

Habuerunt Marchiones ab initio saltim Comitum dignitatem, ita, vt Henricus de Segusio, Iure-Consultus Italus, dicat, in Italia maiores esse Marchiones quam Comites: in Arelatensi vero regno Comitibus Marchiones esse minores. * Fuerunt tamen inter hos, qui iure speciali inter Principes fuerunt euecti. Marchiones Brandenburgenses postquam inter Officiales Imperii fuerunt adlecti, Ducum dignitatem obtinuerunt. ** Austriæ Marchiones ab Henrico IV. a. 1058. in Principum, a Friderico Barbarossa in Ducum ordinem fuerunt recepti. *** De Misnensibus Marchionibus non adeo constat, quando in Principum numerum fuerint recepti, referuntur tamen inter hosce a mediæ ætatis Scriptoribus † & si coniectari licet, initium fieri debet a Conrado Thimonis filio, de quo FABRICIVS, †† quod Prouinciæ Misnensis plenam consecutus fuerit potestatem. Wilhelmum, Iuliacensem Marchionem Ludouicus Bauarus an. 1329. Principis dignitate ornauit. ††† Eandem adepti Marchiones Badenses, licet de prima origine adhuc dubitetur. †††† Reliqui Marchiones, Stadenses, Soltwedelenses, Burgouienses, eandem Comitum dignitatem adhuc gerunt.

* *In aurea summa lib. V. de pœnis & remiss. p. 1422.* Quare etiam ALBERICVS *ad a. 1157.* dicit: *Albertus Marchio Comes in Saxonia.*

** Marchiones hi saltim dicti fuerunt in Saxonia. OTTO FRISINGENSIS de g. Friderici I. lib. I. c. XXI. *Nobilissimus Marchio Saxoniæ Albertus captus fuerat.* CHRON. SAXO ad a. 1130. *Marchia septentrionalis tradita est Conrado filio Helperici de Plozeke.* DITMARO lib. III. p. 345. *Brandenburgensis Episcopatus Defensor* vocatur Thiedricus.

dricus. Sub Conrado III. vero Imp. titulus Marchionis de Brandenburg cœpit. Adducit SCHATENIVS *Ann. Paderborn. lib. VIII. p. 762.* Diploma Conradi III. de a. 1145. quod subscripsit *Adelbertus Marchio*, & p. 771. aliud de a. 1147. quod subscripsit *Adelbertus Marchio de Brandenburch, Otto filius ipsius æque Marchio Herimannus filius eiusdem Adelberti Marchionis.* Licet etiam hic titulus nondum esset communis, qui tamen postea magis inualuisse videtur, postquam Albertus iste vrbem Brandenburg cepisset, de quo ALBERICVS ad a. 1157. *Brandeburch castellum in terra Slauorum trans Albim per quod pagani Christianos grauiter affligebant, Albertus Marchio Comes in Saxonia obsedit & cepit, positisque in eo militibus, Slauos humiliauit, ac per hoc Christianorum fines multum dilatauit.* Verum, de eo adhuc dubium superest, quando Brandenburgici Marchiones, qui olim non nisi Comitum dignitatis erant, Ducalem obtinuerint. Epistolam Germaniæ Principum ad Innocentium III. scriptam, Marchio Brandenburgensis inter alios Marchiones subscripsit, quam exhibuimus *c. XVI. §. V.* Diploma Ottonis IV. de a. 1209. in TOLNERI *Codice Diplomatico n. LXXI.* Albertus Marchio Brandenburgensis inter alios Comites testes subscripsit. LVDEWIG *formula Ducatus Brandenburgici p. 42.* Diploma adducit Ottonis Brandenburgici de a. 1196. in quo Marchiam suam Brandenburgicam vocat Ducatum Transalbinum. Mihi sic videtur, postquam circa tempora Friderici I. Imp. Brandenburgici Marchiones inter Imperii Officiales fuissent adlecti, Ducum dignitatem fuerunt adepti, non vero omnes, sed ille saltim, qui tanquam Officialis Electoratus iura exerceret.

*** *c. XI. §. VI.*

† MATTHÆVS PARIS *ad a. 1257. Addit. ad* LAMB. SCHAFNABVRG. *ad a. 1290.*

†† *Ann. Misn. lib. V. p. 338.* Exinde COCCEII sententia minime valet, qui *Prud. I. P. c. XV. §. 24.* Misniæ Marchiones ex Statuum numero excludit, quia Slauicæ fuerint originis, cui satis respondit HORNIVS programmate inaugurali adiecto IO. GOTHOFREDI KRAVSII dissert.

Differt. inaugurali *de dispositione L. 1. C. quando libellus Principi oblatus litis contestationem faciat.*

††† *c. XI. §. VI.*

†††† In Pacto inter Fridericum III. Imp. & Eugenium Papam de an. 1152. apud GOLDASTVM *Tomo III. p. 322.* adhuc vocatur *Hermannus de Baden Comes.* In Diplomate Conradi III. de an. 1147. apud SCHATENIVM *lib. VIII. p. 771.* inter Comites subscribunt *Herimannus Marchio de Bada, VVernerus Comes de Bathen.*

§. XXXII.

Vltimi sunt BVRGGRAVII, qui Castellani erant, siue Iudices atque Præfecti certi cuiusdam Burgi Imperialis. Scilicet, in quibusdam vrbibus Imperialibus Burgi atque Castella erant extructa, ad defendendam vrbem & loca finitima, quæ dicebantur *die Kayserliche Burg*, qualia Noribergæ, Magdeburgi, Rotenburgi, Altenburgi & alibi, quibus præerant Burggrauii, in iisdemque Imp. nomine iudicia exercebant * in Burgum & loca finitima, quæ ideo dicebantur Iudicia prouincialia, & non in ciuilibus solum consistebant, sed etiam criminalibus. ** Dicebantur etiam Iudices Marchionum. *** Distincta autem erant iura Burggrauiorum, Præfectorum & Sculteterorum Imperialium in vrbe quadam Imperiali. Præfecti Imperiales *die Reichs-Vögte* iudicium Criminale exercebant, Sculteti *die Reichs-Schultheissen* iudicium ciuile, Burggrauii vero, non nisi in certis caussis, in ipsa vrbe iudicium exercebant, scilicet in caussis opificiariis † & si a Sculteto iustitia fuerit denegata †† alias in vrbe nulla ipsis competebat iurisdictio extra Burgum, sed in locis vicinis Burgi iurisdictioni subiectis. Quare etiam certa sub se habebant castra, certos ministeriales, qui ipsorum iurisdictionem adgnoscere tenebantur, qui dicebantur *die Burgmænner*, ††† quales hodie

ſunt Fridbergenſes. Exinde dicuntur etiam Præfecti †††† atque Caſtellani, apud Italos Vice Comites, *Vicontes.*

* VOSSIVS *Comment. de geſtis Fabiani, Burggr. de Dhona p. 15.* SPANGENBERG *Adel-Spiegel lib. X. c. XX.*

** Patet hoc ex Diplomate Rudolphi Habsburgici *de Burggrauiatu Noribergenſi*, apud WAGENSEIL *de Rep. Noriberg. p. 293.*

*** SPEC. SAXON. *lib. III. art. LII.*

† Patet hoc ex Statutis Argentoratenſibus cap. XIV. *von dem Burggraffen* apud KÖNIGSHOVEN p. 705. *zu des Burggraffen Ambacht hœret, das er ſoll ſetzen Meiſter, viel bi über alle die Ambacht in der Stadt über die Sattler, die Kurſenner, die Hentſcuher, die Schuchſutere, die Schmiede, die Mülner, die Kufere, die Beebrer, die Schwerdtfeger, die Obſer, die VVinlute, und hat Gewalt zerichtenne über dirre Miſſethat, die ſuslich Ambach bant, an der Statt da man abe ſrichten ſoll und beſſern, das iſt in des Biſchoffs Pfallentze.*

†† WEICHBILD *art. XVII. Nu vernemet darumb, ob der Schultheis iemands irret, an ſeiner Klag, und im nicht Rechtes hülffe, wegert er das mit Vnrecht, und wird darum beklaget vor dem Voigt (das iſt, vor dem Burggraffen) mit Gezeugen, des mus er mit denſelben Gezeugen entgehen, die iener auf ihn angibt.*

††† HERTZOGS *Elſaſſiſche Chronic. lib. IX. c. III.*

†††† In Diplomate Conradi III. apud HEDAM *p. 167.* ſubſcribit: *Godefridus præfectus Norembergenſis.*

§. XXXIII.

Ex hoc facile patet, quid ſentiendum ſit de illorum opinione, qui dicunt, Burggrauios cum Comitibus Ciuitatum fuiſſe eosdem, cum multum adhuc diſcrepabant. * Hi enim in Ciuitate ſaltem & omnem exercebant iurisdictionem: iſti extra ciuitatem & non niſi conceſſam. Gerebant autem Burggrauii ſæpe etiam Aduocatiam Epiſcopatuum & Monaſteriorum. Et licet primum vice Imp. iudicia exercerent, in quibusdam tamen Ciuitatibus Epiſcopalibus ab Epiſcopis con-

constituebantur, iisdemque subiiciebantur, prout Burggrauius Argentoratensis ab Episcopo fuit constitutus. ** Adsignatum autem ipsis certum territorium, certa vectigalia † atque reditus, quos salarii loco perciperent.

* HORNIVS *de Burggrauiis Magdeburgicis* §.*IV*. THOMASIVS *de Iurisdict.* & *Magistratus different.p.*100.

** STAT. ARGENT. cap. I. n. 8. *Der Bischof setzet vier Ambacht, mit finer Hant, an den vier Ambachten so statt die Berichtenge dirre Statte: Das ist das Burgrauunthum, das Schultheisenthum, und das Müntzermeisterthum und das Zolnerthum.*

† STAT. ARGENT. cap. XV. *und aber zu des Burgrauen Recht hœret, ze nemene sumlich Zolle.*

§. XXXIV.

Burggrauiorum & Burggrauiatus nomina plurima supersunt. *Burggrauiatus Noribergensis*, quo tempore fuerit erectus, non satis constat, constitutus tamen ideo, vt Burggrauii vrbem, & circumiacentem regionem defensarent, & iudicio Burggrauiatus præessent. Ex quonam stemmate primum fuerint desumti, omnino est incertum, cum hoc in arbitrio fuerit Cæsarum, certum tamen, Vohburgenses Marchiones huic Comitiæ præfuisse, quibus successerunt Zollerani. Rudolphus Habsburgicus a. 1274. Fridericum Zolleranum hæreditario iure inuestiuit *de Comitia Burggrauii de Nürmberg castro quod tenet ibidem, custodia portæ, sita prope idem Castrum, Iudicio prouinciali in Nürmberg.* Inde Carolus IV. speciali priuilegio an. 1363. Burggrauios Noribergenses in Sacri Romani Imperii Principum dignitatem euexit. Hinc a Ruperto Imp. Iohannes & Fridericus Burggrauii an. 1401. de Principatu, *mit einem Fürstenthum* fuerunt inuestiti. Postquam primus ex Burggrauiis Elector Brandenburgicus, Fridericus, a. 1427. vrbi Noribergensi Castrum cum pertinentiis

vendidisset, controuersia adhuc superest, an in ipsa vrbe iuris adhuc reliqui quid sit Burggrauiis, quod plane negant Noribergenses, licet Burggrauii litem vrbi hac de re in Camera mouissent. * Sic etiam in Ducatum versus fuit Burggrauiatus Rotenburgensis. **

* Singula, quae diximus, plenius exponuntur a VVAGENSEILIO *Rep. Noriberg. lib. II. cap. I.* Vid. etiam MÜLLER *Maximiliano IV. Vorst. c. XXVII.* IO. GEORG. LAYRITZ *de Burggrauiatu Norico, Baruthi 1677. 4.*

** Memoratur enim OTTONI de S. BLASIO *c. XVIII. Fridericus, Dux de Rotinburch.*

§. XXXV.

Post Noribergensem, sequitur *Burggrauiatus Magdeburgensis.* Hic a temporibus vel Caroli M. vel Henrici Aucupis ducitur, * vt vicinis praeesset Vinidis atque Aduocatus sit Archiepiscopatus Magdeburgensis. Praefectus siue *der Obriste Vogt zu Magdeburg.* Dependebat ab hoc Burggrauiatu Aduocatia ** vrbis Halensis, *das Grafen-Geding zu Halle.* Dum vero ad Comitum saltim pertinerent dignitatem Burggrauii, Comites ad Albim fuerunt dicti, *** & nunquam in Principum dignitatem fuerunt euecti. Inde non solum Imperii Constitutiones inter Comites alios subscribunt, **** in litteris inuestiturae Friderici Bellicosi de an. 1426. Burggrauiatus Magdeburgensis post Comitatum Brenensem ponitur, † sed etiam Burggrauii solummodo ex familiis Dynastarum & Comitum fuerunt desumti, quales fuerunt Dynastae de Walbeck, Klotzke, Querfurt, Comites Hardeccii. Cessit tandem per litteras inuestiturae Sigismundi Imp. Electoratui Saxonico, & cum hoc ab Ernestina linea ad Albertinam fuit delatus. †† Saepius tamen de eo cum disceptaretur, tandem inter Augustum,

ſtum, Saxoniæ Electorem, atque Ioachimum Fridericum Administratorem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Islebii an. 1579. ita conuenit, vt iuri quidem Burggrauiatus renuntiaret Auguſtus, titulo tamen ſeruato & præfecturis ad dictum Burggrauiatum pertinentibus, Gommern, Ranis, Elbenau & Plötzkau. †††

* CHRONOGRAPHVS SAXO an. 968. iamdum de temporibus Ottonis M. *Fridericus præfecturam in Magdeburg amminiſtrauit.* Vberius de eodem egit HORNIVS *de Burggrauiis Magdeburgicis* §. *IX. ſqq.*

** Patet hoc ex MONACHO PEGAVIENSI, dum de Wiperto Groicenſi ad a. 1124. ſic loquitur: *quod principatum ac monarchiam in Luſitz, ſed & præfecturam in Magdeburg obtinuerit.* Et paucis interiectis: *in villa Halle, vbi Aduocatia cauſas adminiſtrabat.* Hoc igitur eſt, quod in litteris Inueſtituræ Sigismundi Imp. Friderico Bellicoſo an. 1425. factæ, vocatur *Burggraffſchafft und Grafen-Gedinge zu Magdeburg und Halle.* Eadem ratione in Libello *de fundatione Cœnobii Bigaugienſis ad a. 1124.* vocatur: *Præfecturæ in Magdeburg principalis.* In VVEICHBILD *art. XIII. den oberſten Voigt von dem Gottes-Hauſe von Magdeburgk, das iſt, der Burggraff zu Magdeburg.* Art. XIV. vocatur *Oberſte des Gotteshauſes,* art. XLIV. *der hœchſte Richter zu Magdeburg.* Auctor quidem *der Gründlichen Nachricht was es mit dem Burggraffthumb Magdeburg in alten und ietzigen Zeiten vor Bewandnis gehabt und noch habe,* demonſtrare voluit, quod Burggrauius Archiepiſcopi *Bedienter und Gerichtshalter* fuerit, cui tamen dicta loca contradicunt, quæ maiorem ipſi tribuunt auctoritatem, id quod etiam Auctor *der Vnpartheyiſchen Erinnerungen* animaduertit.

*** SPENER *de inſign. Saxon.* §. *23.* Quare etiam de Magdeburgenſi hoc Burggrauiatu in CHRONICO MONTIS SERENI *ad a. 1136. Henricus Marchio & Magdeburgenſis Præfectus, filius VViperti, ad curiam pergens Moguntiæ moritur II. Kal. Ian. cui in Comitatu Magdeburgenſi ſucceſſit Burchardus frater Archiepiſcopi.* Eadem repetit CHRONOGRAPHVS SAXO *ad a. 1136.* CHRON. MAGDEB. apud MEIBOMIVM *Tomo III. p. 328.* IO. GOBELLINVS Comment. rerum ſub Pio II. lib. I. p. 19. *Michael Comes Magdeburgenſis.* Diplomata Magdeburgenſes Burggrauii

grauii inter Comites ſemper ſubſcribunt, prout illud Ottonis IV. de a. 1209. docet, quod Geuehardus Burggrauius Magdeburgenſis, poſt Comitem de Brene ſubſcripſit, apud ROLNERVM *Cod. Diplom. n. LXXI.* Quod etiam HORNIVS §. *XLIV.* non diffitetur, licet hunc Burggrauium ſub Friderico III. Principalem dignitatem fuiſſe adeptum, ex quadam Matricula demonſtrare fruſtra contendat.

**** Ideo in Diplomate Henrici VI. Imp. apud HEDAM *p. 178.* inter Comites ſubſcribit *Gebhardus, Burggrauius de* Magdeburch. Idem patet ex ſubſcriptione Conſtitutionis Caroli IV. apud GOLDASTVM *Tomo II. p. 93.*

† Reperiuntur iſtæ apud ALBINVM *Chron.* Miſn. *lib. VIII. f. 199.*

†† Patet hoc ex verbis THVANI lib. VIII. p. 238. *Mauritius omnium ordinum lætitia Burggrauius* Magdeburgenſis *ſalutatur.* Hæc ſingula vberius perſequitur HORNIVS *de Burggrauiis* Magdeburgicis *§. XXIV. ſqq.*

††† Reperitur hæc Transactio Islebienſis in ELECTIS I. P. *Tom. I. cap. VI. p. 534.* LVNIG *p. ſpec. Cont. II. p. 109.* MÜLLER *Ann. Sax. ad a. 1579.*, HORNIVS §. *XL.*

§. XXXVI.

Burggrauiatus Miſnenſis ab Ottone M. dicitur inſtitutus, vt nomine Imp. iura redderet in Epiſcopatu Misnenſi. Burggrauiatum hunc primi poſſiderunt Comites Ileburgenſes, poſt ad alios Comitum familias peruenit. * Extincta vero antiqua Burggrauiorum linea, Sigismundus Imp. de eodem an. 1426. inueſtiuit Henricum Ruthenum, Aduocatum Plauienſem, quem etiam vna cum hæredibus & adgnatis in numerum Principum Imperii euexit, quod inde a pluribus Impp. fuit confirmatum. Dum autem Domus Saxonica Ruthenis de hoc Burggrauiatu ſcrupulum moueret, conuenit tandem an. 1545. vt Rutheni iure Burggrauiatus vna cum arce Frauenſtein aliisque ad Burggrauiatum Misnenſem ſpectantibus bonis, accepta certa pecuniæ ſumma, cederent, titulo tamen

tamen Burggrauii vterentur. Extincta vero a. 1572. Linea Ruthenorum Burggrauiali, adgnati hoc Titulo amplius vsi non fuerunt. **

* ALBINVS *Chron. Misn. tit. VIII. f. 97.*

** Plenius hæc exponuntur in PETRI BECKLERS *Reussischen Stamm Baum p. 61.* & apud PECKENSTEINIVM *Theatro Saxonico p. 267.*

§. XXXVII.

Burggrauiatus Stromburgensis ab arce eius nominis dictus, quæ sita in ditione Monasteriensi, in vicinia vrbis Wildenbrugii, & sub eo Burggrauiatu fuit præfectura Crassenstein, quæ nobilibus de Wenden paret. Proprios olim habuit Burggrauios, sed tempore Caroli IV. eundem Burggrauiatum sibi vindicauit Florentius, Episcopus Monasteriensis. * Exinde Episcopi hunc Titulum semper gesserunt, prætendunt etiam de eodem Sessionem & Votum in Comitiis, in Principum Collegio, impetrarunt quoque Decretum Commissionis Cæsareæ, ** nec tamen adhuc fuerunt admissi. Immo, dum nulla ipsis olim quam Comitis dignitas, nec admitti poterunt. Würtzburgenses Burggrauii siue *Vægte der Stadt Würtzburg*, fuerunt Hennebergici Comites. ***

* HAMELMANN *de familiis emortuis lib. I. p. 68.*

** LIMNÆVS *I. P. lib. IV. c. VII.* EVROP. HEROLD *p. I. c. XXII. p. 374.*

*** SPANGENBERG *Chron. Henneberg. lib. I. c. VII. lib. II. c. IX.* FRIESENS *Würtzburg. Chronic. p. 556.*

§. XXXVIII.

Burggrauii *Dhonauienses, Fridbergenses, Kirchbergenses,* & qui non nisi nomine adhuc noti sunt, *Rheineccenses, Altenburgenses, Landsbergenses, Leisnicenses, Ratisbonenses, Zörbicenses, Altzeenses, Starckenburgenses, Rheinfeldenses,* non nisi Comitum dignitatem semper habuerunt. Inter hos plu-

res erant Prouinciales, a Ducibus saltim constituti. Sic PETRVS ALBINVS * in Terra Misnensi septem numerat Burggrauiatus. Talis erat Burggrauiatus *Capellendorfensis*, sub Thuringiæ Landgrauiis. ** Hi autem saltim Castellani erant, hodie *Burg-Vægte*, qui etiam infra Equites collocantur. ***

* *Chron. Misn. Tit. VIII. p. 97.*

** *diss. de allodiis Imperii §. XIX.* vid. PFEFFINGER *lib. I. Tit. XVII. p. 698.*

*** Prout fit in Prooemio Reformationis Friderici III. Francofurtensis de a. 1442.

§. XXXIX.

Præter hosce, qui in Germania erant præcipui, alii quoque Comites occurrunt, qui partim a Territorio denominantur, partim a certo officio, & plerumque reliquorum Comitum erant subalterni. Inter hos primo loco veniunt *Comites Rheni & Syluestres, die Wild- und Rhein- Graven.* Habent isti originem suam a Comitibus Pagi Rhenensis, *dem Rhingau*, quorum in antiquis monumentis fit mentio. * Comites vero Nemoris seu Syluestres a Carolo M. dicuntur constituti, vt præessent syluæ Ardennæ. ** Hoc certum, quod Comites Palatini olim sic dicti, atque in diuisione filiorum Hermanni I. Palatini, circa an. 957. eundem Comitatum Nemoris Ezo & Hetzilo inter se diuiserunt. *** Ab his Comitatus & Ius Nemoris feudi lege ad Comites Iuliacenses fuit delatus. † Hinc propriam nactus est Comitum familiam, qui adhuc dicuntur *die Wild-und Rheingraffen,* & non solum Vasalli sunt Imperii, sed etiam Vasalli Electoris Palatini.

* De hoc FREHERVS *Origg. Palat. lib. I. c. III. & VI.* SPENER *Op. Herald. lib. I. c. LXXVI.* Vide supra §. *XI.*

** SPANGENBERG *Adel-Spiegel lib. X. c. XXV.*

*** TOLNER *Hist. Palat. c. VIII. p. 223.*

† Patet hoc ex litteris Guilielmi, Comitis Iuliacensis, Ottoni illustri Rheni Palatino Francofurti a. 1230. datis, quibus inter alia declа-

clarat, se Comitatum & Ius Nemoris ab eodem in feudum tenere, TOLNER *cap. III. p. 96.*

§. XL.

Alii sunt minores Comites, Maiorum vel Vicarii, vel sub iisdem Iudices. Tales erant Comites Centenæ, *die Centgraffen*, a Centenariis sic dicti, qui sub Comitibus erant, & non nisi res minoris momenti iudicabant.* Comites Gouæ, *die Gograuen*, eligebantur, vbi ordinarius iudex deficeret, a rusticis trium villarum, atque iurisdictio illorum saltim erat momentanea, vnico die naturali circumscripta. ** Minores etiam Iudices erant *Dinggrauii*, *Friegrauii* iudicio Westphalico præerant, *Heregrauii* exercitum ducebant. *Hograuii* Burggrauiis erant subiecti ad custodiam Burgi. *Cammergrauii* præerant metallifodinis, *Salzgrauii* salinis. *Hansgrauii* commerciorum curam & iurisdictionem habebant, a voce *Hansa*, quæ societatem commerciorum caussa institutam, indicat. *** *Dyckgrauii* aggeribus erant præfecti, † *Raugrauii* REINESIO †† dicuntur quasi Comites asperi, hirsuti. Verum, hæc sententia ab aliis merito reprobatur, quibus Raugrauii idem est ac *Rügegrafen*, ††† qui iudiciis criminalibus *denen Rüge-Gerichten* præfuerunt.

* Supra §. IV. SCHOTTELIVS *von unterschiedenen Rechten in Teutschland cap. VII.*

** SPEC. SAX. lib. I. art. LV. *ad hoc licite Gograuius eligatur, qui ad minus ab incolis trium villarum seu prædiorum istius iudicatus eligatur, & hoc, si iudex ordinarius non habeatur* & art. LVI. *in Gograuionatu de iure non erit feudum, neque successio: quia de libero rusticorum consistit arbitrio, Gograuium eligere ad præsens factum, vel ad tempus præsignatum.*

*** LAMBECIVS *rer. Hamb. lib. II. p. 27.* Fridericus II. Ratisbonensibus Priuilegium concessit de a. 1230. in quo; *ciues potestatem habeant eligendi Hansgrauium, qui disponat & ordinet extra ciuitatem & non intra ea tantum, quæ respiciunt negotia nundinarum.*

† Plenius de singulis egit SPANGENBERG *Adel-Spiegel lib. X. c. XXII. & seqq.*

†† *Var. Lect. lib. II. c. XVI.* BROWERVS tamen *Ann. Treuir. ad a. 1333.* se tabulas publicæ pacis inspexisse dicit, quibus inter alios subscripserint: *Henricus*, *Georgius*, *Conradus*, *Rupertus*, *Hirsuti Comites.* Vid. LVDEWIG *ad A. B. p. 150.*

††† GRYPHIANDER *de Weichbildis Saxon. cap. LXXI. §. 7.*

§. XLI.

Vltimo considerandi veniunt BARONES & DYNASTÆ. Hi medii erant inter Comites atque Ministeriales, & dicuntur Iure Alemannico, *die Mittelfreyen*, qui postea simpliciter dicti, *die Freyherren*, LIBERI DOMINI. Media enim ætate distinguuntur Liberi Domini, Medioxumi & Ministeriales. Liberi Domini erant, qui certas Dynastias iure possidebant plane libero, & nullius iuri obnoxii. Hi in eo a Comitibus erant distincti, qui Ministri erant Imp. & Imperii, licet ex eorum ordine Comites sæpius fuissent desumpti. Medioxumi, *die Mittelfreyen*, qui prædia possidebant allodialia, nullis ministeriis, nullis seruitiis subiecta. Dicti etiam Nobiles & Liberi Homines; Ministeriales vero, siue *die Dienstmannen*, qui ministeria præstabant atque seruitia, siue militaria, siue Palatina. Inter hos vero erant, qui ob ministeria atque seruitia, quæ præstabant, quasi proprii Dominorum suorum directorum fuerant facti. * Liberorum Dominorum diuersæ erant Classes. Quidam saltim dicuntur *die Herren*, Dynastæ, qui bona patrimonialia & allodialia possidebant, Imp. nullis nec feudis nec officiis adstricti. Tales ab antiquo sunt Dynastæ Rutheni, Arnstadtienses, Sondershusani, Plauienses, Schönburgii, Graitzenses, Kranichfeldenses, Rauensteinii. Megapolitani dicuntur *der Lande Rostock und Stargard Herren*, Principes Anhaltini *Herren zu Zerbst und Bernburg*, vt alios taceamus. ** Ex his Rutheni atque Schönburgii a Leopoldo Comitum dignitate fue-

fuerunt ornati. Ab his distincti *Edle Herren*, qui a Saxonum satrapis orti videntur, cum non nisi in Saxonia atque antiqua Saxoniæ parte, Westphalia tales reperiantur.*** Dicebantur isti *Nobiles viri*,**** ad distinguendum a Comitibus, qui dicebantur *Illustres*, ***** & possidebant sola bona allodialia, quæ vel talia manserunt, vel in feudum oblata Comitatus fuerunt facti. Quales sunt: *Edle Herren von der Lippe, Edle Herren von Spiegelberg, Edle Herren von Warberg, Edle Herren von Heldrungen, Edle Herren von Querfurt, Edle Herren von Ascanien.* Tales etiam ob gentis antiquitatem, Comitibus æquiparantur. Hinc dicitur *Grafen und Edle Herren von der Lippe.* Tertia classis est eorum, qui dicuntur *Semperfrey*, quales dicti isti, qui immediati plane erant, iudicio Synodali plane non subiecti, *Sendbahrfreye.*† Quales olim dicebantur *die Semperfreye von Limburg*, Comites Leiningenses, *Semper freye von Westerburg.* Alii simpliciter adpellari voluerunt *Freyherren*, quod pro vsu hodierno magis est quam *Herr*, cum omnes Nobiles hodie hoc Titulo vtantur, atque tales erant, qui nec Ministeria nec Officia præstarent.†† Banderesii, *Panierherren* erant, quibus Ius gerendi Banerii in actibus solennibus fuerat concessum. †††

* De his dictum fuit vberius in HIST. IVR. *cap. VIII. §. XI.*

** Longum eorum Catalogum nectit B. de BIBRAN *de Iure Baronum cap. II. §. 101.*

*** LEHMANN *lib. II. c. XVII.*

**** WITTICHINDVS lib. II. p. 643. *placuit nouo Regi* (Ottoni M.) *nouum principem militiæ constituere: elegitque ad hoc officium virum nobilem & industrium, satisque prudentem nomine Hermannum.* Hunc sequitur CHRON. SLAV. apud ERPOLDVM LINDENER. *cap. VIII. Hermanno nobili Viro Saxonia commissa.* Vid. pluribus MEIBOMIVS *Vindiciis Billingianis.* In Diplomate Gerardi, Gelriæ Comitis dicitur: *nobilis Vir, Hermannus de Lippia* apud HEDAM *p. 199.*

***** Diploma Caroli M. apud BALVZIVM Tom. I. p. 249. *quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illustrem ibidem Comitem ordinamus.*

† Semper-Freye olim dicebantur omnes Immediati, etiam Principes, de quibus SCHWABEN-SPIEGEL *c. XLVII. es heissent eins Semperfreyen, das sind die freyen Herrn, als Fürsten, und die andere freyen zu Mann haben.* Dicebantur autem *Semper Mann, die niemand mit Recht verwerffen kan*, prout explicatur in Constitutione Rudolphi Habsburgici in Comitiis Würtzburgensibus a. 1287. apud LEHMANNVM *lib. V. c. CVIII.* & in Constitutione Alberti apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. II. c. XXIV.* SCHILTERVS *ad Ius Feud. Alemann. cap. I. §. XVI.*

†† Nouiter ADAMVS FRIDER. GLAFEY Dissertationem Epistolicam scripsit de *Titulo Domini atque Baronis*, verum parum illustrantem. Præstat omnino SIGISMVNDI L. Bar. de BIBRAN *Dissertatio de Iure Baronum, Halæ 1696. 4. qui cap. II. §. XXXVIII.* longum eorum Catalogum nectit. GVNDLING *de Feudis Vexilli §. XXIII.* LVDEWIG *ad A. B. p. 45.* Videri etiam potest: *Send Schreiben über die Frage, daß dem heutigen Reichs-Herkommen nach Freyherr mehr sey als Herr, Iena 1715. fol.*

††† Sic Rutheni a Rudolpho Palatino, Imperii Vicario a. 1294. tali modo inuestiuntur apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 202. videlicet Clipeum & Bannerium siue Vexillum eis contulimus & conferimus, ac eos inuestiuimus & inuestimus præsentialiter de eisdem.* Hinc coniunguntur in Diplomate, Sigismundo & Henrico Prueschenckio concesso: *Freyherren und Panierherren*, modo absolute dicuntur: *Freyherren.* Dicitur etiam, *daß sie ihr neu Wapen in ihren Panier brauchen sollen*, GENEAL. AVSTR. *p. 243.* LERCH de Ordine Equestri f. 26. *das keiner bey Alten Zeiten, zum Frey- oder Banderherrn, von einem Kayser oder Kœnig von newen erklert worden sey, er habe dann unter ihme 4. Ritter die seine Lehen-Mann seyen, und er habe dann zweymahl das Fehnlein in einer Schlacht versehen, und geführt gehabt, alsdann er zum dritten mahl zum Frey- oder Bander-Herrn würdig erkandt.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM
DE
CIVITATIBVS IMPERIALIBVS.

§. I.

VLtimam inter Status Imperii Claſſem conſtituunt Ciuitates Imperiales, quæ non ideo dicuntur Imperiales, quod Imperio ſubſunt, cum hoc omnibus competat, quæ ſunt in Imperio, ſed quia immediate ſubſunt Imperio, Germ. *Reichs-Stadte.* Sunt igitur Ciuitates Imperiales, quæ a Statuum poteſtate exemtæ, immediate ſubſunt Imperio, Seſſionem & Votum habent in Comitiis, & Iuribus gaudent Imperii. Vera tamen nota characteriſtica eſt immedietas, quæ illas a municipalibus diſcernit. Hodie etiam Seſſio & Votum in Comitiis locum habet, cum olim etiam Ciuitates mediatæ ad Comitia fuerint admiſſæ.

§. II.

De Origine Ciuitatum Imperialium multa adhuc eſt diſceptatio, vnde ſit petenda, dum alii eandem a temporibus Caroli M. ducant, dicentes, Carolum in illis ciuitatibus, quibus Iura Imperii eſſent, Statuas Rolandinas collocari voluiſſe.* Verum, cum tota hæc, quæ de Rolando narratur, hiſtoria, mera ſit fabula, & Rolandinæ ſtatuæ vix ante ſeculum vndecimum nomen hoc adeptæ, immo, Ciuitates Saxoniæ ſaltim tales habeant, quæ ab initio ſtatim Imperii Romano-Germanici, excepto Palatinatu Saxoniæ fuit mediata, & per Duces recta, ideoque immunis a Ciuitatibus immediatis, pleræque

ræque etiam ciuitates ſtatuas Rolandinas habeant, quæ nunquam fuerunt immediatæ, nullum ſane ad Imperii ciuitatem dabunt argumentum. Illud ſaltim docebunt, ſignum eſſe iudicii criminalis in eadem vrbe celebrati, quod etiam nomen Ruland quaſi *Rugeland*, gladius ſtatuæ affixus indicat, & quod diuerſis in locis adhuc hodie Iudicia criminalia prope eandem ſtatuam Rulandinam habeantur. **

* Diuerſos huius ſententiæ adſeclas recenſet GRYPHIANDER *de Weichbild. Saxon. cap. I.* & KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imper. lib. I. cap. XII. n. 46. ſeqq.*

** Latius hæc declarantur a GRYPHIANDRO *de VVeichbildis Saxonicis*, CONRINGIO *diſſ. de vrbibus Germ. §. LXXI. ſqq.* IO. FRID. RHETIO & IO. HENR. EGGELING *de ſtatuis Rulandinis.* Vide S. H. G. *diſſ. VII. §. VIII.*

§. III.

Scilicet, Vrbes, ſiue loca muris circumducta in Germania Magna, ſeu trans Rhenana, quam Romani reſpectu Galliæ, vocabant, (nobis cis Rhenana) ante tempora Caroli M. non erant, vici ſaltim & villæ, cum quibusdam caſtellis. Iſtæ Iura quidem habebant Ciuitatum, Ciuitates etiam dicebantur, * & negotia exercebant, prout in Capitularibus Caroli M. referuntur Erfurtia, Magdeburgum, ** Bardeuicum & vel mediatæ erant in Ducatibus, vel immediatæ in terris immediatis, atque adpellabantur villæ regiæ † vel regales. Burgi atque Caſtella ad defenſionem prouinciæ extructa, qualia erant Burgſcheidingen ſedes Regum Thuringorum, Sigeberg & Ehresberg caſtra Saxonum.

* Hinc ſæpius in Capitularibus dicitur, *vt Epiſcopi ſint in Ciuitatibus non in villulis vel agris*, vt Syn. Vernenſi ſub Pipino a. 755. CAP. *lib. I. c. XVII.*

** CAPIT. lib. III. c. VI. *de negotiatoribus, qui partibus, Sclauorum & Auarorum pergunt, quousque procedere cum ſuis negotiis debeant, id eſt, partibus Saxoniæ vsque ad Bardenwich, & ad Magadeburg, & ad Erpesfurt, & ad Halaxſtat, & ad Foracheim, & ad Breemberg, & ad Regisnisburc & ad Lauriacum.* S. H. G. *diſſ. III. §. VI.*

† *cap. IX. §. III. IV.*

§. IV.

Dum autem in Germania cis Rhenana, Romani a Iulii Cæſaris temporibus indies maiores facerent progreſſus, primi etiam vrbes condere cœperunt, atque Colonias deduxerunt, Auguſtam Treuirorum, Treboccorum, Vindelicorum, Coloniam Agrippinam, quæ ſub Carolingis non ſolum notæ, ſed etiam ſedes regni, Aquisgranum; VVormatia, pluresque vrbes Palatinæ in terra Rhenenſi. In Germania vero magna prima vrbibus fundamenta dediſſe videtur, quod Carolus M. monaſteria muris circumduxerit, vt eadem contra barbarorum iniurias defenderet, inde Epiſcopis, qui in Ciuitatibus ſaltim ſedebant, idem ſine dubio fuit conceſſum. Potiſſimum vero vrbium fundamentum dedit Henricus Auceps. Hic enim videns, Germaniam incurſionibus gentium Barbararum patere, non ſolum ad defendendos fines, Marchias inſtituit, ſed etiam vrbes muniuit, vt tutum præberent receptaculum, & hoſtes irruentes detinerent, ordinauit etiam, vt octo agrariorum ad colendum agrum in villis remanerent, nonus vero in vrbe moraretur, & quidem, vt tertia pars frugum in vrbe reſeruaretur, vt in bello nihil alicui deeſſet, vrbesque rebus & viris plenæ eſſent.* Inde plures vrbes ad ſalutem regni fabricauit, ** inter quas Miſna, Quedlinburgum & Merſeburgum, præcipuæ.

* Haut obſcure hoc innuit WITTICHINDVS Ann. lib. I. p. 639. dum ait: *Henricus Rex accepta pace ab Vngaris ad nouem annos, quanta prudentia vigilauerit in munienda patria, & in expugnando barbaras nationes, ſupra noſtram eſt virtutem edicere, licet omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in vrbibus habitare fecit, vt cæteris confamiliaribus ſuis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſeruaretque. Cæteri vero octo ſeminarent, & meterent, frugesque*

gesque colligerent nono, & suis eas locis reconderent. Concilia & omnes conuentus atque conuiuia in vrbibus voluit celebrari, in quibus exstruendis die noctuque operam dabant, quatenus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent. Villæ autem nulla extra vrbes fuerunt munia. Eadem habent SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 920.* CONRADVS VRSPERGENSIS, GOBELINVS PERSONA *Cosmodromio æt. VI. c. XLVII.* s. H. G. *diss. XL. §. XIX.*

** DITMARVS *lib. I. p. 328.*

§. V.

Crescente Episcoporum atque Ducum numero, crescebat etiam numerus Vrbium, & dum Impp. ius dandi ciuitatem primitus competeret, ex horum concessione in Episcopatibus atque Ducatibus plures extructæ fuerunt vrbes. Exinde vero differentia cœpit inter vrbes immediatas atque mediatas. In terris quidem immediatis, qualis erant Terra Rhenensis * & Terræ Palatinæ, Vrbes erant immediatæ atque Imperiales, quæ in Ducatibus mediatæ.

* Hinc OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici I. lib. I. cap. XIII. *ipse enim de Alemannia in Galliam transmisso Rheno, se recipiens, totam prouinciam a Basilea vsque* Moguntiam, *vbi maxima vis Regni esse noscitur, paulatim ad suam inclinauit voluntatem.*

§. VI.

Alia itaque Ciuitatum Imperialium est origo, alia sunt incrementa. Originem si quæramus, petenda ista iam a Carolingorum temporibus. In Germania scilicet cis Rhenana omnes vrbes erant immediatæ, dum aliæ non essent, nisi Palatinæ. Aliæ vero erant ciuitates atque villæ in Germania etiam magna, quæ partim immediatæ erant, a Ducum plerumque vel Comitum potestate exemtæ, quæ dicebantur dominicatæ, * vel mediatæ sub Ducum etiam & Comitum potestate

testate. Dum autem sub Saxonicis Impp. cresceret potestas Ducum, solæ immediatæ ciuitates fuerunt, quæ in terris immediatis sitæ, atque a Ducum vel Comitum potestate exemtæ.

* In diuisione regni Lotharii distinguuntur villæ in dominicatas & vasallorum apud BALVZIVM CAPIT. *Tom. II. p. 223.* In CAPIT. CAROLI CALVI tit. XXXVI. cap. V. *volumus & expresse Comitibus nostris mandamus, vt villæ nostræ indominicatæ, sed & villæ de monasteriis, quas & coniugi nostræ & filiis ac filiabus nostris concessa atque donata habemus, quæque sub immunitate consistunt, cum saluamento & debita reuerentia in comitatibus illorum consistunt.* Quod licet Franciæ regnum potissimum tangat, patet tamen ex eo, quis status illarum.

§. VII.

Varia vero crescentis numeri Ciuitatum fuerunt fundamenta. Primum ex eo patet, quod ciuitates, vrbes & villæ ob nimias suppressiones, Ducum & Comitum subducerentur potestati. * Dum autem Episcopi non statim vterentur Territorii iure, non nisi Impp. horumque missos adgnouerunt vrbes Episcoporum metropoles. ** Postquam autem territorium & iura secularia nacti fuerunt Episcopi atque iura Aduocatiæ & præfecturæ ab Impp. adipiscerentur, in ipsas vrbes metropoles suas iurisdictionem exercere cœperunt. Ex quo tot subortæ fuerunt controuersiæ inter Episcopos & vrbes metropoles, quarum nonnullæ, Colonia scilicet, Lubeca, Wormatia, *** Spira, **** Augusta Vindelicorum libertatem suam vindicarunt: aliæ, vtpote Monasterium, Osnabrugum, Augusta Treuirorum, Magdeburgum Episcoporum suorum iurisdictionem adgnoscere tenentur. †

* Exemplum apud ADAMVM BREMENSEM lib. II. cap. I. *Adaldagus primo vt ingressus fuerat Episcopatum, Bremam, longo prius tempore potestatibus ac iudiciaria manu oppressam, præcepto Regis absoluit & instar reliquarum vrbium immunitate simulque libertate fecit donari.*

** Latius de hoc HEIDERVS *Bericht von Reichs Vogtheyen p. 18.*

*** Iamdum Henrici IV. temporibus Wormatienses Episcopi hoc quæsiuerunt. Sic enim ab eodem postulabatur, apud BRVNONEM Hist. B. Saxonici p. 210. *vt episcopum VVormatiensem, qui iam diu fuerat expulsus potentem faceret vrbis suæ.* Quæ vero nostra ætate Episcopo cum vrbe Wormatiensi sit controuersia, exponitur in FABRI *Staats-Cantzelley Tomo III. p. 147. 677. Tomo XXV. c. II.* THVCELII *Actis Publicis Tomo II. c. III.*

**** Controuersia, quæ paucos ante annos inter Episcopum & Vrbem inualuit in Specie Facti, *oder wahrhaffter Erzehlung, welcher gestalten Ihro Hochfürstl. Gnaden der Herr Bischoff zu Speyer, des H. Röm. Reichs Freye Stadt Speyer am 21.* Martii 1716 *ohne die geringste gehabte rechtmæßige Vrsach gewaltthætiger VVeis feindselig überfallen, und occupiren, auch darinnen durch die Ihre handeln lassen.*

† Vide supra *cap. XVIII. §. XI.*

§. VIII.

Alterum fundamentum præbent Fœdera. Ansam iisdem dederunt fatalia Interregni tempora, turbæ & diffidationes in Imperio. Primum ex iisdem fuit Fœdus Rhenanum. Occasionem dedit, quod Dietherus I. Comes Catalimbocensis a. 1246. castrum Rheinfels extrui fecerit, atque nouum telonium ibidem instituerit. Ciuitates enim Rheni, quasi destitutæ regia defensione, an. 1247. vinculo societatis fortissime ad inuicem coniungebantur, Capitaneum eligebant, telonia eiusdem fluminis, quæ a pluribus fuerant adaucta, remouebant, vicinos Principes & Comites suæ societati adhærere compellebant, vndique in finibus suis pacem ordinantes, optimam & hactenus inauditam. * Initium potissimum faciebant Moguntia, Wormatia, Spira, Francofurtum, Bingia, Oppenheimium. His autem Moguntiæ anno 1254. de fœdere conuenientibus,** plures aliæ, quæ etiam Imperiales

periales non erant, ad ſexaginta vſque, accedebant. † Non placuit quidem res Principibus nec militibus, ſed neque prædonibus, dicentibus ſordidum eſſe, mercatores habere ſuper homines honoratos & nobiles dominium. †† Licet per nouennium ſaltim durauerit.

* Verba ſunt CHRONICI AVGVSTENSIS apud FREHERVM *ad a. 1247.*

** TRITHEMIVS *Chron. Hirſaug. & Sponheim. ad a. 1254.*

† Enumerat easdem CHRON. AVGVSTENSE & LEHMANN *lib. V. cap. XCII.*

†† ALBERTVS STAD. *ad a. 1255.* S. H. G. *diſſ. XXI. §. XIII.*

§. IX.

Alterum fœdus erat Hanſa Teutonica, *die Teutſche Hanſe*, quæ ab initio non niſi ſocietas erat, commerciorum cauſſa, inſtituta. * Primam huius Hanſæ originem reputat LAMBECIVS a fœdere Lubecenſium atque Hamburgenſium a. 1241. commerciorum cauſſa percuſſo. Cum tamen illud ſaltim particulare eſſet, firmamentum potius Interregni temporibus eſt quærendum. Dum enim finitimæ vrbes viderent, quanta commerciorum incrementa iſtæ caperent, reliquæ quoque vrbes, ſcilicet Vandalicæ & Saxoniæ inferioris in hoc foedus recipi petierunt, idemque obtinuerunt. Ex quo tanta Hanſæ Teutonicæ incrementa fuerunt facta, vt vel octoginta vrbibus conſtaret, atque in quatuor diœceſes diſtinguerentur Lubecenſem, Colonienſem, Brunſvicenſem & Gedanenſem. ** Inſignis potentiæ atque auctoritatis erat hæc Hanſa Teutonica, dum monopolium exerceret commerciorum Europæ. Poſtquam autem Luſitani, Hiſpani & Belgæ terras Orientales detexiſſent, & commercia ſua nautica adaugerent, inſignia hæc Hanſa patiebatur decrementa. Accedebat creſcens Principum potentia, quæ fœderis auctori-

tate feroces Ciuitatum suarum spiritus in ordinem iterum redigebant, plures etiam Ciuitates minores, ob onera prægrauia, ipsæ se fœderi subducebant. Factum exinde, vt Caroli V. potissimum temporibus, qui dissoluendis singulis Germaniæ fœderibus inhiabat, hoc etiam dissolueretur, nomen tamen Ciuitatum Hanseaticarum *der Hanse-Stædte* & Iura sibi adhuc vindicantibus Lubeca, Brema & Hamburgo.

* Latius hoc demonstrauit LAMBECIVS *Rer. Hamburg. lib. II. ad an. 1241.* CONRING. *de vrb. Germ.* §. *XCVIII.* IO. MARQVARD *de Iure Mercatura.*

** Vid. KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imp. lib. I. c. IV.* IO. ANGELVS VVERDENHAGEN *de rebus publicis Hanseaticis.* CHYTRÆVS *lib. XXIII. ineunte*, LVDEVVIG *de Ciuit. dispari nexu cap. IX.* S. H. G. *diss. XXII.* §. *XII.*

§. X.

Tertium Feudus est Sueuicum. Ansam eiusdem dabat, quod Fridericus III. Imp. Francofurti a. 1486. pacem concluserat, ad quam tuendam Sueui an. 1487. fœdus inierunt, cui Principes nonnulli & vicinæ Ciuitates subscripserunt. * Vocabatur *der Bund im Land zu Schvvaben.* ** Durauit vsque ad tempora Caroli V. qui eidem dissoluendo ansam dedit.

* GERARDVS A ROO Ann. Austr. lib. X. p. 504. *Soli ex omnibus Sueui fœdus inter se iniere, cui Principes nonnulli & vicinæ Ciuitates subscripsere, idque per multos annos in hodiernum vsque diem tenuere, mutuis auxiliis & consiliis adeo firmum, vti & suis præsidio & ceteris terrori esset.*

** Vid.

** Vid. DATT *Vol. nou. rer. Germ. lib. II. c. IV.* GEORGIVS IACOBVS MEISINVS in Differtatione *de Fœdere Sueuico.* S. H. G. *diff. XXX.* §. *LVIII.*

§. XI.

Hæc autem fœdera ansam dederunt, vt potentia fœderis firmatæ Ciuitates, Principum suorum se subducerent potestati, atque se in libertatem adserere minime dubitarent. Et licet crescente Principum potentia, pleræque in ordinem fuerint redactæ, non desunt tamen Ciuitates, quæ de libertate sua acerrime contenderunt, & Principibus se opposuerunt, partim etiam iura adhuc exercent eximia. Faciunt hunc exempla Brunsuici, Rostochii, Wismariæ, Stralsundæ, Osnabrugi, Herfordiæ.

§. XII.

Tertium fundamentum Ciuitatum Imperialium præbent Familiæ emortuæ. Exemplum nobis præbet Sueuia, quæ, cum Conradino Duce suo priuata, imperio fuit aperta, accedente maxime fatali Interregno. Vrbes itaque Imperio immediate fuerunt subiectæ, ipsa quoque sedes Ducum, Vberlinga, ex quo tanta Sueuiæ Ducatus facta decrementa, vt, non nisi Comitatus quosdam & Dynastias sub Principis nomine hodie possideant Austriaci. * Idem dicitur de Buchornia ciuitate, quæ extinctis Comitibus, in ditionem peruenit Comitum Altdorfensium & Rauensburgensium, quibus extinctis, Imperio fuit subiecta. ** Eadem ratione Kaufbeura post occisum Comitem suum vltimum in adulterio comprehensum, Imperii ciuitas facta dicitur. ***

* cap.

* Supra *cap. III. §. XVI.*

** ZEILLERVS *Chron. Sueu. p. 247.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. VIII.*

*** KNIPSCHILD *lib. III. cap. XXVI.*

§. XIII.

Quartum fundamentum præbet, quod Impp. in turbis ciuilibus varias Ciuitates, etiam mediatas multis priuilegiis ornarunt, eo quod Impp. in bellis ſuis fidelem præſtitiſſent operam.* Sic multas vrbes diuerſis priuilegiis donarunt Henricus IV. & V. Idem fecerunt Fridericus I. & II. Lubeca, proſcripto Henrico Leone, libertati fuit aſſerta. **

* LEHMANN *lib. IV. cap. III. & IV.* CONRING. *de vrbibus Germanicis §. CXIX.*

** CHRON. SCHAVENBVRG. apud MEIBOMIVM *Tom. I. p. 501.* de Henrico Leone, *ciuitatem Lübecke Imperio perpetuo retinendam regi præſentauit. Et extunc Lubecenſes facti ſunt Imperiales.* CONRING. *c. l.*

§. XIV.

Quintum fundamentum præbet, quod nonnullæ Ciuitates libertatem ſuam pretio ſibi vindicauerint. Exemplum præbet Lindauia, quæ libertatem ſuam a Comitibus Bregantinis pretio redemit. * Vlma, monaſterio olim Augiæ diuitis paruit, ſed pecunia data, ab eodem ſe redemit, atque a Ludouico Bauaro inter Imperii Ciuitates fuit recepta. Et licet Monachi iura priſtina in vrbem repeterent, libertatem tamen eorundem confirmauit Carolus IV. & Fridericus III.** Eadem ratio eſt Hamburgi quæ libertatem ab Alberto Orlamundano Comite a. 1225. redemit. ***

* Latius hoc declarat TENTZELIVS *Vindic. Lindau. p. 280.*

** ZEILLER *Chron. Sueu. p. 397.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. LIV.* CRVSIVS *Ann. Sueu. p. III. lib. IV. c. XV.*

*** LAM-

*** LAMBECIVS *Origg. Hamburg. lib. I.* exeunte, de dicto Alberto: *vendidit ipsis Hamburgensibus, antequam aduersus Adolphum copias educeret, mille & quingentis marcis argenti, quicquid in eos eorumque vrbem imperii & potestatis de Rege Waldemaro olim emerat. Qua accepta pecuniæ summa liberos eosque sui iuris declarauit.*

§. XV.

Licet igitur plura incrementa caperent Ciuitates Imperii, diffitendum tamen non est, non minora ipsas sensisse decrementa, cuius non vna subest ratio. Primo quidem Episcopi, concessa ipsis territorii potestate & iurisdictione, suas sibi Metropoles vindicarunt. Aliæ ciuitates per oppignorationem ab Imperio fuerunt auulsæ. Sic Egrensem ciuitatem Imperialem, accepta viginti mille marcarum argenti summa, Ioanni, Bohemiæ Regi oppignorauit Ludouicus Bauarus Imperator. * Rheinfeldam, aliasque ciuitates idem Ludouicus Ottoni Austriaco oppignorauit. ** Boppardiam fratri suo, Balduino Treuirensi Episcopo oppignorauit Henricus VII. Imp. *** Plures ciuitates libertatem suam pretio dato, iterum redemerunt, prout exemplum docet vrbis Suinfurtensis, quæ Comitibus Hennebergicis, indeque Episcopis Herbipolitanis olim oppignorata, se ipsam redemit. **** Immo, pleræque vrbes Imperiales priuilegium impetrarunt, ne oppignorentur. † Aliæ vrbes armata manu in certorum Principum potestatem venerunt. Testatur illud Altenburgum, Chemnitium, Zuiccauia, vrbes olim Imperiales, quas sibi subiecit Fridericus Misnensis Marchio. †† Donawertham a Cæsare proscriptam occupauit Maximilianus I. Dux Bauariæ, hodie adhuc a Bauaris possessam. ††† Moguntiam Adolphus Nassouius, Archiepiscopus occupauit. †††† Constantia, eo quod Interim recipere nollet, a Carolo V. proscripta,

atque ad deditionem fuit coacta. ††††† Aliæ Imperio plane exciderunt, quo faciunt vrbes Helueticæ, Basilea, Berna, Tigurum, quæ olim Imperiales: Metiæ, Tullum & Verodunum per pacem Monasteriensem, Argentoratum per pacem Ryswicensem Gallis cessum.

* GOLDASTVS *de regno Bohemiæ lib. I. c. XVII. n. 6.*
** GERHARDVS A ROO *Ann. Austr. lib. III. p. 89.*
*** KNIPSCHILD *lib. IV. c. I n. 16.*
**** KNIPSCHILD *lib. III. c. XLIX.*

† KNIPSCHILD *lib. II. c. XXXI.*
†† FABRICIVS *Ann. Misn. lib. VI. p. 628.*
††† KNIPSCHILD *lib. IV. c. I. n. 27.*
†††† GEORG. HELVVICH *Narratio historica de dissidio Moguntinensi.*
††††† KNIPSCHILD *lib. IV. cap. I. n. 24.*

§. XVI.

Varie autem distinguuntur Ciuitates Imperiales. LEHMANNVS * quidem, KTRIANDRVM secutus, omnes Imperii Ciuitates distinguit in liberas, mixtas & municipales. *Liberas* dicit illas, quæ regalia teneant ab Imperio, commodis Imperii plurimis fruantur, Imperii etiam oneribus sint obnoxiæ. *Mixtas* illas dicit, quæ principibus certis pactis sint sociatæ, sed ad Comitia non veniant, verum a patronis eximantur, quibus censum, subiectionem, fidelitatem vel simile quid præstent. Tertium genus vrbium esse, qui Statibus tanquam *municipales* sunt subiectæ. Alii Ciuitates distinguunt *in Liberas*, quæ Imperio quidem subiectæ, sua tamen gaudent libertate, quales Italicæ atque Helueticæ; *Imperiales*, quæ Germanico Imperio immediate subsunt, ratione tamen certorum iurium etiam certis Statibus subiectæ. Alii ciuitates *Liberas* illas dicunt, quæ a prima sua origine Imperio subfuerunt, atque Imperia-

periales, quæ ſequiori demum tempore libertatis iura fuerunt adeptæ. Exinde differentiam etiam petunt ab Inſignibus, quod iſtæ ſaltim dicantur Ciuitates liberæ, quæ Aquilam pro inſigni gerunt, illas vero, quæ aquila non vtantur, olim fuiſſe Epiſcopales vel aliis ſubiectas. Verum, ſingula hæc fide antiquitatis atque fundamentis legitimis deſtituuntur. Habet tamen LEHMANNVS plures adſeclas, qui Ciuitates mixtas dari velint. ** Verum, ſi conſideremus, diſcrimen inter Ciuitates Imperiales atque municipales in eo conſtare, quod iſtæ a Statuum iurisdictione exemtæ, hæ vero eandem adgnoſcere neceſſum habenat, tertiam ſpeciem hodie dari non putarem, eo quod omnia exempla ad binas haſce claſſes poſſint referri. In ipſis etiam Imperii Receſſibus Ciuitates ſaltim in Imperiales atque Municipales diſtinguuntur. *** Hoc tamen certum, fuiſſe olim Ciuitates mixtas, prout exemplum Erfurti, Brunſuici atque Magdeburgi nos docent, quæ nec Imperium adgnoſcebant immediate, nec vllius dominio erant ſubiectæ. Hodie vero omnes Ciuitates vel Imp. & Imperium adgnoſcunt immediate pro ſuperiore, vel dominum quendam Territorii. Diſtinguebantur etiam Ciuitates Imperiales olim in Imperiales quæ ſine Præfecto erant, & Præfectoriales, quæ Præfectorum Regimini erant ſubiectæ. ****

* *lib. IV. cap IV.*

** KNIPSCHILD *lib. I. cap. III.* MEVIVS *ad Ius Lubec. Proleg. n. 31.*

*** R. I. Spiræ de an. 1344. §. 19. *die Frey- und Reichs-Stadt auch andere Stadte, ſo den Fürſten oder andern Herrſchafften zugehœren.*

**** ZYLLESIVS *in Defenſione Abbatiæ S. Maximini p. 27. 29.* adducit Ottonis II. Diploma in quo: *bannum & fredas nulli niſi Abbati perſoluat, nulliusque niſi Abbatis, vel ab eo conſtitutorum placitum attendat*

tendat & in singulis ciuitatibus IMPERIALIBVS *vel* PRAEFECTORIIS *liberam potestatem habeant intrandi & excundi.* Ex quo loco satis clare patet, quam infirma plane sit SCHVVEDERI sententia, dum *de pari nexu Ciuitatum cap. I. §. XXI.* hanc differentiam plane reiicit.

§. XVII.

Exempla, quod diximus, satis declarabunt. Referuntur inter Ciuitates mixtas Brema atque Hamburgum, quarum libertati Reges Sueciæ atque Daniæ contradicunt. Brema quidem ad Comitia anni 1640. & Tractatus Pacis vniuersalis fuit vocata, atque singulari Diplomate Ferdinandi III. an. 1647. pro Ciuitate libera declarata, eiusdemque libertati per pacem Osnabrugensem prospectum, atque ad Comitia a. 1653. contradicentibus licet Suecis, admissa. Et licet Sueci vrbem terra marique infestarent, interuentu tamen Batauorum negotium 24. Nouembris 1654. componitur, atque Immedietatis negotium saluo vtriusque partes iure ad alios Tractatus reiicitur. Ad Comitia adhuc durantia, Brema an. 1662. vocabatur, indeque hæc causa scriptis ab vtraque parte agitabatur, & dum Brema Immedietati suæ nollet renuntiare, a Carolo Wrangelio Suecorum Duce militari a. 1666. obsidebatur, interuentu tamen Legatorum Coloniensium, Brandenburgicorum, Brunsuico-Luneburgensium, Landgrauii Hassiæ, ac Batauorum, post varios, eosdemque difficiles Tractatus, controuersia in castris Suecicis, in pago Habenhausen 15. Nouembris 1666. componitur, hoc modo, vt Ciuitas, Comitiis modernis finitis, vsque ad finem seculi XVII. saluo tamen iure, saluaque possessione, a Sessione & Voto in Comitiis abstineat, sub initium vero Seculi XVIII. vtroque illis vti liberum fore, interim omnes cessare debere actiones hostiles, & controuersias amicabili compositione vel via iuris debere terminari. Dum vero Comitia

mitia ista adhuc durent, Sessionem & Votum Bremensis Ciuitas semper retinuit.* De Hamburgensis Vrbis libertate variæ lites fuerunt agitatæ, atque controuersia Spiræ potissimum a. 1570. acta, † anno 1618. prima sententia fuit lata, vrbem esse liberam. †† Hinc etiam Ferdinandus III. an. 1640. proprio motu Sessionem atque Votum attribuit in Comitiis, quod tamen ob protestationem Ducum Holsatiæ nondum obtinuerunt. †††

* Scripta quæ hac in causa prodierunt, recensentur in S. H. G. *diss. XXXVII. §. XV.* Addi possunt ADAMI CORTREII *Obseruata Historico-Politico-Iuridica de Statu Ciuitatis Bremensis.* DIARIVM EVROPAEVM *Tom. XII. p. 13.* LVNIGS *Gerechtsame p. II. p. 93. 589. Staats-Consilia Tom. II. p. 1304. 1540. Forts. der II. Cont. p. 458.*

† Controuersiam narrat THVANVS *lib. XLVII. p. 637.*

†† KNIPSCHILD *lib. IV. cap. I. n. 44.*

††† LONDORP. *Tomo IV. p. 946. Tom. V. p. 2.* BVRGOLDENSIS *p. III. disc. XIII. n. 4.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVIII. p. 780.* Vid. AHASV. FRITSCHII *Electa Iuris Publ. Varia cap. XI.*

§. XVIII.

Aliæ sunt vrbes, Statibus quidem subiectæ, quæ tamen eximiis gaudent Iuribus atque Priuilegiis. Has Municipales quidem dicimus, dum iurisdictionem adgnoscant territorialem, licet ab antiquo plura habeant priuilegia, quæ vel pretio sibi a Territorii dominis redemerunt, vel a fœdere Hanseatico adhuc sunt reliqua. Talia sunt Stralsunda, Wismaria, Brunsuiga, Rostochium, Hildesheimium, Osnabrugum & similes, quæ certis gaudent immunitatibus. Nec istæ vrbes inter mixtas erunt referendæ, quæ Imperio quidem subsunt immediate, ratione tamen iurisdictionis criminalis, vel certarum præstationum Principis cuiusdam vicini potestatem adgnoscere tenentur, dum Imperiales istæ sunt sine dubio,

Iura vero Principum vel ex pacto orta, vel reliquiæ ſunt Aduocatiæ vel Præfecturæ Imperii. Et licet ratione iſtorum iurium vel certi Territorii, extra vrbem ad homagium teneantur, ſi modo in reliquis Iure Imperii gaudeant, manent tamen Ciuitates Imperiales, * prout Colonia & Wetzlaria vrbes ſunt Imperiales, licet in iſta Colonienſis Elector, in hac vero Darmſtadtienſis Landgrauius Iurisdictionem habeant Criminalem, dum reperiantur certi etiam Principatus atque Comitatus, qui vicinis certa iura concedere tenentur, qui tamen indubie manent immediati.

* Satis etiam nænias ciuitatum mixtarum exploſit LVDEWIG *in diſſ. de diſpari nexu Ciuitatum Imperialium.*

§. XIX.

Diſtinguebantur autem Ciuitates Imperii olim in Imperiales atque Liberas, *Reichs-Stædte* & *Freye Reichs-Stædte.* * Omnes Imperio immediate ſubiectæ Ciuitates dicebantur Imperiales, iſtæ vero ſaltim, quæ a præſtatione & cenſu annuo *der Reichs-Steuer* immunes erant, dicebantur liberæ, ** ideoque Ius proedrias habebant. *** Exemplum præbet Argentoratum. Ab his Fridericus III. Imp. cenſum annuum petebat, quam tamen denegabant, eo quod libera ab antiquo ſit Imperii Ciuitas. **** Et licet litteratiſſimus ICtus, IO. PETRVS LVDEWIG contendat, Liberas etiam Imperialibus ratione Iurium præferri, dum iſtæ ſolæ Superioritate Territorii gaudeant, non æque hæ, nullos tamen reperit adſentatores, quin potius Tubingenſium ICtus, GABRIEL SCHWEDERVS ipſi reſponderet. † Quanquam negandum non ſit, hoc diſcrimen hodie non amplius attendi, dum in Receſſibus Imperii promiſcue dicantur *Freye Stædte* & *Reichs-Stædte.* †† Addunt, liberas etiam vrbes dici, quæ immunes ſunt a Cæſaris iurisdictione. †††

Verum

Verum, dum Hagenouia atque Colmaria æque inter liberas vrbes numerentur, †††† quæ tamen iurisdictionem Aduocati Cæsarei *eines Land-Vogts* adgnoscebant, minime adsentimur. Singulæ tamen Imp. ad Homagium tenentur, quod per certos ad hoc destinatos Comites recipitur. †††††

* KOENIGSHOVEN in Chron. Argent. cap. II. §. CCII. *in des Riches Stedten und in dem Frygen Stedten.* Sic etiam in Fœdere Ciuitatum Constantiensi de a. 1345. notanter distinguuntur: *Freye und Reichs-Stædte,* LEHMANN *lib. VII. c. XXVII.* In Ordinatione Regimenti in Comitiis Wormatiensibus an. 1495. concepta, statuitur, nonum Assessorem eligendum esse *aus den freyen Stetten*, & decimum *aus den Reichs-Stetten.* DATT *lib. III. c. XII. n. 52.* LVDEVVIG *c. X.*

** SCHILTERVS *not. ad Kœnigshouen p. 611.* HERTIVS *de spec. Germ. rebus p. §. VII.* LVDEVVIG *de Ciuitatum dispari nexu cap. VI.* Quare in Diplomate Ruperti apud SCHILTERVM *app. Iur. Publ. p. 99.* recensentur: *die Reichs-Stædte*, quæ ad Collectas teneantur, in qua recensione istæ, quæ liberæ dicebantur, omittuntur. Vid. etiam DATT *Vol. nou. rer. Germ. lib. III. cap. XII. n. 61. 62.*

*** LEHMANN lib. IV. c. V. *A. 1497. auf dem Reichs-Tag zu Worms, haben die Stædt sich selbst wiederum in Frey- und Reichs-Stædte abgesondert, absonderlich seynd die von Cœlln zu oberst auf der Banck der Freystædt, darnach Strasburg, Basel, &c. nach alten Herkommen und Ordnung gesessen, und auf der andern Banck Regenspurg &c.*

**** Litteras hac de re exhibet SCHILTER *c. l.*

† LVDEWIGII Dissertatio *de Ciuitatum dispari nexu cum S. R. Imperio, von Reichs-und freyen Reichs-Stædten*, prodiit *Halæ 1710. 4.* Respondet SCHVVEDERVS *de pari nexu Ciuitatum Imperialium cum S. R. Imperio, Tubingæ 1715. 4.* Quorum iste Liberis Ciuitatibus nimium quid tribuit præ reliquis Imperialibus; hic vero omnem plane disparitatem tollere conatur. Dari tamen disparitatem, non quidem ratione Territorii & Comitiorum, sed ratione certorum Iurium Imperii, patet infra ex §. XX. etiam ex Iure Monetæ, Postarum & similibus quæ non ab omnibus libere exercentur. Sequitur Schvvederum HENRICVS HILDEBR. *diss. de Iuribus Peculiar. Noribergensibus cap. I. §. V.*

†† Di-

†† Distinguuntur quandoque, vtpote in R. I. Spiræ de a. 1544. §. 39. *die Frey-und Reichs-Stædte.* R. I. Augustæ de an. 1555. §. 27. *Nachdem aber in vielen Frey-und Reichs-Stædten.* In Ordinatione vero Regimenti de an. 1500. promiscue dicuntur: *Freye Reichs-Stædte*, sic etiam in aliis. Latius hoc demonstrauit KNIPSCHILDIVS *de Iure Ciuit. Imper. lib. I. cap. I. §. 23.*

††† LVDEVVIG *de dispari nexu Ciuit. cap. VI. §. 8.*

†††† LEHMANN *lib. IV. c. IV.*

††††† Mos hic ab antiquo iamdum inualuit. Sic enim GESTA BALDVINI *lib. II. c. III.* de Henrico VII. Imp. *Coloniæ etiam Rex a Coloniensibus huldas acceptauit, eorumque priuilegia renouauit & confirmauit. Regem vero Colonienses multis muneribus honorarunt.* Qua ratione tempore Leopoldi homagium fuerit receptum, testantur AHASVERI FRITSCHII *Electa I. P. c. VI.* Solennia circa homagium Goslariense 5. Nouembris 1715. describuntur a IO. MICH. HAYNECCIO, ipsius Panegyrico, quem Iosepho dixit, adiecta. Ratisbonensia describuntur in EL. IVR. PVBL. *Tomo XII. p. 728.* Argentoratenses autem hoc Homagium olim denegarunt, ad antiquam obseruantiam prouocantes, de quo MÜLLER *Friderico, V. Vorst. c. XXXII.* LVDEVVIG *de Ciuitatum dispari nexu cap. VII. §. X.*

§. XX.

Ratione iurium Imperii, aliæ sunt certis Imperii negotiis destinatæ, vtpote Francofurtum ad Mœnum electioni, Aquisgranum coronationi Imp. est destinatum, Noribergæ prima Comitia sunt instituenda, * adseruantur etiam in eadem Imperii Cleinodia. Et si forsan tales actus Imperii in iisdem vrbibus non instituantur, dari desuper solent Reuersales, ne vergat in præiudicium. Aliæ sunt vrbes conuocantes, *die ausschreibende Stædte*, quæ ceteras ad Conuentus *die Stædte-Tage*, quoties necessitas postulauerit, conuocant. Sunt istæ Argentoratum, Noriberga, Francofurtum & Vlma, e quibus tamen Argentoratum ab Imperio auulsum. ** Reutlinga

linga iure gaudet Asyli vniuersalis Imperii in casibus homicidii culposi, quod Ius Ciuitati a Maximiliano I. fuit confirmatum. ***

* A. B. *tit. XXVIII.* §. 5.

** KNIPSCHILD *lib. II. cap. XI. n. 9. & 10.* HILDEBRAND *Iur. Peculi. Noriberg. cap. II.* §. *II.*

*** KNIPSCHILD *lib. III. cap. XLIV. n. 24.*

§. XXI.

Religio in Ciuitatibus Imperii variat. In aliis enim vnica saltim viget Religio, vtpote Catholica Coloniæ, Aquisgrani, Euangelica saltim Eslingæ, Fridbergæ, Heilbrunnæ, Reutlingæ. Aliæ mixtæ sunt Religionis, vtpote Augusta Vindelicorum, vbi etiam Senatus dimidiam partem ex Catholicis, alteram dimidiam partem ex Euangelicis legitur. * Wetzlariæ cultus publicus est trium Religionum. In aliis quidem Ciuitatibus præualet Religio Euangelica, ita tamen, vt singulæ Monasteria in iisdem reperiantur. Talis est Noriberga, Vlma, Francofurtum ad Mœnum, in qua vrbe Capitulum Bartholomæi. Hamburgum & Francofurtum etiam admittit Iudæos.

* INSTR. PACIS *art. V.* §. *3. & seqq.*

§. XXII.

Regimen illarum pro Statu temporum variat. Media ætate, Ciuitates mediatæ Ducum potestatem, Comitum vero Iurisdictionem adgnoscere tenebantur, licet quandoque etiam immediatæ Comites habuerint ab Imperio concessos. * Exinde immediatæ præfectos acceperunt atque Scultesios Imperii. Vnde in Ciuitatibus Imperii oriuntur *die Reichs-Vogtheyen*, & *das Reichs-Schultheissen-Amt*, quarum reliquias in multis adhuc reperimus Ciuitatibus.

* AVCTOR VITÆ LVDOVICI apud PITHOEVM p. 340. *Carolus ordinauit Comites Abbatesque, nec non alios plurimos, quos Vassos vulgo vocant,*

cant, ex gente Francorum, quorum prudentia & fortitudini, nulla calliditate, nulla vi obuiare fuerit tutum, eisque commisit curam Regni, prout vtile iudicauit, finium tutamen, villarum Regiarum moralem prouisionem. Patet hoc ex CAPIT. lib. II. c. XXV. *In Vesontio, quæ est diœcesis Bernoini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus & Monogoldus Comes. In Moguntia, quæ est diœcesis Heistulfi Archiepiscopi, idem Heistulfus Episcopus & Rhuotbertus Comes. In Treueris Hetto Archiepiscopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus & Eemmdus Comes.* In CHRON. VET. MOGVNT. *Io. Episcopus, Arnoldus Comes, præfectus ciuitatis, Embricho Vice Dominus, Menigo Camerarius Ciuitatis. Dudo Sculrecus.* Plura exempla habet LEHMANN *lib. IV. cap. II.* Vide supra *c. XX. §. II.*

§. XXIII.

Communiter quidem confunduntur Præfecti Imperiales, *die Reichs-Vægte* & Sculteti Imperii, *die Reichs-Schultheisen*, * cum tamen multa inter eosdem sit differentia. Præfecti enim Imperiales habebant potestatem, & iurisdictionem criminalem, ** quam exercebant in palatio; *** Sculteti iurisdictionem ciuilem. Scilicet, Præfectus Imperii ordinabat Statum Ciuitatis, & dirigebat negotia publica & ciuilia, exercebat merum Imperium, dicitur etiam *Stadt-Amtmann.* Sculretus iurisdictionem exercebat ciuilem, debita exigebat & exsoluere iubebat pignoris captione & mulcta. **** Licet quandoque etiam cum Iudice prouinciali in Iudicio Criminali concurreret, ***** quod Noribergæ factum, postquam Rudolphus Habsburgicus Comitiam Burggrauiatus Friderico in feudum concesisset, Sculteto etiam exercitium iuris conducendi, & deliquentes deprehendendi fuit attributum. †

* Confundit KNIPSCHILD *lib. V. cap. III.* DISCVRS VON REICHS-VOGTHEYEN *p. 22.* HEIDERVS *in Apologia p. 56.* LERCH *de Ordine equestri f. 26.* vbi in Diplomate Ludouici Pii occurrit Luewinus vrbis Præfectus, explicat: *das war der Kaiserliche Stadt-Schultheiß in Wormbs.*

** De-

** Demonstrauit hoc DATT *lib. I. c. I. n. 86. seqq.* plenius, quod ipsis incubuerit, *daß sie über schadliche Leute richten mægen.* Quare Albertus I. Imp. Vlricum de Helfenstein a. 1305. Augustæ Vindelicorum constituit præfectum, concessa ipsi potestate, *daß er den Bann über das Blut und schadliche Leut zerichten, führen und solchen einen Vnder-oder Stadt-Vogt an seine Stell zu verwalten auftragen mæge.* Vid. HEIDER *p.58.*

*** Stat. Argent. apud KOENIGSHOVEN p. 704. *der Vogt soll nicht richten, wann in des Bischoffs Pfallence.*

**** Stat. Argent. cap. II. *der Schultheise richtet umbe dubstahl, umbe ureuele, umbe geltschulde, übere alle die Bürger dirre Stette.* Vide plenius ACTA LINDAV. *p. 59.*

***** Patet hoc ex Diplomate Rudolphi apud WAGENSEILIVM de Rep. Noribergensi lib. II. cap. I. p. 293. *Iudicium prouinciale in Nürnberg, cui etiam, vice Imperatoris omne iudicium iudicans præsidebit, Officialis eiusdem Burggrauii vna cum Sculteto nostro in Ciuitate Nürnberg Iudicio præsidebit, & quicquid emolumenti de ipso Iudicio, vel per homicidium, vel quemcunque casum alium prouenerit, idem Officialis duas partes eiusdem victus per se tollet.*

† Caroli IV. Ordnung von Glait und Beschirmung des Reichs-Straßen apud GOLDASTVM *Reichs Satzungen p. II. p.38. Wir geben auch den Gewalt und das Recht, das unser Schulthais zu Nürmberg uff unser und des Reichs Straßen belaiten und beschirmen soll und mag, alle die darauff reiten, wandeln oder gehen, ohne aller Herren Widerrede, und wo unser Schulthais schædlicher Leut, Rauber oder Brenner gewahr wird, dem soll er und mag Im nachfolgen, von unser und des Reichs wegen.*

§. XXIV.

Patebit hoc potissimum Exemplis. Northusæ distincta omnino sunt Iura Præfecti Imperii & Sculteti. Præfecturam olim possidebant Comites Hohnsteinenses, quibus etiam bannum competebat.* Sculteti vero iura, quæ in ciuili constabant iurisdictione, semper exercuerunt Landgrauii Thuringiæ: ** Licet postea in Electoribus Saxoniæ vtraque Iura fuerint

rint coniuncta, an. 1698. Regi Borussorum cessa. *** Weissenburgi Nordgouiæ distinguebantur olim *die Reichs-Pflege*, quæ ab Impp. certis nobilibus concedebatur, *& Stadt-Richter-Amt.* **** In Statutis Argentoratensibus distincte proponuntur Iura Sculteti & Præfecti, *des Vogts.* † Inde etiam est, quod Basileæ Vrbe olim Imperiali, in ciuilibus actionibus Prætor vrbanus iudicio maiori, quod *Stadt-Gericht* vocant, præest, in caussis autem criminalibus Præfectus seu Aduocatus Imperii ius dicebat. ††

* WEHNERVS *voce Vogtbey.* HEIDER *p. 58.* & LINDAVISCHE DEDVCTION *p. 831.* demonstrant, qua ratione hoc Ius Vogtheyæ fuerit exercitum. Scilicet, Ius deprehensionis & Processus Criminalis ipsi Senatui competebat, quod si vero ad sententiam ventum fuisset: *Alsdann erst schickt der Reichs-Vogt, auff vorgehende Zuschreib- und Ersuchung des Raths, seinen Richter von Klettenberg gen Northausen: welcher das peinlich Gericht, von wegen des Reichs, der Stadt Northausen, und des Graffens, als Reichs-Vogts, heget: deme zween Raths-Herren, als Schœpffen beygesetzt werden, die auch die Vrtheil sprechen, oder an den Rath borgen, der spricht die Vrtheil.*

** MYNSINGER *decad. XIII. resp. III. n. 110.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. XXXVI. §. 13.*

*** Prodiit hac de caussa: *Offenes Instrument über dasienige so zwischen der Kœnigl. Preussischen Commission und dem Magistrat der Kayserl. Freyen Reichs-Stadt Nordhausen, wegen Reluition der Reichs-Vogtey und Reichs-Schultzen-Amts daselbst vorgangen, Cœlln 1704. f.* Huic tamen Iuri Borussiæ Rex per Pacta singularia renuntiauit.

**** DEDVCT. LINDAV. *p. 919.* DISCVRS VON REICHS-VOGTHEYEN *p. 31.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. LVII.*

† KOENIGSHOVEN *Chronic p. 701.* In STATVTIS cap. II. *von des Schultzen-Gerichte* & *cap. XIII.* de Præfecto.

†† SIMLER *de Rep. Heluet. lib. II. f. 140.* DISCVRS VON REICHS-VOGTHEYEN *p. 80.*

§. XXV.

§. XXV.

Distincti autem erant Præfecti Imperiales, *die Reichs-Vœgte*, & Aduocati Prouinciales, *die Land-Vœgte*. Isti in vnicam saltim vrbem vice Imp. Iura exercebant; hi in certam Prouinciam & plures Ciuitates. Exemplum nobis præbet Aduocatia Imperialis Alsatiæ & Hagenouiensis, quæ ab inuicem distinctæ erant, dum hæc in decem vrbes Imperiales Alsatiæ, ista in reliquum Alsatiæ tractum esset directa, Argentoratum vero suum haberet Præfectum Imperialem. * Immo reliquæ etiam Alsatiæ Vrbes suos sibi sumserunt Præfectos. ** Licet ista per Sigismundum Imp. a. 1453. domui Palatinæ fuisset oppignorata, atque a. 1588. ad domum Austriacam peruenerit, *** ac Landgrauiatui fuerit innexa & per pacem Westphalicam Gallis cessa. Sic etiam Sueuiæ Ciuitatibus ab Imp. constituti fuerunt Præfecti Imperiales. ****

* OBRECHT *Prodr. Rer. Alsat. cap. XII.* SCHILTER *not. ad Kœnigshouen p. 1071.*

** Patet hoc ex Fœdere Rhenano & Sueuico de a. 1382. *Vnd VVir die von Hagenaw und die von VVyssenburg nemen utz einen Lantfaut der dann zu der Zit des Riches Landfaut ist in Elsas*, apud DATT *lib. I. c. XI. n. 16.*

*** HERTZOGS *Elsassische Chronic. lib. IX. c. III.*

**** Sic Carolus IV. Fridericum Palatinum Superioris & Inferioris Sueuiæ constituit Aduocatum Prouincialem. DATT *lib. I. c. VI. n. 26. sqq.* Sic etiam Eberhardus Würtenbergicus Aduocatiam Sueuiæ Ciuitatum prætendebat. S. H. G. *diss. XXVIII. §. V.*

§. XXVI.

Dependebant vtrique ab Impp. ab iisdemque constituebantur, & quidem ipsis adsignati erant certi pagi vel regalia, ex quibus reditus suos caperent. Sic præfectis Weissenburgensibus adsignati erant quatuor pagi, Kaldorf, Peters-

buch, Biburg & Wengen. * Ad Iura Sculteti Northuſani ſpectabat vectigal. Dum autem Impp. eiusmodi Præfecturas, interueniente pretio, vicinis quibusdam Principibus vel Comitibus oppignorarent, factum, vt Præfecturarum Iure Principes quidam & Comites iurisdictionem adhuc exerceant. Landgrauius Haſſiæ de præfectura Imperii in ciuitate Wetzlarienſi inueſtitus, ideoque ſuum ibidem habet Vicarium, *einen Vogt*, qui iudiciis præſidet, & executionem procurat. **

* DEDVCT. LINDAV. *p. 919.*

** KNIPSCHILD *lib. III. cap. LVII.*

§. XXVII.

Plures vero vrbes, interueniente pretio, Iura & reditus Aduocatiæ, vna cum Officio Sculteti redemerunt. Qui factum, vt Præfectorum atque Sculteorum nomina in quibusdam Imperii Ciuitatibus quidem adhuc ſuperſint, ſed ab ipſis dependeant. Sic Auguſtani a Conrado, vltimo Sueuiæ Duce libertatem ſuam redemerunt, licet poſtmodum Ludouicus Seuerus, Palatinus Elector cum Wolfhardo, Auguſtano Epiſcopo inuicem fuerint pacti, vt ipſi, durante Interregno, *weil das Reich verlaſſen iſt*, alternatim hanc Aduocatiam exercerent.. * Poſtea vero Auguſtani a Sigismundo Imp. a. 1426. Priuilegium impetrarunt, quod Fridericus III. Imp. confirmauit, ne horum Aduocatia vnquam vel alienetur, oppignoretur, ſed ipſi Ius habeant Præfectum, *einen Stadt- und Land-Vogt* conſtituendi. ** VVeiſſenburgenſes Nordgouiæ, præfecturam Imperii pignoris iure an. 1534. ab Imp. Carolo V. ad quindecim annos tenuerunt, *** quod ipſis demum per Pacem VVeſtphalicam fuit confirmatum, **** licet recentiore tempore Epiſcopus Eichſtadtenſis eandem petat

tat. ***** Præfectura Rotenburgi ad Tubarim a Ruperto Imp. pro octo millibus florenorum oppignorata, ipsis demum plena fuit relicta. † Ludouicus Seuerus vero Iudicium Pacis, Cameræ & Sculteti, in vrbe Ratisbonensi pro debito 150. librarum Denariorum Ratisbonensium cum pacto reluitionis oppignorauit. †† Tempore quoque Interregni quasdam Ciuitates a Præfecturis suis se liberasse facile licet coniectari.

* Extat Pactum apud TOLNERVM *Cod. dipl. n. C.*

** VELSERVS *Rer. August. p. 111.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. III. n. 54.* Friderici III. Confirmatio extat inter Documenta Friderici *p. 164.* FVGGER *lib. V. c. VI. p. 565.*

*** KNIPSCHILD *lib. III. cap. LVII. n. 10.*

**** *art. V. §. 16.*

***** Prout patet ex FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVII. p. 360.*

† MAGER *de Aduocatia armata cap. II. n. 216.* KNIPSCHILD *lib. III. cap. XLVI. n. 32.*

†† Extat Pactum apud TOLNERVM *n. XCIX.*

§. XXVIII.

Nonnullarum vrbium Imperialium Aduocatias atque Præfecturas ex Impp. beneficio adepti fuerunt Episcopi dioecesani. Exemplum præbet, quod Otto III. Episcopo Spirensi concessit, vt deinceps potestatem habeat pro quocunque negotio, vel pro aliqua re parua aut magna placitum retinere, seu publicum iudicium facere, neque aliquid de prædiis, vel de moneta, seu de teloneo, vel ex vlla re in fiscum regium transferre teneatur. * Eadem Episcopo Mindensi fuerunt concessa. Ex hoc originem suam ducit, quod Ciuitas Coloniensis Ius Carceris, Archiepiscopus Ius vitæ & necis exerceat. ** Habet etiam Elector ius infeudandi Aduocatum, qui

qui iudicio præsideat. *** Ex quo tot controuersiæ Episcoporum cum Vrbibus suis. ****

* Vid. Priuilegium apud LEHMANNVM *lib. IV. cap. III.*

** SLEIDANVS *lib. VI. fin.* LIMNÆVS *Tom. I. Addit. ad lib. VII. p. 206.* KNIPSCHILD *lib. III. c. X. n. 20.*

*** Extant Litteræ Inuestituræ Gerhardo de Eppendorff concessæ apud LVNIGIVM *Spicil. Eccl. Fortſ. des I. Theils p. 335.*

**** Plura Exempla habet LEHMANN *c. l.*

§. XXIX.

Postquam itaque a Præfectis suis liberatæ, diuersisque Priuilegiis ornatæ, sensim adquisiuerunt Iura & reditus Imperii, Territoria sua, vel ex pagis ad præfecturam spectantibus, vel etiam coëmendo varios Comitatus & Dynastias adauxerunt, immunitatem a Collectis Imperialibus fuerunt adeptæ, iura fiscalia sibi vindicarunt, ac Iura Superioritatis sensim adquisiuerunt, vt demum paria fere cum Principibus Iura compararent. Disputabatur quidem seculo decimo sexto, an etiam in Statuum numero habendæ Ciuitates Imperiales, Electoribus atque Principibus illud denegantibus. Verum, non solum in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. * sed etiam per Declarationem Imp. in Comitiis Augustanis de a. 1582. pro talibus fuerunt adgnitæ, ** licet de voto decisiuo ipsis mota fuerit controuersia.

* Vid. MÜLLER *Maximiliano II. Vorſt. c. LV.* Extant etiam LVDOVICI GREMPII vel HIERONYMI ZUM LAMB *Zween ausführliche Rathschlæge und Rechts-Bedencken des H. Ræm. Reichs Erbaren Freyen und Reichs-Stætten Seſſion, Stand und Stimm betreffend, Franckfurt 1715. 4.*

** Vid. LEHMANN *lib. IV. cap. IX.*

§. XXX.

§. XXX.

Bello tricennali a Bauaro proponebatur, reducendos esse Præfectos Imperii, ea scilicet ex ratione, vt crescentem in dies in Ciuitatibus Imperialibus reformationem impedirent. Quibus tamen consiliis Ciuitates se opponebant, proponentes, præfecturas plerumque titulo oneroso fuisse redemtas, ideoque reduci non posse. *

* Prodiit hac in caussa primum *Gründlicher Discurs, ob die alten Reichs-Vogtheyen bey den Reichs-Stædten mit berechtigten Fug wieder angerichtet werden kænnen 1639.* & cum ratione iuris Episcopi in vrbem Augustanam huius scripti refutatio prodiret an. 1645. 4. opposuit DANIEL HEIDERVS, Syndicus Lindauiensis, *Gründlichen Historischen Bericht von den alten Reichs-Vogtheyen, Stutgard 1655. 4.*

§. XXXI.

Hodie vero Regimen Ciuitatum Imperialium, prout reliquorum Statuum est liberum, Imperio immediate subordinatum. Forma politica in eo consistit, vt sint Respublicæ Aristocraticæ, populariter temperatæ, dum in quauis Republica partes præcipuæ sint Senatus, temperamentum præbeant Tribus, nisi forsan Rempublicam Noribergensem puram dicere velimus Aristocratiam, dum omnis potestas redeat ad Senatores Patricios, *die Rathsfæhige Geschlechter.* *

* Plenius de hisce egit E. HERTIVS *de special. Rom. Imp. rebuspubl.* §. *XXII. & sqq.*

§. XXXII.

Inter Iura Ciuitatum Imperialium referenda est Superioritas Territorii, licet non desint, qui hanc iisdem abiudicare conentur, * quam tamen iisdem infra, vbi de hac materia plenius agendum, vindicabimus. Præter hanc, singulare erat, quod ipsis Maximilianus I. concesserat, vt ad Re-

gimentum Imperii liberæ Ciuitates vnum, Imperiales vnum denominarent Adſeſſorem. ** Ex eodem fonte fundamentum quoque Iuris procdrias, quod inter Ciuitates nonnullas eſt controuerſum, erit hauriendum, cum liberæ Ciuitates præ reliquis Procdria vſæ fuerint, prout non ſolum Acta publica teſtantur, ſed etiam ex eadem ratione Colonia Aquisgrano petit præferri. *** Alias competunt Noriberga & Francofurtum, Brema, Nordhuſa, Mulhuſa. † Concluſum vero an. 1707. vt in Deputatione Camerali aliisque ſederent, prout ipſis locus ab Imp. adſignatus, ſine tamen præiudicio. ††

* Potiſſimum ANDREAS KNICHEN *in velitatione Apologetica.*

** DATTIVS *lib. III. c. XII. n. 2. p. 602.*

*** DATTIVS *n. 65. p. 609.* Quid hac de cauſa in Comitiis Wormatienſibus an. 1495. actum fuerit, exponit MÜLLER *Maximiliano II. Vorſt. c. LI.*

† ZWANTZIGS *Theatr. praecd. p. II. tit. XCI. ſqq.*

†† *Monathlicher Staats-Spiegel, Maius 1707. p. 14.*

§. XXXIIII.

Deinde multa adhuc Ciuitatibus eſt Controuerſia cum Nobilitate immediata, quæ Præcedentiam prætendit præ Ciuitatibus. Cœpit hæc Controuerſia primum in Conuentu Ordinum Correſpondentium Noribergenſi de an. 1619. in quo Legati Ciuitatum prærogatiuam obtinuerunt, exhibita tamen a Nobilitate Immediata proteſtatione. * Renouata eadem in Conuentu Francofurtenſi a. 1631. 1633. & 1634. Heilbrunnenſi 1633. Maxime vero recruduit controuerſia in Tractatibus Pacis Weſtphalicæ, cum Ablegatus Nobilitatis, VVolfgangus a Gemmingen in ſubſcriptione Grauaminum Euangelicorum, poſt Legatos Ciuitatum nominari recuſaret. Agi-

Agitabatur hæc controuerſia ſcriptis. Nobiles quidem ad antiqua Iura Comitiorum prouocabant, in quibus etiam Ciuitatibus fuerint prælati, atque ad continuum Imperii & totius Europæ tenorem, quo nobiles vtique etiam in Comitiis prouincialibus *auf Land-Tægen*, Vrbibus præferuntur. Immo, quod in tabulis fœderis Sueuici ſemper priori loco præ Ciuitatibus occurrant. Subnitebantur iſti Archiepiſcopi Moguntini & reliquorum Principum Eccleſiaſticorum, Leopoldi Archi-Ducis, ipſius etiam Cæſaris commendatione. Denique militaris decoris rationem haberi poſtulabant, in cuius imminutionem vertatur, quidquid Equeſtri Ordini ex dignatione tot ſeculorum populorumque vſu firmata, decedat. E contrario Vrbes in Statuum iure ſe potiſſimum fundabant, & notum, plebeios etiam, ſi inter Prælatos & Ciues Imperii recipiantur, Nobilibus anteferri. Immo non inſolens eſſe, vt nobiles Ciuitatum ſint ſubditi. Nec ad aliarum vrbium exempla poſſe prouocari, cum ipſæ habeant iura Reipublicæ. Seceſſionem inde minabantur Ciuitates, ſi dignior locus Nobilibus immediatis fuerit adſcriptus. Ne igitur impedimentum Paci fieret, de variis mediis fuit agitatum. Ordines quidem Euangelici hoc in vim temperamenti propoſuerunt, vt, duobus confectis libelli exemplis, vno quidem Ciuitates, altero vero nobiles priori ponerentur loco, eaque ſimul offerrentur, addita in fine clauſula, ne actus iſte vergat in præiudicium. Dum autem hic modus Ciuitatum ablegatis diſpliceret, poſt longas altercationes tandem ita conuenit, vt eodem ac in pace Religioſa modo, Electores, Principes atque Status ſine interruptione ponerentur, interque eos Ciuitates intelligerentur, mox Nobiles ſubiungerentur cum ſuis Grauaminibus, denique Ciuitatum expreſſa rurſus

fieret mentio, hac conditione, quod priori quidem loco sub vocabulo Status comprehensæ, hic autem maioris euidentiæ caussa denuo sint nominatæ. **

* Extat apud LVNIGIVM *Gerechtsame p. II. p. 634. Vorstellung der freyen Reichs-Ritterschafft, an die auf den Correspondentz-Tage zu Nürnberg versammlete Reichs-Stande warum dem freyen Reichs-Adel die Præcedentz vor den Reichs-Stadten gebühre 1619.* & *Staats-Consilia Tom. I. p. 1047.*

** Singula hæc plenius exponuntur apud LONDORPIVM *Tom. VI. lib. III. c. XLIII.* a PFANNERO *Hist. Pacis VVestphal. lib. III. n. 97.* Vid. etiam IO. HENR. BOECLERI *Vindiciæ Iurium Ciuit. Argentoratensis contra Prætensiones Nobilitatis Alsatiæ Inferioris, Argentorati 1714. p. 5. sqq.*



CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM
DE
COMITIIS IMPERII VNIVERSALIBVS ET PARTICVLARIBVS.

§. I.



Onsiderauimus quinam Imperium constituunt, Imperatorem scilicet, & Status, pergimus nunc ad Iura Imperii, siue Comitialia. Hæc autem vt illustrentur, de Comitiis primum erit dicendum, horum diuersitate & solennibus. Comitia *Conuentus sunt Procerum vel Populi, ad deliberandum de negotiis publicis.* Dicuntur ista Conuentus, Placita, Curiæ, rarius Parlamenta publica * Germ. *hochzierliche Hœfe, Kœnigliche Hœfe, Kaiserliche Tage* ** inde potissimum *Reichs-Tage.* Diuidebantur ista in vniuersalia & particularia. Vniuersalia, quæ totum concernunt Imperium, particularia vel Circulos saltim concernunt, vel certas Classes atque Collegia Statuum. Alii vero sunt Conuentus prouinciales, qui a Statuum dependent iure territoriali.

* ALBERTVS ARGENT. ad a. 1343. de Ludouico Bauaro: *quibus articulis principi præsentatis, ipse eorum copiam vniuersis Principibus, præsertim Electoribus & magnis Ciuitatibus destinauit, omnes principes & ciuitates & oppida totius Alemanniæ ad* PARLAMENTVM PVBLICVM *super eiusmodi facto in Franckfurt conuocando.*

** MÜLLERVS *Friderico IV. Vorst. c. XXXV.* fin. demonstrauit, terminum *Reichs-Tage,* Friderici IV. ætate nondum fuisse vsitatum.

§. II.

Comitia vniuerſalia, ſeu, quæ concernunt vniuerſum Imperium, diſtinguebantur in *Maiora* & *Minora*. Obtinuit illud a primis Germanorum temporibus. * Caroli M. ætate diſtinguebantur in Comitia *Maiorum* & *Seniorum*. ** Iſta adpellabantur *Conuentus Populi* & *Curiæ generales*. *** Hi *Conuentus Seniorum & Principum*. †

* TACITVS de M. Germ. c. X. *de minoribus rebus Principes conſultant, de maioribus omnes.*

** HINCMARVS Epiſt. XIV. ad Proceres Regni pro Inſtitutione Carolomanni Regis §. 29. *Conſuetudo autem tunc temporis talis erat vt non ſæpius ſed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur Status totius Regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum nullus euentus rerum niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toto regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas vniuerſorum* MAIORVM, *tam Clericorum, quam Laicorum conueniebat. Seniores propter conſilium ordinandum:* MINORES *propter idem conſilium ſuſcipiendum & interdum pariter tractandum & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum. Cæterum autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum ſenioribus tantum & præcipuis conſiliariis habebatur.* BRVNO B. Saxonico p. 211. *deinde fecit idem Patauienſis Epiſcopus, ſedis Romanæ legatus, & poſt hos omnes qui aderant Epiſcopi, Duces, Comites, cæterique* MAIORES & MINORES. S. H. G. *diſſ. VI.* §. *XIV. XV.*

*** EGINHARDI Annales ad a. 770. *Rex habuit populi ſui generalem conuentum in VVormatia ciuitate,* ad a. 771. *peracta ſecundum morem generali conuentu* ad an. 772. *Rex Carolus congregato apud VVormatiam generali conuentu,* ad an. 793. *conuentum generalem more ſolenni habuit.* Et de Ludouico Pio ad a. 814. *habito Aquisgrani populi ſui conuentu.* HINCMARVS *c. l.* §. *34.*

† LEHMANN *lib. II. c. XXXVII.* ARVMÆVS *de Comitiis cap. II.*

§. III.

§. III.

In Generali itaque Conuentu aderant omnes, qui Rempublicam procurabant. Patet hoc ex Diplomate Ludouici Pii, * quod inſcribitur *omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vel Vice Dominis, Vicariis, Centenariis, Telonariis, Actionariis & omnibus Remp. procurantibus*, in quo diſtinctionem inter maiores atque iuniores ** per particulam *vel* factam videmus. Celebrabatur iſte pro more, tempore autumnali, ſiue vt HINCMARVS *** loquitur, ad anni vertentis ſpatium, licet vrgente neceſſitate, hoc etiam æſtiuo tempore factum. †

* Reperitur illud in Append. Act. Vet. apud BALVTZIVM *Tom. II. n. 26. p. 1426.* Simile *n. 27. p. 1407. & n. 31. p. 1412.* vbi ſaltim additur: *vel omnibus rem publicam adminiſtrantibus ſeu ceteris fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris tam præſentibus quam futuris.* Idem occurrit *n. 32.*

** Diſtinguuntur iſti a Ducibus in Epiſtola Caroli ad Pipinum filium apud BALVTZIVM Tom. I. p. 461. *peruenit ad aures noſtras, quod aliqui Duces & eorum iuniores, Caſtaldii, Vicarii, Centenarii, ſeu reliqui miniſteriales, Falconarii, Venatores* &c. Iidem dicuntur in Diplomate Ludouici Pii apud PITHOEVM Ann. Franc. ad a. 828. *iuniores & miniſteriales Comitis.*

*** *c. l.*

† Vita Ludouici Pii apud PITHOEVM p. 348. *Imperator vero Kalendis Iunii menſis ad Ingelheim venit, ibidemque illi conuentus populi ſui, ſecundum quod præceperat, occurrit. In eodem placito ſecundum morem ſuum multa, quæ Eccleſiæ eſſent vtilia, admonuit, ſtatuit ac definiuit.* In Decreto Childeberti apud BALVTZIVM Tom. I. p. 17. *Childebertus rex Francorum vir inluſter. Cum in Dei nomine nos omnes Kalendas Martias de quaſcunque conditiones vna cum noſtris optimatibus pertractauimus.*

§. IV.

§. IV.

Tales conuentus plerumque Kalendis instituebantur, & quidem in Villis regiis. Habebant etiam singulæ Classes sedes suas separatas, & si tempus serenum esset, sub dio, sin minus, intra diuersa loca erant distincti. Seniorum quidem susceptacula duo erant, vt in primo omnes Episcopi & Abbates, in altero Duces & Comites sederent, & liberum ipsis erat, quando cum populo vellent conuenire. Occupatis subselliis, agebant Seniores de capitulis ipsis a Rege propositis, dum interim Rex in suscipiendis muneribus, * salutandis proceribus, confabulando cum multitudine esset occupatus. Examinatis capitulis, sententias suas exponebant, ex quibus seligebat Rex, quam vellet, quam omnes sequebantur. ** Ex quo satis patet, Votum ipsorum minime fuisse decisiuum, saltim consultatiuum, quare etiam Consiliarii *** dicuntur. Quidquid conclusum, in Capitularia redigebatur, in quorum procemiis plerumque occurrit, quod consultu Episcoporum, Ducum & Comitum constituta, rarius mentio fit consensus. † Hoc tamen moris erat, vt caussas Ecclesiasticas ac Synodales potissimum Archiepiscopus Moguntinus dirigeret, caussas publicas ipse Rex. ††

* Dona annua in Comitiis fuisse exhibita, docent nos ANNALES BERTINIANI *ad an. 823.* vbi de Ludouico Pio: *medio mense Augusto VVormatiæ habito generali conuentu, oblata sibi annua dona solenni more suscepit*, ad a. 832. *Kalendis Septembris Aurelianis dona annualia more solito suscepit.*

** Integrum hunc Comitiorum processum describit HINCMARVS *Ep. XIV. n. 34. 35. 36.* THEGANVS vita Ludouici Pii cap. VI. *supradictus vero Imperator* (Carolus M.) *cum iam intellexisset, appropinquare sibi diem obitus sui* (*senuerat enim valde*) *vocauit filium suum Ludouicum ad se cum omni Exercitu, Episcopis, Abbatibus, Duci-*

Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani palatio.

*** HINCMARVS *ep. XIV. n. 31.*

† In CAPIT. SECVNDO de an. 813. *cum consensu consilioque constituit.* In CAPIT. AQVISGRANENSI Ludouici Pii de an. 816. *consultu fidelium.* In Comitiis Aquisgranensibus a. 804. *Ego Carolus qui Deo fauente curam regni gero & Romanorum Imperator existo, consilio principum regni nostri, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum &c.* LEHMANN *lib. II. cap. XV.* Præcipue vero auctoritas regia, & ratio, cur consensus fidelium fuerit adhibitus, patet ex Charta diuisionis Imperii inter filios Ludouici Pii, apud BALVTZIVM *Tom. I. p. 573.* in cuius Prooemii fine hæc verba: *quæ capitula propter vtilitatem imperii & perpetuam inter eos pacem conseruandam & totius Ecclesiæ tutamen cum omnibus fidelibus nostris considerare placuit & considerata conscribere & conscripta propriis manibus firmare, vt Deo opem ferente, sicut ab omnibus communi voto actum est, ita communi deuotione a cunctis inuiolabiliter conseruentur ad illorum & totius populi Christiani perpetuam pacem. Salua in omnibus nostra imperiali potestate super filios & populum nostrum cum omni subiectione, quæ patri a filiis & Imperatori ac Regi a suis populis exhibetur.* S. H. G. *diss. VI. § XV.*

†† ANN. FRANC. FVLDENSES ad an. 852. *Habita est autem & Synodus ex voluntate atque præcepto eiusdem serenissimi principis in ciuitate Moguntia, metropoli Germaniæ, præsidente Rabano venerabili eiusdem vrbis Archiepiscopo cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ atque Saxoniæ, & illi quidem de absoluendis quæstionibus Ecclesiasticis tractatum habebant, Rex vero cum principibus & præfectis prouinciarum publicis caussis litibusque componendis insistens, postquam Synodalia eorum decreta suo iudicio comprobauit, & legationes Bulgarorum Sclauorumque audiuit & absoluit, Baioariam reuersus est.* Vid. BALVTZIVS *ad Agobardum p. 95.*

§. V.

Minora Comitia cum Senioribus tantum & præcipuis

Consiliariis habebantur, & dicebatur *Senatus Francorum.* * vel conuentus maiorum natu Francorum. ** Constabant ista ex Episcopis, Abbatibus, Ducibus atque Comitibus, *** qui deliberabant de variis negotiis publicis, tributis imponendis & quibuscunque rebus, in quibus consilium ipsorum Reges expetebant.

* In notitia de monasteriis apud BALVZIVM Tom. I. p. 589. *Hludouicus serenissimus Augustus diuina ordinante prouidentia conuentum fecit apud Aquis, sedem regiam Episcoporum, Abbatum, seu totius senatus Francorum.*

** CAPIT. LVDOVICI PII Aquisgranense de a. 816. *Anno DCCCXVI. incarnationis Domini nostri Iesu Christi Hludouicus Imperator Christianissimus ac piissimus ex omni imperio suo fecit conuentum Episcoporum, Abbatum, Comitum vel maiorum natu Francorum, vt sancirent capitula pro vtilitate totius Ecclesiæ.* Patet hoc æque ex WITTICHINDO Ann. lib. I. p. 637. *Deinde congregatis principibus & natu maioribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, designauit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum*, vbi maiores Francorum a populo notanter distinguuntur.

*** CAPIT. CAROLI M. de an. 779. *congregatis in vnum synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque inlustribus Comitibus*, CAP. II. de an. 803. in fine *etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, Comites, manu propria subter signarunt*, & CAPIT. AQVISGRANENSE Ludouici Pii a. 816.

§. VI.

Mansit hic Status non sub reliquis solum Carolingicis Imperatoribus, sed etiam sub Saxonicis, Francicis, Sueuicis & Austriacis. * Nolumus iam plura exempla coaceruare, sed ad propiora saltim tempora procedemus. Erant enim Comitia vel vniuersalia vel Principum. Quinam vniuersalibus Comitiis interfuerint, docet DODECHINVS, ** dum de Lotharii Comitiis a. 1125. celebratis: *Rex autem Lotharius Leodium*

dium cum Principibus totius regni Archiepiscopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis, Comitibus & cum cæteris Nobilibus ad curiam condictam venit. His addendæ etiam ciuitates. Patet illud ex procemio A. B. *assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & ciuitatum numerosa multitudine.* Plura exempla alia sunt in promptu. *** Ista olim, maxime Friderici III. temporibus fœcunda erant, dum negotia semper infecta relinquerentur, & Comitia ex Comitiis orirentur. ****

* Longum Comitiorum Catalogum per singulas Impp. successiones nectit PFEFFINGERVS *lib. I. Tit. II. p. 74. sqq.*

** *ad a. 1113.* Alia eiusdem Imp. Comitia, idem ad a. 1131. describit: *Rex autem Lotharius Leodium cum principibus totius regni, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis, Comitibus & etiam cæteris Nobilibus ad Curiam condictam venit.*

*** Talia erant Comitia Herbipolitana Friderici II. de a. 1216. dum in Diplomate eiusdem apud HVNDIVM *Metrop. Salisb. p. 255.* dicitur: *Curia solennis & coram Principibus atque Baronibus, atque tota curia nostra.* Talis Rudolphi Habsburgici Augustæ Vindelicorum de a. 1275. vt patet ex Diplomate Ludouico Seuero concesso, apud TOLNERVM *n. 107.* in quo dicitur: *coram nobis, cunctisque Principibus, Prælatis, Baronibus, Militibus & vniuerso populo, qui eidem Curiæ assidebant.* Eadem formula occurrit in Sententia Rudolphi inter Ottocarum, Bohemiæ Regem & Henricum, Bauariæ Ducem, de Electoratu in iisdem Comitiis lata, apud GEWOLDVM *de Septemuiratu c. X. p. 756.* AVCTOR ADDIT. ad LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1290. *Rudolphus Rex Romanorum Curiam suam Erfordiæ celebrauit. Ad quam vocati venerunt de vicinis & longinquis regionibus multi principes spirituales & seculares, & plurimi nobiles, ac Barones, & qui venire non poterant, per solennes legatos suam absentiam coram Rege excusabant.* In Comitiis Adolphi Coloniensibus de a. 1293. apud LEHMANNVM lib. V. c. CXIX. *von Rate und mit*

Gunst der Fürsten, Grafen, Vrien, der Stedt und andern des Reichs Getreuen. De curia solenni Alberti Austriaci WAGENSEIL *de Rep. Noribergensi p. 23.* ex Meisterlini Chronico MSCto: *Albertus Rex Curiam Norbergæ habuit, in qua Rex Daciæ, Rex Bohemiæ, & omnes Electores, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Nobiles quinquaginta, liberæ conditionis trecenti, Militum quinque millia, exceptis Episcopis & Prælatis interfuerunt.* Talis erat solennis curia Caroli IV. Noribergæ & Metis 1356. celebrata, in qua A. B. promulgabatur, de qua *cap. VI. §. IX.* Talia erant Comitia Egrensia Sigismundi de a. 1431. in cuius Recessus proœmio: *geratslaget von unsern Herren den Kurfürsten, Fürsten, Graven, Herren, Rittern, Knechten, Vrien, Rethen und der Stædte Frunden*, SCHILTER *Inst. Iur. Publ. Tom. II.* Huc faciunt litteræ Conuocationis ad Comitia Noribergensia de a. 1441. Friderici III. Imp. apud MÜLLERVM *I. Vorst. c. II.* & Proœmium Reformationis Francofurtensis de a. 1442. *und darum durch Anbringen, auch mit Beywesen und Rath unser und des Heil. Reichs Churfürsten und Fürsten, Geistlichen und Weltlichen, Graffen, Freyen, Herrn, Ritter, Knecht und Stædt, die wir dann durch sie selbst, oder ihr mechtige Send-Bothen, darum insonderheit her zu uns kommen, gebotten und geheissen haben.* Immo, tempore Maximiliani I. ad a. 1509. TRITHEMIVS Chron. Hirsaugiensi Comitia memorat Coloniensia, quibus Principes atque Comites, qui interfuerint, recenset, addens: *& plures alii, quorum nomina memoriæ non occurrunt, Barones, milites & nobiles adfuerunt.* Idem ad an. 1510. de Comitiis Wormatiensibus dicit: *Principes autem post multa consilia & varios tractatus inter se cum regni ciuibus habitos vna tandem sententia omnes postulatum regi subsidium denegabant.* De Conuentu Augustano 1510. dicit equidem TRITHEMIVS: *Conuentus Principum apud Augustam Rhætiorum anno præcedente per Maximilianum Regem indictus ad Festum Epiphaniæ celebratur, lente cœpit, sed diu durauit, a Principio videlicet Ianuarii, vsque ad finem mensis Maii. Conuenerunt illuc Germaniæ Principes multi.* Sed non Conuentum saltim Principum fuisse, sed Comitia vniuersalia, testatur MVTIVS, dum *lib. XXX. p. 314.* ait: *Conuenerunt Augustæ Principes, Ciuitatesque Imperii omnes, & Imperator*

rator Maximilianus. An vero hisce Comitiis Nobiles interfuerint, valde dubito, dum in Procemio Recessus saltim dicatur: *VVir verschiener Zeit Unsere und des Heil. Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und gemaine Stand allhergen Augspurg zu einem Reichs-Tag - - beschrieben.* Patet hoc etiam ex *Extracto aus dem Reichs-Stadtischen in dem Vlmischen Archiv befindlichen Registratur-Buch, der alten Reichs-Tage von Zeit der Aufrichtung der Güldnen Bull Kaysers Caroli IV. de a. 1356. biß 1500. betreffend*, apud LVNIGIVM *II. Fortſ. der Contin. Partis Generalis p. 591.*

**** AENEAS SYLVIVS hoc argute tangit, dum de Comitiis Neustadtiensibus a. 1455. sic scribit: *Ego, vt tibi verum fateor, non puto, dietam hanc aliis esse steriliorem. Scis, quid hoc verbo sentiam? Fœcundæ sunt omnes Dietæ, qualibet in ventre alteram habet*, apud MÜLLERVM *Friderico, II. Vorſt. c. VII.*

§. VII.

Licet autem ordinario modo ad Comitia, saltim Status & membra Imperii vocarentur, interfuerunt tamen iisdem sæpe splendoris caussa, diuersi Reges. Sic ALBERTVS STADENSIS magnum istum Conuentum Vesontinum, a Friderico Barbarossa an. 1163. institutum describit, cui interfuit Daniæ Rex Waldemarus, alii etiam expectabantur. * De Comitiis Herbipolensibus an. 1157. dicit RADEVICVS: ** *aderant præterea diuersarum Nationum, vtpote de Dania, Pannonia, Italia, seu Burgundia, diuersæ Legationes, quarum portitores se mutuo videntes, atque certatim munera & supplicationes adferentes, singuli singulis stuporem pariter atque admirationem addidere.* Comitiis Alberti Austriaci Noribergensibus interfuisse dicitur Rex Daniæ atque Bohemiæ, *** Aurea Bulla **** quoque in Curia Metensi præsentem memorat Cardinalem Albanensem & Delphinum.

* ALBERT. STAD. ad a. 1163. *Expectatur Rex Franciæ, Ludowicus, & Heinricus, Rex Angliæ, rexque Hispaniæ, sed non veniunt, sollicitati per Rolandum. Solus Rex Franciæ nocte venit, quia eum venturum Heinricus, Comes Campaniæ, iurauerat, & manibus in flumine lotis, statim discessit.* S. H. G. *diss. XVII.* §. *XXXIX.*

** *Lib. I. c. VIII.*

*** *Vide supra Notam* §. *VI.* **** *C. XXXIV.*

§. VIII.

Neque solum in Regno Germanico Comitia celebrabantur vniuersalia, sed etiam in regno Italico & Arelatensi. Præcipue in regno Italico notus erat Conuentus Roncaliensis. Postquam enim Imp. in Italiam venisset, Conuentu instituto, ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excusantes, aut expostulantes audiebat, atque eorum controuersias, Iurisconsultis adhibitis, cognoscebat, ac leges, si erat opus, ferebat. Erat autem moris, vt primos dies in Iure dicundo consumeret, alteros paci inter ciuitates constituendæ dicaret, extremis Iura feudorum cognosceret, ac nouis legibus stabiliret. * Confluebant ad hæc Comitia ex omnibus Regni partibus Archiepiscopi, Episcopi, multique alii Ecclesiastici Viri, Duces, Marchiones, Comites & Proceres, Consules & Ciuitatum Iudices: aderant etiam sæpe ex Cismontanis siue Germanicis, Episcopi & Duces. Primum quidem cum Episcopis & Principibus per vnum vel alterum diem consultabat, inde, dum in concionem veniebat, sedensque in eminentiori per interpretem proponebat. ** Alios conuentus sæpe Brixiæ, Parmæ, Pisis, aliisque in locis indixerunt Impp. qui partim Principum saltim, partim etiam vniuersalia erant. †

* SIGONIVS *lib. VII. p. 177.*

** RADEVICVS *lib. II. c. I. II. III.* Et lib. II. c. IV. *primo Episcopi, deinde Proceres terræ, post Consules & missi singularum Ciuitatum.*

† Patet hoc ex sententia exauctorationis Roberti Siculi de a. 1311. apud

apud FREHERVM Tom. I. p. 605. *actum Pisis in praesentia nostrorum Principum & Baronum, ac populi multitudine copiosa.*

§. IX.

In Regno Arelatensi aeque instituebantur Conuentus Vniuersales. Talis erat Vesontinus Friderici I. de a. 1157. & 1163. quibus interfuisse dicuntur Proceres illius terrae, & multorum exterarum gentium Legati, vtpote Romani, Apuli, Tusci, Veneti, Itali, Franciae, Angli & Hispani. *

* ALBERTVS STAD. *ad a. 1163.* OTTO FRISING. *lib. I. c. VIII.* CHIFLETII *Vesontio p. I. c. LII.*

§. X.

Instituebantur tales conuentus vniuersales, potissimum in electionibus Impp. quae cuncto populo adclamante, fiebant, ita tamen, vt populus adsensum potius praeberet, ipsa electionis iura essent penes Principes. Postquam autem Principes post Henricorum tempora, indies incrementa caperent potentiae, factum, vt sensim populus excluderetur, & soli Principes Imp. eligerent. * Postquam exorti Electores, iidemque solis sibi Ius eligendi vindicarent, in reliquis negotiis horum atque Principum saltim conuentus fuerunt instituti, nobilibus immediatis & ciuitatibus tunc saltim admissis, vbi vel de Imperii ratione ageretur, ** vel leges publicae ferendae, quae ad omnium notitiam spectarent, prout exemplum A. B. & Reformationis Friderici III. de a. 1442. testatur, vel expeditiones essent suscipiendae. Licet non tam ad decisionem, quam potius ad assensum generalem fuerint euocati.

* *cap. VII. §. V. VI.*

** Patet hoc ex Conuentu Francofurtensi *de a. 1344.* apud ALBERTVM ARGENTORATENSEM.

§. XI.

§. XI.

Soli itaque superſunt Conuentus Principum, ad quos tamen poſtmodum ſub certis conditionibus æque Comites & Ciuitates fuerunt admiſſæ. Illi Principum conuentus olim circa præcipuas anni feſtiuitates in Vrbibus Palatinis & Imperialibus celebrabantur, * & vocabantur ſolennes Curiæ. Ad hos autem vel omnes Principes, ** conuocabantur, vel ſelecti ſaltim, prudentiores atque maiores, vt cum iis de negotiis publicis conſultaret Imp. *** & cauſſas Principum diſceptaret. Licet autem Comites primum ad Comitia Maiorum æque admitterentur, alia tamen poſt Interregnum ſuborta fuit ratio, dum plerique Comites Principum vaſalli facti, reliquis ſaltim bina vota curiata fuerunt conceſſa, Scamni ſcilicet VVetterauici atque Sueuici, quibus poſtmodum bina alia acceſſerunt. **** Nobiles vero immediati, quibus locus ſaltim fuit in Comitiis vniuerſalibus, plane excluſi. Ciuitatibus Imperialibus haut ſine ratione ſcrupulus fuit motus an votum habeant deciſiuum, quæ tamen in Comitiis hodiernis Populum repræſentare videntur. †

* *Cap. IX. §. VII.*

** ANN. HILDESHEIMENSES an. 1036. de Conrado II. apud LEIBNITIVM: *Imperator cum ſumma ſuorum Principum frequentia Natiuitatem Chriſti Argentinæ magnifice celebrauit, Purificationem vero S. Mariæ Auguſtusburg celebrauit, vbi & publicum cum cunctis circumiacentium regionum Primoribus conuentum habuit.* Talis fuit Conuentus Henrici V. Moguntinus de a. 1106. cui interfuerunt LII. Principes, ALBERTVS STAD. *ad d. a.*

*** OTTO FRISING. de geſtis Friderici I. lib. II. cap. IV. *peractis omnibus, quæ ad coronæ decorem ſpectabant, Princeps in palatii ſecreta ſe recipit, vocatisque prudentioribus, ſeu maioribus ex numero Principum, de Statu Reip. conſultans.* ARNOLDVS LVBECENSIS Chron. Slau. lib. VII. cap. XVIII. *dominus Rex* (Otto II.) *faciem ſuam conuer-*

uertit Brunſwich, vbi feſtum Pentecoſte ſolenniter celebrauit. Ad quod rex amicos tantum familiares adeſſe voluit.

**** Vide ſupra *cap. XV. p. 723.*

† Putat equidem GABR. SCHWEDERVS *de Voto Deciſiuo Ciuit. Imper. §. VIII.* quod Ciuitates a Comitum poteſtate liberatæ, durante Interregno Territorii Iura obtinuerint, atque Comitiis tanquam, Status Maiores, Regalia & Iurisdictionem, Cæſaris nomine exercentes interfuerint, quæ tamen demonſtrari vix poterunt.

§. XII.

Licet autem ex hoc Principum Conuentu hodierna Comitia ordinata, cœpit tamen & recentiori æuo noua diſtinctio in Comitia vniuerſalia atque particularia. Comitia vniuerſalia ſunt Conuentus Statuum vniuerſales, ad conſultandum & decidendum de communibus Imperii negotiis inſtituti. * Indicit illa quoties publica exigit vtilitas Imp. tanquam Caput Imperii, præuio tamen Electorum conſenſu ratione loci & temporis, qui per legatos & litteras ſpeciatim eſt requirendus. ** Ex conceſſione Imp. eadem indicit Rex Romanorum, prout exempla docent Comitiorum a Ferdinando I. conuocatorum, vel Vicarii, qui etiam durante Interregno, hoc Ius habent. ***

* *Inſtrum. Pacis art. VIII. §. 2.*

** *Cap. XII. §. XXII.*

*** *Cap. XIII. §. XXXIV.*

§. XIII.

Conuocandi ſunt omnes Imperii Status, * ſinguli ſingulari edicto, & quidem ſecundum prouincias ſuas, de quibus Vota gerunt in Comitiis. Licet enim olim edicto ſaltim generali conuocarentur, ** illud tamen exinde fuit immutatum, cum nonnunquam Imp. Comitia, ob paucitatem

comparentium differre oportuerit: accidit hoc Friderico III. a. 1442. Comitia Francofurtum ad Mœnum *** & Noribergam 1479. **** indicenti. Idem expertus fuit Carolus V. in Comitiis Wormatiensibus 1545. † Inter Principes Ecclesiastices admittuntur etiam nondum a Papa consecrati: †† Sede vacante vocatur Capitulum. ††† Inter Principes seculares, etiam nondum inuestiti, & vel primogenitus saltim, introducto hoc Iure; vel si nulla diuisio facta, omnes coniunctim; si diuisio facta, singuli, qui speciatim de Principatu inuestiti; si minorennes, tutores. †††† Prælati vero & Comites, eo quod curiata saltim vota ferunt, conuocantur secundum Directoria sua. In edicto conuocationis, hodie Impp. vtuntur verbis blandioribus, ††††† quod vocatur: *Beschreibung zum Reichs-Tag*, & solent Status potentiores specialibus Litteris insuper ab Imp. ad Comitia inuitari. ††††††

* Quinam vero Status sint hodierni, dictum *cap. XV.*

** Talia Edicta generalia Sigismundi Imp. reperiuntur apud GOLDASTVM *Tom. III. p.436.* Wenceslaum tamen Imp. Argentoratensem Ciuitatem singulari edicto ad Comitia Noribergensia a. 1499. euocasse, testatur MÜLLERVS *Friderico, I. Vorst. c. II. §. 6.*

*** FVGGER *Spiegel der Ehren lib. V. cap. II. p. 532.*

**** FVGGER *lib. V. cap. XXVIII. p. 886.*

† SLEIDANVS *lib. XVI. p. 472.*

†† Subscribunt ideo Recessus, vt Electi. Sic R. I. de a. 1555. *von wegen Danieln Erwehlten zum Ertz-Bischoffen zu Mayntz &c.* Plura habet PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. tit. IX. §. 4.*

††† INSTR. PACIS art. V. §. 21. *iidem, aut sede vacante Capitula, & quibus administratio cum iis coniunctim competit, ad vniuersales æque ac particulares deputationum, visitationum, reuisionum, aliosque conuentus Imperiales, literis solitis euocentur.* Demonstrant hoc etiam exempla: *Sic Dechant und Capitul zu Minden* subscribunt Recessum Augustanum de a. 1555. *Probst, Dechant und Capitul des Domstiffts*

stiffts Freysingen R. I. Augustanum de a. 1559. Hodiernis Comitiis, Sede tunc vacante, interfuit Legatus Capituli Hildesheimensis.

†††† *Cap. XV. §. XXIV. XXV.*

††††† Cæsares olim verbis vtebantur: *gebieten, heissen, befehlen,* vt in Reformatione Friderici III. an. 1442. & *im Ausschreiben auf dem Reichs-Tag zu Augspurg an. 1530.* etiam clausulam comminatoriam vocationi addebant: *D. L. oder du erscheinen alsdann oder nicht, soll doch mit andern zum Beschluß gehandelt werden, und D. L. verbunden seyn, was also beschlossen, zu leisten.* Vid. BECHMANN *Exerc. Exot. XII.* §. *X. n. 15.* ARVMAEVS *de Comitiis disc. IX.* §. *X.* Varias Litteras inseruit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. IV. Tit. I.* §. *11.* in quibus hæc verba: *Thun diesem nach Deiner Ld. ietztgedachten Tag und Mahlstadt, solcher allgemeinen Reichs-Versammlung, mit diesem unsern Kayserl. Brief, verkunden, und dieselbe dabenebens, bey den Pflichten, damit sie Vns und dem H. Reich verwandt und zugethan seyn, gnædigst ersuchend, und ermahnend, sie wollen in bestimmter Zeit erscheinen &c.* Litteras Ferdinandi III. conuocatorias exhibuit HERDEN *Grundveste p. I. c. II. p. 17.*

†††††† Moris hoc iamdum ab antiquo fuit. Sic enim Fridericus I. in Epistola III. ad Archiepiscopum quendam: *exoramus te & monemus in ea fide, quam debes imperio & sanctæ Dei Ecclesiæ, & animæ tuæ quatenus omni occasione summota, cum sapientioribus, & magis idoneis & litteratis personis tui Episcopatus apud Bisuntium IV. die ante prædictum terminum familiariter, more curiæ, nobis occurras ad consilium nobiscum processurus.* Idem in Epistola VII. ad Ducem Lotharingiæ: *exorantes commonemus te in ea fide, quam debes Imperio & sanctæ Dei Ecclesiæ, & animæ tuæ, quatenus omni occasione summota, apud Bisuntium quarta die ante prædictum terminum familiariter, more curiæ, nobis occurras, ad consilium nobiscum processurus.*

§. XIV.

Prima quidem Comitia ex præscripto A. B. * Norimbergæ sunt instituenda. Hoc tamen a temporibus Caroli V.

non adeo sancte fuit obseruatum, ast, hoc casu datæ Noribergensibus Reuersales, ne vergere hoc debeat in ipsorum præiudicium. ** De reliquis Comitiis sese Impp. per Capitulationes *** obligant, se eadem intra fines Germaniæ esse celebraturos, sub quo intelligimus Germaniam, quatenus in suos Circulos fuit diuisa. Celebrantur tamen hodie in Ciuitatibus Imperialibus, licet olim etiam in aliis. Hodierna Comitia cœperunt Ratisbonæ d. 20. Ian. 1663. atque in hunc vsque diem durant, dicuntur, *der fürwæhrende Reichs-Tag.* **** Tempus semestre Statibus ad comparendum ex Obseruantia relinquitur. † Durabant olim per mensem & vltra, †† nunc vero Comitia sunt diuturna, forsan perpetua.

* *tit. XXVIII. §. 5.* LEHMANN *lib. VII. c. LXXIV.* Quare Fridericus III. prima sua Comitia an. 1442. Noribergam indixit, de quibus MÜLLERVS *Friderico, I. Vorst. c. II.*

** Cum Maximilianus II. prima Comitia a. 1566. Augustam indiceret, in ipso Recessu, §. *181.* Iuribus Ciuitatis Noribergensis fuit prospectum. Idem factum sub Matthia, in Recessu Ratisbonensi de a. 1613. §. *16.* & sub Ferdinando III. in Recessu Ratisbonensi a. *1641.* §. *2.* MÜLLERVS *Maximiliano, II. Vorst. c. II.* HENR. HILDEBRANDVS *Pecul. Reip. Noriberg. Iurib. c. III. §. VI.*

*** CAROLI V. *art. XII.* quod in reliquis repetitur, præcipue CAPIT. IOSEPHI *art. XVI.* verbis: *keinen Reichstag ausserhalb des Reichs Teutscher Nation*, CAROLI VI. *art. XIII.*

**** De apertura Comitiorum S. H. G. *diss. XXXVII. §. XI.* Propositio Cæsarea reperitur in DIARIO EVROPAEO *Tom. X. p. 12.* Quid in iisdem actum fuerit, exponit MVLLERVS *Staats-Cabinet p. IV. c. IV. p. VI. c. IV.* LVNIG *p. Gen. p. 641.*

† In Litteris conuocationis Leopoldi ad Christianum Ludouicum, Brunsuicensem de a. 1662. apud PFEFFINGERVM *c. l. weil die eindringende Noth, keinen so langen Verzug dulden will, das wir in dem Ausschreiben*

ſchreiben den gevvœhnlichen Termin der ſechs monatlichen Friſt, dem Herkommen gemæß, obſeruiren kœnten.

†† *Handhabung des Friedens VVormatiæ de a. 1495. tit. I.* Primum quidem per Triduum ſaltim durabant. Quare LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad a. 1076. p. 243.* tanquam ſingulare quid animaduertit, quod Comitia Triburienſia per ſeptem dies continuos durauerint. De Comitiis Wormatienſibus a. 1495. Maximilianus in Litteris ad Eslingenſes, apud DATTIVM lib. V. c. II. *der über vierzehen Tag nicht vværen ſoll.* TRITHEMIVS *Chron. Hirſaugienſi* de Comitiis Wormatienſibus a. 1509. *cœpit autem iſte conuentus Principum celebrari VVormatiæ anno prænotato, ſexta die menſis Maii, & durauit diebus ferme triginta quinque vsque in decimum diem videlicet menſis Iunii.* Idem de Conuentu Auguſtano 1510. *lente cœpit, ſed diu durauit a Principio videlicet Ianuarii vsque ad finem menſis Maii.*

§. XV.

Paulo ante Comitiorum diem adparentem, Pappenheimius, Vice-Mareſchallus Imperii, ad hoc ſpeciatim ab Imp. & Saxoniæ Electore inuitatus, in locum Comitiorum ſe confert, vt non ſolum rei annonariæ curam habeat, ſed etiam omnia ad Comitia diſponat, & de hoſpitiis legatis adſignandis procuret. * Olim etiam dum Imp. Electores atque Principes ipſi eſſent præſentes, ſolenni ritu vrbem ingrediebantur, Status etiam Imp. ** hic Electoribus extra vrbem obuiam procedebat. *** Adparente Comitiorum die, Imp. vel ipſe comparet, vel Vicarios **** mittit, quorum vnus Principalis Commiſſarius, qui ex Principum Imperii numero ſumitur, hodie Chriſtianus Aug. Dux Saxoniæ, Cardinalis alter: inferioris ordinis. Status quoque vel ipſi, quod olim ſolenne, vix hodie fit, vel per Legatos, hos ſufficienti tamen mandato inſtructos, comparent. Hi autem præuia Litterarum Credentialium oblatione, aditum ad Imp. vel eius Commiſſarium pe-

tunt, qui ipsis certis solennibus conceditur, quæ secundum dignitatem Statuum variant. ***** Inde Mareschallum Imperii de aduentu suo facere debent certiorem, qui Principibus ipse hospitia adsignat, Legatis vero per metatorem, *den Reichs-Quartiermeister*, tabulam etiam, cui nomen Legati inscriptum, ante ostium domus suspendendam tradit *dem Reichs-Profos.* Licet enim hoc Ius Hospitia adsignandi Magistratus vrbium, in quibus Comitia celebrantur, sibi vindicare voluerint, per Transactionem tamen Augustæ 1614. omnis controuersia fuit composita, & hoc Ius Mareschallo cessum.****** Demum Directorio Moguntino præsentiam suam intimant, eidemq; legitimationem per Secretarium offerunt. Et licet Moguntinus prætendat, hoc per Legatum ipsum fieri debere, accipit tamen legitimationes Electorum ipse Legatus Moguntinus, Principum vero per Secretarium, cum protestatione & breuem desuper reddit attestationem.† Ciuitatum Deputati eandem in persona exhibent. Solent etiam Principum legati, legatos iamdum præsentes de aduentu suo reddere certiores, †† vt Legati iamdum præsentes aduenientes primo loco inuisent. Disputatum autem nuper fuit, dum Lichtensteinius in Principale Collegium introduceretur, an iidem honores deferendi sint ab antiquorum Legatis, illis Principum ††† recentiorum & Comitum.†††† Diutius quoq; de Commissario Cæsareo secundario disceptatum, an primo loco salutari debeat, tandem vero an. 1702. compositum, vt siue citius siue tardius adueniat, primo loco salutetur, a legatis reliquis. Director cuiuslibet Collegii legatorum legitimationes in pleno consessu solet indicare ††††† Moguntinus vero Legatus apud Imp. personam suam legitimat, idemque per Commissionis Decretum Statibus significatur. ††††††

* Cap.

* *Cap. XVII. §. XXVI.* Ordinatio Taxæ in Comitiis præsentibus reperitur in DIARIO EVROPÆO *Tom. X. p. 451.*

** Pompam & Ingressum Caroli V. ad Comitia Augustana prolixe descripsit GEORG. COELESTINVS *Hist. Comit. August. p. 71.* SLEIDANVS *lib. VII. p. 182.* In Comitiis a. 1652. dum Cæsar solennem occursum nollet, saltim tres Electores Ecclesiastici, vna cum Ratisbonensi & Paderbornensi Episcopis, atque Abbatibus Fuldensi & Stabloensi ipsi in occursum perrexerunt, prout ex HERDENS *Grundveste p. I. c. VI. p. 42.* patet.

*** HVBERTVS THOMAS LEODIVS *Ann. lib. IV. de vita Friderici Palatini p. 69. & deinde ad Augustam vna comitati ferme ducentis equitibus armatis proficiscuntur, quibus, cum non multum e ciuitate abessent, venit obuiam Imperator, magna Electorum aliorumque Principum, Comitum, & nobilium stipatus caterua. Vt vero in conspectum venerunt, descendunt omnes ab equis, atque ipsemet Imperator, & Electorem complectitur lætus, gratissimumque illorum aduentum de more dicens, rursus ascendunt equos, & ciuitatem vna ingrediuntur. Hic mos ab institutione prima Electorum ab Imperatoribus est seruatus, vt venientibus ad se Electoribus obuiam procederent, & ad salutandum ab equis descenderent, tanta erat Electorum maiestas, durauitque vsque ad Caroli V. nunc Imperatoris, tempora.* Plenius hæc persequitur THOMAS & qui eum sequitur MVLLERVS *Friderico, V. Vorst. c. XII. §. XXIV. sqq.* De Friderico III. Palatino ad Comitia Augustana 1566. properante, HENR. ALTING Hist. Eccles. Palat. p. 199. *Iter aggressus est Augustam mense Aprili, comitatu frequente & vrbem ingressus die admodum serena procedente ei obuiam ipso Imperatore, & omnibus Electoribus ac Principibus, Augustæ congregatis, & tam splendida & honorifica receptio nullius Electoris a longo tempore visa non fuerat.*

**** Isti olim vocabantur *Kayserliche Anwald* apud MVLLERVM *Friderico, IV. Vorst. c. XL. p. 287.* Vid. L. B. de LYNCKER *de Commissario Imperiali ad Negotia Status.* Extat *Plenipotentz I. F. Gn. zu Lobkowitz als Gevollmächtigen Kays. Principal-Commissarii* in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 8.* Marquardi Episcopi Aichstedtensis *p. 32. 36.* Lambergii Cardinalis a. 1712. ELECTIS I. P. *Tom. IV. p. 966.*

966. Credentiales Imp. apud LVNIGIVM *P. Gen. p. 643.* Apud eundem *p. Gen. II. Fortſ. der Contin. p. 278.* reperitur: *Schreiben des Churſ. Collegii ad Cæſarem wegen des Tractaments, ſo von Deroſelben Principal Commiſſario auf dem Reichs-Tage zu Regensburg, denen Churfürſtl. Geſandſchafften bey der Reichs-Verſammlung zu geben gebühre an. 1688.* Qua ratione Löwenſteinius Princeps in Comitiis vale dixerit, & Credentiales Cardinalis Saxo-Citicenſis exhibentur in ELECTIS I. P. *Tom. X. p. 915.*

***** HERDTENS *Grundueſte lib. I. cap. VI. p. 44.*

****** *cap. XVII. §. XXX.* THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XXI. §. 19.* LONDORP. *Tom. I. cap. I. p. 162.*

† Quæ talis eſſe ſolet: *bey dem hochlœblichen Chur-Mayntziſchen Reichs-Directorio, hat ſich wegen des Hertzogthums N. Herr N. legitimiret.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. X. §. 13.* Vid. LVNIGS *Staats-Conſilia Tom. II. p. 1508.*

†† HERDEN *c. l.*

††† Extant hac de re rationes in vtramque partem, in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 559.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIII. cap. XVII.*

†††† Quid hac in Controuerſia fuerit actum, exponitur in ELECTIS I. P. *Tom. VI. p. 665. Tom. VIII. p. 629. 925.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXVII. c. XII.* Prætendunt autem Comites, quod, dum ſingula Comitum Scamna cum ſingulis Principibus paria Iura habeant, paris honoris etiam debeant eſſe capaces.

††††† Videri poſſunt eiusmodi Legitimationes in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 727. Tom. IX. p. 545.* LONDORP *Tom. XVI. p. 190. 531.*

†††††† FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 10.* THVCELIVS *Actis Publ. Tom. II. p. 853.*

§. XVI.

Die Propoſitioni Cæſareæ prædicta, * Archi-Mareſchallo ſi ipſe præſens ſit, vel hoc abſente, Vice-Mareſchallo ab Imp. vel huius Commiſſario Principali indicitur, vt Statibus, vel horum Legatis horam audiendæ Propoſitioni deſtinatam

natam denuntiet. Tunc Status in palatio Imp. conueniunt, ipsum, vel eius Commissarium solenni pompa in Templum comitantur, in quo Missa celebratur, & sacra peraguntur. His peractis, Status Imp. in Curiam comitantur, in qua ipse, vel Principalis eius Commissarius thronum pro ipso paratum conscendit, Electores loco paulo depressiori ad bina latera sedent, in sedibus rubro serico ornatis. Post Electores in latere dextro, gradu adhuc depressiores, sedent in longo Subsellio Principes Ecclesiastici, vna cum Austriæ Archi-Duce & Duce Burgundiæ, in fine duo Prælatorum Directoria: in latere sinistro Principes Seculares & quatuor Comitum Directoria. Et, dum Administratoribus Episcopatuum Protestantium scrupulus mouebatur de sessione inter Ecclesiasticos, qui eosdem pro Episcopis minime adgnoscebant, inualuit per I. P. tertium scamnum inter Ecclesiasticos & Seculares intermedium, siue transuersum, *die Querbanck*, ** in quo olim sedit Administrator Magdeburgensis, qui ab a. 1680. inter Principes seculares locum obtinet, nunc solus Episcopus Lübecensis & Osnabrugensis. Ciuitatum Imperialium vero Legati extra cancellos, *ausser den Schrancken, womit solcher Kayser-Chur- und Fürstliche Conseß umbgeben*, stare tenentur. In medio reposita est mensa, cui adsidet Cancellarius atque Secretarius Moguntinus ad gerendum Protocollum, & vocatur *der Directorial-Tisch*. Præsto etiam est Vice-Mareschallus Imperii, cum insigni suo, *dem Marschall-Stab*. ***

* Quidnam Propositionem in Comitiis a. 1652. retardauerit, exponitur in HERDENS *Grundueste p. II. c. I. p. 56. sqq.* Solennitates circa Propositionem enarrantur *l. c. p. II. c. II.* Actum Processionis & Propositionis d. 20. Ianuarii 1653. nouæ editioni *der Grundueste* adiectum videmus.

** INSTR. PACIS *art. V. §. 22.* WILDVOGELIVS *de Scamno transuerso.*

 *** Sin-

*** Singula hæc plenius patent ex LEHMANNI *Chron. Spirensi lib. VII. c. CXXIV.* HERDENS *Grundueste p. II. c. II.*

§. XVII.

Postquam sedes suas & loca singuli occupassent, Imp. per Principem quendam Imperii, vel Principalis Commissarius per Con-Commissarium, Principibus pro comparitione gratias agit, Propositionem per Consiliarium prælegi facit, Statusque hortatur, vt de propositis capitibus sedulo inuicem deliberent. Quo facto, Status consurgunt, de Responso per classes consultant, & collatis sententiis, per Moguntinum, vel eiusdem Consiliarium, Cæsari gratias agunt pro cura publicæ rei, seque nihil esse omissuros, quod ad salutem atque dignitatem Imperii conducat, atque copiam recitatæ Propositionis petunt. Quo peracto, Cæsarem, vel Principalem Commissarium in aulam comitantur. Propositio vero, excipientibus Statuum Secretariis, ad dictaturam communicatur. *

* HERDENS *Grundueste p. II. c. II.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 913.*

§. XVIII.

Peracta propositione, ad Deliberationes proceditur. Et quidem distinguuntur hodie Status in Comitiis in tres classes, Electorum, Principum, atque Ciuitatum Imperialium. Facta hæc distinctio statim post Interregni tempora, dum iam Rudolphi Habsburgici, Adolphi Nassouii & Henrici VII. Impp. temporibus, Ciuitates a Principibus separatim memorentur, * licet Principes cum Electoribus vnum adhuc constituerent Collegium, insimul etiam consultarent, id quod in Comitiis Francofurtensibus a. 1344. videmus, vbi Electores & Principes coniunctim; Ciuitates separatim consultarunt. **

Sunt

Sunt equidem, *** qui Electores a Principibus per A. B. plene fuisse separatos, contendant, quod ratione Iurium omnino ita sese habet, non vero ratione separatæ consultationis. Potius crederem, sub Friderico III. Imp. Electores separatas suas consultationes instituisse, id quod iamdum in Comitiis Noribergensibus 1442. **** Francofurtensibus 1454. ***** Neustadtensibus 1455. ****** Noribergensibus 1467. † & postmodum in Comitiis Francofurtensibus a. 1486. †† & 1489. ††† fuit factum. Non autem solum Electores separatas a Principibus instituerunt consultationes, sed etiam in separatum secesserunt conclaue, si locus congregationis hoc tulerit. †††† Licet quandoque in vno conclaui etiam sederint. ††††† Hodie vero Tria separata sunt Conclauia in Comitiis, Collegii Electoralis, Principum, & Ciuitatum Imperialium.

* In Recessu Imperii Herbipolitano a. 1187. apud LEHMANNVM *Chron. Spir. lib. V. c. CVIII.* dicitur: *Diese Satzunge und dürre Brief ward gelesen und erneuet mit der Fürsten, und der Land-Herren, und der Stadte geschwornen Eyden,* & in Comitiis Coloniensibus a. 1291. *von Rath und mit Gunst der Fürsten, Graffen, Vreyen Stadte und anderer Reichs-Getreuen* apud LEHMANNVM *lib. V. c. CXIX.* ALBERTVS ARGENT. ad a. 1309. *mansit vero ibi rex sex hebdomadibus cum Principibus electoribus & aliis Principibus, & ciuitatum nuntiis.* Idem ad a. 1343. *Electores autem Principes, & inferiorum partium magnates, octo diebus ante huiusmodi terminum Colonia conuenerunt.*

** ALBERTVS ARGENTOR. p. 134. *Conuenientibus autem in Franckfurt principum, & magnatum & ciuitatum, & oppidorum imperialium nuntiis, scilicet sub anno Domini M. CCC. XLIV. de mense Septembri, & quarente Principe de ciuitatibus Aquensi, Augustensi & Vberlingensi & aliis si adessent: & dicto quod sic, & auscultantibus omnibus: Magister Wigkerus Protonotarius Archiepiscopi Treuerensis iussus per Principem, sic incepit, Gratiose Domine, Domini nostri Principes, Electores, & alii Imperii fideles, pridem Colonia congre-*

gati recensentes articulos reformationis vestræ, quos Papa requirit, & in quibus intentio Apostolicæ sedis residit, concorditer decreuerunt, illos articulos in perniciem & destructionem Imperii esse conceptos: & quod nec vos, nec ipsi, virtute iuramenti Imperio præstiti annuere valeatis, & quod ipsi nuncios & literas dirigere velint, Papæ & collegio, vt ab his desistant. Quod si nolint, iam alium terminum in Rens super Rhenum, ad octo dies statuerunt, vbi vobiscum deliberare volunt, qualiter in euentu tali huiusmodi conatibus resistatur: Quo dicto per illum finito, quæsiuit ipse Protonatorius a Moguntino præsente, & a legatis aliorum principum, si ita esset in facto: illisque respondentibus, ita esse: dixit Princeps nunciis ciuitatum. Vos audistis decretum & consilium principum. Vos igitur nuncii exite, nobisque vestram deliberationem referte. Illique exeuntes, diuque deliberantes, ad Principes rediere, & per ciuem Moguntinum de mandato omnium taliter responderunt. Domine (notando Principem) Ciuitates aduerterunt, qualiter Papa cum articulis ad læsionem Imperii nititur. Et cum ciuitates non possint stare nisi cum Imperio & Imperii læsio earum sit destructio: si Dominus Papa in talibus persistere vellet, nos inopes omnibus viis, quas cogitauerunt Domini Principes Imperii, ad manutenendum Iura, honorem & integritatem Imperii, erimus obedire & manutenere parati. Et quærente illo ciue a nunciis, si ita esset, omnibusque nunciis dicentibus, quod sic.

*** BOECLERVS *Not. S. R. I. lib. II. c. II.* Sequitur eundem LVDEWIG *ad A. B. p. 40.* ex verbis: *assidentibus nobis omnibus principibus electoribus ecclesiasticis & secularibus ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum nobilium & ciuitatum multitudine.*

**** Cæsar enim ibidem cum Electoribus de componendo Ecclesiasticorum dissidio separatas instituerat consultationes, de quibus GERH. a ROO *lib. V. p. 173.*

***** Sic enim notanter eos distinguit GOBELLINVS *Comment. Pii II. lib. I p 24. statutumque, vt ad Cæsarem Electores Imperii ceterique Germaniæ Principes festo Pentecostes proximo sese conferrent, vt quæ reliqua essent ad expeditionem maturandam, ibi absoluerent.*

****** Ex-

****** Extat enim apud MÜLLERVM *II. Vorst. c. VII.* §. *IV.* separata Electorum Consultatio in dictis Comitiis.

† Prout ex SCHILTERO *Tom. II. Inst. Iur. Publ. p. 171.* patet, qui integram consultationem in his Comitiis exhibuit.

†† Exhibet MÜLLERVS *VI. Vorst. c. II.* §. *II. Vnterredt der Churfürsten Rete*, §. *VIII. & cap. III.* §. *II.* Declarationes Electorum & Principum separata, vbi Principes vocantur *gemeine Fürsten.*

††† Ab his Comitiis primam separationem repetit LEHMANNVS *lib. VII. c. CXX.* sed antiquiorem iamdum esse demonstrauit DATT *lib. I. c. XXIX. n. 20. sqq.* qui etiam adducit supplicationem Ciuitatum de a. 1524. pro adstruendo voto Comitiali, in qua ad Comitia Noribergensia a. 1467. & Ratisbonensia a. 1471. prouocant, in qua: *auff denselben Reichs-Tagen aber, und wie die malstatten derselben, yetzo von uns zum tayl benennt sind, ist es, wie wissentlich und bewustlich also gehalten worden, daß sich darauff in des Reichs obgelegen Suchen und Handlungen erstlich unsir gnadigst Herrn, die Churfürsten allain: die andern unsir gnadig und günstig Herrn, die Fürsten, Prelaten, Graven und Herrn allain: und dann zum dritten, der Erbarn Frey-und Reichs-Stett gesamte Pottschafften allain unterredt und berathschlagt, und solchs, in sondern genehm, so der anders so vil an solchen Orten gewest, gethan haben.* Sequitur Dattium MÜLLERVS *VI. Vorst. c. XLII.*

†††† Vid. locus superiori Nota adductus.

††††† Prout quædam Exempla adducit MÜLLERVS *c. l.* §. *V.*

§. XIX.

His ita præparatis, Deliberationes, ordine materiarum arbitrario, instituuntur,* quas indicit Director Moguntinus, ** missa desuper scheda sigillo munita ad Vice-Mareschallum, quæ vocatur *der Ansage-Zettul*, huius tenoris, vt Vice-Mareschallus diem & horam deliberationibus destinatam legatis indicet, additur materia proponenda, quæ sæpe in ipso collegio indicitur, vt eo melius spatium deliberandi legati habeant. *** Absente Vice-Mareschallo, idem competit Legatis Saxonicis. Horum cura Legatis Statuum vel per

Schedas, si noua caussa fuerit, vel oretenus, hora conuentus indicitur. Absente Moguntino, vel in caussa ipsum concernente, hoc Ius prætendit Elector Saxoniæ, eo quod ipsi ex Pacto cum Moguntino an. 1519. **** hoc fuerit concessum. Oriebatur de eo controuersia an. 1679. post mortem Caroli Henrici, Electoris Moguntini, & denuo an. 1690. dum Moguntinus Legatus se non satis legitimaret, ideoque a Collegio Electorali minime admitteretur, tunc Saxo indictionem prætendebat, protestante tamen Treuirensi, eo quod proximus a Moguntino, & Coloniensi ob alternatiuam cum Treuirensi. Dum autem Legatus Moguntinus sese paullo post legitimaret, cessauit controuersia, exhibitis interea pro & contra protestationibus. ***** Et quidem ordinarie conueniunt die Lunæ & Veneris, ab hora octaua ad vndecimam. † Dies Sabbathi vacat pro re & correlationibus, sic etiam festa vtriusque religionis. †† In caussis vero moram non patientibus conuentus singulis diebus fiunt extraordinarii.

* De eo tamen fuit disceptatum, an secundum Propositionis Cæsareæ Ordinem deliberationes sint instituendæ, de quo HERDENS *Grundveste p. III. c. II. p. 176.*

** Vid. L. B. de LYNCKER in *diss. de Munere Directoriali circa negotia Imperii, Ienæ 1693. 4.* Licet etiam in Comitiis Ratisbonensibus an. 1653. Euangelici Status Consilia egerint de Directore Euangelico in Comitiis adsciscendo, qui vel Comitia vel Principum saltim Curiam moderetur, de quo PFANNER *Hist. Comit. lib. VI. p. 865.*

*** HERDENS *Grundveste p. II. c. III.*

**** Extat apud LVNIGIVM *p. Spec. p. 395.* & in EL. IVR. PVBL. *Tom. II. p. 611.*

***** Plura de hac Controuersia habet PFEFFINGERVS *ad Vitriarium lib. III. Tit. X. §. 13.* FRITSCH *Addit. ad Limnaeum lib. IX. c. I.*

† Ita conuenit, postquam Comitia Ratisbonam fuissent reducta Kl. Octobris 1714. EL. IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 727.*

††Dies

†† Dies Francisci 4. Octobris 1713. Augustæ in Comitiis prima vice pro festo cœpit haberi EL. IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 136.*

§. XX.

Stato tempore Legati conueniunt, hodie gladiati,* quilibet in Conclaui suo, atque loca ipsis conuenientia occupant. In Collegio Electorali vota ab Electoribus pro ordine illorum colligit Moguntinus, vltimo ipse de Voto suo a Saxone interrogatur. Ex Votis singulorum, quo vel vnanimia, vbi requiruntur, vel maiora inclinent, examinat Moguntinus. Quod si vero maior pars Collegii nondum consentiat, iterata vel tertia vice vota colliguntur, vsque dum maior pars Collegii consenserit.** Protocollum in hoc Collegio solus olim gessit Moguntinus. Hodie vero liberum est cuiuis Electori, per fidum Secretarium, proprium Protocollum gerere, ita tamen, vt Moguntini Protocollo præcipua sit auctoritas.***

* Olim quidem palliati, verum Kl. Iulii 1715. ex communi consensu primum gladiis vti cœperunt Legati, & Secretarii EL. IVR. PVBL. *Tom. VIII. p. 520.*

** HERDENS *Grundveste p. II. cap. III.*

*** HERD *p. II. c. IV.*

§. XXI.

In Principum Senatu negotia quidem ad deliberationem æque proponit Moguntinus, Directorium tamen per Alternationem secundum materiam gerit, atque proponit Archi-Dux Austriæ vel Archiepiscopus Salisburgensis, idque a temporibus Caroli V. dum olim solus Salisburgensis esset Director.* Vota colligit Vice-Mareschallus de Pappenheim, vel eius Legatus, qui ideo a tergo Directorii inter vtraque Scamna sedet, eo autem absente, vota colligit Directorium.

Col-

Colliguntur ista per alternationem ab Ecclesiasticis ad seculares, quousque supersint Principes Ecclesiastici, dum a reliquis secularibus, quorum maior est numerus. Euocantur singuli ad votandum sine verborum ambage, solo Episcopatus vel Principatus & familiæ nomine *Saltzburg, Bamberg, Magdeburg, Sachsen-Weimar &c.* & vota proferunt stantes, idiomate Germanico: Bisontino, Sabaudo, Lotharingo exceptis, qui Latino vti possunt. Demum Prælati & Comites ad dicendam sententiam suam secundum Directoria euocantur. ** Protocollum gerunt Secretarii Directorum, licet etiam hoc Protocolli Ius cuilibet ex Legatis sit integrum. Quandoque, si controuersiæ inter Status subortæ, vota non ordinarie, sed in Circulo, sine Sessione præstantur.

* LEHMANN *lib. VII. c. CXXIV.*

** HERDENS *Grundveste p. II. cap. V.* LONDORP. *Tom. IV. lib. IV. cap. V. p. 867.*

§. XXII.

Olim quidem singuli Status singula vota præstabant, quotquot etiam possiderent prouincias. A paucis tamen retro temporibus inualuit, vt de singulis prouinciis, singularia etiam præstarentur vota. Primum eiusdem fundamentum adhuc reperi in Comitiis Noribergensibus de a. 1542. & 1543. dum in subscriptione Recessus, Alberti Moguntini binis vicibus fiat mentio, primo inter Electores, dein quia Archiepiscopus erat Magdeburgensis, inter Archiepiscopos. In Comitiis Ratisbonensibus de an. 1557. memoratur Otto Palatinus inter Electores, deinde inter Principes Seculares *von wegen des Fürstenthums Neuburg.* Plura Exempla reperiuntur in Comitiis Augustanis de a. 1559. 1566. & Ratisbonensibus de a. 1594. & 1598. Et dum sensim sic numerus augeretur, protestabatur desuper domus Austriaca atque Bauarica in

in Comitiis Ratisbonensibus a. 1603. * Immo tempore Westphalicæ Pacis non adeo frequens erat, ** licet post eandem prorsus inualuerit. Ex quo domui Palatinæ, Brandenburgicæ, Saxonicæ, aliisque plura Vota competunt ratione diuersarum, quas possident, Prouinciarum. Domus Austriaca tamen, atque aliæ hoc Iure vsæ non fuerunt. Ex eodem fundamento Saxoniæ Elector admitti petit ad Votum Misniæ Marchionatus, Landgrauiatus Thuringiæ, Misniæ atque Magdeburgensis Burggrauiatus.

* ARVMÆVS *de Comitiis c. VII. p. 551.*

** Patet hoc ex eo, quod, dum Sueci ratione Ducatus Pomeraniæ & Stetinensis bina vota quærerent, *id abnuebant Cæsarei, quod Regina totius Pomeraniæ nomine duo suffragia in Comitiis postularet. Id enim in Imperio inusitatum ac postremum Ducem post duorum Ducatuum coalitionem non nisi vnico vsum*, vt innuit PVFENDORF *de reb. Suecicis lib. XIX. §. 82.*

§. XXIII.

In Senatu Ciuitatum Imperialium Directorium gerit illa Ciuitas, in qua Comitia celebrantur, vel si deliberationes in Ciuitate quadam mediata instituantur, vti factum in Tractatibus Pacis Osnabrugæ, prima Vrbs ex Rhenensibus, * tunc temporis Argentoratum. Hæc peculiari adsidet mensæ, atque alternatim conuocat Ciuitatum Legatos a Scamno Rhenano ad Sueuicum, ** Votaque vna cum Ciuitatis Vlmensis & Spirensis Registratoribus in Protocollum refert, suum vltimo loco subiungens.

* Definitum hoc fuit in Comitiis Augustanis 1474. de quo MÜLLERVS Friderico, V. Vorst. c. XLIV. §. IV. *In der Zusammenkunfft der Stätte, haben die Rheinische, Elsaßische, Wetterauische, Sæchsische und Thüringische, absonderlich einseits, und die Schwæbische und Franckische auch besonder auf der andern Seite gesessen, und sich verglichen und übereinkommen, daß sie auf beeden Orten, wie sie ohn-*

 gefähr-

gefæhrlich dazumahl gesessen, inskünfftige sitzen, und die Umfragen abgevvechselt vverden solten. Vid. SCHWEDER *de Pari Nexu Ciuit. Imper. cap. II. §. V.* Exinde vero male infertur, bina saltim vota curiata competere Collegio Ciuitatum Imperialium, cum in duo saltim Scamna sit diuisum, & singulis Ciuitatibus singulare Votum competat, quare istam fabulam merito refutauit SCHWEDERVS *de Voto Decis. Ciuit. p. 69.*

** Qua ratione in singulis Collegiis hodie sedeant, per Schemata exhibet LÜNIG *im Teutschen Reichs-Archiv p. Gen. app. p. 11.*

§. XXIV.

Votis in singulis Collegiis collectis, Directores ex maioribus Conclusum formant, quod coram Collegio prælegunt. Hinc Collegium quod prius Conclusum formauit, alteri, Electorale quidem per Secretarium Moguntinum, Principum per Præfectum Metatorum, *den Reichs-Quartiermeister* se ad Re- & Correlationem paratum esse denuntiat. Conueniunt igitur hæc duo Collegia Superiora in atrio, in quo Propositione facta ad re- & correferendum, & Sessionibus solitis occupatis, Directores cuiuslibet Collegii conclusum stantes indicant. Si Conclusa conueniant, formatur exinde Conclusum Superiorum Collegiorum, *der beyden hœhern Collegiorum.* Si sententiæ discrepent, vtrumque Collegium denuo separatim de materia proposita deliberat, & facto nouo concluso, denuo conueniunt, idque eo vsque, dum pateat Collegium Principum cum Electorali vel plane conuenire, vel ita discrepare, vt conciliari nequeant. Vtroque casu per Secretarium Moguntinum aduocantur etiam Ciuitates Imperiales, quæ stantes, prout in propositione factum, Superiorum Conclusa audiunt, demum & ipsæ conclusum suum per Directorium exponunt.* Hodie tamen Re- & Correlationes sunt minus solennes, dum scilicet dicto modo Trium Col-

Collegiorum Directores Conclusa inuicem communicant. Ratihabitio tamen Pacis Badensis d. IX. Octobris 1714. per Re- & Correlationem solennem fuit facta. **

* HERDENS *Grundveste lib. II. c. VIII.* Schema congressus publici auf dem Re- und Correlations-Saal exhibet LVNIG *im Reichs-Archiv Append. p. 31.* Stantes equidem audiunt, sed deinde resident, de quo KNIPSCHILD *lib. II. c. I. n. 60. Et quidem Directorium Ciuitatum inter subsellia incedit, & reliquarum Ciuitatum Legati tamdiu surgunt, vsque reliqui Status compellati, quo facto, resident, & Directorium stando Ciuitatum votum legit.* HAGEMEIER *de Comitiis c. II. p. 7.* SCHWEDER *de Voto Decis. Ciuit. Imper. p. 67.* Hic modus autem iamdum in Comitiis Viennensibus an. 1440. de quo MÜLLERVS *Friderico, III. Vorst. cap. XXXI. §. VII.* & Wormatiensibus 1495. fuit obseruatus, de quo MÜLLERVS *Maximiliano, II. Vorst. c. XVIII.*

** FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIV. p. 665.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVIII. p. 768.*

§. XXV.

Olim quidem de eo disceptabatur, an Ciuitates habeant votum vel consultatiuum saltim, vel decisiuum, idque ex eo, quod illarum olim in Comitiis vniuersalibus non adeo magna habita fuerit ratio, istæque plerumque Superioribus Collegiis accesserint, prout in Comitiis Noribergensibus an. 1467. fuerit factum. † Inde primum a. 1521. dubium fuit motum, an ipsis Votum competeret decisiuum, dum nonnisi consultatiuum ipsis conuenire, existimaretur. Inde Ciuitatum Grauamina in Comitiis Eslingensibus 1522. Spirensibus 1523. Noribergensibus 1524. aliisque fuerunt exhibita, caussa etiam ad Carolum V. Imp. delata. * Recruduit controuersia, dum in Comitiis Ratisbonensibus de a. 1541. Ciuitatibus Imperialibus Conclusa Superiorum Collegiorum ore-

 tenus

tenus saltim fuerint relata, de quo tamen Ciuitates fuerunt protestatæ: nec ipsorum Conclusum admissum, quod ipsi Cæsari speciatim obtulerunt, ** ab eodemque per singulare Decretum an. 1542. obtinuerunt, vt ipsarum ratio in Conclusis Imperii & sigillandis Recessibus inposterum haberetur. *** Ventilata porro fuit controuersia in Comitiis Augustanis 1547. 1548. 1505. In Pace Westphalica autem Ciuitatibus, adstipulantibus potissimum Statibus Euangelicis, æque ac aliis Statibus Votum decisiuum fuit concessum, **** quæ ideo in Comitiis de a. 1653. & præsentibus ad Re - & Correlationem Electorum & Principum admitti voluerunt, cum alias fructu voti decisiui destituerentur. Verum, dum superiora Collegia fructum voti decisiui in hoc consistere dicerent, quod post Re - & Correlationem Collegiorum Superiorum, ipsarum Conclusum etiam esset admittendum, illud tamen obtinuerunt, ***** vt sæpius in ipsorum Conclusa consentirent Superiora Collegia, ita vt si vni ex Collegiis Superioribus accederent, etiam constituerent maiora. ****** Ex quo facile sequitur, fabulam esse quæ de duobus saltim Ciuitatum Imperialium Votis curiatis in commune effertur, cum singulare constituant Collegium. *******

† Exhibet Recessum SCHILTERVS *Tom. II. p. 191.* Hic enim primum *p. 179.* memorat, qua ratione inter se conuenerint *Churfürsten und Räthe.* Deinde addit p. 196. *Auff solich Causieren haben sich die Churfürsten und Fürsten dieser hernach geschrieben Antvvort den Bæbstlichen Legaten und Kayserl. Anvvelden zu geben beschlossen, und dieselben Antvvort an der Stette Botten langen lassen, in vvelich Antvvort an beyde vorgenannte Bitte zu thun, der Stette Botten gevvillet und auch also geantvvortet haben.*

* Hanc Controuersiam prolixe exposuit DATT *lib. V. c. VI* KNIPSCHILD *de Ciuit. Imper. lib. II. c. II. n. 48. 49.* LIMNÆVS *Tomo IV. lib. VII. c. I.*

c. I. n. 47. atque ex Schedis MARCI OTTONIS, BOECLER *in Notitia Imperii lib. XI. c. III.*

** HORTLEDER *lib. I. c. XXXVII. n. 440.*

*** LVNIG *p. Gen. p. 673.* DATT *n. 40.*

**** *art. VIII.* §. *4.*

***** HERDENS *Grundveste p. II. cap. VI. p. 119.* BVRGOLDENSIS *Disc. ad Instrum. Pacis p. III.* §. *X.* Quid in Comitiis fuerit factum, exponit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XVIII. p. 768.*

****** Contradicunt equidem Catholici atque Austriaci, iuri suo hoc ipsi quidpiam decedere autumantes, dum potiores Ciuitates Imperiales Euangelicæ religioni sint addictæ. Verum, diuersis vicibus hoc comprobatum fuisse, demonstratur in HERDENS *Grundveste p. II. c. VIII.* vbi potissimum in Re- & Correlatione 30. Ianuarii 1654. a Directorio indicatum fuit, *vveilen die Stadte mit der Churfürstl. Meynung überein kamen, so geben es die Maiora inter ipsa Collegia, und vväre darnach nunmehr das Reichs Gutachten abzufassen.* Idem adserit Europ Herold p. 831. *und ist es allerdings ausser Zvveiffel, daß sie neben dem Collegio, vvelchem sie beyfallen, die Maiora zvveyer Tertien machen kœnnen.* KVLPIS *de Placitis Ordinum Imperii* §. *XIV.* Comprobatur illud in dissertatione GABR. SCHWEDERI *de Voto decisiuo Ciuitatum Imperialium*, vbi §. *XII.* diuersa Exempla adducuntur, quod Ciuitates vel Electorum vel Principum concluso accedentes, maiora constituerint, & *p. 68.* Extat etiam in LVNIGII *Staats-Consiliis Tom. I. p. 852.* hac de caussa *Bedencken* de a. 1615. Dubium equidem iterum suboritur, si Collegium Electorale ab Principum & Ciuitatum Collegiis dissentiat, an etiam tunc maiora valeant, quod tamen etiam obtinuisse in caussa Monasteriensi contra Erbmannos, docent nos Acta apud FABRVM *Tom. XIII. c. VIII. p. 379.* dum Cæsar Collegio Principum ac Ciuitatum accesserit, prout ex FABRO *Tom. XV. p. 306. Tom. XVI. p. 5. Tom. XXVII. p. 282. sqq.* patet. Vid. etiam SCHVVEDERVS *de Casibus a Iure Maioris partis in Comitiis firmatis* §. *V.* HERDENS *Grundveste p. II. c. VIII. p. 152.*

******* Hanc etiam Fabulam refellit SCHVVEDERVS *de Voto Decisiuo Ciuit. Imp. p. 69.*

§. XXVI.

Quod si igitur omnia Conclusa Trium Collegiorum sint conformia, formatur ex iisdem Conclusum Trium Collegiorum, hac formula: *als man in allen dreyen Collegiis:* vel Superiorum saltim Collegiorum conclusa conueniunt, tunc ex vtrisque vnum formatur, hac formula, *als man in beyden hœbern Collegiis.* Quod si vero difformia sint Conclusa Trium Collegiorum, quod rarius fit, singula separatim ponuntur. Si etiam difforme sit Ciuitatum Conclusum, ab illo duorum Superiorum, formatur quidem Conclusum Trium Collegiorum, ita tamen, vt eidem sententia Ciuitatum singularis inseratur. * Immo, si ipsi Principes Catholici atque Protestantes inuicem discrepent, vtrorumque placita separatim adducuntur. Ex his autem, siue conformia sint, siue difformia, per Moguntinum formatur Conclusum Statuum, vulgo *das Reichs-Gutachten*, quod in pleno consensu prælegitur, cum singulis Statibus per Dictaturam communicatur, & Sigillo Imperii obsignatur. **

* Prout factum in Comitiis Augustanis 1474. MÜLLER *Friderico, V. Vorst. c. XLIV. §. V.* Idem factum d. 26. Aprilis 1709. in Concluso Trium Collegiorum in caussa Darmstadt contra Incolas des Bussecker Thals in ELECTIS *I. P. Tom. I. p. 638. 827.* vbi Concluso Trium Collegiorum fuit insertum: *Das Stædtische Collegium aber hielte davor, und vvurde darin nach rechter Vberlegung deren der Zeit allhier vorgestellten Vmstænden beschlossen.* Quid hac in caussa fuerit actum, exponitur apud LONDORPIVM *Tom. VII. cap. CCCVI. CCCVII.* Vid. etiam HENNIGES *Medit. ad I. P. art. VIII. §. IV. p. 1304.*

** KVLPIS *de placitis Ord. Imperii.*

§. XXVII.

Hoc Statuum conclusum, præfinito a Commissario Principa-

cipa:

cipali * tempore, offertur eidem a Moguntino, duobus vel quatuor ex Collegio Electorali, Austriaco, Salisburgensi, tribus vel quatuor Principibus ex Catholicis, totidem Euangelicis, vno ex Prælatis, vno ex Comitibus, duobus ex Ciuitatibus Imperialibus, obseruata religionis paritate. ** Quodsi tamen de hac Deputatione scrupulus oriatur, solus offert Moguntinus, quod hodie frequens. Mittitur hoc ad Imperatorem, qui Responsum suum per Principalem Commissarium in Decreto, quod dicitur *Commissions-Decret* Directorio Moguntino intimat, quod hic cum reliquis Statibus per dictaturam communicat. Quod si Cæsaris responsum cum Concluso Collegiorum Superiorum conueniat, res salua est. Quod si vero vni saltim accedat Collegio, vel a Statuum concluso discrepet, tamdiu replicando, duplicando, triplicando disceptatur, donec alterutra pars in alterius sententiam discedat, dum Recessus Imperii transactione firmentur, vt in superioribus fuit dictum, vel si pateat, plane eosdem inuicem componi non posse, res indecisa manet. ***

* Disputabatur a. 1687. an absente Principali Cæsaris legato, hoc Placitum Imperii Secundario possit offerri, quod Status, potissimum Electores, plane denegarunt, prout videre est apud LONDORPIVM *Tomo XIII. cap. XXVI.* LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tomo II. p.* 1107.

** De his Deputatis Ordinariis plurimum disputatum fuit in Comitiis an. 1653. de quo HERDENS *Grundueste p. II. c. XI.* In Comitiis vero a. 1663. Deputati fuerunt ex Collegio Electorali Moguntinus, Bauarus, Saxo, Brandenburgicus. Ex Principum Collegio Salisburgensis, Austriacus, Bauarus, Bambergensis, Palatinus Lauterensis, Saxo Altenburgensis, Brandenburgo-Culmbacensis, Brunsuicensis, vnus ex Prælatis Sueuicis, vnus ex Comitibus Wetterauicis. Ex Ciuitatum Imperialium Ordine Ratisbonensis, Noribergensis, Coloniensis, Aquisgranensis, qui 5. Martii 1663. primum Placitum

citum Legatis Cæſareis exhibuerunt. Inde de hoc negotio in Comitiis diuerſimode fuit diſputatum, prout Acta reperiuntur im MVLLERI *Staats-Cabinet p. II. c. I.* Licet hic Ordo quandoque in Comitiis adhuc durantibus fuerit immutatus, prout videre licet ex FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 68.*

*** BRVCKNERI *Curioſa Iuris Publici* §. *X.*

§. XXVIII.

Quod ſi inter Imp. & Status conueniat, formatur ex Concluſo Statuum *dem Reichs-Gutachten* & Reſponſo Cæſaris, a Directorio Moguntino Receſſus Imperii, *der Reichs-Abſchied*, cuius procœmium a cauſſa & indictione ſumitur, deinde capita, in quæ transactum, proponuntur. Hic Receſſus in Conclaui Electorum, præſentibus Commiſſariis Cæſareis, ac Deputatis reliquorum Statuum prælegitur, examinatur, & ſecundum horum monita emendatur. Hiſce rite peractis, in formam redigitur authenticam, eiusdemque duo exemplaria pergameno inſcribuntur & ſigillantur.

§. XXIX.

Sigillandi & ſubſcribendi modus variat. Olim quidem vel Imp. tantum, & Archi-Cancellarius, vel nomine ipſius Vice-Cancellarius recognoſcebat. Recentiori ætate talis modus fuit obſeruatus: Funiculum duplicem infimæ parti pergamenti transfixum in ſuperiori parte ſigillum Cæſaris coniungit. Poſt eius ſigillum funiculus in duas partes diuiſus manet, & in illo, qui a dextro latere ſigilli Cæſarei eſt, Pontificii ſigillum ſuum adnectunt: ac primo quidem nomine Eccleſiaſticorum, Moguntinus, vel hoc abſente, qui in electione eſt proximus, ſigillum appendit: ſecundo loco ſubſcribit & ſigillat proximus Elector ex Catholicis, inde bini Principes Catholici, vnus ex Prælatis, vna ex Ciuitatibus Catho-

Catholicis. In ſiniſtro latere Euangelici bini ex Electoribus, bini ex Principibus, vnus ex Comitibus, vna ex Ciuitatibus.* Deputantur autem ad hanc ſubſcriptionem conſenſu Comitiali, & quidem in Comitiis de a. 1654. conuenit, vt in quibuslibet Comitiis noui ſemper ſeligantur. Nomina vero Statuum vel Legatorum, qui Comitiis interfuerunt, per Secretarium Moguntinum ſubſcribuntur, cum clauſula reſeruatoria, ne vllo ex Statibus præiudicium quodpiam adſeratur.

* In R.I. de a. 1654. talis ordo fuit ſeruatus.

Imperator

Moguntinus	Saxonicus
Bauarus	Brandenburgicus
Salisburgenſis	Magdeburgenſis
Bauaricus	Palatinus *ratione Lautern*
Prælatus	Comes, Wetterauicus
Colonia	Ratisbona

HERDENS *Grundueſte p. II. cap. X.*

§. XXX.

Sequitur inde Publicatio Receſſus. Imperator enim, vel huius Commiſſarius Principalis in publico Statuum conſeſſu, per Cancellarium Moguntinum Receſſum iubet prælegi, atque Status admonet de ſeruandis capitibus in Receſſu concluſis. Inde Receſſus a Directorio Moguntino cum ſingulis Statibus per Dictaturam communicatur. Hinc publicati Receſſus vnum Originale adſeruatur in Archiuo Imperatoris, alterum Moguntiæ in Archiuo Imperii. Moguntinus etiam Cameræ Imperiali Copiam transmittit, vt ſecundum Receſſum nouum Proceſſus dirigatur, qui illum per Commune decretum *gemeinen Beſcheid* Aduocatis & Procuratoribus intimant. Sic peractis Comitiis, Imperator atque Status poſt valedictionem a Cæſare ſumtam, diſcedunt.*

 * Plu-

* Plures sunt, qui Statum Comitiorum descripserunt. Inter hos IO. STARICII *Comitiorum fidus Achates*. Tomo Septimo DIARII EVROPÆI accessit *kurtzer und gründlicher Bericht von Ausschreibung der Reichs-Tægen, und was dabey sonsten zu beobachten*. ARVMÆVS & BERTRAMVS *de Comitiis*. LEHMANN *lib. VII. c. CXXIV*. Sed, cum multa hodie immutata, potius legendi HERDENS *Grunduestе des Heil. Röm. Reichs*, qui Statum in Comitiis vltimis describit. Statum Comitium præsentium descripsit LVDOLPH *im Discurs vom gegenwærtigen Reichs-Tag*, qui primum Ienæ 1696. prodiit post Tomo II. Institutionum I. P. Schilteri adiectus, licet nonnulla hinc inde adhuc fuerint immutata. Addi potest EVROP. HEROLD *p. I. p. 810. sqq.* Varia etiam, quæ Cæremonias Comitiales concernunt continentur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. fasc. I.* & in LVNIGII Appendice *zum Teutschen Reichs-Archiv*.

§. XXXI.

Licet autem hic modus atque Processus sit Comitiorum, dicendum iam, qua ratione procedatur in hodiernis Comitiis, quæ nunc per quinquaginta & amplius annos durant, dum noua semper occurrant negotia Comitialia. Hæc vero noua negotia committuntur Commissario Cæsaris Principali, qui eadem scripto proponit, quod cum singulis Statibus per Dictaturam communicatur, & vocatur *Kayserliches Commissions-Decret*. Hæc vero eadem ratione in deliberationes ducuntur, prout antea dictum, de iisdem formatur Conclusum Statuum, *ein Reichs-Gutachten*, quod si a Cæsare confirmatur, demum vim nanciscitur. Durantibus autem Comitiis hisce nondum Recessus fuit publicatus, in quem omnes caussæ communi Imp. & Statuum consensu conclusæ, omnium placita redigenda.

§. XXXII.

Proceditur autem in Comitiis secundum Vota maiora. Excipiuntur tamen caussæ Religionis, omniaque alia negotia,

tia, in quibus Status tanquam vnum Corpus conſiderari nequeunt. Diſputatum quidem ſubinde fuit, quid ſub eodem intelligatur, deciſum tamen in Actis Publicis, quod intelligendi ſint eiusmodi Actus, dum Status vt ſinguli conſiderari debeant, nullumque per maiora his adferri debeat præiudicium, id quod Exempla * declarant. Idem a temporibus Reformationis quæſiuerunt Status Euangelici, in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1608. potiſſimum vrſerunt, ** atque per Pacem Weſtphalicam demum obtinuerunt. In eadem etiam fuit decretum, vt Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus vel in vniuerſum, vel ſecundum Collegia in diuerſas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio locum habere debeat, non attenta Votorum pluralitate, *** atque tunc votum Commune per primum ex Euangelicorum ordine proponitur. ****

* HENRICVS HENNIGES Medit. *ad I. P. art. V.* §. *LII. pag. 753.* hanc opinionem fortaſſis cautioni ait adhuc ſubiectam eſſe, cum videamus Cæſarem de Iure ſingulorum iudicare, quidni etiam Status cum Cæſare, præſertim in rebus maioris momenti poſſint conſulere. Sibi etiam cauſam non apparere, cur Status tanquam vnum corpus nequeant conſiderari, quoties de iure tertii conſultatio inter Collegia inſtituatur. Talem igitur naturam negotii eſſe debere, vt Status in Comitiis congregatos ſeparet quaſi, & Corporis, ſeu Collegiorum vincula communia ſoluat, vt non amplius Collegii ſed Singulorum ratio habeatur. SCHWEDERVS equidem §. *XI.* putat, nullam aliam, quam Collectarum cauſſam hic intelligi voluiſſe Euangelicos, ob pertinacem vero Catholicorum contradictionem, concedere neceſſum habuiſſe, vt hæc cauſſa ad proxima reiiceretur Comitia. Iura tamen Singulorum hic intelligi, conſtat ex Reſponſione Statuum Euangelicorum Ferdinando I. in Comitiis Spirenſibus a. 1529. exhibita, quæ extat apud MVLLERVM *Hiſtoria Euangeliſcher Stande Proteſtation lib. I. p. 114.* in

qua: *so doch in menschen Handlungen und Sachen, das merer wieder das minder nicht fürdrücken mœcht, da die Sach nit Ir viele in ein gemein, sondern yeden sunderlich belangt.* Non diffiteor equidem, Cæsarem de Iuribus singulorum Statuum iudicare, verum, nec vllum ipsis adferre potierit præiudicium. Vbi igitur tale occurrit negotium, per quod singulis adferatur præiudicium, Maiora locum habere nequeunt. Exemplum reperitur in Comitiis adhuc durantibus, dum de Deputatis Ordinariis ageretur, quod ex Actis Publicis profert HENNIGES *Mantissa I. p. 38. als aber Bayern und Pfaltz-lautern sich hiezu nicht obligiren wollen, und hierauff Pfaltz-Neuburg mit andern hierüber eine Vmbfrag begehrte, wiedersezten sich obgedachte beede gleichfalls, diesen Begehren, und wendeten ein, NB. sie kœnten sich ihr Ius quæsitum durch andere nicht abuotiren lassen.* Quare etiam Archiuexilliferi Munus in præiudicium Domus Würtenbergicæ in Hanoueranum Electorem transferri non poterat. Eadem ratio est muneris Archi-Stabularii, de quo hactenus in Comitiis fuit actum.

** Quid in Comitiis Ratisbonensibus an. 1608. hac in caussa fuerit gestum, ex Actis Publicis proponit ADAMVS CORTREIVS *ad Pacem Religionis art. XII. p. 280. sqq.* & ex eodem GABR. SCHWEDERVS *de Casibus a Iure Maioris partis exemtis* §. *VI.* Immo, alia Exempla anteriora, quod Euangelici Status ad Maiora noluerint obligari referuntur ab Auctore SACRAE LIBERTATIS ANCHORAE *p. 21.*

*** Art. V. §. LII. *in causis Religionis omnibusque aliis, vbi Status vt vnum Corpus considerari nequeunt, vt etiam Catholicis & A. C. Statibus in duas partes euntibus, sola amicabilis compositio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.* Vberius hæc materia pertractatur in GABR. SCHWEDERI erudita Dissertatione, *de Casibus a Iure Maioris Partis in Comitiis S. Romano Germanici Imp. exceptis in I. P. Westphalica Firmatis, Tubingæ 1718.* qua ex Actis Publicis potissimum, quid in Tractatibus Pacis hac de causa fuerit actum, pleraque expenduntur. Nouiter demum prodiit *Sacra Libertatis Anchora, vbi agitur de Pluritate Votorum, de Iure eundi in partes, nec non de Iuribus singulorum 1719. 4.*

**** Fa-

**** Factum hoc in caussa IV. Articuli Pacis Ryswicensis, tunc enim Votum commune Euangelicorum nomine proposuit legatus Magdeburgicus, FABER *Tom. IV. p. 507.* Idem factum, cum de Iure adlegandi ad Tractatus Badenses ageretur, de quo in S. H. G. *diss. XXXVIII. §. LII.* Factum hoc denuo die 2. Septembris 1712. in caussa Toggenburgensi, dum Sachsen-Coburg Votum Commune praeberet; de quo FABER *Tom. XXVI. cap. V.* & d. 5. Decembr. 1716. in caussa Moderationis Matricularis Coloniensis de qua FABER *Tom. XXIX. cap. IX.* atque hoc ipso Ius eundi in partes sibi reseruarunt, cui tamen Colonienses contradixerunt. Qua ratione etiam Euangelici in Comitiis adhuc durantibus circa negotium Capitulationis Perpetuae; in caussa declarationis Status in Bannum maiora Vota locum habere denegauerint, ex Actis demonstrat HENNIGES *Medit. ad I. P. Spec. VII. p. 974.* Votum autem hoc Commune ideo vsu venit, ne dissensus vnius vel alterius Euangelici illorum caussam impediat. Ista enim caussa de qua in partes eundum, primo in Consessu Euangelicorum per Maiora definitur & per Votum Commune in Principum Collegio proponitur. Vid. HENNIGES *p. 755.*

§. XXXIII.

Post varia autem molimina, hocce inuitis licet Catholicis fuit decretum, vt hoc ipso Euangelici Status contra Pontificios Status Votorum numero Euangelicos superantes, sint tuti. Eadem ratione definitum fuit, vt in singulis Negotiis Communibus Imperii Religionis paritas obseruetur: * vtpote in omnibus Imperii Deputationibus, ordinariis aeque atque extraordinariis, siue ex vno, siue ex tribus Imperii Collegiis fiant, in quocunque negotio, in Commissionibus Imperii, *** in constituendis Praesidibus & Adsessoribus Camerae, **** in Iudiciis Imperii, in quibus etiam per fictionem Iuris paritas Religionis obseruanda, † in Instantia Supplicationis coram Iudicio Aulico, atque vtriusque Religionis Adsessoribus in diuersa abeuntibus, ad Comitia Imperii vni-

uersalia caussa remitti debet. †† In reliquis vero negotiis Maiora semper veniunt attendenda. †††

* De his actum in SACRA LIBERTATIS ANCHORA *p. 5.*

** Vide §. *XXXVI.*

*** INSTR. PACIS *art. V.* §. *LI.*

**** *cap. XXIV. §. LXI.*

† INSTR. PACIS *art. V.* §. *LIII.*

†† §. *LIV. LV. LVI.* GERCKEN *Otium. Vienn. Ratisbon. cap. XIV. §. III.*

††† Quare in Comitiis 1654. 23. Ianuarii, dum super modo tractandæ Capitulationis, Directorium secundum Maiora procedere nollet, Principes, potissimum Euangelici acerrime contradixerunt, de quo HERDENS *Grundueste p. II. cap. V.*

§. XXXIV.

In Tractatibus Pacis Westphalicæ agebatur quoque de Imperii Collectis, an circa easdem definiendas Maiora Vota locum habeant. Verum, dum conuenire inuicem non possent Catholici atque Euangelici, negotium ad proxima Comitia fuit reiectum, * nec dum tamen decisum. Singula autem scripta, quæ Directorio Moguntino in Comitiis exhibentur, ab eodem per Dictaturam cum singulis Statibus a Secretario Moguntino, qui ideo Dictator dicitur, communicantur. Hæc dicitur Dictatura publica, a qua priuata discrepat & particularis, quæ vel in singulis Collegiis, vel a Directoriis Catholicis vel Protestantibus saltim fit.

* Art. V. §. LII. *Quod vero ad pluralitatem Votorum in materia Collectarum attinet, cum res hæc in præsenti congressu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remissa est.*

§. XXXV.

§. XXXV.

Licet autem Comitia a. 1663. aperta, ad præſens vsque tempus durent, nihilominus ſubinde fuerunt interturbata. Ceſſabant enim Deliberationes Comitiales exeunte ſuperiori ſeculo, ob cauſſam Noni Electoratus, tum Principes Correſpondentes, iisdem, niſi finita hac cauſſa nollent intereſſe, * quæ tamen ad Cæſaris inſtantiam ** occaſione belli ob ſucceſſionem Hiſpanicam iterum cœptæ fuerunt. Deinde turbabantur Comitia, poſtquam Bauariæ Elector Ratisbonam vrbem occupaſſet, qui tamen Ciuitati non ſolum, ſed etiam Legatis ſecuritatem promiſit. † Defuncto Ioſepho ceſſabant Deliberationes Comitiales Ordinariæ, Legati tamen, quoties a Moguntino fuiſſent vocati, extra ordinem ſaltim conueniebant. ††Ingraueſcente apud Ratisbonenſes contagione, in Comitiis XXIII. Auguſti 1713. fuit decretum, vt Comitia Auguſtam translocarentur, quo etiam Legati, Cæſare adprobante, ſenſim ſeceſſerunt. Hac tamen ceſſante contagione, an. 1715. Ratisbonam iterum fuerunt reducta. ††† Poſt Pacem Badenſem ceſſarunt iterum Deliberationes Comitiales, dum Bauarus præter locum quintum in Collegio Electorali, etiam Archidapiferi Officium peteret, Palatinus autem atque Hanoueranus de Architheſaurarii Officio inuicem diſceptarent. Verum, conſentiente Hannouerano XVII. Aprilis 1719. cœperunt iterum dictæ Deliberationes.

* S. H. G. *diſſ. XXXVII. §. XCIV.*

** Prout patet ex FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. c. I.*

† S. H. G. *diſſ. XXXVII. §. CXIV.*

†† S. H. G. *diſſ. XXXVIII. §. XLI.*

††† S. H. G. *diſſ. XXXVIII. §. LVIII.*

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Dantur æque Conuentus Imperii Particulares, quæ tamen totum concernunt Imperium, ideoque a quibusdam *repræsentatitii* solent adpellari. Tales sunt *Deputationes Comitiorum extraordinariæ.* Dum enim vel nimia occurrant negotia, vel alia melius a paucis possint examinari, certi extra ordinem Deputati constituuntur ex singulis Collegiis, & quidem vtriusque Religionis * pares, pro qualitate negotii plures vel minores, & vocatur *des Reichs-Ausschuß.* Hi conuentus instituunt illo tempore, dum nullæ sunt Deliberationes publicæ, negotia proposita examinant, & quid ipsis videatur, *ihr Gutachten* Moguntino proponunt, qui illud cum reliquis Statibus communicat, & si ab iisdem adprobatum, vim habet Conclusi Imperialis. Sic per eiusmodi Deputationes extraordinarias in Comitiis de a. 1653. examinata fuerunt caussa Capitulationis perpetuæ, negotia Cameralia & Tribunalium Imperii, negotium de obæratis debitoribus, atque alia. Sæpius etiam, vbi exterorum Legati adueniunt, certi Status deputantur, ad audiendam horum propositionem, vel, si Litteræ ad Cæsarem & exteros Principes exarandæ, Deputatis istæ relinquuntur expediendæ. Olim quoque obtinebat *Senatus Supplicationis*, qui examinaret petita per Supplicationes, qui tamen cessat. **

* INSTR. PACIS *art. V.* §. *51.*

** Vid. de his HERDENS *Grundueste p. II. cap. VII.*

§. XXXVII.

Ad Extra-Comitiales, sed Particulares Imperii Conuentus referendi sunt Conuentus annui, *iæhrliche Versammlungen*, qui ad seruandam Pacem publicam olim constituti. *

In

In quorum locum cessit *Regimentum Imperii, das Reichs-Regiment.* Primum de eodem in famosis istis Comitiis Wormatiensibus de an. 1495. actum, vt, dum bellum contra Gallos meditaretur Maximilianus I. per constitutos Assessores Imperii negotia decernerentur. Factum etiam in iisdem Comitiis a Statibus Proiectum de Ordinatione Regimenti. Displicebat hoc primum Imp. qui se in Aula sua prudentes consiliarios esse constituturum adserebat, qui Imperii curam gererent. In Comitiis tamen Augustanis de an. 1500. de Regimento hoc cum Imp. conuenit, & constitutum, vt ipse Imperator, vel Vicarius eius Praeses esset. Constitutus itaque ab Imp. Fridericus III. Saxoniae Elector Vicarius *zum Stadthalter unser und des Heil. Reichs Regiment*, adiecto annuo salario sex mille florenorum. Assessores constituti viginti. Vnus semper ex Electoribus in persona, ita, vt singuli per trimestre spatium inuicem alternarent, reliquorum quinque Consiliarii, vnus ex sex ad Regimentum selectis Principibus Ecclesiasticis, vnus ex sex secularibus, qui aeque per trimestre spatium inuicem alternarent, Legatus Austriacus, Legatus Burgundicus, vnus ex quatuor Praelatis, vnus ex Comitibus, duo Deputati ex octo selectis Ciuitatibus, sex Circulorum Legati. Neque enim singuli Status ad Regimentum admittebantur, sed praeter Electores, duodecim saltim Principes, quatuor Praelati, octo Ciuitates erant selectae.

* Hos enim a Comitiis vniuersalibus distinguit *Erklarung des Land-Friedens Augustae 1500. tit. VI.* verbis: *das der iahrlichen Versammlung, so desmahls verordnet gewesen ist, aus Nothdurfft nicht zu erwarten waere, Uns und die Churfürsten, Fürsten und Stend des Reichs, förderlich an ein gelegen Mahlstatt zu beschreiben.* Vid. & MVLLERI *Reichs-Tags-Staat lib. I. cap. IV. & Maximiliano II. Vorst. c. XXXIX.* S. H. G. *diss. XXXI. §. VI.*

 §. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Locus Regimento destinatus Noribergæ. Negotia erant publica, quæ ad conseruandam Pacem, & defensionem Imperii potissimum facerent, cum potestate exequendi. Quod si vero res maioris essent momenti, requirebatur, vt Adsessores easdem ad Imp. & selectos ex Principibus deferrent, & cum iisdem communicarent. Certa etiam in Comitiis Augustanis de a. 1500. constituta est Ordinatio Regimenti. Prima itaque sessio Regimenti eodem anno 1500. Noribergæ cœpit. Licet autem hæc Ordinatio Regimenti ad sex annos esset præfinita, cessauit tamen isto tempore Regimentum a. 1502. partim, quod Imp. ipsum instituti Regimenti pœniteret, partim, quod vix dimidia pars ex selectis conueniret, reliqui etiam quererentur, se plane excludi, immo, diuersa occurrerent negotia, quæ omnium consensum requirerent. *

* Singula hæc plenius exposuit MVLLER *im Teutschen Nation Reichs-Tags-Staat*, qui præter Historiam, Ordinationem, & singula Acta Regimenti ex Archiuo Vinariensi profert. Speciatim etiam de eodem egit DATT *Vol. nou. Rer. Germ. lib. I. c. XXVII. & lib. III. cap. XII.* S. H. G. *diss. XXXI. §. XIV.*

§. XXXIX.

In Comitiis Coloniensibus quidem an. 1508. Maximilianus I. mutata paulisper Regimenti Ordinatione, illud restituere conabatur, conuenire tamen cum Statibus non potuit, quin potius negotia singula ad Comitia iterum fuerint relata. * In Capitulatione tamen Caroli V. Electores Imp. obligarunt de restituendo Imperii Regimento. ** Factum hoc ab eodem in Comitiis Wormatiensibus a. 1521. constitutis etiam, præter Vicarium Imp. qui minimum Baro esse debebat, viginti duobus personis. Locus æque Noribergam fuit constitutus, per annum saltim & dimidium, relicta in posterum

Regi-

Regimento facultate, pro qualitate rerum, locum mutandi. *** Hinc a. 1523. Eslingam † an. 1529. Spiram fuit translatum. Negotia erant pacis bellique, vindicabat †† quidem sibi caussas iustitiæ, quæ tamen per R. I. Noribergensem de an. 1524. ††† eximuntur, licet executionem sibi seruarint, potestas etiam ipsorum erat magna. Excepta tamen erant reseruata Imperatoris. ††††

* MÜLLER *Reichs-Tags-Staat lib. III. c. IV.*

** *Art. III.*

*** *Ord. Regimenti Wormatiæ de a. 1521.* §. 8. S. H. G. *diss. XXXII.* §. *IX.*

† *R. I. Noribergæ de a. 1524.* §. 8.

†† *Ord. Regimenti de a. 1521.* §. 1. RECHENBERG *de Regimento Imperii* §. 12. *sqq.*

††† § *18.*

†††† RECHENBERG *c. l.*

§. XL.

Cessauit tamen plane hoc Regimentum circa a. 1531. * Rationes erant, quod Status in suppeditandis sumtibus necessariis essent difficiliores, ** Regimenti decretis parere detrectarent, & circa Religionem dissiderent. Ex quo, haut abnuente Cæsare, cuius potestas per Regimentum admodum restringebatur, dissoluebatur. ***

* Patet hoc ex REFORM. CAMERÆ SPIRÆ de an. 1531. §. 50. *dieweil das Regiment gefallen.*

** Hanc rationem ipse Carolus V. affert apud SLEIDANVM *lib. VII. circa finem.*

*** HYPPOLYTVS A LAPIDE *de Ratione Status p. II. c. IV.* Vid. tamen RECHENBERG *de Regimento Imperii* §. *XXXIII. & sqq.*

§. XLI.

Alii sunt *Conuentus Visitatorum Cameræ*, & *Comitia Deputa-*

putatorum Imperii Extra-Comitialia, Reichs-Deputations-Tage. De istis plenius agendum, vbi de Iudicio Camerali sermo erit. Hæc vero vel Ordinaria sunt vel Extraordinaria. Ordinaria sunt Conuentus Imperii particulares, ab Electore Moguntino Francofurti, vel alibi indicti, in quo Commissarii Imp. Electorum & certorum Deputatorum Imperii, in caussis, publicam potissimum concernentibus vtilitatem, conueniunt & deliberant. Instituti isti in Comitiis Augustanis de an. 1555. eo fine, vt, si motus oriantur in Imperio, iidemque ab aliquot Circulis sedari nequeant, tunc per Moguntinum Deputati conuocentur, vt promtius haberi possit auxilium ab vniuerso Imperio.* Successu vero Temporis de diuersis rebus in iisdem conuentibus fuit actum.

* *R. I. Augustanus de a. 1555. §. 65.*

§. XLII.

Ius conuocandi est penes Electorem Moguntinum, tanquam Imperii Archi-Cancellarium. Deputati olim Ordinarii, *des Reichs-Deputirte Stænde*, præter sex Electores, quatuor Principes, vtpote Archi-Dux Austriæ, Episcopus Würtzburgensis, Monasteriensis, & Dux Bauariæ, Prælatus Weingartensis, Comes Fürstenbergensis atque inter vrbes, Colonia & Noriberga.* Dum autem hoc munus primum ad personas Principum, Prælatorum & Comitum saltim fuisset restrictum, per Recessum I. Augustanum de an. 1559. ad posteros æque fuit continuatum & Principibus fuerunt adiecti, Dux Iuliacensis atque Hassiæ Landgrauius.** In Comitiis Spirensibus de a. 1570.*** iterum adiecti Episcopus Constantiensis, Dux Burgundiæ, Brunsuicensis & Pomeraniæ. Postea quidem per Pacem Westphalicam † fuit decretum, vt numerus Deputatorum vtriusque Religionis æquiparetur, ipsorum vero

vero Deputatorum selectus ad proxima Comitia reiectus. Inde in Comitiis de an. 1653. de ordinandis hisce Conuentibus actum, atque Recessu Imperii nouissimo †† prioribus adiecti fuerunt Dux Saxo Altenburgensis, Marchio Brandenburgensis Lineæ Culmbacensis, Dux Megapolitanus & Würtenbergicus, vnus ex Comitibus Wetterauicis, atque insuper quatuor Ciuitates, Aquisgranum, Vberlinga, Argentoratum & Ratisbona. Hi etiam Deputati Ordinarii per Capitulationes confirmantur.

* *R. I. de a. 1555. §. 65.*

** *R. I. Augustanus de a. 1559. §. 49.*

*** *§. 20.*

† *art. V. §. 51.*

†† §. 194. Vid. & PFANNERI *hist. Comitiorum lib. IV. §. X.* AHASV. FRITSCHIVS *de Conuentibus Imperii Deputatorum Ordinariis*, qui ex Actis Publicis pleraque declarauit. HENNIGES *Medit. ad Instrum. Pacis Spec. Quinto mant. I.*

§. XLIII.

Multæ quidem desuper exhibitæ fuerunt Protestationes, dum Dux Saxo-Vinariensis præ Altenburgensi peteret admitti, atque Marchio Brandenburgensis Lineæ Onoldinæ, præ Culmbacensi, Vinarienses tamen, extincta Linea Altenburgensi, Gothano, qui in eiusdem locum & Iura successit, hoc Ius reliquerunt. * Ratione Ducatus Pomeraniæ communicant inuicem Suecus & Borussus: in domo Hassiaca, Casselana atque Darmstadtiensis Linea alternant. In præsentibus Comitiis plures alii Principes in numerum Deputatorum recipi petierunt, Salisburgensis, Magister Ordinis Teutonici, Episcopus Patauiensis, Bambergensis, Marchio Badensis, reliqua etiam Comitum Imperii Collegia, ** nihil tamen adhuc obtinuerunt. ***

* HERDENS *Grundveste p. III. cap. VI.*

** Extat apud LVNIGIVM *Gerechtsame Tom. II. p. 502.* Deduction des Græflichen Wetterauischen Collegii, quod ipsis priuatiue Locus competat in Deputatione Ordinaria.

*** FRITSCH & WAGENSEIL *de Conuent. Deput. c. III. §. 91.*

§. XLIV.

Locus hisce Deputationibus præfixus ordinarius est Francofurtum ad Mœnum, * licet etiam alius constitui possit. ** Ius proponendi est penes Commissarios Cæsareos, ideoque locus & dies a Moguntino Cæsari iusto tempore indicari debet, vt eo Commissarios suos tempestiue ableget. Modus suffragandi hic est, vt Electorum Legati separatam classem constituant, alteram Principum & Ciuitatum Legati: licet Principum A. C. potissimum addictorum Legati huic separationi se acriter opposuerint, *** ea potissimum ex ratione, quod hoc ipso paritas religionis minime obseruetur. In singulis classibus ad euocationem Directoris, qui inter Electores est Moguntinus, in Principum classe Archi-Dux Austriæ, singuli viritim sententiam dicunt. Et quidem requiritur, vt binæ hæ curiæ *der Chur-und Fürsten-Rath* inuicem conueniant, & cum ipsis Cæsaris Legatus consentiat. † Quod igitur ab ipsis consentientibus est conclusum, ab Electore Moguntino in Formam Recessus, *eines Reichs-Deputations-Abschiedes* redigitur. Quod si decidendi facultas ab Imperio Deputatis speciatim fuerit concessa, tunc illorum Recessus eundem habet valorem ac Recessus Imperii vniuersalis, †† alias ab Imperio erit adprobandus. Comitia ista, extincto interea Cæsare, non expirant, sed per Vicarios continuantur.

* *R. I. Augustanus de a. 1555. §. 65.*

** *R. I. Spiræ de a. 1570. §. 19. wollen einen Reichs-Deputations-Tag gen Franckfurt, oder aber wo es sonst den Sachen am gelegensten seyn soll, ausschreiben.*

*** Scri-

*** Scripta hac in controuersia contraria exhibet LONDORP. *Tom. VII. lib. VI. n. 333. & 368.* & apud LVNIGIVM *Grundveste Tom. I. p. 149.*

† *R. I. Augustæ de a. 1555. §. 66.*

†† Sic etiam Recessus Deputationis Francofurtensis de an. 1571. §. 7. eandem vim habere dicitur, *als ein gemeiner Reichs-Beschluß.* Idem dicitur R. I. Ratisbonæ 1598. §. 58. FRITSCH *de Conuent. Deputatorum cap. VII.*

§. XLV.

Cessarunt sensim eiusmodi Comitia Deputatorum Imperii. Talis in Comitiis Ratisbonensibus an. 1653. fuit institutus. In hoc inter Catholicos atque Euangelicos contentio fuit, hisce, vt alternis vicibus Directoris munere fungerentur, postulantibus; abnuentibus istis conditionem nouam, priscoque mori aduersam.* Vltimus an. 1655. fuit institutus, in quo, quæ ex Pace Westphalica adhuc reliqua, decidenda, speciatim vero de restituendis, & puncto securitatis publicæ erat agendum.** Durarunt ista per sex annos, sed exortis Germaniæ turbis, atque Comitiis adhuc durantibus, sine effectu fuerunt dissoluta.*** Dum interea diuersæ mutationes inter Deputatos acciderint, Palatinatus ad Familiam Catholicam peruenerit, Argentoratum plane ab Imperio auulsum, proposuit quidem Imp. vt Deputationes plane abolerentur, protestantibus Moguntino atque Deputatis.**** Interim durantibus Comitiis vniuersalibus, omnia negotia, quæ ad Comitia Deputatorum olim reiecta, in iisdem pertractantur, ita, vt hodie Deputationes Ordinariæ vix amplius sine sperandæ.

* PFANNER *Hist. Comit. lib. V. §. III.*

** LONDORP. *Tom. VII. p. 1109.* S. H. G. *diss. XXXVI. §. XLV.*

*** S. H. G. *diss. XXXVII. §. V.*

**** ZECHS *Europ. Herold p. I. p. 951.*

§. XLVI.

§. XLVI.

Deputationes vero *extraordinariæ* diuerſas ob cauſas ſolent inſtitui. Talis erat, quæ Ratisbonæ a. 1664. ad punctum Reſtituendorum fuit inſtituta, * alia Francofurti ad Mœnum 1681. vt cum Gallorum Regis Legatis de Pace ſeruanda & controuerſiis terminandis ageretur.** Talis quoque erat deputatio extraordinaria ad Pacem Ryswicenſem, vbi tamen Ius adlegandi obtinuit.*** Talis etiam eſt, Deputatio extraordinaria nupera ad viſitationem Cameræ. Deputati a Statibus ſeliguntur plerumque ex ſingulis Claſſibus, Electoribus, Principibus Eccleſiaſticis, & Secularibus, Prælatis, Comitibus & Ciuitatibus, inter quos Moguntinus ſemper eſt præcipuus, qui negotia Deputationum dirigit, ipſi etiam Legitimationes Deputatorum exhibendæ. In his autem deputandis paritas Religionis erit obſeruanda.**** Licet de eo inter Catholicos atque Euangelicos ſæpius fuerit controuerſum, prout in Deputatione ad Pacem Ryswicenſem & Viſitationem Cameræ contendebatur, an Electio Deputatorum ex vniuerſo Principum Collegio per maiora fieri debeat, prout Catholici contendebant, an vero a Catholicis, vel Euangelicis, pro Religionis diuerſitate ſeparatim, quod etiam ad Euangelicorum inſtantiam ſæpius obtinuit,***** Separationi Collegii Electoralis, in Seſſione a reliquis Collegiis, acerrime ſemper fuit contradictum.******

* Schema Seſſionis in his Comitiis Deputationum exhibuit DIARIVM EVROP. *Tom. XII. p. 2.*

** Acta eiusdem reperiuntur in LONDORPII *Tom. XI.* S. H. G. *diſſ. XXXVII. §. LI.*

*** De quo Cap. ſequenti.

**** I. P. *art. V. §. LI. In Conuentibus Deputatorum Imperii Ordinariis numerus ex vtriusque Religionis Proceribus æquetur. De Perſonis autem vel Statibus Imperii adiungendis, in Comitiis proximis ſtatuatur, in horum Conuentibus, itemque Comitiis vniuerſalibus,*

ſiue

siue ex vno, siue duobus aut tribus Imperii Collegiis, quacunque occasione, aut ad quaecunque negotia deputandi veniant, aequetur Deputatorum numerus ex vtriusque Religionis proceribus.

***** Extant hac de Controuersia rationes in vtramque partem in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. III. p. 91.* & *Tom. IV. p. 474.* Euangelici Status etiam Ratisbonae XIII. Octobris 1710. Conclusum communi consensu fecerunt, de conseruando Iure Deputandi ex suo Corpore, quod extat apud LVNIGIVM *p. Gen. Cont. II. Forts. p. 319.*

****** Quid hac in Controuersia in Deputatione Francofurtensi actum, exponit PVFENDORF *Comment. rer. Brandenb. lib. XVIII. §. 33.* LVDEWIG *de Iure Adlegandi p. 143.*

§. XLVII.

Praeter haec Comitia, quae vniuersum concernunt Imperium, alia sunt Particularia, quae certas saltim Statuum Classes vel Circulos tangunt. Huc faciunt *Conuentus Protestantium Comitiales*, vel *extra Comitiales.* Quoties enim negotia obueniunt, quae Protestantes, horum Religionem, Grauamina, vel Statum concernunt, necesse est, vt Securitati suae prospiciant, ideoque etiam Directorium quod Euangelicum vocant, fuit introductum. Dubitatur autem quam maxime, An Directorium hocce Primo inter Ordines Euangelicos? * An Saxoniae Electori, eidemque a primis Reformationis temporibus competat, ** an vero ab Ordinibus Euangelicis, cui velint, sit deferendum? Non defuerunt, qui hanc vel illam foueant opinionem: omnis vero res ad Historiam exerciti ab initiis Reformationis Directorii redibit. Destituti erant Euangelici circa prima Reformationis initia singulari Directore, dum Fridericus Sapiens, Saxoniae Elector, caussam Lutheri non nisi tecte susciperet, quisque ex Statibus agebat, quod conuenire videbatur, cuius exemplum praebet Colloquium Lipsiense a Georgio, Saxoniae Duce Lip-

ſiæ a. 1519. inſtitutum. *** Nec in Comitiis Noribergenſibus a. 1522. Directorium fuiſſe, patet ex eo, quod decantata iſta Centum Nationis Germanicæ Grauamina Principes Seculares, nulla Directorii facta mentione, exhibuiſſe dicantur. **** In Comitiis Spirenſibus a. 1526. Iohannes Saxoniæ Elector & Philippus Haſſiæ Landgrauius, poſtquam Torgauiæ Fœdus defenſiuum inuicem iniuiſſent. ***** Legatos Argentinenſes, Noribergenſes, Auguſtanos ad ſe vocarunt, iisdemque de Fœdere concludendo propoſuerunt. ****** Hi etiam coniunctim cauſſam egerunt, in Tumultu Pacciano. † Colloquium Marpurgenſe vero communicato prius cum Statibus Euangelicis reliquis conſilio, ad conciliandos Euangelicos ſolus inſtituit Philippus. †† Nec vlla adhuc Directorii fit mentio in Comitiis Spirenſibus a. 1529. in quibus ſaltim Principes contra Edictum Proteſtationem exhibuiſſe dicuntur, quibus Ciuitates quædam ſe iunxerunt. ††† In Conuentu Suabacenſi a. 1529. Saxoniæ Electoris & Georgii Brandenburgici nomine fuit propoſitum. †††† Hinc etiam ad Conuentum Smalcaldicum a. 1529. ex condicto venerunt Status Euangelici. †††††

* Demonſtrare hoc voluit Auctor Scripti: *Kurtze aus denen Actis gezogene Nachricht, wie es auf dieſen Reichs-Tag mit dem Directorio inter Euangelicos abſente Legato Saxonico, iedesmahlen gehalten worden*, quod acceſſit MEDIT. ad I. P. *Mant. IV. p. 1542.* in quo Brandenburgico Electori hoc Ius poſt Saxonem tribuitur. Saxoni quidem hoc Ius tribuunt, ſed tanquam Proteſtantium Primo, BECHMANN *Exerc. Exot. vlt.* §. *XXVII. n. 8.* CASPAR ZIEGLER *de ſingul. Saxon. Elect.* Eminent. *c. II.* §. *V.*

** Adfirmat hoc Auctor Scripti: *Kurtzer aus den Actis gezogener Bericht, das Directorium inter Euangelicos betreffend*, quod exhibetur *c. l. p. 1547.* Vtraque Scripta a. 1709. euulgata etiam reperiuntur in LVNIGII *Gerechtſame p. I. p. 233.* & in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom.*

Tom. I. p. 611. Scripta porro alia in hanc vel illam partem reperiuntur in *Fasciculis quinq; verschiedener Schrifften, über die Frage, ob das Directorium inter Euangelicos bey Chur-Sachsen zu lassen oder nicht?* qui prodierunt *1718. 1719. 4.* Quibus adiungenda, quæ extant in EL. I. PVBL. *Tom. XIII. p. 195. 487. 679. 558.* Electori Saxoniæ hoc Ius æque tribuit LEONHARDVS HVTTERVS *in Irenico c. XXIX.* L. B. de LYNCKER *de Munere Directoriali p. 27.* & potissimum GRIBNERVS Programmate singulari, quod accessit HORNII *diss. de Processu Summario*, qui etiam ex Iure Archi-Mareschallatus hoc Ius Saxoniæ Electori deberi autumat, quoties Moguntinus Præsul partibus suis fungi impediatur.

*** S. H. G. *diss. XXXII. §. XII.*

**** SLEIDANVS *lib. IV. p. 87.* S. H. G. *diss. XXXII. §. XXI.*

***** S. H. G. *diss. XXXII. §. XXXVIII.* in Notis.

****** SLEIDANVS lib. VI. p. 150. *prius quam hoc fieret decretum, Saxoniæ Princeps & Lantgrauius, Legatos Argentoratenses, Noribergicos, Augustanos ad se vocant.*

† S. H. G. *diss. XXXII. §. XXXIX.*

†† SLEIDANVS lib. VI. p. 175. *Lantgrauius ergo cum sociis re communicata, solicitatis etiam Heluetiis, diem constituit, quo die Marpurgi conuenirent vtriusque partis viri docti, deque summa rei placide conferrent.*

††† SLEIDANVS lib. VI. p. 171. *Huic decreto sese opponunt Elector Saxoniæ, Georgius Brandenburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Lantgrauius, Anhaldius, & Aprilis die XIX. palam, cur non assentiantur, de scripto recitant.* Et p. 173. *Huic principum protestationi, communicato consilio primi nominis ciuitates aliquot sese coniungunt.* Quare etiam Iohannes Elector, atque Philippus Landgrauius, quisque singulari edicto, caussas suæ protestationis publice exhibuerunt, quæ extant apud HORTLEDERVM *lib. I. c. IV. V.*

†††† SLEIDANVS lib. VI. exeunte *Cumque mense Octobri Suabachum Legati principum ac ciuitatum venissent, Saxonis & Georgii Brandeburgici nomine propositum fuit.*

††††† SLEIDANVS lib. VII. p. 180. *Senatus Noribergicus, acceptis litteris Cadeni, Saxonem, Lantgrauium atque socios illico certiores*

facit Octobris die XXIV. re deliberata, placuit Smalcaldiæ fieri conuentum sub finem Nouembris. Eo venerunt ad diem Saxoniæ princeps, eiusque filius, Iohannes Fridericus, &c.

§. XLVIII.

Tempore Confessionis Augustanæ exhibitæ, tacito Statuum Euangelicorum consensu inualuisse videtur Saxoniæ Electoris Directorium, qui non solum in Comitiis Augustanis an. 1530. Euangelicos Status in Hospitium suum conuocauit, cumque iisdem de causa Religionis deliberauit, * sed etiam circa ipsam Exhibitionem primas gessit, ** idem etiam circa Apologiam fuit factum. *** Dum de Electione Ferdinandi I. in Regem Romanorum ageretur, Saxoniæ Elector Euangelicos Status a. 1530. Smalcaldiam conuocauit. **** Idem factum a. 1531. ad deliberandum de suscipienda defensione contra vim hostilem. ***** Non tamen adeo solitarium hoc erat Saxonis Directorium, vt non circa Pacem Suinfurtensem atque Noribergensem a. 1532. potissimæ partes essent Saxonis atque Landgrauii. ****** Nouus Saxoniæ Elector Io. Fridericus in Transactione Cadamensi a. 1534. nomine reliquorum Euangelicorum spondet. † Iterum Conuentum Smalcaldiam a. 1536. indicit Elector, †† in eodemque prorogatum Fœdus fuit, Saxo atque Hassus constituti fuerunt Capitanei, ††† vtrique etiam an. 1539. Conuentum indixerunt Arnstadtiensem. †††† Atque postquam Ichtershusæ inuicem conuenissent ††††† Directorium belli gesserunt Smalcaldici. Quod si tamen negotium quoddam a Cæsare vel Papa ad Protestantes esset deferendum, ad Saxonem potissimum Legatio dirigebatur. ††††††

* Fecit quidem d. 16. Iunii Protestantium nomine, absente Saxoniæ Electore, Verba ad Cæsarem Georgius Brandenburgicus, ex Statuum

tamen

tamen Euangelicorum Placito, de quo GEORGIVS COELESTINVS *Hist. Comit. August. p. 81.* Sed addit idem COELESTINVS p. 85. *Principes vero Protestantes cum Cæsaris postulata Duci Electori Saxoniæ significassent & exposuissent, communi consensu decreuerunt, totum negotium scripto comprehensum Cæs. Maiestati offerre.* Has idem COELESTINVS p. 86. exhibet cum hoc titulo: *Caussæ ob quas Elector Saxoniæ, & coniuncti in Religione Principes, Conciones suas bona conscientia abrogare & suspendere non possint, scripto comprehensæ.* Idem p. 121. facta propositione Cæsarea: *eodem die* (XX. Iunii) *Dux Elector Iohannes, socios in religione coniunctos, domum suam conuocat, eosque seria & graui oratione cohortatur*, & p. 121. *hora secunda pomeridiana, Status in religione coniunctos domum suam conuocat. Qui cum ad horam conuenissent omnes, Dux Elector Iohannes omnibus Euangelicis ordinibus præsentibus, Doctorem Pontanum, Propositionem clara & distincta voce prælegere iubet, ita, vt singuli eam exaudire, intelligere, perpendere, & quid ea de re sui animi & sententia sit, significare & in medium proponere possint. Propositione finita, Status Euangelici se, de toto negocio diligentes cogitationes suscipere, & postero die Principem Electorem rursus conuenire, & cum eo deliberare velle dicunt.* Idem p. 123. *Vigilia Iohann. Baptistæ, qui Iouis dies & 23. Iunii fuit, de voluntate Electoris Saxoniæ, confessionis Articuli, in frequenti Euangelicorum Ordinum consensu recitantur, eo potissimum consilio & fine, vt, si qua mutanda in iis alicui viderentur, libero candidoque animo diceret id ac significaret.*

** Verba enim fecit Georgius Pontanus, Saxoniæ Electoris Cancellarius, de quo COELESTINVS *p. 133.* Apud eundem *p. 53.* occurrit Electoris Saxoniæ & in caussa Religionis coniunctorum Sociorum, ad postulata Electorum & Principum intercessorum Responsio.

*** COELESTINVS *Tom. IV. p. 85.*

**** SLEIDANVS lib. VII. p. 203. *Ea re cognita, Saxo, dimissis ilico literis huc illuc, Lantgrauium reliquosque principes ac ciuitates protestantes orat & hortatur, vt ad XXII. Decembris diem Smalcaldiæ conueniant.*

***** SLEIDANVS *lib. VIII. p. 210.*

****** SLEIDANVS lib. VIII. p. 216. *literæ fuerunt allatæ Saxonis atque Lantgrauii ad reliquorum Principum atque ciuitatum legatos.* Et p. 219. *Moguntino ac Palatino principi, Saxo & Lantgrauius rescribunt p. 222. Moguntinus archiepiscopus & Palatinus princeps iterum de pace intercedunt, & actionem permittente Cæsare, Saxonem atque Lantgrauium monent, vt idem faciant.* S. H. G. *diss. XXXII.* §. *XLVI.*

† SLEIDANVS lib. IX. p. 243. *Saxo quidem Lantgrauii atque VVirtembergici nomine spondet, tanquam mandatarius, ratum habituros quicquid conuenisset.* S. H. G. *diss. XXXII.* §. *L.*

†† SLEIDANVS lib. X. p. 288. *Saxo quoniam ad socios ea res omnis pertineat, communicaturum se consilia respondet.*

††† S. H. G. *diss. XXXII.* §. *LIV.*

†††† SLEIDANVS lib. XII. p. 346. *cum earum literarum exemplum intercessores ad Saxonem atque Lantgrauium misissent, neque tamen significarent, an illas quindecim mensium inducias Cæsar approbasset, conuentus indicitur ad decimum nonum Nouembris diem, Arnsteti, quod est oppidum Turingiæ.*

††††† S. H. G. *diss. XXXII.* §. *LXXI.*

†††††† Huius varia extant Exempla apud SLEIDANVM *Lib. VIII. p. 225. 229. lib. IX. p. 253. 259.*

§. XLIX.

Post infelix illud Bellum Smalcaldicum, Euangelicorum caussam suscipiebat Mauritius, Saxoniæ Elector, qui vnicus inter Euangelicos Status præualebat. Hic etiam in ipsorum fauorem Transactionem Passauiensem a. 1552. promouebat. * Circa Tractationem etiam Pacis Religionis a. 1555. Directorem egisse Augustum Saxoniæ Electorem, Acta nos docent. ** Et licet Fridericus Sapiens, Palatinus Elector, Euangelicam Religionem iamdum an. 1526. fuisset professus, nullibi tamen dicitur, quod inter Euangelicos Directorium egerit, *** quod etiam fieri haut facile poterat, dum Smalcaldico Fœderi nollet adscribi.

* Pa-

* Patet hoc ex Historia Transactionis, de qua S. H. G. *diss. XXXII.* §. *XCII.* & ex ipsis verbis Transactionis, in qua: *Erstlich soll der Churfürst zu Sachsen, und S. L. Mitverwandte Kriegs-Fürsten und Stände so diesen Vertrag annehmen, von allem ihrem thætlichen Fürnehmen, und gegenwærtiger Kriegs-Vbung gantzlich abstehen, &c.* Et in fine: *Wann nun der Churfürst zu Sachsen, für sich selbst, und seine Miteinigungs-Verwandten, solche bestimmte Capitulation in allen und ieden ihren Puncten und Articuln gutwillig angenommen, auch zu halten, und zu vollziehen zugesagt.*

** Patet hoc ex LEHMANNI *Actis Publicis lib. I. c. XXIV.* in quibus: *Nach obberührter getroffener Vergleichung über die streitige Puncten des Geistlichen Vorbehalts, und unter den Geistlichen Churfürsten und Stænden der Augspurgischen Confession anhængigen von Adel, Stædten, Communen und Vnterthanen, haben der Confessionisten Ræthe und Gesandten die anwesenden der Frey- und Reichs-Stædte ihrer Religion Bottschafften zu sich in ihre Versammlung beruffen, denen der Churfürstliche Sæchsische Rath D. Lindemann angezeiget, was gestalt die Kœn. Mai. den Ausschuß von beyden Religionen für sich in Dero Palatium erfordert.* Hinc etiam in R. I. Ratisbonensi de an. 1557. §. *16.* Saxoniæ Elector primo loco inter Deputatos Euangelicos collocatur, nulla plane Palatini facta mentione.

*** Quare etiam in fine Transactionis Passauiensis posteriori loco ponitur *und mit Vnser Kœnig Ferdinanden, und beyder Churfürsten zu Mayntz und Pfaltzgraffen Friderichs - - - - eigenen Hænden unterschrieben.*

§. L.

Post ista vero tempora aliquot Actus animaduertere licet Directorii ab Electoribus Palatinis gesti. Postquam enim Otto Henricus, Friderico Sapienti in Electoratu Palatino successisset, qui Foederi Smalcaldico olim iamdum nomen dederat a. 1557. præsidem egit in Conuentu quorundam Protestantium Francofurtensi in causa Catimelinbocensi instituto. * Idem Colloquium Wormatiense dicti anni promouit,

uit, licet inuito hoc Saxone, factum esse crederem, dum Legati Saxonici tardius aduenirent. ** In Comitiis Augustanis tamen a. 1559. Saxonis auctoritas iterum patescit. *** Ad Conuentum Protestantiũ Numburgi a. 1561. institutum, ex compromisso, partim etiam inuitati conuenerunt Principes Augustanæ Confessionis. **** In Comitiis vero Augustanis sub Maximiliano II. an. 1566. celebratis Augustus Saxoniæ Elector, iterum primas gessit, licet etiam Fridericus Palatinus nomine suo scriptum Cæsari exhibitum signaret. † Et licet dictus Fridericus Reformatæ Religioni esset addictus, hoc tamen non obstante, Directorium ipsi a Statibus Euangelicis in dictis Comitiis fuit delatum. †† Id quod etiam in Comitiis Ratisbonensibus an. 1576. exercuit. ††† Circa Formulam Concordiæ autem Directoem egit Augustus Saxoniæ Elector. ††††

* CHYTRAEVS Saxonia p. 495. *Francofurti ad Mœnum, per Principes intercessores, Ottonem Henricum Palatinum, Augustum Electorem Saxoniæ, Wilelmum Cliuensem, & alios Nassaëensis controuersia de Comitatu Cattorum Melibocorum, quæ plus quinquaginta annis iam agitata fuerat, tandem amice composita est.* THVANVS *lib. XIX. p. 571.*

** Notantur CHYTRAEVS p. 496. postquam de constituto Wormatiæ colloquio dixisset, addit: *Id, etsi Electori & Ducibus Saxoniæ, ab electore Palatino & cæteris significatum est, & cæteri Calendis Augusti conuenerunt: tamen electoris Saxoniæ Theologi initio Septembris primum appulerunt.*

*** CHYTRAEVS p. 518. *Electoris Saxoniæ & coniunctorum principum legati, frustra per concilium Pontificium Religionis conciliationem tentari respondebant.* Et paucis interiectis: *Saxonici & cæteri, Augustanæ Confessionis Ordines, se quoque Christianum, liberum & Oecumenicum Concilium in Germania non impedituros esse ostendunt.* Sequitur THVANVS *lib. XXII. p. 666.*

**** Pa-

**** Patet hoc ex Actis apud GEORG PAVL HOENN *in Historia huius Conuentus p.3.*

† Singularis est locus HENR. ALTINGII in Hist. Eccles. Palatina p. 199 *Pridie Paschatis conuenerunt Principes & Ordines Euangelici, vt de scripto Religionem spectante concionando & Cæsari exhibendo deliberarent. Quod dum fit, Wolfgangus Bipontinus & Christophorus Würtenbergicus 17. & 18. Aprilis in hospitium Bipontini conuocant paucos quosdam Principes, & nonnullorum Legatos, iisque prælegunt scriptum vtriusque Principis iussu confectum, declarant se Palatinum Electorem ad subscriptionem scripti communis ad Cæsarem admittere non posse, nisi in articulo de S. Cœna sese conformet doctrinæ Augustanæ Confessionis, sed conscientiæ causa ab eo separationem faciendam. Petunt quoque vt id communicetur Electori Saxoniæ, quo ageret cum Electore Palatino. Vtrumque factum. Sed improbatum Saxoni & Consiliariis eius, dicentibus: si omnia ad ratum reseruanda, non magis se assentiri Würtenbergicis de Vbiquitate, quam hi de Cœna Domini, Electori Palatino. Sic repressus primus impetus. Scriptum autem commune a Palatino quoque Electore signatum, per Saxonem Cæsari oblatum fuit d. 25. Aprilis.*

†† FRANCISCVS BVRCARDVS *de Autonomia pag. 119. Daß ihme die Direction des Raths, Umbfragen und Schlußstimm gegœnnet vvorden,* quem sequitur DAN. PAREVS *Hist. Palat. lib. VI. s. II. n. 296.* ALTINGIVS *c. l. p. 203.*

††† Confirmatur hoc ex Actis Publicis apud LEHMANNVM *Actis Pacis Relig. lib. II. c. XIX.* dicentem: *Bey den Reichs-Versammlungen ists im Herkommen, wenn die Euangelische Stande ihrer Beschvverden halben, in Religions-Sachen etvvas vorzubringen, daß sie solches der Chur-Pfaltz einliefern, und dieselbe so sie es Noth seyn befinden, daß darüber Berathschlagungen anzustellen, der sæmmtlichen Religions-Vervvandten Zusammenberuffung verfügen, vvie denn bey diesem Reichs-Tag die Churfürstl. Pfæltzische Rathe und Abgesandten als allgemeine Stande und der abwesenden Rathe und Bottschafften den 28. Iunii zum ersten mahl in den Reichs Rathen zu Berathschlagung der Kaiserl. Proposition zusammen kommen, des nechstfolgenden*

9. Iunii der Euangelischen Churfürsten und Stände, Rath und Gesandten in Chur-Pfaltz Hoff lassen versammlen, daselbst man sich erinnert was sich von Anno 66. her vor Beschwerden in Religions-Sachen zugetragen &c. Et paucis interiectis: *und dievveil die Graffen und etliche andere Stände sonderbare Grauamina zur Churfürstl. Pfaltzischen Cantzley übergeben.* Et cum super his Grauaminibus Supplicatio ad Cæsarem decerneretur, Cancellarius Palatinus Gerhard Pastor eandem Cæsari obtulit, & c.XXI. *Also brachten die Churf. Pfaltzische alß Directores die Sachen in eine Schrifft, haben aber doch der Churf. Sächsischen Begehren darinnen in Acht genommen, und ist solche der Kaiserl. Mai. durch vorbemeldten Ausschuß den 17. Iul. überreichet vvorden.* Et c. XXV. *Churf. Pfaltzische in Namen des Ausschuß sagten der Kays. Mai. vor solche Erklärunge allerunterthänigsten Danck, vvoltens den andern Abgesanden vorbringen.* cap. XXIX. *Demnach der Stände Abgesande, Räthe und Bottschafften der Kays. Mai. Resolution verlesen, seynd sie am gevvöhnlichen Ort in Churf. Pfaltz. Hoff zu Berathschlagung vvas darauff ferner zu thun, zusammen kommen, dabey zuforderst die Churf. Sächsis. vermeldet, vvas massen sie von ihrem Gnädigsten Herrn zu Anfang des Reichs-Tags, in ihrer Instruction den Befehl gehabt,* c. XXXIV. Vice-Cancellarius Palatinus iterum verba facit ad Cæsarem.

†††† Prout s. H. G. *diss. XXXIV. §. IV.* vberius demonstrauimus.

§. LI.

In Comitiis Augustanis a. 1582. sub Rudolpho II. Imp. Palatinus Elector Euangelicos Status conuocasse dicitur. * Erat is Ludouicus Facilis Friderici filius, qui tamen Euangelicis accesserat, atque Formulam Concordiæ subscripserat. Idem Palatinus caussam Coloniensem quoque potissimum promouit, atque ea de caussa Status Euangelicos an. 1583. Muhllhusam conuocauit.** In Comitiis Ratisbonensibus a. 1594. *** & Conuentu Principum Protestantium Heilbrunnensi **** eiusdem anni primas gessit Fridericus IV. Elector Palatinus, licet

licet Reformatæ Religioni addictus. Idem factum in Conuentu Francofurtensi an. 1598. ***** licet Altenburgici, qui tunc Proelector erat, Legati contradicerent. Conuentum Spirensem a. 1600. idem Fridericus conuocauit. ****** An. 1603. dum in Comitiis Ratisbonensibus idem sibi sumeret Palatinus, contradixit Christianus II. Saxoniæ Elector. † Eodem anno in Conuentu Protestantium Heidelbergæ instituto fuit decretum, vt, dum Iudicium Aulicum Iurisdictionem suam in caussis potissimum Religionis extenderet, summum aliquod suæ Vnionis Iudicium institueretur, cuius suprema Directio Palatino Electori deferatur, suum vero quisque Principum aut Statuum vnitorum in illo Adsessorem haberet, qui vna cum cæteris, Religionis potissimum caussas definiret: licet illud ad effectum haut fuerit deductum. †† Exortis etiam sub initium Seculi XVIII. variis turbis de Religione, cum a. 1609. Vnio Euangelica firmaretur, huius Directio Friderico IV. Palatino, ††† Saxone licet inuito, †††† fuit demandata. In Conuentu Vnionis Noribergensis a. 1619. Directorium gessit Fridericus V. Palatinus, iamdum Rex Bohemiæ, ††††† quæ tamen post proelium Pragense an. 1620. iterum fuit dissoluta. Vltimam Correspondentium Conuentum an. 1621. Heilbrunnum indixit Iohannes, Palatinus Electoritas Administrator. ††††††

* Sic Acta Comitiorum apud LEHMANNVM lib. II. c. XLIV. *haben der Chur-Pfaltz Ræthe und Gesanden dem Herkommen gemæß der Augspurgischen Confessions-Verwanden Ræthe, Gesanden und Bottschafften zusammen zu beruffen - - fürgenommen, iedoch zuforderst mit Chur-Sachsen, weil Ihre Churf. Gn. selbst gegenwærtig gewesen, wegen solcher Versammlung, und was dabey zu proponiren communicirt, welche sich hierüber dahin lassen vernehmen, daß sie ihres Theils eine gemeine Versammlung lieber wolten umbgangen sehen.* Ex hoc patet, qua ratione Saxoniæ Elector eiusmodi Conuentus cui-

taverit. Et paucis interiectis: *Nach solcher Berathschlagung seynd auf der Churfürstl. Pfaltzische Beruffung der Churfürsten, Fürsten und Stände Augspurgischer Confession Rathe und Gesandten versammlet &c.*

** Extant litteræ conuocatoriæ apud LEHMANNVM *lib. III. cap. XVI.* S. H. G. *diss. XXXIV. §. VII.*

*** Patet hoc ex Grauaminibus, Cæsari in dictis Comitiis exhibitis, apud LEHMANNVM *lib. II. c. LXV. fine p. 224.* vbi etiam dicitur: *der Chur-Sachsen Herr Administrator hat nach Churf. Augusti Exempel An. 82. sich von Ratification dieser Grauaminum abgesondert.*

**** Patet hoc ex Recessu Heilbrunnensi, apud LONDORPIVM *Tomo I. p. 509.*

***** Exhibet LONDORPIVS *Tom. I. p. 511.* Instructionem, quid Legati Palatini in dicto Conuentu proponere debeant. Qua ratione Altenburgici contradixerint, patet ex ARVMAEO *de Comitiis cap. VI. p. 420.*

****** Sic enim in Recessu Spirensi apud LONDORPIVM *Tom. I. p. 552. Als ist der Durchlauchtigst Hochgebohrne Pfaltzgraff Friderich Churfürst, &c. so wohl dannenher für sich selbsten, und in Krafft etlicher bievoriger Abschied, als auch auf etlicher Stand wiederholtes Ersuchen bewogen, den zum Deputation Tag verordneten, wie auch etlicher andern dis Orts Correspondirenden interessirten Standen, am Tag gegen den 19. diß, allhie zu Speyer zu ernennen.*

† MASENIVS *Ann. Treuir. lib. XXIII. p. 444.* Vid. hac de re etiam Consultationem apud LONDORPIVM *Tomo I. lib. I. c. I.*

†† Rescripsit enim Elector ad Legatos suos, se Directorium in Politicis Palatino haut denegare, minime vero in Ecclesiasticis.

††† Iamdum in Conuentu Aschhusano 1608. Palatino præfectura fuerat delata, de quo CAR. CARAFFA *Germ. sacra p. 41.* De Vnione vero MASENIVS *Ann. Treuir. lib. XXIII. n. LXVI. Primum in Germania huius factionis caput erat Fridericus IV. Elector Palatinus.* PVFENDORF *de reb. Suec. lib. I. §. XVIII. Eius auctor & conciliator erat Elector Palatinus, qui cum principem inter Ordines Protestantes locum*

cum obtineret, præcipuam quoque curam communis salutis sibi incumbere iudicabat.

†††† PVFENDORF *c. l. præter Pontificios istam Vnionem aduersabatur quoque Ioannes Georgius Saxoniæ Elector, æmulatione in Palatinum, quod sibi Protestantium antiquissimo & potentissimo præcipuas deberi partes putaret, si quid communi istorum nomine gerendum foret.*

††††† Patet hoc ex Responsione Legato Cæsareo facta, apud LEHMANNVM *lib. II. c. XCV.* in qua *die Kæn. Mai. in Bœhmen, und die andere anwesende vnirte und correspondirende Fürsten.*

†††††† LONDORP *Tom. II. p. 371.* LVDOLPHS *Schaubühne lib. XXI. cap. II.*

§. LII.

Dissoluta Vnione Euangelica, turbato Germaniæ statu, in suspenso erat Directorium Euangelicum, quod proscripto Palatino, renouauit Io. Georgius I. Saxoniæ Elector a. 1631. Lipsiam conuocando Status Euangelicos de communi caussa inuicem deliberaturos, id quod etiam dicti Status adgnouerunt. * Dum autem post mortem Gustaui Adolphi Suecorum Regis, Saxo ad Cæsaris partes magis inclinare videretur, alienabantur Statuum animi, atque Superiores Circuli Suecorum potius societatem amplectentes, ad Conuentum Heilbrunnensem ab Oxenstierna Comite an. 1632. protestante licet Saxone, atque sibi ex Decreto Lipsiensi Directorium vindicante, ** Legatos mittebant, Oxenstiernæ etiam Fœderis Directorium deferebant. *** Id quod Circuli Saxoniæ Inferioris Status, prout in Conuentu Halberstadtiensi an. 1634. conuenerat, adgnoscebant, **** Idemque Oxenstierna varios Conuentus postmodum indixit. Tanto minus autem Saxonicum Directorium locum inuenit, postquam per Pacem Pragensem a. 1635. ab ipso procuratam, Protestantium Iuribus haut satis fuisset prospectum.

* De hoc S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XLII.* Acta extant apud LONDORPIVM *Tomo IV. lib. I. c. XLIV.* & potissimum *pag. 144.* vbi: Conclusum huius Conuentus exhibetur, in quo: *Demnach der Durchleuchtigste Churfürst zu Sachsen, und Burggraff zu Magdeburg, auf instændiges Anhalten vieler Euangelischen und Protestirenden Stænde, sonderlichen aber auch auf des Durchleuchtigsten Churfürsten zu Brandenburg, und Burggraffens zu Nürnberg &c. freundliches Ersuchen, und hochvernünfftiges Gutachten &c.*

** PVFENDORF lib. V. c. XXVIII. *nec minus res Suecorum per Germaniam firmabat Conuentus Ordinum Protestantium Circuli Franconici, Sueuici, & vtriusque Rhenani Heilbrunnæ indictus, quem Saxoniæ Elector per literas variis rationibus apud præcipuos Ordinum impedire frustra fategerat. Is quippe velut Lipsiaco Decreto caput Protestantium declaratus, sibi ius conuocandi competere obtendebat; eaque communem Protestantium conuentum animo agitabat, vt sibi arbitrium belli pacisque vindicaret, & Ordines ad stipendia sui exercitui soluenda adstringeret.*

*** Pergit PVFENDORFIVS: *sed Ordines neglecto Saxone circa initium Martii frequentes conuenerant, Würtenbergicus Dux, Badensis Marchio, & complures Comites, cæteri Legatos miserant. Cum in Oxenstiernæ hospitio conuenirent, & is inter quosdam super priore loco controuerti animaduerteret, præueniendis hisce litibus nulla sedilia inferri iubebat, & stans apud stantes exponebat.* Pergit Idem §. XXXIV. *Inde Directio rerum, quæ ad fœdus spectant, Oxenstiernæ defertur, cui Consilium quod vocabant Formatum, adiungebatur.* Qua ratione Saxo desuper fuerit conquestus, patet ex Eodem *lib. VI. §. IV. & V.* ex S. H. G. *diss. XXXV. §. LX.*

**** PVFENDORF *lib. VI.* §. *VII.*

§. LIII.

In Comitiis Ratisbonensibus a. 1641. caussa quidem Religionis fuit ventilata, nulla vero mentio fit Directorii. Dum autem de Pace Osnabrugæ ageretur, & Saxoniæ Elector Interpositionem atque Directorium in causa Grauaminum an. 1646.

1646. adfectare videretur, * contradicebant Status Euangelici, obtendentes, nec vlli Electori, aut Principi Directorium iure competere, sed ab Ordinibus communi suffragio aliquem constitui moderandis eiusmodi negotiis. ** Inde Magdeburgico hoc munus a Suecis fuit delatum, inter Euangelicos Principes primo, quem tamen Catholici adspernabantur. *** Et licet Brandenburgicus hoc munus adfectaret, plerique tamen Euangelicorum, eundem, Reformatæ Religioni addictum, recusabant. **** Delatum igitur hoc munus fuit Friderico Guilielmo Saxoniæ Duci, Altenburgi sedem habenti, qui, etiam cum Brandenburgici, ipsi Grauamina sua contra Ciuitatem Herfordensem exhibuissent, eadem cum reliquis Statibus Euangelicis per Dictaturam communicauit, & cum Moguntinus desuper protestaretur, Status Euangelici eiusdem causam egerunt. ***** Quo factum, vt Euangelicorum caussam potissimum Wolfgangus Conradus a Thumshirn promouerit.

* PVFENDORF lib. XVIII. §. CXIV. *Sed quia Saxonici interpositionem in controuersia Grauaminum affectare videbatur, id plerisque displicebat, qui eam operam semel Suecis delatam retractare nolebant. Vnde hac de re per Altenburgicum, & Luneburgicum Suecis significant, vt si forte Cæsarei sequenti tractatione ad Saxonicorum sententiam prouocent, illis præmeditato occurri possit.*

** Verba sunt PVFENDORFII *lib. XVIII. §. CL.*

*** PFANNER *Hist. Comit. lib. III. §. LXIV.*

**** PFANNER *c. l.*

***** Extat Protestatio Moguntina super hac Dictatura, apud LONDORPIVM *Tom. VI. lib. III. c. CLXXIX.* Euangelicorum vero Reprotestatio c. CLXXX. cum hoc initio: *Demnach Churfürstl. Durchl. zu Sachsen gegen Dero Herrn Gesandten wegen der Direction bey denen*

nen Evangelischen sich noch zur Zeit nicht erkleret, und denen Fürstl. Sachsen-Altenburgischen Gesandten, selbige immittelst aufgetragen worden &c. Vtraque Scripta exhibet LVNIG *p. spec. I. Cont. II. Forts. p. 301.* Ad Propositionem tamen ab Isaaco Volmaro, Legato Cæsareo Euangelicis factam, respondet Legatus Electoralis, apud LONDORPIVM *c. CXCV.* licet ipsa Declaratio per Deputatos fuerit facta, quam exhibendo Thumbshirnius verba fecit.

§. LIV.

In Comitiis an. 1653. placuit Statibus Euangelicis ob diuersa quæ mouebant Religionis Grauamina, Directorium restaurare, ad idemque acceptandum Saxones Electorales esse rogandos, fuit decretum, qui tamen nihil eo opus iam esse, primum caussabantur, Pace iam sancita. Iterum igitur precandos Saxones, ne communi causæ officio suo deesse velint, fuit conclusum, qui si adspernari pergant, Magdeburgico id esse committendum; nec quicquam Culmbacensibus, Onolsbachiis atque Cassellanis Brandenburgici Electoris a Saxone proximi, rationem esse habendam, monentibus. Adsenserunt tandem, iubente Electore, legati Saxonis, *atque XXII. Iulii 1653. primus Euangelicorum Consessus in Hospitio Legati Electoralis fuit institutus. ** Licet postmodum Grauamina non defuissent, Directorium hocce non semper debita cum cura geri.***

* PFANNER *Hist. Comit. lib. III. §. LXIV. LXV.* qui inter alia scribit: *Consilio potius communi, atque moderatione, vti necessum esse; quam prouinciam si auersari pergant Saxones, egregie quidem a primis mutatæ religionis temporibus obitam, Magdeburgiis mandandam, strenue nuper officio functis; facto iam aliquo modo Conuentu Osnabrugensi, initio, qui coniuncta censeantur, quæ nunc celebrentur, Comitia. Neque Palatinis forsan, aut Brandenburgicis integrum fore, id muneris suscipere, ab his iam A.* CIƆ IƆCXL. *&* XLI. *recusatum. Proximum equidem a Saxone, antequam ad Magdeburgium iretur, locum*

cum fore, rursum aduertebant Culmbaceni atque Onsbacenses, ipseque sub nomine Pomerani in Senatu Principum collocatus Brandenburgius, huius in Religionem Euangelicam studia, olim iam recentibusque pro Austriacis atque Weidanis officiis approbata, atque vitandas dissidiorum occasiones, ita tamen memorantes, vt monuisse potius quam postulasse videri possent. Ast non ideo persuadebatur ceteris, vt Brandenburgium adsciscerent.

** Vid. BERICHT *vom Directorio apud* HENNIGES *Mant. V. p. 1551.*

*** Prout ex Actis Legationis in FASCICVLO I. *p. 32.* refertur.

§. LV.

In Comitiis adhuc durantibus Saxoniæ Electori hoc Directorium, reliquorum Statuum consensu, fuisse relictum, nemo forsan ambiget.* De illo vero dubitatur, an absente Legato Electorali hoc Directorii Munus a Legato Brandenburgico, inter Euangelicos proximo fuerit exercitum. Prouocatur ad diuersos Actus de a. 1664. & 1665. dum in caussa Diuortii Megapolitani, Brandenburgicus Legatus, absente Saxonico, omnia Directoris Munia obiisset. Idemque Munus Brandeburgici contra Legatum Altenburgensem obtinuisse se venditant, atque a. 1675. 1688. & 1696. exercuisse. Cui tamen a parte Saxonum opponitur, Brandenburgicum Legatum, vel ex concessione, vel cum contradictione eiusmodi Actus exercuisse.**

* Ipsi hoc adgnouerunt Legati Brandenburgici, apud FRITSCHIVM ad Limnæum lib. IX. c. I. n. 134. *Was massen Churfürstl. Durchl. zu Sachsen das Evangelische Directorium zustehe, ist manniglich bekannt.* Et p. 317. *Daß sie Churfürstl. Durchl. zu Sachsen das Dero competirende Directorium der Augspurgischen Confessions-Verwandten in geringsten anzufechten oder in Scrupel zu ziehen gar nicht gemeinet.*

** Scripta, hoc in negotio ventilata retulimus supra §. *XLVII.* Bran-

den-

denburgico etiam Electori hoc Ius vindicat LVDEWIG *Germ. Princ. lib. II. c. IV. n. 7. & lib. V. c. IV. n. 12.*

§. LVI.

Postquam Potentissimus Rex Poloniarum Augustus, Religionem Euangelicam cum Catholica commutasset, nihil circa Directorium fuit immutatum, ob insecutam Regis Declarationem, nihil se in caussa Religionis, in negotiis Imperii, Circuli vel Territorii esse immutaturum, atque vt Directio Consiliorum in negotiis Religionis sit penes Ducem Saxoniæ Lineæ Weisenfelsensis volente, qui communicato cum Consilio Status Electorali negotio Legatum instruere debeat. * Postquam autem Princeps Electoralis Religionem mutasset, scrupulum hoc mouit Statibus Euangelicis, an Directorium hocce Euangelicum Saxoniæ Electori sit relinquendum, indeque Quæstiones mouebantur: An Saxoniæ Electori hoc Ius in perpetuum conueniat? An in Domo Saxonica sit radicatum? An proximo post Saxonem inter Euangelicos? An vero ex Statuum delatione competat? An vni saltim illud & quidem per maiora sit deferendum? ** cum non deessent, qui vel Brandenburgico vel Brunsuicensi Electori hoc deferendum esse iudicarent, *** quam tamen controuersiam nostram non facimus.

* EVROP. HEROLD *Tom. I. p. 256.*

** Extat hac de re Scriptum in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. XIII. p. 575.*

*** Vtrorumque Scripta Circularia, quibus Status Euangelicos inuitant ad deliberandum de Directorio, & quæ ab Electoribus ipsis fuerunt opposita, exhibentur in EL. IVR. PVBL. *Tom. XII. p. 751. Tom. XIII. p. 84.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXX. p. 535. Tom. XXXI. c. V.*

§. LVII.

Alii ſunt *Conuentus Circulares.* Iſti ſunt vel vniuerſales vel particulares. Vniuerſales ſunt, quando omnes Circuli conueniunt. Indicuntur iſti ab Electore Moguntino, tanquam Imperii Archi-Cancellario, * & conueniunt præter Commiſſarios Cæſareos, qui Ius proponendi in iisdem habent, Deputati cuiuslibet Circuli, & quidem ex quouis quatuor, ** qui bene de cauſſa, quæ proponitur, inſtructi, ſecum communicant *die Crayß-Bedencken*, ſiue præconſultationes antea in quouis Circulo factas. Inſtituebantur olim varias ob cauſſas, vtpote in cauſſis moderationis Matriculæ, quæ inde dicuntur *die Moderations-Tage*, vel ob refundendos ſumptus in Executionem Imperii factos, vel ob rem monetariam. *** Talis erat Conuentus Circulorum Wormatiæ a. 1554. in cauſſa Alberti Brandenburgici, **** Alius Erfurti a. 1567. inſtitutus, ob refundendos Auguſto, Saxoniæ Electori ſumtus in Executionem Gothanam factos. † Licet ab iſto tempore amplius fuerit nullus inſtitutus. In Receſſu Imperii Ratisbonenſi de an. 1603. talis quidem fuit decretus, non tamen ad effectum deductus. Conficitur in eodem Receſſus a Moguntino, cum conſenſu Commiſſariorum Imp. & Deputatorum Circularium. Hodie vero eiusmodi negotia in Comitiis pertractantur.

* *R. I. Ratisbonæ de a. 1603.* §. *52.*

** *R. I. Spiræ de a. 1544.* §. *15. R. I. Auguſtæ de a. 1548.* §. *44.*

*** *R. I. de a. 1544.* §. *15. R. I. de a. 1603.* §. *52.*

**** De hoc DATT *lib. I. c. XXI. n. 73. 74.*

† Extat Receſſus in eodem concluſus, in Corpore Receſſuum. S. R. G. *diſſ. XXXIII.* §. *XXV.*

§. LVIII.

Conuentus Circulorum particulares, vel plurium ſunt

Circulorum, vel vnius saltim. Talis fuit Conuentus Circuli Rhenani Superioris atque Inferioris, mense Augusto 1554. auctoritate Caroli V. institutus, vt sententiam Banni in Camera contra Albertum Brandenburgicum latam, exequerentur.* Tales sunt Conuentus Circulorum vicinorum Monetales. Sic Tres Germaniæ Superioris Circuli, Franconicus, Bauaricus, Sueuicus, Correspondentes solent adpellari in re monetaria. Hos indicit Episcopus Bambergensis, & quidem ad comparendum Statibus tempus potissimum sex hebdomadum præfinitur. Conueniunt ex quouis Circulo duo vel tres Statuum legati, quibus Ius monetandi atq; officinas Monetarias habendi competit. Hi per Zygostatas, dictos Waradeinos, monetas in Circulis illorum obuenientes examinari curant, abusus monetæ tollunt, defectus corrigunt, denique Recessum formant & subscribunt, qui vocatur *Müntz-Abschied.* ** Eadem ratione inuicem correspondent Circulus Rhenanus Superior & Inferior atque VVestphalicus. Sic etiam Circulus Saxonicus Superior atque Inferior vna cum VVestphalico, & vocari sæpe solent *Müntz-Probations-Tæge.* Sub initium belli ob Successionem Hispanicam gesti, Circulus Franconicus, Sueuicus, Austriacus, vterque Rhenanus Fœdus inuicem in communem causam pangebant, qui Nordlingæ aliisque in locis Conuentus suos instituebant, Recessusque formabant, qui vocabantur quinque Circuli Associati.***

* Agit de eodem DATT *lib. I. c. XXI. n. 73. sqq. R. I. Francofurti de a. 1571. §. 28.*

** Vid. Diss. WILDVOGELII *de Conuentibus Monetalibus Trium Correspondent. Circulorum, Ienæ 1707.*

*** De his S. H. G. *diss. XXXVII. §. CVII.*

§. LIX.

In aliis Conuentibus particularibus Status vnius Circuli

culi saltim conueniunt. Istos indicunt Principes conuocantes, *die Crayßausschreibende Fürsten*, & liberum ipsis est, an Imp. de Conuentu certiorem facere velint, an non.* Locus est Ciuitas in quouis circulo sita, qualis in Sueuico Vlma esse solet; in Franconico Noriberga; in Saxonico Lipsia; in VVestphalico Colonia. Tempus ad comparendum præfigitur plerumque sex hebdomadum, & quidem in Litteris conuocationis, materiæ deliberandæ solent proponi. Caussæ sunt de Pace publica seruanda, de Circuli defensione & Statu militari, *von der Crayß-Verfassung*, caussæ Matriculares, Collectæ Circulares; Constitutio officialium Circuli, caussæ commerciorum, monetales, de sententiarum & mandatorum Imperialium executione, de præsentandis Cameræ Adsessoribus, & quæ sunt alia, quæ Circuli Politiam concernunt. Quandoque etiam in consultationem veniunt negotia publica vniuersum Imperium concernentia, vt scilicet Status Circulorum, præconsultationes capiant, qua ratione in Comitiis vniuersalibus se gerant.**

* CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. VI.* CAROLINA *art. XIII.* Vid. PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. II. Tit. VI. p. 1094.*

** Plenius de hisce egit GOCKELIVS *de Circulo Sueuico, n. 13. & sqq.* & ARNOLDVS CHRISTOPH ENGELBRECHT *de Conuentibus Circularibus Imperii Germanici, Helmstadii 1696. 4.*

§. LX.

Postquam Status comparuerint, nomina sua apud Directorium edunt, & Legitimationem suam exhibent. Adparente die præfinito, cum singuli Sessiones suas solitas occupassent, Director, peractis Cæremonialibus, negotia de quibus agendum, de scripto proponit, ad quæ primus ex Legatis Principalibus respondet, Directori gratias agit, atque, vt

vt capita proposita cum Statibus communicentur, petit. Hinc pergitur ad Deliberationes, Director enim præuia breui compellatione, cuiuslibet Status Votum rogat, vltimo suum addens. Omnibus itaque examinatis & per maiora decisis, Recessus formatur, qui conformis esse debet Legibus Imperii. Hic in omnium præsentia prælegitur, & si quid occurrat, emendatur, inde vel ab omnibus Statibus, prout in plerisque fit, subscribitur, atque a Directore in Originali adseruatur, vel a præcipuis saltim cuiuslibet Scamni *denen Banckvorsitzenden* subscribitur & subsignatur, prout in Circulo Sueuico, atque in Archiuis Circularibus adseruatur.* Vocatur igitur *der Crayß-Abschied*, qui secundum Annos & Circulos suos distinguitur. Obligat ille saltim Status cuiuslibet Circuli.

* ERN. GOCKELIVS *de Circ. Sueu. n. 24.*

§. LXI.

Hi vero Conuentus Circulares ratione Statuum Circuli vel sunt vniuersales, vel particulares. Isti sunt, dum omnes Status Circuli conueniunt: hi, dum selecti saltim ex Statibus Circuli conueniunt, quod vocatur *der Crayß-Ausschuß*, *der engere Crays-Conuent*. Quandoque vel Status Ecclesiastici saltim, vel Seculares tantum cuiuslibet Circuli coeunt. Distinguuntur etiam in Conuentus statarios, qui singulis annis & certo tempore haberi debent, quales sunt *die Müntz-Probations-Tæge*, & arbitrarios.* Licet autem Conuentus in quolibet Circulo annui esse debeant, idque a plerisque Circulis adhuc obseruetur, cessarunt tamen isti a multis retro annis in Circulo Saxonico superiori ** atque inferiori. Agebatur quidem nuper de iisdem restituendis, *** Conuentum

tum etiam Circuli Saxoniæ Inferioris exhibito an. 1708. in Comitiis ſcripto vrgebat hodiernus Rex Daniæ, **** nec tamen adhuc ad effectum peruenit.

* MÜLLER *de Conuent. Circularibus.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 95.*

** Vltimus Conuentus Circuli Saxoniæ Superioris inſtitutus fuerat XX. Auguſti 1683. idque ob imminens a Turcis periculum. Verum, cum de iure vehendi ſex equis Principum Legatis ab Electoralibus Quæſtio Status moueretur, turbata iſta fuerunt, nec reſtituta.

*** Acta de eodem videantur in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. I. p. 145.*

**** Exhibet Scriptum HEIN *in I. P. lib. IV. Tit. IV. p. 881.*

§. LXII.

Alia ſunt Comitia Statuum Imperii, quæ ſecundum diuerſas Claſſes ſuas indicunt. Prima ſunt *Comitia Electorum*, quæ vel Electoralia, *die Wahl-Tage*, de quibus iam ante dictum, * vel Electorum, *die Churfürſten-Tage.* Confirmata hæc per A. B. ** qua decretum, vt frequentius ſolito congregentur, & quidem ſingulis annis ſemel, transactis a Feſto Paſchatis quatuor ſeptimanis, quod ipſis in Capitulationibus *** fuit confirmatum. Iſti autem vel ex Conſilio Imperatoris inſtituuntur, qui Electorem Moguntinum de conuocandis Electoribus admonere ſolet, prout in Comitiis Electoralibus Ratisbonenſibus de an. 1630. Ferdinandi II. conſiliis, **** & Auguſtæ 1690. Leopoldi motu celebratis, ***** fuit factum, vel Elector Moguntinus proprio motu Collegas ſuos conuocat, ****** id quod etiam inſcio Imperatore † factum. Patet hoc ex Comitiis Electoralibus, tempore Maxini-

ximiliani, Gelnhusæ 1502. indictis, quæ postea Herbipolin fuerunt translata, quibus etiam dum Imp. denegaret Comitia vniuersalia, alii Status interfuerunt. Contradicebat iisdem Imp. Iura tamen sua defendentibus Electoribus. †† Conuocandi sunt omnes Electores, etiam Bohemus hodie, licet olim fuerit omissus. Negotia sunt vel publica Imperii, vel Collegium saltim Electorale concernentia. Conclusa vero solum obligant Collegium Electorale. Dirigit hæc Comitia Electoralia Elector Moguntinus, qui etiam solus proponit, Vota colligit atque ex maioribus conclusum format, excepto casu, si Imp. motu conuocatum fuerit Collegium Electorale, tunc enim ipse capita deliberanda proponit, Directorio tamen semper manente penes Moguntinum, tanquam Electorum Decanum, qui dein in consultationibus denuo proponit. †††

* *Cap. VII. §. X.*

** Tit. XII. §. 1. *vt sacri Imperii Principes Electores ad tractandum, de ipsius Imperii orbisque salute frequentius solito congregentur.*

*** LEOPOLDI & IOSEPHI *art. VI.* CAROLI *art. III.*

**** S. H. G. *diss. XXXV.* §. *XXXVII.*

***** S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *LXVIII.*

****** Licet olim circa Vniones Electorales in conuocando alternauerint Electores, de quo MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. XXIII.* §. *XXXIII.*

† A. B. quidem ad Tit. XII. præscribit: *Congregatio huiusmodi per nos & eosdem Principes celebretur.* Et deinde: *Deinceps die quolibet congregationis huiusmodi loco per nos, quo sequenti anno conueniant, ipsorum consilio conueniant.* Verum, etiam inuito Imp. conuenisse Electores, Historia nos docet. Sic Electores tempore Wen-

Wenceslai Imp. diuerſa, inuito etiam & contradicente Imp. celebraſſe Comitia, demonſtrauimus in S. H. G. *diſſ. XXVIII.* §. *XIII. XIV.* Eadem ratione Electores Comitia Noribergæ a. 1456. inſtituerunt, ad eademque ipſum Fridericum III. Imp. inuitarunt, hoc plurimum contradicente, MÜLLER *Friderico, III. Vorſt. c. I.* Alia Comitia Electores an. 1457. Francofurti inſtituerunt, S. H. G. *diſſ. XXX.* §. *XXVII.*

†† Agit de iisdem MVLLERVS *Reichs-Tags-Staat lib. II. cap. III. V. & VIII.*

††† Varios Conuentus Electorales diuerſis temporibus, inſtitutos, enumerat THVLEMARIVS *de Octouiratu cap. XIX.* §. *26.* Vid. etiam MAVRITIVS & SAMVEL RACHELIVS *de Comitiis Electoralibus, Kiloni 1671. 4.* qui recenſionem eiusmodi Comitiorum exhibet, verum admodum imperfectam.

§. LVIII.

Habent etiam Conuentus ſuos Principes, dictos *die Fürſten-Tæge.* In his vel omnes conueniunt, vtriusque religionis, tunc conuocatio fieri debet per Directores; vel Catholici ſaltim, vel Proteſtantes ſaltim, atque tunc præcipuus inter eos ſemper habet ius conuocandi. Sic etiam certi ſaltim ex Principum ordine poſſunt Conuentus inſtituere. Exemplum præbuerunt Principes nono Electoratui ſeſe opponentes, qui Goslariæ & Noribergæ conuenerunt.* Eadem ratione Comites ſuos habent Conuentus, dictos *die Grafen-Tæge.* Eosdemque vel generales omnium Collegiorum, vel particulares certi ſaltim Collegii.**

* S. H. G. *diſſ. XXXVII.* §. *LXXIX.*

** Egit de iisdem ſingulari Tractatu AHASV. FRITSCHIVS.

§. LXIV.

Habent etiam Ius Conuentus Ciuitates Imperiales, *Stæte-Tage*. Hi itidem ſunt vel vniuerſales vel particulares. Iſti, quando omnes & ſingulæ Ciuitates conueniunt, qualis Lindauiæ an. 1496. fuit celebratus. † Particulares vel Circulares, quando vnius Circuli Ciuitates ſaltim conueniunt, vel duodecim Deputatarum, quæ a reliquis ad certa negotia ſunt deputatæ, vel conuocantium. Olim quidem nullæ conuocantes erant certæ, ſed nouæ ſemper fuerunt electæ. Poſtea Argentoratum, Noriberga, Francofurtum & Vlma ad tempus electæ, ſed Norībergæ 1523. factæ perpetuæ, licet Argentoratum poſtmodum ab Imperio plane auulſum. Conuentibus illorum etiam dies Bartholomæi fuit præfinitus, licet illud hodie ſit in arbitrio conuocantium. ††

† De quo MÜLLER *Maximiliano, III. Vorſt. c. IV.*
†† De ſingulis hiſce vid. KNIPSCHILD *de I. Ciuit. Imp. lib. II. c. XI.*



CAPVT

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM
DE
IVRIBVS COMITIALIBVS

§. I.

POst Comitia, considerande nunc sunt negotia, quæ cum Imp. atque Statuum consensu in iisdem sunt pertractanda. Concernunt ista Iura Sacrorum, Belli & Pacis, Legum condendarum, Tributorum, Grauamina Statuum, de redintegrando Imperio, moderatione Matriculæ, iura inter Collegia controuersa, defectus Comitiales, caussas iustitiarias, vel ea, quæ ad Politiam faciunt. *

* Definita hæc Iura Comitialia potissimum in I. P. Art. VIII. §. 2. *Gaudeant sine contradictione* (Status) *iure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim vbi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, noua munimenta intra Statuum ditiones exstruenda nomine publico, veteraue firmanda præsidiis, nec non vbi Pax aut fœdera facienda, aliaue eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile post hac vnquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu.* Confirmatur hoc per Capitulationes, & potissimum Carolinam *art. IV.* in quo: *In allen Berathschlagungen über die Reichs-Geschæffte insonderheit diejenigen, welche in dem Instrumento Pacis nahmentlich exprimiret, und dergleichen, sollen und wollen Wir die Churfürsten, Fürsten und Stænde des Reichs, Ihres Iuris Suffragii sich gebrauchen lassen, und ohne dieselben Reichstægige freye Beystimmung in selbigen Dingen nichts fürnehmen noch gestat-*

ten, & Art. XI. *Wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen, so das Reich betreffen, und von hoher Præuditz und weitem Aussehen seyn, bald anfangs, der Churfürsten, als Vnserer innersten Ræthe, Gedancken vernehmen, und nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten und Stænden Rath-Bedenckens Vns gebrauchen, und ohne Dieselbe hierinnen nichts vornehmen.*

§. II.

Primum inter Iura Comitialia est *Ius Sacrorum*, quod in Imperio nostro partim solus exercet Imp. * partim etiam cum Statuum consensu Comitiali. Huc refertur potissimum, *Ius decernendi in caussis Religionis*. Exinde Statuum Euangelicorum querelæ haut iniustæ de clausula quarti articuli Pacis Ryswicensis, ipsis protestantibus, inserta. ** Hinc etiam Grauamina de turbata pace Religiosa sæpius in Comitiis proponuntur, prout hodie adhuc caussa Nassouico-Sigensis Lineæ Euangelicæ contra Principes Nassouios Catholicæ attentata in Comitiis pertractatur. *** Talia sunt Grauamina Protestantium contra Palatinos, ob templa, scholasque ipsis ademptas, **** Ciuitatis Wormatiensis contra Clerum, ***** Electoris Saxonici in caussa diruti Templi Teichenauiensis, † Hildesheimensis Ciuitatis contra Clerum. †† Sic & controuersia, quæ fuit inter Catholicos atque Protestantes Augustæ Vindelicorum, de reparatione Ecclesiæ S. Vdalrici & Afræ. ††† Nec desunt ex diuersis Comitum potissimum Territoriis alia Grauamina, quæ fere quotidie mouentur. †††† Dolendum tamen, Grauamina hæc quotidie augeri, nec vllam iisdem adparere medelam.

* Vid. *cap. X.* §. *XXVIII.*

** Vid. *cap. VI.* §. *LXVIII. LXIX.*

*** ANT.

*** ANT. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. c. II. Tom. XIII. c. I. II. Tom. XV. c. I. Tom. XVII. c. II. Tom. XXI. c. I.* ELECT. I. P. *Tom. I. p. 653.*

**** FABER *Tom. IV. fasc. III. Tom. XXVII. c. II. Tom. XXX. cap. III.* ELECTA I. P. *Tom. I. p. 438. Tom. II. p. 839. Tom. VI. p. 717. Tom. IX. p. 224. Tom. XVII. p. 7.*

***** FABER *Tom. VI. c. III. Tom. XXIV. c. II.*

† ELECTA IVRIS PVBLICI *Tom. II. p. 821.* LÜNIGII *Grundueste p. I. p. 327.*

†† ELECTA IVRIS PVBLICI *Tom. III. p. 3. 187. 357. 401. 433. 612.*

††† FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XV. c. X.* ELECTA IVR. PVBL. *Tom. II. p. 224. 811. Tom. IV. p. 525.*

†††† De quibus FABER *Tom. IV. c. I. Tom. X. c. I. Tom. XVII. c. I. Tom. XX. c. I. Tom. XXI. c. II. Tom. XXII. c. I. IV. Tom. XXIII. c. I. Tom. XXIV. c. I. Tom. XXX. c. I.* ELECTA I. P. *Tom. VII. p. 3.*

§. III.

Alterum *Ius* eſt *Belli & Pacis.* Bellum in Imperio eſt vel vniuerſale, quod totius Imperii nomine gerendum, vel particulare, quod Status gerunt, de quo infra erit dicendum. Bellum vniuerſale quidem Impp. Carolingici liberius geſſerunt, ſine adhibito Statuum conſenſu, licet eorundem conſilium exquiſiuerint. * Liberior etiam circa bellum gerendum erat Saxonicorum Impp. poteſtas. Creſcente vero ſub Franconicis Impp. Statuum poteſtate, hoc Ius etiam Status ſibi vindicarunt, vt ipſorum conſenſum in bellis gerendis requirerent Impp.

* Huc faciunt diuerſa Scriptorum veterum loca a LEHMANNO *lib. II. c. XXXIX.* adlegata.

§. IV.

Diuerſa autem Bellorum publicorum apud Germanos erat ratio. Aliæ erant Expeditiones Romanæ, aliæ contra

diuersas gentes susceptæ. *Expeditio Romana*, vulgo *der Rœmer-Zug*, nomen exinde accepit, quod singuli Vasalli Imperii obligarentur ad præstandum certum militum numerum Regi, Romam ad petendam coronam pergenti, in auxilium. Originem eiusdem Carolo Crasso vulgo tribuunt, cuius etiam constitutio de expeditione Romana adducitur, * licet haut immerito de eadem dubitetur, an vera sit, ** cum Stylus isti æuo non sit conformis, chronologia haut conueniat, dum annus 790. subscriptus, quo nondum in viuis Carolus Crassus, Feudi etiam vox, quæ in eadem occurrit, non sit istius temporis. Hinc constitutio ista quidem haut immerito reiicitur, & licet Conrado II. alias tribuatur, *** potius tamen a priuato quodam videtur esse composita. **** Neque tamen hæc Expeditio Romana ad Ottonis M. demum tempora erit referenda, cum OTTO FRISINGENSIS † hoc consuetudinis fuisse Regum Francorum & Teutonicorum dicat.

* Extat apud GOLDASTVM *Stat. Imp. p. 28.* & singulari Commentario fuit illustrata a MARQVARDO FREHERO. Ex eodem habet LEHMANN *lib. II. c. XLII.*

** Argumenta sunt CONRINGII *de Origine Iur. Germ. cap. XVII.* & BOECLERI *in Not. S. R. Imp. lib. XV. cap. II.* Reiicit etiam MAVRITIVS de Matricula Imperii §. *XXIV.* & SCHILTERVS *ad cap. VIII. I. Feud. Alemann.* S. H. G. *diss. XIV.* §. *XII.* PFEFFINGER *ad Vitriar. lib. I. Tit. IV. p. 305.*

*** Prout SCHVRZFLEISCHIVS singulari Dissertatione demonstrare voluit. Vid. etiam SCHILTER *c. l.*

**** CONRINGIVS coniectatur, confictam eam fuisse forte Seculo XII. in regulam Expeditionum Romanarum.

† OTTO FRISING. lib. II. cap. XII. *est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, quotiescunque ad sumendam Imperii coronam, militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo* (Roncaliæ) *mansionem faciant.*

§. V.

§. V.

Indicebatur talis Expeditio ab Imp. in Comitiis ad annum vel biennium, & quidem iurata plerumque decernebatur. * Condicto tempore, in Italiam mouebant singuli Vasalli & Status Imperii cum milite suo, quem ex formula debebant, & postquam in campos Roncalios venissent, lustratio Exercitus instituebatur, *die Heerschaue*, ad examinandum, an quilibet officio suo satisfecerit, debitum militum numerum præbendo, ** quod si in hoc defecerit, condemnabatur vel etiam Feudo priuabatur. *** Quod si autem cum copiis suis destinato tempore ad campos Roncalios venissent, nec Imp. ibidem reperissent, reuerti poterant. † Immo, Rege coronato, cogi amplius non poterant. †† Dum autem Duces Comitesue Vasallos ex prouinciis ipsis destinatis, educerent, isti, postquam Ducatus & Comitatus facti fuerunt hæreditarii, singuli feuda ab iisdem tenentes, dominos suos sub pœna priuationis Feudi sequi tenebantur: ex quo factum, vt de singulis Ducatibus & Comitatibus pro rata feudorum, certus militum numerus in Expeditiones Imperii secundum Matriculam definiretur, Duces vero & Status Imperii a Vasallis suis iterum seruitia equestria *die Ritter-Pferde* exquirerent. Creuit hic numerus, vt Carolo V. ad Expeditionem Romanam præstarentur viginti peditum, quatuor equitum millia. ††† Dum autem a Caroli V. temporibus coronationes Romanæ cessent, cessarunt etiam Expeditiones Romanæ.

* De Henrico V. OTTO FRISINGENSIS lib. VII. c. XIV. *anno abhinc tertio, ex omnibus regni visceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus, per montem Iouis Pyrenæum transit, ac in plano Italiæ residens, iuxta Padum militem recensuit. In Comitatu eius XXX. millia equitum electorum, exceptis his qui ex Italia ad eum confluxerant;*

xerant: tantumque castrorum ambitum, qui adhuc superstites sunt, fuisse tradunt, vt visu vix penetrari potuisset. In plano ergo Italiæ castra metantes, vnusquisque militum ante papilonem suum lumen noctu accendit. Quod ad humanæ ostentationem gloriæ factum, quantum spectaculum indigenis in tam amplo ambitu præbuerit, dicere non oportet. S. H. G. *diss. XVI. §. IV.* OTTO FRISINGENSIS de G. Friderici I. lib. II. c. VII. *In eadem curia exulibus Apuliæ, quos Rogerius de solo natali propulerat, lachrymabiliter conquerentibus, ac ad pedes Principis miserabiliter se proiicientibus, expeditio Italica tam pro afflictione horum, quam pro corona Imperii accipienda, paulo minus quam ad duos annos iurata est.* Et cap. XI. *post hæc Princeps de Saxonia in Baioariam se recipiens, ac inde per Alemanniam transiens, anno Regni sui tertio, in Campania Lici fluminis termino Baioariæ, contra ciuitatem Augustensem, circa principium mensis Octobris militem in Italiam iturus collegit, finitis, ex quo iurata fuerat prima expeditio, duobus annis.* OTTO & ACERBVS MORENÆ *de Reb. Laudensibus p. 808. Rex itaque suos Legatos per Alemanniam, Saxoniam Prouinciam, Durbandiam, Tusciam & per vniuersum Rom. Imperium misit, iubens Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus ac vniuersis aliis dictarum Prouinciarum Principibus quatenus ipsi cum suis equitibus, quam honorifice possent, vsque ad festiuitatem sancti Michaelis proxime venientis, & vnum annum cum ipso in Lombardia in Roncaliæ essent, qui locus est inter Placentiam & Cremonam.* GODEFRIDVS MONACHVS ad an. 1189. *Eodem tempore Rex* (Henricus VI.) *expeditionem Italicam iurare fecit nobiles, maxime eos, qui ministeriales Imperii essent, a festo S. Matthæi post annum explendam, quatenus in Augustum ipse consecrari debuisset Romæ.* OTTO de S. BLASIO c. LI. *Anno Dominicæ incarnationis MCCIX. Otto Rex generale colloquium in Quadragesima habens aprd Hagenovve, expeditionem in Italiam Principibus edixit.* CONR. VECERIVS de Henrico VII. p. 68. *dimisso edicto per prouincias, vt quisquis nobilium Augustale beneficium obtineret, de constituto vellet adesse, solennemque profectionem, Romanæ mitræ capiendæ causa, pro conditione, proque consuetudine*

sua

sua curaret exornandam. Maximiliano I. adhuc decreta ad Expeditionem Romanam auxilia, de qua s. H. G. *diss. XXXI. §. XXV.* Extant litteræ Maximiliani, quibus Eslingensibus hanc expeditionem indicit, apud DATTIVM *lib. III. c. I. n. 10.* in quibus: *das wir in diesem gehalten Tag über die perg, umb unser vorgemelt Kaiserliche Kronung gen Rom ziehen wollen.* Et paucis interiectis: *und mit einer Anzal der Ewern, wie sich nach alten Herkommen gebürt, und den Læuffen nach, auff das sterckist gerüst, zu uns kummet.*

** OTTO FRISINGENSIS lib. II. cap. XII. *inde castra mouens in campo Roncaliæ super Padum, non longe a Placentia, mense Nouembri resedit. Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, vt quotiescunque ad sumendam Romani Imperii coronam militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Vbi ligno in altum porrecto, scutum suspenditur, vniuersorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes qui in eius Comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones expôscunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuo ad præsentiam Regis, aliorumque Principum, vel virorum illustrium euocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate Dominorum suorum domi remanserant, in feudis condemnantur.* Eandem descripsit GÜNTHERVS *Ligurino lib. III.* ANT. GATTVS *Hist. Gymn. Ticinensis cap. XIII.*

*** IVS FEVDALE ALEMANNICVM c. VIII. Modum huius Expeditionis atque Pœnam definit: *Wenne aber die Tutzschen ein Kunig erwellent, und der zü Rome nach der VVihe fert. Die Fursten die In zü Kunig erkoren hant sind alle schuldig mit yme zü farende Vnd das ist der Bischoff von Mentze, der von Tryer, der von Kœlle, der Pfaltzgraff by dem Ryne, der Hertzog von Sachsen, der Marggraff von Brandenburg und der Kunig von Behem, auch sullent alle Fursten und Fryherren mit In varende den es gebotten wurt. Vnd hett ein Herre leben von dem Kunig, oder ein ander man das des riches güt ist und hett er das andern Lütten verluhen die mœtett er wol*

mit Ime zü varende in des Riches dienste mit rechte Vnd vvellent sü nüt bliben so lœsent die Herfart mit dem zehenden Pfunt vvas es ein yor giltet Vnd vveders der man vvil das mag er tün. Die Herfart gan Rome sol der Kunig gebieten über ein yore sechs vvuchen und drige Tage; und die Herfart hat den Tutschen ende so der Kunig gevreibet vvunt und fürbasser mag er sü mit Rechte nüt getzvvingen.

† Hist. de Guelfis apud LEIBNITIUM *Tomo I. p. 781.* de Guelfo dicit: *quod cum in procinctu esset, & Imperatorem Henricum tertium, per triduum vltra statutum tempus, in loco qui dicitur Rungalle, vbi totus exercitus conuenire solet, quo & se venturum iuramento constrinxerat, præstolaretur, & nec nuncium quidem qui causam moræ illius exponeret, haberet, erecto signo, conuocatis Dominis reuersionis iter arripuit. Cui tandem Imperator occurrens, nec muneribus nec promissionibus vel saltim minis, ab incepta repatriatione remouere potuit.*

†† Prout ex I. Feud. Alemannico patet.

††† Patet ex Procemio R. I. Noribergensis de a. 1522. *Nachdem uns Churfürsten, Fürsten und Stende des Heil. Reichs, zu unserm und Teutscher Nation, endlichen Fürnehmen und Erlangung Kayserlicher Cron, viertausend zu Roß, und zvvantzigtausend zu Fus, sechs Monath lang bevvilliget.*

§. VI.

Quod si vero aliæ Belli expeditiones essent suscipiendæ, bellum, sub Franconicis potissimum & Sueuicis Imperatoribus, in Comitiis decernebatur. Continuatum hoc æque sub Impp. reliquis atque Austriacis. In Conuentu enim Augustano an. 1275. Ottocarus, Rex Bohemiæ, Henricus, Dux Bauariæ, hostes Imperii fuerunt declarati atque bellum in eosdem decretum. * Henricus VII. in Comitiis Spirensibus a. 1309. bellum contra Eberhardum Würtenbergicum fecit decerni. ** Licet autem istis temporibus numerus

rus Germanorum, qui ad expeditionem euocabantur, non-
dum fuisset definitus, primum tamen in Comitiis Egra-
nis an. 1431. factum hoc fuisse videtur, dum decreta in
Hussitas expeditione, etiam decerneretur, quantum quisque
militum numerum, quem belli adparatum secum duceret,
constituto ad hanc expeditionem communi denario. ***
In Comitiis Noribergensibus an. 1444. decreta fuit contra
Gallos expeditio. **** In Comitiis Augustanis an. 1474.
decreta fuit aduersus Carolum Burgundum expeditio, *****
idemque in Comitiis Coloniensibus an. 1475. repetitum, col-
lecto octoginta millium milite. In Conuentu Noribergen-
si an. 1580. ad Expeditionem Turcicam decreta fuerunt quin-
decim millia, & noua Statuum Matricula fuit confecta, †
quantum quisque militum ad eandem præstaret. In Comi-
tiis Noribergensibus 1481. noua contra Turcas decreta fue-
runt auxilia, noua etiam constituta fuit Matricula. †† In
Comitiis etiam Francofurtensibus & Noribergensibus anno
1486. & 1487. Germaniæ Principum auxilia contra Matthi-
am Vngariæ Regem fuerunt decreta. ††† Decreta sic in Co-
mitiis Expeditione, Duces, Comites euocabantur * per
sex septimanas vnoque die, antequam expeditio instituen-
da, idque fieri debebat per certos nuntios Regis, audienti-
bus duobus Vasallis. Tenebatur autem quilibet Vasallus per
sex septimanas seruitia Imperio propriis sumtibus præstare.**
Euocabantur ad hoc ad certum tempus & locum, *** & qui-
dem per bannum, **** atque obligati erant, vt vel ipsi in
persona comparerent, vel alium pro se domino acceptabilem
mitterent, vel dimidiam partem annalis reditus ex feudo sol-
uerent. † Id quod Franci vocarunt *Heribannum*. †† Certo
etiam adparatu debebant esse instructi: ††† Equorum au-
tem pabulum & quæ ad victum erant necessaria, ipsis præ-
bebantur. †††† Ordinabatur agmen ab Imp. acies, vbi
opus

opus erat, instruebatur ††††† ipsique Duces copias suas educebant: †††††† omnibusque per bannum regale fuga interdicebatur ††††††† de præda etiam ex æquo disponebatur. *

* S. H. G. *diss. XXIII. §. XIV.*

** S. H. G. *diss. XXV. §. V.*

*** Acta hæc Comitiorum Egranorum exhibuit SCHILTERVS *Tom. II.* & DATTIVS *lib. I. c. XXIV.*

**** S. H. G. *diss. XXX. §. XI.*

***** S. H. G. *diss. XXX. §. XLV.*

† S. H. G. *diss. XXX. §. L.*

†† *c. l.*

††† *c. l.*

* Sic GODEFRIDVS Monachus Ann. ad a. 1171. *Imperator in media quadragesima apud Wormatiam curiam celebrem habuit: ubi conquestus de Italicis, & illis qui partibus fauebant Rulandi, quod coronam Romani Imperii Græco imponere vellent, iudicio cunctorum Principum Expeditionem in Italiam iterum indixit, post circulum duorum annorum determinatam.* Idem ad an. 1179. *nec multo post expeditio in Saxoniam ab Imperatore & Principibus indicitur.* Immo, de Friderico I. Otto Frisingensis lib. II. c. VI. in Comitiis Moguntinis an. 1152. *Vngaris bellum indicere, ipsosque ad Monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cum assensum super hoc Principum, quibusdam de caussis latentibus, habere non posset, ad effectum tunc perducere ea, quæ voluebat mente, non valens, ad opportuniora tempora distulit.*

** I. FEVD. ALEMANN. *cap. VII.*

*** Talis est Friderici I. dum ad OTTONEM FRISINGENSEM ita scribit: *ex iudicio igitur Principum Expeditionem contra Mediolanum a proxima Pentecoste ad annum iuratam tibi indicimus, quam intime rogantes & præcipientes, quatenus ad eam nobiscum peragendam, a vigilia Pentecostes ad annum, Vlmæ nobis indubitanter occurras: certus, quod nec te, nec aliquem Principum nostrorum montem Apenninum transire cogemus.* OTTO FRISING *lib. II. cap. XXX.* Eadem ratione

ratione Sigismundus Imp. ad Amadeum, Sabaudiæ Ducem, *filium tuum, Principem Pedemontium nobis carissimum, ad hoc aptes & disponas, vt aduenientibus nobis ad partes* (Italiæ) *ipse cum gentibus & potentia sua nobis sit in auxilio & assistentia, prout debet*, GVICHENON *Tom. VI. p. 276.*

**** DITMARVS *lib. VI p. 380.* de Henrico II. *Præcepit etiam in palatio & in omnibus comitatibus regni sui expeditionem in Poloniam & Conuentum in Liezca per bannum fieri.*

† *II. F. LV.*

†† LEHMANN *lib. II. cap. XLIV.* du FRESNE *Glossario.*

††† ANNAL. COLMARIENSES ad a. 1291. *Adolphus Rex in Imperio omnes controuersias componit. Principes ad expeditionem hortatur. Episcopus Spirensis milites & LXX. currus habuit præter bigas. Coloniensis ducentos milites cum equis phaleratis. Moguntinus copiosam militum multitudinem cum cæteris iter dirigunt versus Vesuntium.*

†††† Sic Decretum apud BATTIVM lib. I. c. XXI. n. 35. *Si autem publica Imperatoris expeditione, aut condictionali excitati fuerint acclamatione, tribus diebus proprio pergant victu: si autem iter prolixius fuerit, caballorum tantum cibaria, & ad vescendum sumant necessaria, & nihil præter herbam, olera, poma, ligna & quæ ad venatoria pertinent exercitia tollere præsumant.* In Constitutione Friderici I. de Pace tenenda II. F. XXVII. §. VIII. *Quicunque per Terram transiens equum suum pabulare voluerit, quanto propius secundum Viam stans in loco amplecti poterit, ad refectionem & reparationem equi sui, impune ipsi equo porrigat. Licitum sit etiam ipsi vti herba, & viridi sylua, & sine vastatione aliqua quilibet vtatur pro sua commoditate & vsu necessario.*

††††† Exponit hæcce RADEVICVS *lib. I. c. XXXII.* vbi Friderici I. obsidionem Mediolanensem describit, dicens: *Itaque postera die quæ lucescit in VIII. Kalend. Augusti, Fridericus ad obsidionem ciuitatis ducens exercitum, omnes copias suas in VII. Legiones partitur, præficiens singulis de Principibus rectores ordinum, quos antiqui centuriones, hecatontarchos, seu chiliarchos appellare consueuerunt, cum signiferis aliisque disciplinæ & ordinis custodibus. Præmissi autem milites cum stratoribus viarum ibant, qui aggerum maligna corrigerent,*

ac de via complanarent, obstacula praeciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circum Aquilam & signa alia, tubicines & cornicines. Serui singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisque iumentis aduehentes militum sarcinas. Hos sequebantur qui expugnandis ciuitatibus machinas & caetera tormenta portarent. Omnium vero agminum postrema erat mercenaria multitudo. Ordinato taliter militum itinere, praemonitisque diligenter ne quis ordinem deserat, martio quodam spiritu repleti, cum valido clamore diuinum implorant auxilium. Deinde otiose & cum omni decore progredientes ambulant, suum quisque ordinem velut in bello custodiens.

†††††† Sic apud WITTICHINDVM *lib. III. p. 656.* describitur Ottonis M. pugna contra Hunnos Augustana: *Castris positis in confiniis Augustanae vrbis, occurrit ei exercitus Francorum Baioariorumque. Cum valido quoque equitatu venit in castra Cunradus Dux: cuius aduentu erecti milites iam optabant non differre certamen. Nam erat natura audacis animi, & quod rarum est audacibus, bono consilio, & dum eques, & dum pedes iret in hostem bellator intolerabilis, domi militiaque sociis charus. Igitur ab vtriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur, non longe exercitus ab altero fore, ieiunio in castra indicto, iussum est omnes incrastinum paratos esse ad bellum. Primo diluculo surgentes pace data & accepta, operaque sua primum Duci, deinde vnusquisque alteri cum sacramento promissa, erectis signis procedunt e castris, numero quasi octo legionum. Ducitur exercitus per aspera & difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina quibus vtuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam & secundam, tertiamque Legionem direxerunt Baioarii, quibus praefuerunt praefecti Ducis Henrici: nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laborasset, qua & mortuus est. Quartam vero ordinauere Franci, quorum procurator & rector erat Dux Cunradus. In quinta quae erat maxima, quae & dicebatur regia, ipse princeps vallatus lectis ex multis militum millibus alacrique iuuentute, coramque eo Angelus penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam & septimam construxerunt Sueui, quibus praefuit Burchardus, cui nupserat filia fratris regis. In octaua erant Bohemi electi milites mille, armis potius instructi, quam*

for-

fortuna, in qua & sarcinæ omnes & impedimenta quaque quasi ipsa esset tutissima, quæ esset nouissima.

††††††† DITMARVS lib. VI. p. 377. *interdicta est omnibus per Bannum regalem a Palatino Comite fuga, & resistentibus viriliter promittitur consolatio futura.* Ex quo loco satis patet, hoc nondum ista ætate ad Iura Archi-Mareschalli spectasse.

* Sic enim apud DATTIVM lib. I. c. XXI. n. 43. *Was in die büte gehœret, das sol man deilen nach marzal gewapender lüte, die dann iglicher Theil in dem Velde hætte, one geværde.*

§. VII.

Diuidebatur autem Exercitus ex Vasallis hoc modo collectus, in certas classes, siue *Heere*. Constitutus erat Ductor Generalis, *Obrister Feld-Hauptmann*, & singulæ Classes suos quoque sub eodem habebant Ductores. Sub huius directione erat Imperii Vexillum, * constitutis tamen certis vexilliferis. Varia autem apud Scriptores occurrunt Vexilla. Præcipuum Vexillum maius erat Imperii, quod in Coronatione Imp. Romana non solum, sed etiam in expeditionibus bellicis, præsente Imp. gerebatur. ** In Coronatione Romana tria potissimum in introitu in vrbem occurrunt Vexilla, Aquilæ siue Imperii, S. Georgii, & Argentoratense. *** Accipiebat etiam Imp. a Papa post Coronationem Vexillum benedictum. **** Munus Vexilliferi primum arbitrarium erat, post illud gerendi dignitatem Ludouicus Bauarus Imp. Castrucio, Lucensium Duci, hæreditario Iure contulisse videtur, dum ipsum vexilliferum suum & Sacri Romani Imperii constitueret, † quæ tamen dignitas post mortem ipsius cessauit, dum liberi eadem fortuna minime vterentur. Cessauit autem hoc cum ipsa Coronatione Romana.

* R. I. Spiræ de a. 1542. §. 40. *sonst aber in der Kays. Mal. und unserm Abwesen, soll des Reichs-Fahnen nicht fliegen, sondern an seine*

ne Statt eine ander Fahne, durch den Obersten Feld-Hauptmann auf-gericht und gebraucht werden. R. I. Ratisbon. de a. 1471. inter Docum. Friderici III. p. 209. *es solte auch darbey ein Obrister Hauptmann und Capitain, der auf das meist ein Fürst und zu solchen Dingen geschickt wære, erwehlet werden, der das Kayserlich Heer unter dem Pannier des heiligen Creutzes, und des Rœmischen Reichs führet und regieret.* Quare in Friderici III. Decreto, quod Ludouico Bauaro concessit, über die Oberste Hauptmannschafft: *Vnser und des Reichs Panier, das Wir Ihnen dann gesanndt haben, aufzuwerffen, alß offt das Noth beschicht*, apud MVLLERVM *Friderico, I. Vorst. c. XVII. §. IV. XIII.*

** Sic Fridericus II. in Proelio aduersus Mediolanenses, apud MATTH. PARISIENSEM *p. 375.* signiferum sic adloquitur: *erige igitur & expande signifer meus impiger, victricem Aquilam meam.*

*** PETRVS de ANDLO lib. II. cap. VI. *dehinc erecto ante eum Imperii vexillo cum aquila ad S. Iohannem Lateranensem equitat, vbi manere consueuit.* Cæremoniale Romanum cap. III. *postera die Cæsar per portam, quæ est sub arce S. Angeli, hoc ordine quasi triumphans ingreditur. Primo die equites vexilla duo Cæsaris portant, alterum S. Georgii, quod ad Sueuorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum.* Idem in Historia Coronationis Friderici III. dicit AENEAS SYLVIVS *p. 76.* Licet GERHARDVS a ROO Ann. Austr. *lib. V. p. 186.* tradat: *præceptum fuisse, ne præter Imperii Aquilam vllum aliud signum explicaretur.* Adfuit itaque S. Georgii vexillum & Argentoratense nec tamen explicatum, de quo conquestus Georgiani Collegii signifer, Henricus, Comes Fürstenbergius.

**** KOENIGSHOVEN Chron. Argent. cap. II. p. 151. *da gab unser heiliger Vater der Babst Nicolaus us seinen Hænden das kœstliche hochgeehrte Banier des Heiligen Rœmischen Reichs, das sein Kayserliche Großmæchtigkeit zu allen Zeiten manniglich und lœblich sey, darum habe der Heiligen Rœmischen Kirchen, dem Heiligen Rœmischen Reich, der Heiligen gantzen Christenheit zu besetzen und zu beschirmen, in seine Hand dasselbe Baner des Heiligen Reichs, gab und empfahl seine Kay-*

Kayserliche Maiestat dem hochgebohrnen Herrn, Herrn Michael Meydeburg, von seinen Kayserlichen Gnaden zu führen.

† Extat Diploma in FREHERI *Tom. I. p. 667.*

§. VIII.

Erant igitur hæc tria Vexilla, quæ in præcipuis occurrunt expeditionibus: Vexillum maius Imperii, Vexillum S. Georgii & Vexillum Argentoratense. Illud erat Principum & præcipuum totius Imperii, istud ordinis Equestris, hoc Ciuitatum. Postea alia quoque accesserunt Vexilla. Sic in prœlio ad Giengam a. 1467. præter Vexillum maius Imperii & Ciuitatum memorantur Vexillum Alberti Marchionis, Eberhardi Würtenbergici tanquam Ducum Imperii Militarium, Vexillum Archi-Mareschallatus. * *Vexillum maius* vocatur Aquila Imperii, *der Reichs-Adler, des Heil. Rœmischen Reichs Haupt-Fahne.* Vexillum hoc Angelum cum victoria, tempore Ottonis M. ** repræsentabat, postea vero Aquilam Imperii. *** Hoc autem non ab initio, sed in medio gerebatur. Munus hoc gerendi Vexillum maius Imperii, ab arbitrio olim dependebat Impp. In bello quidem Henrici IV. Saxonico commissum hoc fuerat Godefrido Vangionum Duci. **** Lotharius Saxo, Conradum, Saxoniæ Ducem constituit summum Imperii signiferum. ***** Friderici I. Vexillum in bello contra Mediolanenses gessit Otto Wittelsbachicus. ****** Tempore Rudolphi Habsburgici Aquilam ferebat Henricus Hochbergicus Marchio. ******* Reinhardus, Hanouiæ Comes Adolphi Nassouii signifer dicitur. † Sigismundus Imp. in expeditione contra Fridericum Austriacum a. 1423. Pappenheimio Imperii Vexillum commisit. †† In Expeditione Friderici III. Imp. Vexillum Imperii gessit Albertus Animosus, Dux Saxoniæ. ††† Integrum vero erat Imperii Archi-Mareschallo

lo in Expeditionibus Imperii Vexillum Archi-Mareſchallatus cum Inſignibus gladiorum decuſſatim poſitorum cuidam committere, prout ſuperius indicatum Prœlium ad Gingam nos docet. Poſtea Electores Saxoniæ, tanquam Imperii Archi-Mareſchalli hoc officium per Vicarios ſuos, Pappenheimios Comites exercere voluerunt. †††† Mutata tamen plane belli ratione, dum non ipſi Status & Vaſalli Imperii expeditionibus amplius interſint, ceſſat etiam plane hoc maius Imperii Vexillum. Idem Vexillum maius Imperii locum etiam habebat in expeditionibus bellicis, quæ ad tuendam pacem publicam fuerant ſuſceptæ, ſi ipſe Imp. interuenerit, dum æque vocatur *das Reichs-Panier.* †††††

* Vexilla in prœlio ad Gingam capta, tali modo deſcribit FVGGER Spiegel der Ehren lib. V. c. XIV. p. 683. *Es wurden auch erobert, der Kayſerliche Haupt-Fahn mit dem doppelten Adler und Oeſterreichiſchen Hertz-Schildt, welchen Hertzog Ludewig bald hernach dem Kayſer wieder zugeſendet; das Reichs-Paner mit dem einfachen Adler, um welchen die VVappen der Reichs-Stadte, ſo in dieſem Krieg dem Kayſer hülfflich beygetretten, geſtickt waren; ferner des Marggrauen Panier, mit dem rothen Adler und Burggravlichen Hertz Schildlein, und neben dieſen dreyen Adler-Fahnen, des Reichs-Marſchalcks-Paner mit den zweyen blutigen Schwerdtern, und des Gravens von VVürtenberg ſeines mit den drey Hirſch-Geweihen und zweyen Fiſchen.* Hic etiam *p. 688.* figuram exhibet Vexilli Ciuitatum. Sequitur Fuggerum MÜLLERVS *Friderico IV. Vorſt. c. XXI. §. IV.* Quod autem in hoc Prœlio contra Ludouicum Bauarum Alberti Brandenburgici atque Eberhardi Würtenbergici ſingulare Vexillum memoretur, facilis ſubeſt ratio, eo quod Duces militares ab Imp. fuerint conſtituti, id quod patet ex Diplomate apud LVNIGIVM *Fortſ. der II. Contin. p. 690.* in quo: *Vnſer und des Reichs Hauptmannſchafft und Kayſerlich Banyr bevolhen.* Aliud in eodem negotio reperitur *p. 974.*

** WIT-

** WITTICHINDVS Ann. lib. III. p. m. 657. *in quinta, qua erat maxima, quae & dicebatur regia, ipse princeps vallatus lectis ex multis militum millibus alacrique iuuentute, coramque eo Angelus penes quem victoria, de ipso agmine circumseptus.* Ipsa hæc verba ex Wittichindo sumsit CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 210.* qui Angelum hac ratione explicat, *sic enim vocabatur Vexillum eius.* In medio autem agmine constituutum hoc Vexillum maius fuisse patet ex hoc loco. Et quidem dum aliæ Legiones a Baioariis, Francis, Sueuis, Bohemis directæ fuisse dicantur, Saxonum vero nulla plane fiat mentio, Saxones cum Rege fuisse atque vexillum duxisse concludimus. In Bello Henrici IV. Saxonico apud LAMB. SCHAFNAB. p. 219. *Rex in quinta erat legione, quam ex lectissimis & erga se admodum spectata fidei iuuenibus stipatam ornatissimamque instituerat.* Vid. etiam GVNDLING *Henrico Aucupe p. 224.*

*** MICH. COCCINIVS de B. Italicis apud FREHERVM *Tom. II. p. 553.* de B. Heluetico: *ac erigi curauit Vexillum magnum, in quo aquila erat depicta.*

**** *Hist. B. Saxonici* apud GOLDASTVM *Apol. p. 34.*

Nec non Vangiones ibant in prœlia fortes
Gens antiqua, potens armis, & munere terra,
Regia signa sequi bello quæ gaudet in omni
Solaque regales seruat per prœlia fasces,
Nunc quoque signa sua sequitur fulgentia Regis,
Agmine multiplici cingens insignia regni.
Rex cunctas acies excellens vertice celso,
Alto fertur equo, mediis in millibus extans,
Arma nitent aurata nitentibus addita membris,
Emicat e cunctis rutilans vt Lucifer astris
Post hos insignis Dux agmen agit Gotefridus.

***** GOTFRIDVS VITERB. *Chron. p. XVII. p. 592.*

****** OTTO FRISING. *lib. II. c. XXV.*

******* GERHARDVS A ROO lib. I. p. 27. *in exercitu Cæsaris Imperii Aquilam ferebat Henricus Hochbergicus Marchio, Austriacum signum Cunrado ab Haselau Austriaco commissum erat, Christi Seruatoris imaginem cruci affixam patri præferebat Albertus Habsburgicus.*

† HERTZOG *Elsass. Chronic. lib. V. p. 62.*

†† Extant Litteræ desuper concessæ, apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 587.* in quibus: *dorumb mit wohlbedachten Mute und rechter Wissen, bevelhen VVir dir unser und des Richs-Banyr, und geben dir volle Macht und gantzen Gevvalt glicher VVeise, als ob VVir mit unser selbs Leibe gegenvvertig vveren, an unser statt in Krafft diß Brieffs die vorgen Banyr aufzuvverffen, und von unsern und des Reichs vvegen, und in Unserm Namen Fürsten, Geistlich und VVeltlich, Graven, Herren, Ritter und Knechte, Stete und Gemeinde, unsire und des Reichs liebe Getreuen, zu dir, alß sich dann das gebüret, under dieselb unsir und des Reichs-Banyr zu vordern, und zu ermanen.*

††† Sic enim ipse Albertus in Litteris ad Wilhelmum Saxoniæ Ducem, apud MÜLLERVM *V. Vorst. c. LXXI. p. 704. Der Adeler des Heil. Reichs Oberst Streit-Panier schvvebet in unserm Befehl aus Geheyß der Keyserl. Maiest.*

†††† Hoc est, quod Saxones ex Diplomatibus probare contendunt. Hinc Saxo etiam, dum in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. Eberhardus Würtenbergicus de Ducatu & munere Vexilliferi inuestiretur, eidem litem mouit, LIMNÆVS *addit. ad lib. I. c. XIV. n. 33. p. 181.* Sic etiam Saxoni hoc Ius vindicat AVGVSTVS ADOLPHVS ab HAVGWITZ *de Regni & Aulæ Mareschallis cap. VII. p. 230.* Tota res redit ad Diplomata, quorum nullum adhuc in publicum fuit productum, ex historiis autem nil, nisi coniecturæ, eo quod Mareschallus equestri ordini præfuerit, deduci possunt. Ex eadem ratione etiam Mareschallo tribuitur in SPEC. SVEV. *c. CCLXXII.*

††††† Vid. DATT *Vol. nou. Rer. Germ. lib. I. c. XXI.* qui tamen ideo distinguit, quod Vexillum Imperii minus dici soleat *des Ræmischen Reichs Sturm-Fahne und Renn-Fahne*, quod tamen minus procedere, ex sequentibus patebit.

§. IX.

Alterum *Vexillum* erat *S. Georgii* equestre. Hoc Sueuis ab antiquis temporibus fuit commissum, vt in Expeditione

ne atque conflictu ſemper primi eſſent, * quem honorem bellicæ virtutis, factorumque gloria promeruerunt. Licet hoc Ius non adeo rigide ſemper fuerint proſecuti. ** Poſtea vero Franconica nobilitas controuerſiam mouit Sueuicæ, de iure geſtandi hoc Vexillum, quæ potiſſimum in Expeditione Friderici III. Imp. contra Carolum Burgundum anno 1475. inualuit, *** quæ etiam in Iuris huius conſortium fuit recepta, ita tamen, vt Sueui ſemper incipiant. ****

* LAMBERTVS SCHAFNABVRG, ad a. 1075. p. 219. *datum negotium eſt Duci Rudolpho, vt ipſe cum ſuis prima acie confligeret, peculiari ſcilicet Sueuorum priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum eſt, vt in omni Expeditione regia Teutonici ipſi exercitum præcedere, & primi committere debeant.* ALBERTVS ARGENT. ad a. 1354. p. 362. *Epiſcopus Conſtantinenſis, Ducis Cancellarius voluit, quod vexillum ſuum & omnes Sueui ſub illo, iuxta antiquum ius Sueuorum, præire deberent. Quod cum Dux nollet, ſed ſuum præire vexillum, Epiſcopus cum ſuis receſſit, nolens minuere ius Sueuorum, de quo Dux nimium eſt commotus. Gens namque Sueuorum a tempore Caroli & aliorum Principum, quod in expeditionibus primum conflictum habere debeant, viribus & virtutibus meruerant.* CONR. WENGERVS de Bello inter Venetos & Sigismundum apud FREHERVM *Tom. II. p. 450. bodieque libera Sueuia, fide & armis præpollens, in Cæſarea Expeditione, in cornu ac primo aggreſſu locum habet, & ſignum fert victoriale.* SPEC. SVEV. cap. CCLXXII. *darnach beſas der Kœnig Carl Rom, da viele der Hertzog Gerolt von Schwaben bey den erſten in Rom, und mit der Schwaben Hülff gewann der Kœnig Carl Rom, und geſiget den Rœmern an. Er leybe auch den Schwaben, wo man durch der Reichs-Noth ſtreiten ſoll, da ſollen die Schwaben vor aller Sprach den Vorſtreit haben, und ſoll ihr Hauptmann ſeyn, der Hertzog von Schwaben, iſt er da nit, ſo ſolle es ſeyn der Reichs-Marſchall.*

** In Exercitu Ottonis M. ſextam & ſeptimam legionem conſtituerunt Sueui, WITTICHINDVS *lib. III. p. 657.* In Expeditione Ioan-

nis Lucenburgici contra Henricum Boëmiæ Regem, Franci, Saxones, Thuringi, Sueui, de primo loco forte constituerunt. MVTIVS *lib. XXIII. circa med.* OBRECHT *de Vexillo Imperiali c. V.*

*** LIMNÆVS *Tom. IV. Addit. ad lib. VI. c. III. n. 57. p. 71.* MÜLLER *Friderico V. Vorst. c. LXXII. §. V.*

**** DATT *Vol. nou. lib. II. c. III. n. 93.* Vid. etiam de hoc vexillo IDEM *lib. II. c. XXXIII.*

§. X.

Tertium *Vexillum* est *Argentoratense*. Hoc autem duplex erat, vel Vexillum Ciuitatum, vel Vexillum Imperii, quæ in scriptis antiquis distinguuntur, *ihr offen Panier, und des Reichs-Panier.* * Illud Ciuitatum nomine gerebat Argentoratum, & Vexillum minoris formæ erat, quod Mariam, Iesum tenentem continet. ** Alterum vero maioris formæ, Carocium, *das Reichs-Panier* Ciuitatibus in Expeditionibus fuit commissum, prout in Expeditione Friderici III. contra Carolum Burgundum factum, licet nonnunquam etiam nobilibus commissum. Proximum vtrumque a Vexillo maiori, dicto *dem Reichs-Adler.* † Gerebant autem per alternationem Argentoratum, Colonia, Augusta Vindelicorum, Noriberga & Vlma, ita tamen, vt Argentoratum faceret initium. †† Vtrumque adhuc adseruatur Argentorati. †††

* Patet hæc differentia inter Vexilla facile ex documento quodam antiquo, quod reperitur in KÖNIGSHOVEN Chron. Alsatiæ p. 1107. *und dann ein Stadt Strasburg iewelts in allen des Heil. Reichs Zügen und Heerfahrten herbracht, ihr offen Panier* (Vexillum Ciuitatum) *by und neben den Reichs-Adler* (Vexillum maius) *zu führen, und so das Reichs-Panier* (Vexillum secundum Imperii) *den freyen Stadten, und nicht dem Adel zu führen befohlen soll werden, ein Stadt Strasburg dasselbe ie und ie zum ersten zuführen empfangen hat, und demnach ie ein Stadt umb die ander das geführt, bis das es wieder an ein Stadt Strasburg kommen &c.*

** De-

** Describitur illud in appendice ad KÖNIGSHOVEN Chronic *pag.* 1104.

† Verbis ante adductis *bey und neben des Reichs-Adler zu führen.* Et in alio Documento p. 1108. *demnach auch in andern des Heil. Reichs Heerzügen, und im Feld ievvelts einer Stadt Strasburg, Fahnen neben des Reichs-Adler vor allen Stædten gepflogen und getragen vvorden.* Patet illud etiam ex Scripto apud KÖNIGSHOVEN *p. 1105.* vbi dicitur: *ist dem Hertzogen von Sachsen das gros Panier geben vvorden, und im blieben, und sonst allen Churfürsten und Fürsten keins.* Deinde sequitur qua ratione Marchio Brandenburgicus Capitaneos Argentoratensem atque, Noribergensem fuerit adlocutus: *Lieben Ritter! die Keyserl. Maiest. vvill uf diesen heutigen Tag tun den erbern Stetten, das nie geschehen ist, und Ine ein des H. Reichs Banier geben, und das zugeordent dem genannten Herrn Sigmund, an statt der von Nürnberg, der soll das von aller Stette vvegen haben, so haben auch die Keyserl. Maiest. verschafft, das dovvieder nymands reden noch tun solle.* An vero prima vice hoc fuerit factum, dubitare me sinit, quod iam a. 1462. in proelio ad Gingam Ciuitates hoc gesserint, in quo Aquila simplex, circumpositis Ciuitatum Insignibus de quo supra §. *VIII.* Vid. & LIMNÆVS *lib. VII. c. III. n. 13.* OBRECHT *de Vexillo Imperii p 29.* MÜLLERVS *Friderico, V. Vorst. c. LXXII. §. III.*

†† Appendix ad KOENIGSHOVEN *p. 1106.* OBRECHT *p. 29.*

††† Vtriusque figura exhibetur in Appendice ad KOENIGSHOVEN *p. 1106.*

§. XI.

Præter hæc præcipua, alia adhuc erant Vexilla. Inter hæc Vexillum *das Renn-Banier.* Hoc autem Vexillum particulare saltim fuisse, patet ex constitutione Sigismundi, Noribergæ 1431. in caussa Hussitica facta. Scilicet, vniuersus Imperii exercitus diuidebatur in diuersas classes, hoc addito, quamlibet habere debere, *sine Renne-Baner.* * Ab hoc iterum distinctum Vexillum, dictum *die Sturm-Fahne* ** quod in

in motibus subitaneis, vel si contra latrones agendum, de turri suspendebatur, vt conueniant, qui præsto sunt, licet etiam hoc nonnunquam dictum fuerit *Reichs-Fahne.* *** In Expeditionibus contra Turcas locum habebat *das Baner des Heil. Creutz, und des Rœmischen Reichs.*

* Extat hæc constitutio apud SCHILTERVM *Inst. I. P. T. II. p. 33.* vbi hæc verba: *auch soll ein ieglich Here sine Renne-Baner bestellen.*

** ALBERTVS ARGENT. ad a. 1349. *conquerebantur tum ciuitates Rhenenses, quod Rupertus Dux Bauariæ haberet Castrum dictum noua Curia, distans ad vnam leucam a ciuitate Spira, in qua latitarent latrones, qui Mercatores, transeuntes publicam viam versus VVormatiam, in nemore dicto Rechholtz, despoliarent. Rex hoc audito, statim bannerium suum, quod dicitur* STVRM-FAHN, *super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit, & populo ciuitatis ad arma mandari, per Magistros ciuium præcepit: & egressus ciuitatem cum sua gente armatus, populo eum sequente cum Bannerio ante castrum prædictum, ipsum funditus destruxit.*

*** Huc facere videtur Diploma Caroli IV. concessum Eberhardo Würtenbergico & Argentoratensibus a. 1363. apud OBRECHTVM *de Vexillo Imperiali p. 22. vver das sache, das ihr auf das Feld ziehen vvürdet, gen Roubern, oder bœsen Lüten, und mit namen gen Hertzog Ruprechten von Ryn, der unser offenbarer Vynd ist, das ir denn unsere und des Reichs Banyr, von unsern und des Reichs vvegen ufvverffen mœget.* Controuersiam, quæ hac de re inter Hanoueranos & Würtenbergenses acta fuit, an Vexillum Würtenbergense solummodo tale *Sturm-Fahne*, an vero de Vexillo maiori Imperii intelligendum, nostram non facimus, hoc saltim dicimus, quod in Diplomatibus vocari soleat *des Reichs-Sturm-Fahne.* Sic Maximilianus I. dum Eberhardum Ducem faceret, ipsum an. 1495. inuestiuit: *das vvir unsere und des Reichs Sturm Fahnen empfohlen haben* & porro: *Sie sollent auch und haben Geheys, das Sie den Sturm Fahnen besiegen und bevvahren, alss man den zu recht und billig besorgen und bevvahren sol.* Prout has Litteras Inuestituræ exhibuit MÜLLERVS *Maximiliano, II. Vorst. cap. LXII. §. XII.* Dum autem

autem inueſtiretur Eberhardus, *quartum præferebatur, fuluum Vexillum, cum nigra Aquila, quod fuit Imperii Sturm Vexillum*, deſcribente IO. LINTVRIO, *Appendice ad Werneri Rolewinckii Faſciculum Temporum p. 107.* Apud LVNIGIVM *Grundfeſte p. I. p. 574.* reperitur: *Kurtze Deduction den Vnterſchied des Reichs-Haupt-Panier und des Reichs Sturm-Fahne betreffend.* Vid. de eadem cauſſa *Wechſel-Schrifften vom Reichs-Banier 1695. 4.* THVCELII *Electa I. P. Tom. I.* IO. MICH. WEINREICH *de Vexillis & Vexilliferis.*

§. XII.

Alia erant *Vexilla* Ducum *Prouincialia.* Dum quæuis prouincia ſuum haberet Vexillum ſpeciale. Tale erat Vexillum Auſtriacum & Comitatus Tyrolenſis in Bellis etiam Imperii. * Talia Vexilla prouincialia potiſſimum vſu veniebant in actibus Inueſtituræ, in quibus tot Vexilla Vaſallis præferebantur, quot poſſiderent Prouincias. Vltimum erat Vexillum rubrum, *die Blut-Fahne*, quæ Regalia denotaret. **

* ROO *Ann. Auſt. p. 27. & 121.*

** Plenius hæc patent ex NIC. MAMERANI *Hiſt. Inueſtituræ Mauritii* apud SCHARDIVM *Tomo II. p. 512.*

§. XIII.

Hodie Bellum vniuerſale Imperii non niſi Imperii conſenſu gerendum. Primus quem noui, qui ad hoc ſeſe ſpecialiter obligauerit, eſt Maximilianus I. * Huius enim temporibus Electores Statusque Imperii in Bellum Bauaricum ſub Maximiliano I. a. 1504. geſtum, conſentire noluerunt. ** In Comitiis vero Conſtantiæ an. 1507. indictis, Cæſari contra Gallos ingentia promiſerunt auxilia, noua etiam confecta fuit Matricula, quantum quisque militum quantum pecuniæ contribueret. *** In Comitiis vero Wormatienſibus an. 1509.

denegata fuerunt Cæsari contra Venetos auxilia. **** Subsequentes vero Impp. a temporibus Caroli V. per Capitulationes ***** ad consensum totius Imperii se obligant, quod etiam Pace Westphalica † fuit confirmatum, atque in viridi adhuc est obseruantia, ita vt etiam ad Bellum de Successione Hispanica in Germania gerendum, Statuum consensus Comitialis fuerit requisitus. Licet Bellum defensiuum Imp. etiam sine Statuum consensu possit gerere. †† Immo, proprio nomine Bellum gerere potest, ni Imperium eidem implicetur. Cuius exemplum præbet Bellum Italicum, quod antequam hostis Imperii declararetur Gallus, gessit Leopoldus. Licet Status in Monitis suis ad Capitulationem in hoc etiam restringere voluerint Imp. potestatem.

* Handhabung des Friedens zu Worms a. 1495. tit. V. *auch sollen VVir, und unser lieber Sohn Ertz-Hertzog Philipps, auch unser Churfürsten, Fürsten und Stænde des Reichs, ohn VVissen und VVillen iæhrlicher Versammlung, keinen Krieg oder Væhd anfahen, noch einig Bündnüs oder Einigung mit fremden Nationen oder Gewalten machen, die dem Reich zu Schaden, Nachtheil, oder zuvvieder seyn mæchten.*

** S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XX.*

*** S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XXV.*

**** S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XXX.* GOLDASTVS *Reichs-Handlung. p. 84.*

***** CAPIT. CAROLI V. *art. XI.* LEOPOLDI & IOSEPHI *art. XIII.* CAROLI VI. *art. IV. mit der Churfürsten, Fürsten und Stænde Consens, auf offenem Reichs-Tag, oder zum wenigsten der sambtlichen Churfürsten Vorwissen, Rath und Einwilligung.*

† *Art. VIII. §. II.* Hoc vberius pertractatur in *Observ. VIII. Tomi III.* OBSERV. HALENSIVM.

†† CAPIT. CAROLI VI. art. IV. *VVo wir aber des Reichs wegen angegriffen würden, mægen VVir Vns aller dem Reich unnachtheiliger Hülffe*

Hülffe gebrauchen. Facit huc CHRIST. HENRICI GRVNDGREIFFERS *Diss. de Iure Belli ac Pacis in Imperio Romano - Germanico, Giessæ 1701. 4.*

§. XIV.

Dux militiæ olim *Hauptmann* siue *Feld-Hauptmann des H. Rœm. Reichs* * dictus, hodie *General Reichs-Feld-Marschall* communi consensu Imp. & Statuum Comitiali legitur. Patet hoc exemplo Ludouici Palatini, qui decreta in Comitiis Noribergensibus a. 1441. contra Gallos Expeditione, constitutus fuit Militiæ Imperialis Præfectus. ** Contra Carolum Burgundum atque Matthiam Hungariæ Regem constitutus fuit Dux Militiæ Albertus Animosus, Dux Saxoniæ. *** Idem in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. Militiæ Imperiali contra Gallos fuit præfectus.**** In Comitiis Augustanis an. 1500. Albertus Dux Bauariæ constitutus fuit militiæ Imperialis præfectus. ***** Docet hoc recentiori tempore exemplum Electoris Brunsuico-Lüneburgensis, cui a. 1707. communi Imp. & Statuum consensu, suprema Præfectura fuit oblata. ****** Idem a. 1710. factum Eugenio Principi. ******* Nisi forsan facultas talem constituendi Imp. fuerit relicta. † Hinc etiam Imperatori & Imperio iuramentum præstare tenetur, a quo tamen Elector Brunsuico-Lüneburgensis fuit immunis. †† Reliqui ductores *die zum General-Stab gehœren*, consensu Comitiali declarantur, vtpote *General über die Cauallerie, General-Feld-Zeugmeister* &c. ††† Quod si igitur summus militiæ Præfectus fuerit lectus, mandatur singulis militiæ Ducibus subalternis, vt eiusdem Imperium adgnoscant. †††† Certum etiam ipsi, & reliquis sub eodem constitutum est Salarium, quod olim quidem mille trecentorum saltim erat florenorum, ††††† post ad 1800. vnciales extensum, quod postea plurimum fuit adauctum.

 * Plura

* Plura loca ad rem facientia adlegat IACOBVS DAVID MOEGLING, Tubingensium ICtus in erudita Dissertatione, *de Summo Militiæ Imperialis Præfecto* §. V. MÜLLER *Friderico, I. Vorst. cap. XVII.* §. *IX.*

** S. H. G. *diss. XXX.* §. *XI.*

*** S. H. G. *diss. XXX.* §. *LIV.*

**** Acta Comitialia apud DATT *lib. III. cap. XI.* §. *XLIV. demnach ist bey der K. M. und des Reichs-Stenden, zu des Reychs Obersten Hauptmann erwelt worden Hertzog Albrecht zu Sachsen.* S. H. G. *Diss. XXXI.* §. *VI.*

***** R. I. de an. 1500. Augustæ Tit. LIII. *Nachdem zu Handthabung und Vollziehung Friedens und Rechtens, auch zu Widerstand den Türcken, und andern Anfechtern der Christenheit und des H. Reichs angesehen worden, einen gemeinen verständigen Hauptmann des H. Reichs in solchen Sachen zu machen. So ist der Hochgebohrne Fürst, Albrecht, Pfaltzgraf bey Rhein, und Hertzog in Obern- und Nidern-Bayern, unser lieber Schwager, von dieser Versambung, zu einem gemeinen Hauptmann des Heil. Reichs erwehlet.*

****** Acta hac de re Comitialia reperiuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 486.* Et licet vrgente necessitate Imp. hanc Præfecturam Electori committeret, illud tamen statim in Comitiis fuit adprobatum.

******* LVNIG *p. Gen. Cont. II. Forts. p 348.*

† R. I. Ratisbonæ de an. 1542. §. 23. *Als nun aber von Churfürsten, Fürsten und gemeinen Stænden, auf iüngst zu Regenspurg gehaltenen Reichs Tage, der Kayserl. Mai. unterthæniglich ergeben und heimgestellt worden, aus etlichen damahln fürgeschlagenen Churfürsten und Fürsten, einen Obersten Feld-Hauptmann über obbemelt Kriegs Volck zu erwehlen.* R. I. Augustæ de an. 1566. §. 51.

†† Actum Iuramenti, quod Fridericus, Marchio Badensis, an. 1674. vna cum reliquis Exercitus Ducibus in Comitiis Ratisbonensibus præstitit, exhibet HAGEMEIER *de Comitiis cap. IX. p. 63. sqq.*

††† Qua ratione in Comitiis a. 1664. varii Duces militares fuerint constituti, docet nos DIARIVM EVROP. *Tom. XI. p. 81.* de an. 1712. ELECTA I. P. *Tom. V. p. 85.*

†††† LON-

†††† LONDORP *Cont. IX. lib. X. n. 35.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 496.*

††††† R. I. Ratisbonensis *de a. 1500. §. 66.* DIARIVM EVROP. *Cont. X. p. 86.*

§. XV.

Primis quidem temporibus Impp. ad Bella Imperii populos vicinos euocabant. Sic Otto M. contra Bohemos Æsicum misit cum legione Mersaburiorum ex latronibus collecta, valida manu Hassorum & exercitu Thuringorum.* Otto II. a. 991. cum magno Saxonum exercitu Slauos deuicit.** Conradus II. a. 1032. collecto Saxonum exercitu, Slauos Luititios in ordinem redegit. *** De Henrico IV. vero Imp. dicitur, quod a. 1075. repentinum & tumultuarium militem contra Vngaros collegisset. **** Anno 1173. Fridericus I. Imp. cum maximo exercitu Bauarorum, Sueuorum, Saxonum, in Poloniam proficiscitur. ***** Sub Sigismundo Imp. in Expeditionem contra Hussitas an. 1431. definitum fuit, quantum quisque Statuum militum numerum, & quem adparatum secum duceret. † In Comitiis Noribergensibus a. 1466. ad Expeditionem Turcicam Imperii nomine definita fuerunt viginti millia. †† In Comitiis a. 1467. de modo Expeditionis contra Turcas fuit actum. In Comitiis Ratisbonensibus a. 1471. decem militum millia fuerunt decreta, & quantum quisque Statuum numerum militum, quantum bellici adparatus præstaret, fuit definitum. ††† Idem factum in Comitiis Noribergensibus 1480. & 1481. †††† In Comitiis Francofurtensibus 1486. decreta fuerunt contra Matthiam Vngariæ Regem triginta quatuor Militum millia. ††††† In Comitiis Francofurtensibus an. 1489. sex millia, Friderico III. Imp. ad annum fuerunt promissa, quod vocabatur *die eylende*

de Hülfe, licet vrgente neceſſitate, etiam matricula ad triginta duo hominum millia fuerit confecta. †††††† Maximiliano I. in Comitiis Conſtantienſibus an. 1507. ex certa formula ingentia promiſſa fuerunt auxilia. ††††††† Poſt Diuiſionem Imperii in Circulos cœpit, vt ad conſtituendum Imperii Exercitum, *eine Reichs-Armee*, quiuis Circulus ſecundum Matriculam pro rata milites ſuos mitteret. Quoties igitur Bellum Imperii nomine fuerit concluſum, ſinguli Circuli deſtinatum militem tenentur præſtare. In Comitiis Wormatienſibus a. 1521. Miles Imperii ad viginti peditum, quatuor Equitum millia fuit definitus. * A temporibus Pacis Weſtphalicæ ſæpius in Comitiis de Marte Germaniæ perpetuo fuit deliberatum, ** atque per Decretum 23. Maii 1681. concluſum fuit, vt Miles perpetuus quadraginta millium ſecundum Circulos diſtributus aleretur, inter quos decem millia equitum & bis mille dimachorum. Poſt Pacem Ryswicenſem reſtitutæ deliberationes, tandemque per Concluſum Trium Collegiorum d. 17. Nouembris 1702. decretum, *** vt Pacis tempore ſemper octoginta millia militum alerentur, ſeu duplum quanti matricularis, in præſenti bello vero centum viginti millia ex quibus tertia pars equitum, quod facile ab Imp. fuit adprobatum, licet non defuerint Status, qui deſuper proteſtarentur. Hunc numerum ſinguli Circuli pro rata quanti matricularis conſtituunt, † & quod a ſingulis Statibus præſtatur, vocatur *das Reichs-Contingent*.

* S. H. G. *diſſ. XII.* §. *XV.*
** S. H. G. *diſſ. XIII.* §. *X.*
*** S. H. G. *diſſ. XIV.* §. *X.*
**** S. H. G. *diſſ. XV.* §. *XXII.*
***** S. H. G. *diſſ. XVII.* §. *XLIV.*
† S. H. G. *diſſ. XXIX.* §. *XXIII.*

†† S. H. G.

†† S. H. G. *diss. XXX. §. XL.*
††† S. H. G. *diss. XXX. §. XLII.*
†††† S. H. G. *diss. XXX. §. LIII.*
††††† MÜLLER *Friderico, IV. Vorst. cap. II.* S. H. G. *diss. XXX. §. LV.*
†††††† S. H. G. *diss. XXX. §. LIX.*
††††††† S. H. G. *diss. XXXI. §. XXV.*
* *§. 31.* Confirmatur per Rec. Noribergensem a. 1543. §. 7.
** Quid hoc in negotio in Comitiis actum, consultatumque fuerit, exponit FABRI *Staats-Cantzelley Tom. II. p. 354.* Extat in Diario Europæo Tom. IX. App. IO. BAPT. EISEN *Rathschlag und Bedencken wegen der Crayß-Hülffe zum Türcken-Krieg.* Facit huc etiam SAM. STRYKII Diss. *de Iure Militiæ Imperialis, Halæ 1699. 4.*
*** Extat in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. III. c. III. Tom. VII. p. 736.* LVNIG *p. Gen. p. 736.*
† Repartitio vt dicitur secundum Triplum quanti matricularis talis est:

	Equites	Pedites
Circulus Electoralis Rhenanus	1800	8021
Saxonicus Superior	3963	8121
Austriacus	7563	16512
Burgundicus	3963	8121
Franconicus	2940	5703
Bauaricus	2400	4479
Sueuicus	3963	8121
Rhenanus Superior	1473	8559
Westphalicus	3963	8121
Saxonicus Inferior	3963	8121
	35991	83988

§. XVI.

Præstare autem Circuli tenentur milites cum Ducibus necessariis, tormentis & reliquo apparatu bellico, cuilibet pro rata numeri sui, prout sæpius fuit decretum. * Licet etiam ad operationes bellicas tormenta sæpe a vicinis Statibus vel Ciuitatibus Imperialibus petantur. Tenentur Status ad onera belli, exinde contribuunt pro ratione quanti matricularis ad

ad certam Caſſam, quæ vocari ſolet *die Operations-Caſſe* ad procuranda ea, quæ ad expeditiones bellicas ſunt neceſſaria. Factum hoc non ſolum antiquiori tempore, dum Friderici III. & Maximiliani I. temporibus ſæpius reperiamus certas decretas fuiſſe Collectas ad onera belli, ** ſed etiam recentiori tempore Anno 1709. in Comitiis, præter decreta iamdum trecentena millia, decentena Ioachimicorum millia in ærarium militare deferenda, vna cum exercitu octoginta millium pro Circulorum rata, fuerunt deſtinata. ***

* Prout §. XVI. & XVII. diximus, quod etiam de Apparatu in Comitiis fuerit decretum. Quid in Comitiis & Conuentibus, potiſſimum Circuli Franconici atque Sueuici hoc in Negotio actum fuerit, expoſuit CASSANDER THVCELIVS *Tomo II. c. XV. ſqq.* Decretum deſuper in Comitiis an. 1704. factum, exhibet LVNIG *p. Gen. I. Contin. II. Fortſ. p. 384.*

** Prout tempore Maximiliani I. quidpiam in Comitiis Wormatienſibus a. 1495. fuit decretum ad expeditionem contra Gallos, de quo S. H. G. *diſſ. XXXI. §. VI.*

*** Extant Acta in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. c. VII.* ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. I. p. 687. 928. 1071.*

§. XVII.

Licet autem hæc ſingula Legibus Imperii probe fuerint conſtituta, ita, vt qui Status in præſtandis militibus vel oneribus ad bellum neceſſariis contumax vel negligens fuerit, banno etiam poſſit notari: * videmus tamen, ſæpius contra has Imperii Leges peccari, niſi quod contra Status minores executio locum habeat. Accedit & hoc, quod iſte numerus centum viginti millium præfinitus, ſecundum Matriculas anteriores ſit directus, quibus adhuc Circuli pro ſtatu integritatis fuerunt adſcripti, qui tamen plura ceperunt decrementa. ** Exinde mirum eſſe non poterit, cur præſenti bel-

bello, quo Circulus etiam Burgundicus excidit, haut tertia pars militis Imperii comparuerit.

* R. I. Spiræ *de a. 1542.* §. *24.* R. I. Auguſtanus primus *de a. 1559.* §. *14.*

** Quare in Propoſitione Cæſarea a. 1613. 13. Auguſti in Comitiis facta, §. zum 4. dicitur: *daß Anno 1521. in VVormbs zu dem Ræmer-Zug angeſchlagenen 4000. zu Roß und 20000. zu Fuß, nicht der halbe Theil der Zeit von den Stænden des Reichs richtig vertretten worden.*

§. XVIII.

Leges etiam & Articuli militares ab Imp. & Imperio conſtituuntur.* Quæ armis adquiruntur, ſi olim ab Imperio auulſa, in priſtinum Statum reſtituuntur, prout exempla Landauiæ atque Donawerthæ teſtantur, quæ poſt recuperationem priſtinum libertatis ſtatum adeptæ, licet nunc iterum Gallis atque Bauaris pareant: vel ſi ex fundo hoſtili adquirantur, Imperio accedunt. ** Directio belli æque a conſenſu Comitiali dependet. Hinc etiam ad conſilia belli dirigenda, certi Status ſolent deputari, obſeruata Religionis paritate, *** hoc licet plerumque Imp. ſoleat committi. ****

* R. I. Auguſtæ *de a. 1555.* §. *85.* Faciunt huc Leges Militares in Comitiis Spiræ a. 1570. promulgatæ, apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 293.*

** R. I. Spiræ *de a. 1542.* §. *38.*

*** FRITSCHIVS *Electis Iur. Publ. c. X.* CAPIT. CAROLI VI. *art. IV.*

**** R. I. Auguſtæ 1500. *Tit. LIII. ſqq.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1567* §. *33.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1598.* §. *9.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1603.* §. *9.* ELECTA IVR. PVBL. *Tom. II. p. 548.* FROMMANN *de Commiſſario Militari.*

§. XIX.

Ius delectus & Hoſpitationis militum Imperii, non a ſolo Imp. ſed accedente Conſenſu Comitiali dependent, * prout etiam in Comitiis Ratisbonenſibus a. 1640. hoſpitatio militis Cæſarei fuit decreta. ** Quare hyberna, *die Poſtirung,*

ex consultu supremi militiæ Præfecti in Comitiis solet decerni. Quod si vero exteri in Imperio delectum militum velint instituere, consensus Imp. & Statuum potissimum requiritur, in quorum Territorio delectus instituendus, data prius cautione, militem in Germania lectum minime contra Imperium agere debere, & ne per transitum Statibus grauamen adferatur. ***

* *I. P. art. VIII.* §. *2.*
** S. H. G. *diss. XXXVI.* §. *XIII.*
*** R. I. *nou.* §. *186.* CAPIT. LEOPOLDI *art. XVI.* IOSEPHI *art. XV.* CAROLI VI. *art. IV.*

§. XX.

Eadem ratione *Ius munimenta Imperii vel extruendi*, vel eadem præsidiis militaribus firmandi, iisdemque prospiciendi spectat ad Iura Comitialia. * Referuntur quoque inter munimenta Imperii vrbes munitæ limitaneæ, in Territoriis Statuum sitæ, quales contra Gallos sunt Munimentum Kehl & Philippsburgum. Habet enim Imperium in iisdem Ius præsidii, licet Territorii Iura in illo Marchioni Badensi ex Imperii Decreto de a. 1714. fuerint cessa, ** Philippsburgi vero Territorium Episcopo Spirensi manet. Sæpius tamen huc usque de prouisione atque præsidio horum Imperii Munimentorum fuit actum, an ista vniuerso Imperio, an Superioribus saltim Circulis, ad quorum potissimum faciant defensionem, competat, his sæpius conquerentibus, quod ipsis saltim hoc onus imponatur. Sic etiam de Moguntia inter Imperii Munimenta referenda fuit deliberatum. *** Caussa quoque Leodii atque Huii quibus præsidium, durante bello vltimo, Belgæ imposuerant, sæpius in Comitiis fuit agitata. ****

* I. P. art. VIII. §. *Gaudeant.* CAPIT. CAROLI VI. *art. IV.*

**Prout

** Prout Acta docent in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. VII. p. 517. 643.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IV. c. IX.*

*** Acta hac in materia exponuntur in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 876. Tom. VIII. p. 537. Tom. X. p. 37. 347.* apud FABRVM *Tom. XXV. c. XIII. Tom. XXVII. p. 682. Tom. XXVIII. p. 505.*

**** Acta hac in caussa reperiuntur in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 392. 721. Tom. VIII. p. 334. Tom. IX. p. 249. 472. 647. 938.* apud FABRVM *Tom. XXVII. c. IV.*

§. XXI.

Pacem quoque atque *Inducias* non nisi cum Statuum consensu Comitiali facit Imp. id quod per Pacem Westphalicam * & Capitulationes ** sæpius fuit confirmatum. Ante Pacem quidem Westphalicam de eo quam maxime disputabatur, an in facienda Pace concurrere debeant Status. In Comitiis Deputatorum Francofurtensibus a. 1641. Cæsar quidem haut abnuebat, vt in loco Pacis Tractatuum Statuum Legati interessent, tanquam singuli, non vero in forma Collegii, cui cum contradictum, primum Electorum, deinde Principum, demum omnium Imperii Statuum accessum admisit, atque in ipsum locum pacificationis, de quo etiam disputabatur, ita tamen, vt quoties, & cum quibuscunque vellent conuenirent, modo hoc non fieret in præsentia Cæsareorum. Inde Osnabrugæ in iisdem ædibus tria conclauia ita fuerunt destinata, vt Cæsarei Legati in vno, in altero regii, in tertio Ordinum Germaniæ Legati suos haberent conuentus & quoties opus esset, vna pars alteram, deliberandi causa, conueniret. Miserunt itaque Status Imperii certos Deputatos ad pacem Westphalicam, qui secundum tria Collegia distincti, conferrent modo cum Cæsareis, modo cum Legatis exterorum Regum atque Imperii negotiorum curam haberent. Horum itaque Consensus in singulis articulis fuit requisitus. Isti

etiam ad ſubſcriptionem atque ratihabitionem Pacis fuerunt admiſſi, ipſisque a Suecis bina exempla pacis ratihabitæ fuerunt tradita, vnum, quod nomine Imperii adſeruaret Moguntinus, alterum nomine Proteſtantium Elector Saxoniæ. *** Vocatur autem hoc *Ius Adlegandi Statuum Imperii*, quod ipſis per pacem Weſtphalicam fuit confirmatum.

* *Art. VIII.* §. *Gaudeant* verbis: *nec non vbi pax aut fœdera facienda.*

** In LEOPOLDINA quidem nihil definitum. In IOSEPHINA vero *art. XIII. Wir ſollen und wollen auch keinen Frieden, ohne Chur-Fürſten, Fürſten und Standen Zuthun und Einwilligung ſchlieſſen.* Idem repetitur CAROLINA *art. IV.*

*** De ſingulis hiſce, & quid in Pace Weſtphalica actum, plenius egerunt PFANNERVS *in hiſtoria Pacis VVeſtphalicæ*, PVFENDORF *de rebus Suecicis lib. XX. & XXI.* Auctor ARCANORVM PACIS WESTPHALICÆ. LVDEWIG *de Iure adlegandi Ordinum S. R. I.* MÜLLER *Staats-Cabinet p. VI. c. I.* & potiſſimum MEVSCHENIVS *de Concurſu Statuum Imperii circa negotium Pacis cap. III. §. XII. & ſqq.* Qui ſingula Adlegationum Iura ex Hiſtoriis atque Actis publicis plenius deduxit, & aliorum ſententiis obuiam iuit.

§. XXII.

Poſt concluſam Pacem Weſtphalicam, obtinuit hoc Ius in conuentu Noribergenſi, in quo de Pacis Executione agebatur, eundemque Norībergæ a. 1650. factum Receſſum Executionis ſubſcripſerunt * Adlegati. Circa Tractatus Pacis Nouiomagenſis in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1677. fuit concluſum, Pacis cauſſam Cæſareæ Legationi non ſolum eſſe committendam, ſed etiam ſolennem Imperii Adlegationem ad hoc negotium adornandam. Dum autem de Adlegatis inter Electores, ſibi ſolis hoc vindicantibus, & Principes non conueniret, atque Imp. declararet, ſe nihil ſine Suffragiis Sta-

Statuum in Comitiis esse conclusurum, totum negotium Imp. fuit relictum, qui demum inconsultis Ordinibus, Pacem Nouiomagensem conclusit, postea demum in Comitiis comprobatam, hoc tamen reseruato, ne vergat in praeiudicium, vel ad exemplum ducatur. **

* PVFENDORF *rer. Brand. lib. XXI.* §. *XLV. sqq.* LVDEWIG *de Iure adlegandi p. 118. sqq.*

** Extat Decretum Comitiale in ACTES ET MEMOIRES *de la Paix* de Nimegue *Tom. III. p. 532.* RECVEIL DE TRAITES DE PAIX *Tom. IV. p. 410.* LVDEWIG *p. 129. sqq.* Decretum Commissionis Caesareae apud SCHILTERVM *Tom. II. p. 39.* S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XLVI.*

§. XXIII.

Exercuerunt Status idem Ius adlegandi in Conuentu Francofurtensi de a. 1681. 1682. dum Status Imperii ex singulis Classibus Legationi Caesareae certos Deputatos adlegarent, qui cum Gallis controuersias ex Pace Westphalica residuas terminarent. * Idem Ius exercuerunt in concludendo Armistitio Vicennali Ratisbonensi an. 1684. quod insimul subscripserunt. ** Potissimum vero eadem Iura seruarunt Status in Tractatibus Pacis Ryswicensis. Definitis enim Praeliminaribus, Imp. Statibus in Comitiis denuntiauit de negotio Pacis. Statim igitur deliberarunt de adlegatione in Belgium adornanda, decretum etiam, vt quatuor ex Electoribus, quatuor & viginti ex Principibus, inter quos Deputatus Comitum Wetterauicorum, & quatuor ex Ciuitatibus Adlegationis munia obirent. Hi sufficienti mandato instructi in Belgium venerunt, ibidemque Conuentus suos, dirigente Moguntino, instituerunt. Et licet ad congressus aeque publicos Pacis admitti peterent, restiterunt tamen Legati Caesarei, dicentes, obstare hoc Caesaris auctoritati, & licet minime denegarent

congressum cum ipsis, renuerunt tamen ipsi Legati, eo quod Imp. Legatis illorum primariis debitos honores noluisset concedere. Tandem ita conuenit, vt Cæsarei Legati nihil agerent, nisi petitis primum Adlegatorum suffragiis, *** quare Emanuelem VVillium, tunc Saxoniæ Electoris Consiliarium Aulicum, instruxerunt, vt Adlegatorum nomine in Collocutionem cum Cæsareis veniret, & quæ ab his vel sermone, vel litteris accepisset, in Adlegatorum cœtu iterum exponeret. Ipsa igitur pacis formula, Adlegatorum etiam suffragiis adhibitis, fuit concepta, ipsorum monitorum, excepta clausula quarti articuli, ratio habita, ipsa quoque Pax ab Adlegatis subscripta, exceptis Protestantium quibusdam, qui ob insertam dictam clausulam, subscriptionem denegarunt. †

* Plenius de hoc Conuentu egit LVDEVVIG *p. 138.*

** LONDORPII *Acta publica Tom. XI.* LVDEVVIG *p. 149.*

*** Patet hoc etiam ex verbis Procemii Pacis Rysvvicensis, in cuius fine additur: *præsentibus, suffragantibus & consentientibus S. R. I. Electorum, Principum, & Statuum Deputatorum Plenipotentiariis.*

† Singula hæc plenius exposuit LVDEVVIG *cap. I. §. XXXVIII. & sqq.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. III. c. II.*

§. XXIV.

Circa Pacem Traiectensem plurimum in Comitiis de Iure adlegandi agebatur, * atque demum per Conclusum Commune XIII. Martii 1712. ** decernebatur, ad Pacis Tractatus ablegandos esse octo Deputatos, obseruata Religionis paritate. Ex Collegio equidem Electorali Moguntinus & Saxo. Ex Principum Collegio Austriacus, Magdeburgensis, Palatino-Neoburgicus & Bremensis. Ex Collegio Ciuitatum Augusta atque Lubeca. Licet Comites Imperii ab hac Deputatione se excludi conquererentur, atque publico scripto catione, exponerent, cur etiam sint admittendi. *** Dum autem

tem Tractatus Traiectenses parum proficerent, Adlegati in Comitiis decreti Traiectum missi haut fuerunt. Maxime dum super mandato Imperii Delegatis concedendo non conuenires, Euangelicis postulantibus, vt ad normam Pacis Westphalicæ dirigeretur, contradicentibus Catholicis, qui præsentem Statum in Ecclesiasticis seruari malebant. **** Inde XXXI. Ian. 1713. in Circulo Franconico fuit conclusum, vt Legati Circulorum Associatorum omnem lapidem mouerent, vt tanquam Fœderati admitterentur ad Congressus de Pace, nihil tamen obtinuerunt.*****

* ELECTA I. P. *Tom. III. p. 91. Tom. IV. p. 474.* FABRI *Staats-Cantzley Tom. XII. c. VIII.*

** Extat Conclusum in ELBERTIS *Tom. IV. p. 499.*

*** Extant apud FABRVM *Tom. XIV. p. 784.*

**** S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XLVII.*

***** S. H. G. *c. l.*

§. XXV.

Rastadtiensem Pacem VII. Martii 1714. subscriptam, solus equidem per Eugenium Principem tractauit Cæsar. Eandem tamen conclusam per Commissionis decretum cum Imperii Statibus XXIV. Martii communicat, vrgentem necessitatem adlegans, quod tempore tam breui, Imperii consensus non fuerit requisitus, nihil tamen sine consilio & consensu Moguntini atque Statuum potentiorum, qui Legatos suos Viennæ haberent, fuisse actum. Interim, dum hæc in exemplum non sint trahenda, postulat ab Imperii Statibus, vt vel Imp. Pacis negotium in Conuentu vniuersali Badæ instituendo, nomine Imperii committant, vel decretam iamdum Imperii Deputationem ad locum istum mittant. Catholici equidem Status Imp. integrum Pacis negotium committendum esse arbitrabantur, Euangelici vero per Votum

Com-

Commune a Magdeburgico prolatum, decretam iamdum Deputationem Imperii adornari malebant, insimul explicationem Articuli tertii ad abolendam potissimum Clausulam quarti articuli Pacis Ryswicensis, petebant. Postquam autem XXI. Aprilis caussa hæc in Principum Collegio denuo fuisset agitata, Euangelici Principes consentiebant quidem, vt Imp. Pacis negotium committeretur, ita tamen, vt rationem haberet explicationis dicti tertii Articuli secundum Pacem Westphalicam, ad abolendam clausulam quarti articuli Pacis Ryswicensis. Factum de eo XXIII. Aprilis placitum Imperii, cui non solum hæc Euangelicorum postulata inserebantur, sed etiam, vt Cæsar resarcitionem damnorum a Gallis post pacem Rastadiensem illatorum, peteret. Nouo igitur IV. Maii 1714. facto Placito, negotium Pacis Imp. quidem libere committitur, ista tamen bina Capita per Postscriptum fuerunt adiecta. Hoc igitur Imperii mandato munitus solus Cæsar, cum Gallis per legatos, Badæ egit. *

* Acta hac de in Comitiis, exhibentur *im Discurs von Reichs-Deputationen zu Frieden-Schlüssen p. 47.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIII. c. IX. XV.* S. H. G. *diss. XXXVIII. §. LI.*

§. XXVI.

Huius autem Pacis argumento, haut ita pridem FRANCISCVS CHRISTOPHORVS de MENSHENGEN, Præside BERNHARDO LVDOVICO MOLLENBECCIO de Iuribus Cæsaris circa Negotium Pacis * egit, Cæsarique præcipua circa Pacem Iura tribuit. Non equidem Statuum Concursum circa hoc Negotium denegat, sed dicit, hunc non impedire, quo minus Cæsar *aus Kayserlicher Macht und Volkommenheit* Pacem Imperii nomine concludat. Immo, solum Imp. Pacem facere posse si Reip. intersit, & res moram haut patiatur, si modo Ratihabitio-

habitio accedat, quæ instar sit consensus, id quod exemplo Pacis Nouiomagensis atque Rastadtiensis confirmat. Tertio, si conuenire inter se Collegia Statuum nequeant, decidendi Ius esse penes Cæsarem. Quarto, in publicis Pacis congressibus solos Cæsaris Legatos debere admitti. Quinto, Pacis Ratihabitionem suo & Imperii nomine a solo Cæsare fieri, ita tamen, vt postmodum etiam Ratihabitio in Comitiis sequatur. Sexto, Cæsaris esse pacis Publicationem atque Executionem. Verum, licet Cæsari Iura circa pacis congressum, ratihabitionem atque publicationem præcipua haut sint deneganda, vix tamen ipsi circa Pacis conclusionem atque executionem ex potestatis plenitudine quidpiam erit tribuendum, dum Instrumentum Pacis & Capitulationes expressis verbis contradicant, nec Pacis Nouiomagensis atque Rastadtiensis Exempla quidpiam ad rem faciant, dum Imp. ipse declarauerit, ista in Præiudicium adlegari haut debere.

* Ventilata Dissertatio fuit *Giessæ 1716.* Huic tamen abunde satisfecit IO. GERHARDVS MEVSCHENIVS *de Concursu Statuum Imperii circa negotium Pacis Ienæ 1718. 4.* Facit huc etiam Dni de RHEINBABEN *Vnvorgreiffliches Bedencken über die Concurrentz der Fürsten des Reichs bey der bevorstehenden Abhandlung des Friedens.*

§. XXVII.

Neque tamen solum adlegandi Ius ad Tractatus Pacis, ad Iura Comitialia spectat, sed etiam quarto ipsum *Ius mittendi atque recipiendi Legatos.* Sic Imp. & Statuum, siue Imperii nomine Legatio in Comitiis Augustanis an. 1275. Imperii nomine ad Ottocarum, Bohemiæ Regem fuit creta. † Ex Conuentu Ratisbonensi a. 1434. ad Casimirum, Poloniæ Regem solennis missa fuit Legatio, ad repetendas terras, quæ Teutonico Ordini fuissent ablatæ, †† in Comi-

tiis Noribergensibus a. 1444. decreta fuit Legatio ad Delphinum, Germaniam inuadentem.* In Comitiis VVormatiensibus 1495. ad Carolum VIII. Galliæ Regem Legatio fuit decreta. ** In Comitiis Friburgensibus an. 1498. decreta fuit Legatio ad Alexandrum VI. Papam. *** In Comitiis Augustanis a. 1500. decreta fuit Legatio ad eundem Papam de Annatis, Indulgentiis & Cruciatis ad bellum Turcicum adsignandis. **** Talis in Comitiis Augustanis a. 1559. ad Regem Galliæ fuit decreta, ad repetendam Metim, Tullum, Virodunum, partem etiam Episcopatus Leodiensis, quæ Germanico Imperio olim a Gallis iniuste ereptæ. ***** Talis Legatio in Comitiis Ratisbonensibus 1576. ad Magnum Moscouiæ Principem de reddenda Liuonia fuit decreta, ita, vt negotium mittendi atque instruendi personam Cæsari relictum. ****** Quandoque Legatis Imp. alii quoque a Statibus fuerunt adlegati, † licet hanc Adlegationem quam ad Gallos intendebat Fridericus III. in Comitiis Coloniensibus an. 1489. Status deprecarentur. †† Integrum tamen Imp. est in negotiis terras suas hæreditarias vel Caussas Italicas & Reseruata concernentibus, Legatos propria auctoritate mittere.

† GERH. a ROO Ann. lib. I. ad an. 1275. *ad Boëmum Legatos mitti placuit. Missi ad eum Burggrauius Noribergensis, & Henricus Basileensis Episcopus, Austriam, Stiriam & reliquas regiones, Imperii nomine repetunt, vtque intra iuris sui fines se contineat, neque contumaciter se contra Principes Cæsaremque ab ipsis electum gerat. Legati vero nondum soluto Conuentu ad Cæsarem reuersi, nihil pacati ab Ottocaro responderi nunciant.*

†† Prout patet ex MÜLLERO *Friderico, II. Vorst. c. III. §. XXXVII.*

* MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. XVII.*

** De qua MVLLER *Maximiliano II. Vorst. c. XXX. §. IV. sqq.* Talis etiam ad Heluetios decreta *c. XXVIII. §. VI.*

*** MVLLER *Maximiliano, IV. Vorst. c. XI.*

**** Patet

**** Patet hoc ex ipso Recessu *Tit. XLIV.* s. H. C. *diff. XXXI.* §. *XIII.*

***** Patet hoc ex R. I. secundario Augustæ *de a. 1559.* §. *1.*

****** R. I. Ratisbonæ *de a. 1576.* §. *107. 108. 109.*

† Prout factum dum Fridericus III. Legationem mitteret ad Concilium Basileense, tunc enim quidam à Statibus fuerunt adlegati, de quo MVLLER *Friderico, I. Vorst. c. XXIII. p. 282.*

†† MVLLER *p. VI. c. XV.* §. *IV.*

§. XXVIII.

Quod si vero in rebus Imperium concernentibus ab exteris Legati fuerint missi, Ius quidem recipiendi atque audiendi tales Legatos competit Imp. ita tamen, vt nihil cum iisdem sine consensu Comitiali possit concludere.* Quare exteri, quibus negotium est cum Imperio, suos æque Legatos habent in Comitiis, quo eo citius negotia possint peragi, prout Exemplum habemus Henrici VII. Anglorum Regis qui ad Comitia Confluentina a. 1492. Legatum suum misit.**

* MVLLER *Friderico, I. Vorst. c. XVII.* §. *VI.*

** De quo MVLLER *Maximiliano, I. Vorst. c. XXVII.*

§. XXIX.

Quæsitum etiam fuit, an Imp. sine præuio Ordinum consensu, Legatum ex Germania liceat proscribere. Exempla illud testantur Legatorum Gallorum de Grauel *& de Cressy, ** quos sine præuia cum Ordinibus communicatione a. 1674. & 1688. per Decretum speciale Imperio exire iussit Imperator. Et cum mense Augusto 1701. Legatus Burgundicus, Henricus de Neuveforge æque exire iuberetur, ipse non solum, sed etiam Bauarus Status Imperii commouere conabatur, quasi hoc illorum iuribus esset contrarium, sed nihil profecit.*** Idem a. 1702. factum Legato Gallico de Chamois **** atque a.

1704. Legato Bauarico. Neque tamen ſine diſtinctione hoc Ius Imp. competere putarem. ***** Sed de illius ſaltim Legato, de quo in Comitiis agitur, an pro hoſte Imperii ſit declarandus, maxime, cum iam decreta fere ſit Belli declaratio, licet nondum publicata. Simile mandatum Viennæ XIII. Ianuarii 1714. ad Sabaudicum Legatum Borgolo fuit transmiſſum. † Mittit autem Cæſar ad Officium Archi-Mareſchallatus Decretum, quod legato eſt inſinuandum, hoc addito, vt ſi legatus tempore præfinito exire nolit, vi armata cum ſuis educatur. Ciuitati etiam in qua Comitia habentur, idem a Cæſare mandatur, vt hoc ipſo Mareſchallum Imperii adminiculentur.

* Extat Decretum Leopoldi Imp. apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 690.*

** De hoc Acta extant apud LONDORPIVM *Tom. XIV. c. X.*

*** Extant Acta apud FABRVM *Staats-Cantzelley Tom. VI. p. 803.*

**** Extat decretum apud LÜNIGIVM *p. Gen. p. 728.*

***** LVNIG *p. Gen. p. 745.*

† Extant Acta apud FABRVM *Tom. XXIII. c. VIII.* ELECTIS I. P. *Tom. VI. p. 194.* THVCELII *Actis Publicis Tom. II. c. XI.* Decretum vero tali modo finitur: *qua de cauſa S. Caſ. Maieſtas iuſta indignatione commota decreuit, mandauitque, vt dictus Borgolo cum omnibus ſuis domeſticis intra biduum ab inſinuatione huius decreti de momento in momentum computandum Auguſta Vindelicorum abeat, ac poſtea extra Romani Imperii fines beneficio ſalui conductus eidem a S. Caſ. Mai. vt ſingulari benignitate conceſſi per Comitatum Tyrolenſem via recta & regia intra ſpatium dictis patentibus ſalui conductus inſertum ſeſe recipiat. Nouerit ita ſæpe nominatus Borgolo huic mandato Cæſareo inter tempus ſibi præfixum, morem decenter gerere, ſecus faciendo omni ſecuritate ſe priuatum & armata manu ex vrbe ac Imperio educendum.*

§. XXX.

Quintum eſt *Ius Fœderum.* Illud enim ab aliquot retro

tro Seculis obtinuit, vt in iisdem, nomine Imperii pangendis, Statuum quoque consilium requirerent Impp. licet nondum hoc adeo certum ac legibus Imperii fuerit definitum. Hinc etiam non desunt exempla, quod Impp. etiam proprio motu fœdera pangerent, prout ex fœdere Adolphi Nassouii cum Eduardo Anglo patet. * Prima, quam noui, restrictio, publica lege facta, occurrit in Constitutione Maximiliani I. de a. 1495. ** licet in eadem saltim dicatur, Imp. nullum fœdus in præiudicium Imperii esse initurum. Verum, Status Imperii eidem Maximiliano in bello contra Venetos in Comitiis Wormatiensibus 1508. auxilia denegarunt, ob fœdus cum Pontifice, Regibus Galliæ atque Hispaniæ sine ipsorum consensu conclusum. *** Inde speciatim Impp. Electores per Capitulationes † obligarunt, ne sine ipsorum vel Statuum consensu fœdus, nomine Imperii inirent, quod deinde Pace VVestphalica plenius confirmatum, & consensus Statuum Comitialis requisitus. Et licet Capitulationes Leopoldi atque Iosephi, in casibus, vbi publica vtilitas celeritatem postulet, Electorum saltim consensum Collegialem requirant, †† huic tamen Principes in Monitis suis ad Capitulationem contradixerunt, nec vllum casum excipi voluerunt. Liberum autem est Imp. prout aliis etiam Statibus, fœdera pangere cum exteris, si non vergant in præiudicium Imperii. †††

* CHRON. COLMAR. *ad a. 1296.* Vid. OBRECHTI Dissert. de Imp. Germ. fœderibus §. V. VI.

** *Handhabung des Friedens zu Worms de a. 1495. tit. V.*

*** MVTIVS *Chron. Germ. lib. XXX.*

† CAPIT. CAROLI V. *art. VII.*

†† LEOPOLDI & IOSEPHI *art. X.* CAROLI VI. *art. VI*

††† CAPIT. IOSEPHI *art. X. wann wir auch inskünfftige unserer eigenen Landen halber, einige Bündnis machen vvürden, so soll solches*

anderer Gestalt nicht geschehen, als unbeschadigt des Reichs, und nach Inhalt des Instrumenti Pacis. CAROLI VI. *art. VI.*

§. XXXI.

Sextum Ius Comitiale est. *Ius Leges Imperii vniuersales, vel Recessus cudendi.* Carolingi quidem, in Legibus vniuersalibus, quæ ad ciuilem Statum facerent, Statuum consultationem æque adhibuerunt, vt eo melius singulos obligarent, prout exemplum videmus in Lege Alemannorum, * non semper in publicis. Sic etiam Otto M. ad definiendum Ius repræsentationis, conuentum populi apud villam Stela fieri voluit. ** Transiit hic mos ad reliquos Impp. & quidem crescente indies Statuum potestate, hoc sibi sumserunt, vt in Comitiis haberent votum decisiuum, prout superiori Capite fuit adsertum. Hinc, dum Leges etiam de negotiis publicis in Comitiis fierent, facile exinde patet Statuum concursus. Omnes itaq; istæ Leges fundamentales Imperii, quas capite sexto recensuimus, Statuum consensu fuerunt latæ. Nec ipsi Impp. hanc potestatem Statibus denegarunt, vsque dum Electores Carolum V. expressis verbis obligarent, *** quod non in sequentibus solum Capitulationibus, sed etiam per Pacem Westphalicam fuit repetitum. Hinc etiam materia de Capitulatione perpetua, quia Legis vniuersalis instar esse debet, in Comitiis fuit pertractata.

* Ita enim habet procemium Legis Alemannorum: *Incipit Lex Alemannorum, quæ temporibus Chlotarii Regis vna cum Principibus suis, id sunt XXXIII. Episcopis, & XXXIV. Ducibus, & LXXII. Comitibus, vel cetero populo constituta est.*

** WITTICHINDVS *Ann. lib. II. p. 644.*

*** CAPIT. CAROLI V. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. II.* Vid. BOECLERI *Legislator Germanicus.* CAROLI VI. *art. II.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Aliud tamen est Legis vniuersalis Imperii Constitutio, aliud eiusdem promulgatio. Illa fit per modum Conuentionis inter Imp. & Status, prout superiori Capite demonstratum fuit. Hinc in procemio Recessuum: *haben wir Vns mit denen Standen, und sie wiederum mit uns verglichen.* Constitutæ vero legis promulgatio fit ab Imp. *hierauf gebiethen wir allen und ieden Churfürsten, Fürsten und Standen, und ihren Vnterthanen.* Idque ideo, quia Imp. tanquam Caput, vniuersum in promulgatione repræsentat Imperium. Et si communi Statuum nomine promulgaretur, potius dici posset conuentio, quam Lex.

§. XXXIII.

Ipsa etiam Legum Imperii declaratio spectat ad Iura Comitialia,* idque nupera Capitulatione ** etiam fuit adsertum. Et licet in R. I. Ratisbonensi de an. 1541 *** declaratio Imp. dicatur esse reseruata, specialis tamen casus erat. Loquitur enim textus de Pace Religionis Noribergæ a. 1532. decreta, quæ ad interim valeret, vsque dum in Concilio aliud quid decisum.**** Hæc vero lex fundamentalis non erat, sed conuentio potius ad Cæsaris arbitrium delata, cui etiam eiusdem declaratio relicta.

* Patet hoc ex R. I. Spir. de an: 1557. §. 7. in quo: *Wo dann künfftiglich einiger zweiffelhafftiger Verstand in der Cammer-Gerichts-Ordnung, nicht die Proceß, sondern Articulos decisiuos anlangend, oder sonst in des Heil. Ræmischen Reichs - Constitutionibus ietzunder wære, oder sich künfftiglich zutrüge, dessen sich Cammer-Richter und Beysitzer in pleno Consilio gemeinen Rechten nach, nicht vergleichen kænten, so setzen, ordnen und wollen Wir, daß sie solches an die Kayserl. Maiestat unsern lieben Bruder und Herrn, oder in Dero Abwesen, aus dem Reich, an Vns und Stande des Reichs, durch unsern*

Neuen

Neven, den Ertz-Bischoffen Churfürsten zu Mayntz &c. als Ertz-Cantzlern des Heil. Reichs, dessen Lieben Bruder sie derhalben sollen ersuchen, gelangen lassen, und darüber Erklærung und Bescheids erwarten.

** PVFENDORF *de rebus Friderici Guilielmi lib. VII.* §. *XXVI.* auctor est Instructioni Legatis Brandenburgicis datæ ad Electionem Leopoldi insertum fuisse: *Inprimis ista Capitulationi curarent inseri, ne futuro Cæsari eiusue Concilio Aulico potestas competat interpretandi Constitutiones Imperii, Sacram & Ciuilem Pacem ac Westphalicæ Pacis Instrumentum. Sed vbi circa ista dubii quid occurrat, id de Consensu Ordinum declaretur.* Neque tamen expressis verbis hoc in Capitulatione Leopoldina vel Iosephina art. II. fuit factum, verum in Carolina art. II. *viel weniger neue Ordnungen und Gesetze im Reich machen, noch allein die Interpretation der Reichs-Satzungen und Friedens-Schlusses vornehmen, sondern mit gesamter Stænde Rath und Vergleichung auf Reichs-Tagen damit verfahren.*

*** §. 18. *doch haben wir vorbehalten, über vorgemeldten Friedstand, so offt solches die Nothdurfft erfordert, iederzeit Declaration und Erlæuterung zu thun, wie wir uns solches hiermit ausdrücklich und wissendlich vorbehalten.*

**** Patet hoc etiam ex R. I. Augustano *de a. 1548.* §. 7.

§. XXXIV.

Septimum Ius Comitiale consistit in *Collectis Imperii.* Hæ in Imperio variæ sunt, vel vniuersales, quæ ab vniuerso Imperio præstandæ, *Reichs-Steuern,* vel Circulares, *Crayß-Steuern,* vel Prouinciales, *Land-Steuern.* Vniuersales de quibus hic agimus, sunt vel Ordinariæ vel Extraordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ quotannis præstandæ, & certo quanto matriculari constant, quod nunquam augetur. Quales sunt, quas singuli Status ad sustentationem Cameræ præstare tenentur, *die Cammer-Zieler* & quidem quantum matriculare Electorum hodie est quingentorum florenorum annuorum. Extraordi-

ordinariæ vero ſunt omnes Collectæ, quæ ad quascunque Imperii neceſſitates, operationes bellicas, munimenta Imperii, & horum prouiſiones, ſalaria Ducum militarium, vel alia quæuis ſunt præſtanda.

§. XXXV.

Ad has igitur Collectas vniuerſales Imperii, conſenſus requiritur Comitialis, id quod per Capitulationes non ſolum,* ſed etiam Pacem Weſtphalicam fuit definitum. Hinc, cum hanc materiam ſæpe ad Conuentus Circulares referrent Impp. de eodem conqueſti fuerunt Status, & petierunt, *ſie mit ſolcher Extraordinari Crayß-Hülffe zu verſchonen*, prout in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1497. fuit factum. ** Diſceptatum tamen ſemper fuit, an in decernendis Collectis maiora ſufficiant, an vero Conſenſus omnium requiratur. Agebatur de eodem in Tractatibus Pacis Weſtphalicæ, ſed, dum conuenire non poſſent, res ad proxima Comitia fuit reiecta. *** In Comitiis igitur Pacem inſecutis a. 1653. de eodem agi cœptum. Electoribus cum Imp. maiora placebant, quibus adſtipulabantur Catholici Principes, ea tamen conditione, vt Matricula prius in iuſtum ordinem redigeretur. Euangelici Principes diſtinguebant in Collectas voluntarias atque neceſſarias. In his omnino locum habere dicebant maiora, ſi quidem vel Leges fundamentales & Receſſus Executionis illas requirant, vel ſi alia neceſſitas immineat, quæ clara ſit & nulla ratione dubia. Quod ſi vero vel nulla, vel maxime dubia Reip. neceſſitas immineat, neminem voto ſuo alteri poſſe præiudicare, atque in tali caſu amicabilem potius compoſitionem locum habere. Ciuitates Vota vnanimia volebant. Res tamen indeciſa manſit, atque hucusque amicabilis potiſſimum compoſitio locum habuit. †

* CAPIT. LEOPOLDI *art. XVII.* IOSEPHI *art. XV.* CAROLI VI. *art. V.*

** BERTRAM *de Comitiis* §. *XV.* BVRGOLDENSIS *p. III. disc. II. n. 5.*

*** *art. V.* §. *52.*

† Latius hæc exponuntur in HERDENS *Grundveste p. III. cap. VII.* CONRING *de Comitiis* §. *LVI.* Auctor MEDIT. ad INSTR. PACIS *spec. V. p. 758. sqq.* Apud LVNIGIVM *Grundveste p. II. p. 572.* extat: *Deduction der Frey-und Reichs-Stædte daß die Pluralitas Votorum in materia Collectarum Imperii keine statt finden kænne.*

§. XXXVI.

Modus collectandi in Imperio nostro duplex fuit, vel secundum communem Denarium, vel secundum modum Expeditionis Romanæ & Quantum Matriculare. Iste modus secundum Denarium constitutus iamdum fuit in Comitiis Noribergensibus an. 1431. contra Hussitas, dum omnes in Imperio viuentes, quotquot annum ætatis XV. attigissent, sex nummos Argentoratenses, ditiores autem de florenis ducentis dimidium, & de mille florenis vnum præstarent, indulgentiis a Cardinali Iuliano concessis.* Sed, cum Bellum contra Bohemos instans, moram hanc non pateretur, loco pecuniarii istius subsidii, pro numero cuique in Matricula indicto, milites missi fuerunt. In Comitiis Ratisbonensibus an. 1471. decretum fuit, vt in sumptus Belli Turcici, quisquis prouentus annuos mille ducatorum haberet, is equitem vnum conducat, peditem, qui quingentos: cæteri proportione fortunarum ad eam summam conferrent. Cæterum, vbi de prouentibus haberi ea ratio nequeat, de capite habeatur: vt, cui mille sint aurei, quinquaginta habere in prouentibus censeatur, atque ea computatione contribuat.** Huic tamen communi Denario Ciuitates se opponebant.*** In Comitiis Rotenburgensibus a. 1474. de communi hoc Denario iterum agebatur, verum sine fructu.****

* Hæc

* Hæc ex Actis publicis declarauit DATT *lib. I. c. XXV.*
** CAMPANVS *lib. VI. ep. XIV. XXII.* FVGGER *lib. V. c. XX.* §. 5. Decretum hocce inter alia Documenta refert KVLPISIVS *p. 205.* Ipsam Matriculam exhibet MVLLERVS *Friderico, V. Vorst. c. XIV.* s. H. G. *diss. XXX.* §. *XLII.*
*** De hac Ciuitatum Protestatione LEHMANN *lib. VII. c. CXX.* MVLLER *c. l.* §. *III.*
**** LEHMANN *lib. VII. c. CXIII.* MÜLLER *c. l. c. XLVI.*

§. XXXVII.

In Comitiis VVormatiensibus a. 1495. iste Collectarum modus fuit decretus tali modo: Principes ratione redituum ad expeditionem Turcicam contribuerent, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, Ciuitates ex singulis millibus florenorum, vnum armatum equitem, vel duos pedites per annum alerent: Cæteri, Ciues potissimum ditiores ex bonis non Censualibus e 25. florenis vnum tribuerent, decimumque nummum pendere tenerentur: Opifices ad minimum quartam floreni Rhenani partem soluerent: Operarii diurna stipe victitantes octodecim nummos per annum contribuerent: Serui & seruæ de vnoquoque floreno mercedis duos nummos persoluerent: Ecclesiastici etiam iuxta modum redituum conferant.* Publicata etiam est singularis Constitutio de Communi Denario *vom gemeinen Pfennig*,** cui tamen Nobiles Immediati se subducere conabantur.*** Eundem communem Denarium in Comitiis Lindauiensibus 1496. iterum vrsit Maximilianus I.**** In Comitiis Friburgensibus an. 1498. iste iterum fuit decretus.***** In Ordinatione etiam Regimenti ****** a. 1500. decretum, vt quadringenti Parochi semper militem alerent famuli vero ac famulæ extra parochias constituti sexagesimam mercedis suæ partem soluerent. Idem communis Denarius in Comitiis Coloniensibus an. 1512. ad annum fuit de-

 cretus.

cretus. † In Comitiis Spirensibus a. 1542. constitutum fuit, vt omnes in Imperio viuentes, siue Status Imperii, siue Subditi de bonis suis de quouis centum florenorum pretio dimidium soluerent, pretium autem bonorum ex reditibus esse æstimandum, ita, vt ex quinquaginta florenis constitueretur pretium mille florenorum. †† Idem in Comitiis Spirensibus 1544. ††† & an. 1545. †††† Augustanis a. 1551. ††††† fuit constitutum. Dum autem Statibus Ius Collectandi subditos concederetur †††††† in ferendis Imperii Oneribus, cessauit sensim hic mos secundum communem Denarium, partim, vt Status Imperii hisce Oneribus plane se subducerent, partim etiam, quod reditus suos examinari propalarique nolebant.

* TRITHEMIVS *ad a. 1495.* Summam exhibet DATTIVS *lib. III. c. V.* S. H. G. *diss. XXXI.* §. *VI.*

** Extat ista in Corpore Recessuum *p. 51.*

*** Prout docet LINTVRIVS *App. ad VVern. Rolewinck p. 106. sqq.*

**** S. H. G. *diss. XXXI.* §. *IX.*

***** MÜLLER *Maximiliano, IV. Vorst. c. XLV.*

****** *Tit. XIII. von Söldneirn.*

† *p. II. §. I.*

†† §. *102. sqq.*

††† §. *27. sqq.*

†††† §. *12.*

††††† §. *102.*

†††††† Per R. I. Spirensem 1543. §. *24.*

§. XXXVIII.

Cœperunt postmodum Collectæ Imperii secundum Expeditionem Romanam, *nach denen Ræmer-Monathen.* Dum enim singuli Status in Expeditione Romana sint ad certam summam æstimati, atque in Matriculam relati, secundum ean-

eandem etiam Collectæ pecuniariæ diriguntur, pro equite enim computantur duodecim, pro pedite quatuor floreni, cuius exemplum in Receſſu Imperii Noribergenſi a. 1543. videmus.* Quoties igitur Imperii nomine certa pecuniæ ſumma requiritur, in Comitiis, vel decernitur ſimplum, *einfacher Rœmer-Monath*, vel duplum, ſextuplum, centuplum, & vltra pro neceſſitate.** Quandoque repartitio fit in Circulos, prout in pace Osnabrugenſi de ſatisfactione Suecica factum, & ſingulis Circulis ſuum quantum pro rata matriculari adſignatur.*** In ſingulis Circulis vero ſinguli Status ſuam ratam contribuunt. Primum quidem Status haſce Collectas ſecundum expeditionem Romanam ex Domaniis ſuis præſtabant, poſt ipſis poteſtas data, vt inſuper ſubditos ſuos ſubcollectarent, ita quidem, vt de mille florenis ſummæ capitalis quinque præſtentur: hoc tamen addito, ne alias nimium ab iisdem poſtularent.**** Per Receſſum Imperii vero Noribergenſem an. 1543. Statibus fuit conceſſum, vt ipſorum Domania plane eſſent exempta, atque onera Imperii ſaltim a ſubditis ſuis exigerent.***** Hodie igitur ſingulas Imperii Collectas a ſubditis ſuis petunt Status, ita, vt horum Domania plane ſint immunia. Mittendæ autem Collectæ ad certas Ciuitates ad id conſtitutas, quæ ideo dicuntur *die Legſtædte*, quales ſunt Noriberga, Auguſta, Francofurtum, Ratisbona, Lipſia &c.† Contumaces in ſoluendo puniuntur banno & pœna dupli.††

* §. 19. *So ſollen alle und iede hohes und nieders Stands Stende durchaus zween gantze Monat-Sold an groben guten Geld der Hülff nach, wie einen ieden zu Roß und Fuß in dem Wormbſiſchen Anſchlag aufferlegt, nemlich für ein Pferd zwœlff Gülden, und für ein Fuß-Knecht vier Gülden, gewißlich und endlich, ohn alles Verziehen und Ausrede, auff den funffzehenden Tag Maii in die Stadt Franckfurt am Mayn,*

Mayn, Nürnberg oder Regenspurg, welche dann einem jeden Stand die gelegenst seyn würdet, erlegen und bezahlen.

** Carolo V. ad Bellum Turcicum a Comitiis Ratisbonensibus a. 1541. decernitur: *der halbe Anschlag des Rom-Zugs* in quatuor Menses. R. I. Ratisbonae §. 44. Eidem per Recessum Noribergensem 1543. §. 7. etiam *die einfache Hülffe* decernebatur. Rudolpho II. Imp. in Comitiis Ratisbonensibus a. 1603. teste THVANO lib. CXXX. p. 1070. *quod hucusque factum non fuerat promissa LXXX. mensium Stipendia.* Augustissimo Imp. Carolo VI. ad Bellum Turcicum nuperum in Comitiis decreta fuerunt quinquagintamenstrua.

*** Prout factum, decreta in Comitiis an. 1708. Myriade, de quo apud FABRVM *Tom. XII. p. 549.* dum talis fieret Repartitio:

	Fl.	Kr.
Chur-Rhein	105654	25
Ober-Sachsen	156368	15
Oesterreich	306390	20
Burgund	156360	15
Francken	113481	25
Bayern	91261	5
Schwaben	156360	15
Ober-Rhein	101411	30
Westphalen	156360	15
Nieder-Sachsen	156360	15
	1500000 fl.	

In Comitiis hodiernis a. 1698. Talis inter Status conuenit Matricula, quae extat apud CORTREIVM *p. 186.*

Chur-

Crayſs.	zu Roſs.	zu Fuſs.	thut Monatlich	bleibet richtig
Churfürſtlicher Rheiniſcher	241	1122	7392	6912
Chur-Bœheim.	400	600	7200	7200
Oeſterreichiſcher	152	790	4984	4984
Burgundiſcher	110	554	3656	3656
Franckiſcher	255	1293	8232	8202
Bayeriſcher	222	1070	6944	6637⅓
Schwæbiſcher	373	2345	13856	13391⅓
Ober-Rheiniſcher	531	2531	16496	12873⅓
Niederlendiſch-VVeſtphal.	400	1762	11848	8116
Ober-Sachſiſcher	322	1601	10268	8076
Nieder-Sachſiſcher	359	1703	11120	8416
Summa Summarum	3376	15371	101996	88464

Licet etiam Auſtriacus & Burgundicus Circulus auxilia ſua præſtent ſeparatim, vt ideo ſimplum conſtituat 72624. fl. inter quos tamen non deſunt moroſi, & qui oneribus ſe conantur ſubducere.

**** §. 24. *Vnd dieweil ſolche Hülff von der Stænde eigen Cammer-Güthern, in Anſehung etlicher viel Vrſachen zu leiſten, beſchwerlich und unmüglich ſeyn mœcht; Iſt geordnet und zügelaſſen, daß eine iede Obrigkeit alle ihre Vnterthanen, die ſie vermœg der Rechten, und altem beſitzlichen Herkommen, zu ſteuern und zu belegen hat, auff den gemeinen Pfenning, vvie der hiebevor an dem Reich bevvilliget, doch allein derſelben Obrigkeit zu guten, oder ſonſt durch ein Steuer oder Anlag, vvie eine iede Obrigkeit für gut anſehen vvürde, anlegen und einziehen mœge, und ſoll in ſolcher Anlage niemand ausgeſchloſſen ſeyn, noch verſchont vverden. Doch ſollen die Obrigkeiten hierinn nicht anders, dann ſich von rechtsvvegen, und vvie ſie es in ruhigen Gebrauch und Herkommen haben, fürnehmen, und inſonderheit den armen gemeinen Mann, ſo viel mœglich, für andern nicht beſchvveren, ſondern nach eines ieden Vermœgen Gleichheit halten.*

***** R. I. Spiræ *de a. 1542. §. 53. 54.* R. I. Auguſtæ *de a. 1548. §. 102.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1576. §. 11.*

†R. I.

anderer Gestalt nicht geschehen, als unbeschadigt des Reichs, und nach Inhalt des Instrumenti Pacis. CAROLI VI. *art. VI.*

§. XXXI.

Sextum Ius Comitiale est. *Ius Leges Imperii vniuersales, vel Recessus cudendi.* Carolingi quidem, in Legibus vniuersalibus, quae ad ciuilem Statum facerent, Statuum consultationem aeque adhibuerunt, vt eo melius singulos obligarent, prout exemplum videmus in Lege Alemannorum, * non semper in publicis. Sic etiam Otto M. ad definiendum Ius repraesentationis, conuentum populi apud villam Stela fieri voluit. ** Transiit hic mos ad reliquos Impp. & quidem crescente indies Statuum potestate, hoc sibi sumserunt, vt in Comitiis haberent votum decisiuum, prout superiori Capite fuit adsertum. Hinc, dum Leges etiam de negotiis publicis in Comitiis fierent, facile exinde patet Statuum concursus. Omnes itaq; istae Leges fundamentales Imperii, quas capite sexto recensuimus, Statuum consensu fuerunt latae. Nec ipsi Impp. hanc potestatem Statibus denegarunt, vsque dum Electores Carolum V. expressis verbis obligarent, *** quod non in sequentibus solum Capitulationibus, sed etiam per Pacem Westphalicam fuit repetitum. Hinc etiam materia de Capitulatione perpetua, quia Legis vniuersalis instar esse debet, in Comitiis fuit pertractata.

* Ita enim habet procemium Legis Alemannorum: *Incipit Lex Alemannorum, quae temporibus Chlotarii Regis vna cum Principibus suis, id sunt XXXIII. Episcopis, & XXXIV. Ducibus, & LXXII. Comitibus, vel cetero populo constituta est.*

** WITTICHINDVS *Ann. lib. II. p. 644.*

*** CAPIT. CAROLI V. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. II.* Vid. BOECLERI *Legislator Germanicus.* CAROLI VI. *art. II.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Aliud tamen est Legis vniuersalis Imperii Constitutio, aliud eiusdem promulgatio. Illa fit per modum Conuentionis inter Imp. & Status, prout superiori Capite demonstratum fuit. Hinc in proœmio Recessuum: *haben wir Vns mit denen Standen, und sie wiederum mit uns verglichen.* Constitutæ vero legis promulgatio fit ab Imp. *hierauf gebiethen wir allen und ieden Churfürsten, Fürsten und Standen, und ihren Vnterthanen.* Idque ideo, quia Imp. tanquam Caput, vniuersum in promulgatione repræsentat Imperium. Et si communi Statuum nomine promulgaretur, potius dici posset conuentio, quam Lex.

§. XXXIII.

Ipsa etiam Legum Imperii declaratio spectat ad Iura Comitialia,* idque nupera Capitulatione ** etiam fuit adsertum. Et licet in R. I. Ratisbonensi de an. 1541 *** declaratio Imp. dicatur esse reseruata, specialis tamen casus erat. Loquitur enim textus de Pace Religionis Noribergæ a. 1532. decreta, quæ ad interim valeret, vsque dum in Concilio aliud quid decisum. **** Hæc vero lex fundamentalis non erat, sed conuentio potius ad Cæsaris arbitrium delata, cui etiam eiusdem declaratio relicta.

* Patet hoc ex R. I. Spir. de an. 1557. §. 7. in quo: *Wo dann künfftiglich einiger zweiffelhafftiger Verstand in der Cammer-Gerichts-Ordnung, nicht die Proceß, sondern Articulos decisiuos anlangend, oder sonst in des Heil. Ræmischen Reichs-Constitutionibus ietzunder wære, oder sich künfftiglich zutrüge, dessen sich Cammer-Richter und Beysitzer in pleno Consilio gemeinen Rechten nach, nicht vergleichen kœnten, so setzen, ordnen und wollen Wir, daß sie solches an die Kayserl. Maiestæt unsern lieben Bruder und Herrn, oder in Dero Abwesen, aus dem Reich, an Vns und Stande des Reichs, durch unsern*

Neuen

Neven, den Ertz-Bischoffen Churfürsten zu Mayntz &c. als Ertz-Cantzlern des Heil. Reichs, dessen Lieben Bruder sie derhalben sollen ersuchen, gelangen lassen, und darüber Erklarung und Bescheids erwarten.

** PVFENDORF *de rebus Friderici Guilielmi lib. VII.* §. *XXVI.* auctor est Instructioni Legatis Brandenburgicis datæ ad Electionem Leopoldi insertum fuisse: *Inprimis ista Capitulationi curarent inseri, ne futuro Cæsari eiusue Concilio Aulico potestas competat interpretandi Constitutiones Imperii, Sacram & Ciuilem Pacem ac Westphalicæ Pacis Instrumentum. Sed vbi circa ista dubii quid occurrat, id de Consensu Ordinum declaretur.* Neque tamen expressis verbis hoc in Capitulatione Leopoldina vel Iosephina art. II. fuit factum, verum in Carolina art. II. *viel weniger neue Ordnungen und Gesetze im Reich machen, noch allein die Interpretation der Reichs-Satzungen und Friedens-Schlusses vornehmen, sondern mit gesamter Stande Rath und Vergleichung auf Reichs-Tagen damit verfahren.*

*** §. 18. *doch haben wir vorbehalten, über vorgemeldten Friedstand, so offt solches die Nothdurfft erfordert, iederzeit Declaration und Erlauterung zu thun, wie wir uns solches hiermit ausdrücklich und wissendlich vorbehalten.*

**** Patet hoc etiam ex R. I. Augustano *de a. 1548.* §. *7.*

§. XXXIV.

Septimum Ius Comitiale consistit in *Collectis Imperii.* Hæ in Imperio variæ sunt, vel vniuersales, quæ ab vniuerso Imperio præstandæ, *Reichs-Steuern,* vel Circulares, *Crayß-Steuern,* vel Prouinciales, *Land-Steuern.* Vniuersales de quibus hic agimus, sunt vel Ordinariæ vel Extraordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ quotannis præstandæ, & certo quanto matriculari constant, quod nunquam augetur. Quales sunt, quas singuli Status ad sustentationem Cameræ præstare tenentur, *die Cammer-Zieler* & quidem quantum matriculare Electorum hodie est quingentorum florenorum annuorum. Extraordi-

ordinariæ vero sunt omnes Collectæ, quæ ad quascunque Imperii necessitates, operationes bellicas, munimenta Imperii, & horum prouisiones, salaria Ducum militarium, vel alia quæuis sunt præstanda.

§. XXXV.

Ad has igitur Collectas vniuersales Imperii, consensus requiritur Comitialis, id quod per Capitulationes non solum,* sed etiam Pacem Westphalicam fuit definitum. Hinc, cum hanc materiam sæpe ad Conuentus Circulares referrent Impp. de eodem conquesti fuerunt Status, & petierunt, *sie mit solcher Extraordinari Crayß-Hülffe zu verschonen*, prout in Comitiis Ratisbonensibus an. 1497. fuit factum. ** Disceptatum tamen semper fuit, an in decernendis Collectis maiora sufficiant, an vero Consensus omnium requiratur. Agebatur de eodem in Tractatibus Pacis Westphalicæ, sed, dum conuenire non possent, res ad proxima Comitia fuit reiecta. *** In Comitiis igitur Pacem insecutis a. 1653. de eodem agi cœptum. Electoribus cum Imp. maiora placebant, quibus adstipulabantur Catholici Principes, ea tamen conditione, vt Matricula prius in iustum ordinem redigeretur. Euangelici Principes distinguebant in Collectas voluntarias atque necessarias. In his omnino locum habere dicebant maiora, si quidem vel Leges fundamentales & Recessus Executionis illas requirant, vel si alia necessitas immineat, quæ clara sit & nulla ratione dubia. Quod si vero vel nulla, vel maxime dubia Reip. necessitas immineat, neminem voto suo alteri posse præiudicare, atque in tali casu amicabilem potius compositionem locum habere. Ciuitates Vota vnanimia volebant. Res tamen indecisa mansit, atque hucusque amicabilis potissimum compositio locum habuit. †

* CAPIT. LEOPOLDI *art. XVII.* IOSEPHI *art. XV.* CAROLI VI. *art. V.*
** BERTRAM *de Comitiis §. XV.* BVRGOLDENSIS *p. III. disc. II. n. 5.*
*** *art. V. §. 52.*
† Latius hæc exponuntur in HERDENS *Grundveste p. III. cap. VII.* CONRING *de Comitiis §. LVI.* Auctor MEDIT. ad INSTR. PACIS *spec. V. p. 758. sqq.* Apud LVNIGIVM *Grundveste p. II. p. 572.* extat: *Deduction der Frey-und Reichs-Stædte daß die Pluralitas Votorum in materia Collectarum Imperii keine statt finden kanne.*

§. XXXVI.

Modus collectandi in Imperio nostro duplex fuit, vel secundum communem Denarium, vel secundum modum Expeditionis Romanæ & Quantum Matriculare. Iste modus secundum Denarium constitutus iamdum fuit in Comitiis Noribergensibus an. 1431. contra Hussitas, dum omnes in Imperio viuentes, quotquot annum ætatis XV. attigissent, sex nummos Argentoratenses, ditiores autem de florenis ducentis dimidium, & de mille florenis vnum præstarent, indulgentiis a Cardinali Iuliano concessis.* Sed, cum Bellum contra Bohemos instans, moram hanc non pateretur, loco pecuniarii istius subsidii, pro numero cuique in Matricula indicto, milites missi fuerunt. In Comitiis Ratisbonensibus an. 1471. decretum fuit, vt in sumptus Belli Turcici, quisquis prouentus annuos mille ducatorum haberet, is equitem vnum conducat, peditem, qui quingentos: cæteri proportione fortunarum ad eam summam conferrent. Cæterum, vbi de prouentibus haberi ea ratio nequeat, de capite habeatur: vt, cui mille sint aurei, quinquaginta habere in prouentibus censeatur, atque ea computatione contribuat.** Huic tamen communi Denario Ciuitates se opponebant.*** In Comitiis Rotenburgensibus a. 1474. de communi hoc Denario iterum agebatur, verum sine fructu.****

* Hæc

* Hæc ex Actis publicis declarauit DATT *lib. I. c. XXV.*
** CAMPANVS *lib. VI. ep. XIV. XXII.* FVGGER *lib. V. c. XX.* §. 5. Decretum hocce inter alia Documenta refert KVLPISIVS *p. 205.* Ipsam Matriculam exhibet MVLLERVS *Friderico, V. Vorst. c. XIV.* S. H. G. *diss. XXX.* §. *XLII.*
*** De hac Ciuitatum Protestatione LEHMANN *lib. VII. c. CXX.* MVLLER *c. l.* §. *III.*
**** LEHMANN *lib. VII. c. CXIII.* MÜLLER *c. l. c. XLVI.*

§. XXXVII.

In Comitiis VVormatiensibus a. 1495. iste Collectarum modus fuit decretus tali modo: Principes ratione redituum ad expeditionem Turcicam contribuerent, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, Ciuitates ex singulis millibus florenorum, vnum armatum equitem, vel duos pedites per annum alerent: Cæteri, Ciues potissimum ditiores ex bonis non Censualibus e 25. florenis vnum tribuerent, decimumque nummum pendere tenerentur: Opifices ad minimum quartam floreni Rhenani partem soluerent: Operarii diurna stipe victitantes octodecim nummos per annum contribuerent: Serui & seruæ de vnoquoque floreno mercedis duos nummos persoluerent: Ecclesiastici etiam iuxta modum redituum conferant.* Publicata etiam est singularis Constitutio de Communi Denario *vom gemeinen Pfennig*,** cui tamen Nobiles Immediati se subducere conabantur.*** Eundem communem Denarium in Comitiis Lindauiensibus 1496. iterum vrsit Maximilianus I.**** In Comitiis Friburgensibus an. 1498. iste iterum fuit decretus.***** In Ordinatione etiam Regimenti ****** a. 1500. decretum, vt quadringenti Parochi semper militem alerent famuli vero ac famulæ extra parochias constituti sexagesimam mercedis suæ partem soluerent. Idem communis Denarius in Comitiis Coloniensibus an. 1512. ad annum fuit de-

cretus. † In Comitiis Spirensibus a. 1542. constitutum fuit, vt omnes in Imperio viuentes, siue Status Imperii, siue Subditi de bonis suis de quouis centum florenorum pretio dimidium soluerent, pretium autem bonorum ex reditibus esse æstimandum, ita, vt ex quinquaginta florenis constitueretur pretium mille florenorum. †† Idem in Comitiis Spirensibus 1544. ††† & an. 1545. †††† Augustanis a. 1551. ††††† fuit constitutum. Dum autem Statibus Ius Collectandi subditos concederetur †††††† in ferendis Imperii Oneribus, cessauit sensim hic mos secundum communem Denarium, partim, vt Status Imperii hisce Oneribus plane se subducerent, partim etiam, quod reditus suos examinari propalarique nolebant.

* TRITHEMIVS *ad a. 1495.* Summam exhibet DATTIVS *lib. III. c. V.* S. H. G. *diss. XXXI. §. VI.*

** Extat ista in Corpore Recessuum *p. 51.*

*** Prout docet LINTVRIVS *App. ad VVern. Rolewinck p. 106. sqq.*

**** S. H. G. *diss. XXXI. §. IX.*

***** MÜLLER *Maximiliano, IV. Vorst. c. XLV.*

****** *Tit. XIII. von Söldneirn.*

† *p. II. §. I.*

†† *§. 102. sqq.*

††† §. *27. sqq.*

†††† *§. 12.*

††††† §. *102.*

†††††† Per R. I. Spirensem 1543. §. *24.*

§. XXXVIII.

Cœperunt postmodum Collectæ Imperii secundum Expeditionem Romanam, *nach denen Ræmer-Monathen.* Dum enim singuli Status in Expeditione Romana sint ad certam summam æstimati, atque in Matriculam relati, secundum can-

eandem etiam Collectæ pecuniariæ diriguntur, pro equite enim computantur duodecim, pro pedite quatuor floreni, cuius exemplum in Recessu Imperii Noribergensi a. 1543. videmus.* Quoties igitur Imperii nomine certa pecuniæ summa requiritur, in Comitiis, vel decernitur simplum, *einfacher Ræmer-Monath*, vel duplum, sextuplum, centuplum, & vltra pro necessitate.** Quandoque repartitio fit in Circulos, prout in pace Osnabrugensi de satisfactione Suecica factum, & singulis Circulis suum quantum pro rata matriculari adsignatur.*** In singulis Circulis vero singuli Status suam ratam contribuunt. Primum quidem Status hasce Collectas secundum expeditionem Romanam ex Domaniis suis præstabant, post ipsis potestas data, vt insuper subditos suos subcollectarent, ita quidem, vt de mille florenis summæ capitalis quinque præstentur: hoc tamen addito, ne alias nimium ab iisdem postularent.**** Per Recessum Imperii vero Noribergensem an. 1543. Statibus fuit concessum, vt ipsorum Domania plane essent exempta, atque onera Imperii saltim a subditis suis exigerent.***** Hodie igitur singulas Imperii Collectas a subditis suis petunt Status, ita, vt horum Domania plane sint immunia. Mittendæ autem Collectæ ad certas Ciuitates ad id constitutas, quæ ideo dicuntur *die Leg-stædte*, quales sunt Noriberga, Augusta, Francofurtum, Ratisbona, Lipsia &c.† Contumaces in soluendo puniuntur banno & pœna dupli.††

* §. 19. *So sollen alle und iede hohes und nieders Stands Stende durchaus zween gantze Monat-Sold an groben guten Geld der Hülff nach, wie einen ieden zu Roß und Fuß in dem Wormbsischen Anschlag aufferlegt, nemlich für ein Pferd zwælff Gülden, und für ein Fuß-Knecht vier Gülden, gewißlich und endlich, ohn alles Verziehen und Ausrede, auff den funffzehenden Tag Maii in die Stadt Franckfurt am*

Mayn, Nürnberg oder Regenspurg, welche dann einem ieden Stand die gelegenst seyn würdet, erlegen und bezahlen.

** Carolo V. ad Bellum Turcicum a Comitiis Ratisbonensibus a. 1541. decernitur: *der halbe Anschlag des Rom-Zugs* in quatuor Menses. R. I. Ratisbonae §. 44. Eidem per Recessum Noribergensem 1543. §. 7. etiam *die einfache Hülffe* decernebatur. Rudolpho II. Imp. in Comitiis Ratisbonensibus a. 1603. teste THVANO lib. CXXX. p. 1070. *quod hucusque factum non fuerat promissa LXXX. mensium Stipendia.* Augustissimo Imp. Carolo VI. ad Bellum Turcicum nuperum in Comitiis decreta fuerunt quinquagintamenstrua.

*** Prout factum, decreta in Comitiis an. 1708. Myriade, de quo apud FABRVM *Tom. XII. p. 549.* dum talis fieret Repartitio:

	Fl.	Kr.
Chur-Rhein	105654	25
Ober-Sachsen	156368	15
Oesterreich	306390	20
Burgund	156360	15
Francken	113481	25
Bayern	91261	5
Schwaben	156360	15
Ober-Rhein	101411	30
Westphalen	156360	15
Nieder-Sachsen	156360	15
	1500000 fl.	

In Comitiis hodiernis a. 1698. Talis inter Status conuenit Matricula, quae extat apud CORTREIVM *p. 186.*

Chur-

Crayſs.	zu Roſs.	zu Fuſs.	thut Monatlich	bleibet richtig
Churfürſtlicher Rheiniſcher	242	1122	7392	6912
Chur-Bœheim.	400	600	7200	7200
Oeſterreichiſcher	152	790	4984	4984
Burgundiſcher	120	554	3656	3656
Franckiſcher	255	1293	8232	8202
Bayeriſcher	222	1070	6944	6637⅓
Schwæbiſcher	371	2345	13856	13391⅓
Ober-Rheiniſcher	531	2531	16496	12873⅓
Niederlendiſch-VVeſtphal.	400	1762	11848	8116
Ober-Sachſiſcher	322	1601	10268	8076
Nieder-Sachſiſcher	359	1703	11120	8416
Summa Summarum	3376	15371	101996	88464

Licet etiam Auſtriacus & Burgundicus Circulus auxilia ſua præſtent ſeparatim, vt ideo ſimplum conſtituat 72624. fl. inter quos tamen non deſunt moroſi, & qui oneribus ſe conantur ſubducere.

**** §. 24. *Vnd dieweil ſolche Hülff von der Stande eigen Cammer-Güthern, in Anſehung etlicher viel Vrſachen zu leiſten, beſchwerlich und unmüglich ſeyn mœcht; Iſt geordnet und zugelaſſen, daß eine iede Obrigkeit alle ihre Vnterthanen, die ſie vermæg der Rechten, und altem beſitzlichen Herkommen, zu ſteuern und zu belegen hat, auff den gemeinen Pfenning, vvie der hiebevor an dem Reich bevvilliget, doch allein derſelben Obrigkeit zu guten, oder ſonſt durch ein Steuer oder Anlag, vvie eine iede Obrigkeit für gut anſehen vvürde, anlegen und einziehen mæge, und ſoll in ſolcher Anlage niemand ausgeſchloſſen ſeyn, noch verſchont vverden. Doch ſollen die Obrigkeiten hierinn nicht anders, dann ſich von rechtsvvegen, und vvie ſie es in rubigen Gebrauch und Herkommen haben, fürnehmen, und inſonderheit den armen gemeinen Mann, ſo viel mæglich, für andern nicht beſchvveren, ſondern nach eines ieden Vermægen Gleichheit halten.*

***** R. I. Spiræ *de a. 1542. §. 53. 54.* R. I. Auguſtæ *de a. 1548. §. 102.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1576. §. 11.*

† R. I.

† R. I. Noribergæ *de a. 1522. §. 14.* R. I. Ratisbonæ *de a. 1613. §. 4.*
†† R. I. Augustæ *de a. 1582. §. 14.*

§. XXXIX.

Octauum Ius Comitiale consistit *in corrigendis defectibus Monetæ*, qui varii sunt. Sic Legibus Imperii definitum, ne quis, nisi qui vel ex Lege, vel Priuilegio vel Præscriptione hoc Ius adeptus, eodem vtatur, * nec alteri hoc licet locare vel vendere, ** nec nimiam copiam minutæ monetæ cudere, *** nec monetam frangere, *die Müntz-Brechen*, nec probam monetam extra Imperium exportare. † Leges etiam Imperii requirunt, vt, non nisi in locis destinatis, quæ dicuntur *Müntz-Stædte*, †† moneta cudatur, atque vt monetæ ex certa constent materia & pondere, *vom rechten Schrot und Korn.* Olim quoque requirebatur, vt singuli Status præter sua insignia, Aquilam Imperii vna cum nomine Imp. imprimi curent. ††† De his & singulis Leges non nisi in Comitiis possunt fieri, si effectum sortiri debeant vniuersalem. Licet etiam Circuli sua habeant Iura in caussa monetaria, ita tamen, vt Decreta Circulorum non nisi istos Circulos obligent. Sic etiam per R. I. Spirensem de a. 1570. definitum, vt Electores quatuor Rhenani cum Imp. Commissariis in mercatibus Francofurtensibus prouideant, ne quid vllo pacto contra Leges nummarias committatur. Idem Saxo & Brandenburgicus in suis emporiis, Cæsar in Ciuitatibus Imperialibus curet. †††† Quare etiam inter vtrosque Electores an. 1667. primum *der Zinnische Fuß* conuenit, vt Marca argenti ad decem Thaleros & dimidium, deinde 1690. *der Leipziger Fuß*, conuenit ad duodecim Thaleros ††††† Pœna eorum, qui Legibus Imperii monetariis contraueniunt, est Iuris monetandi amissio, ita tamen, vt Status Imperii possint restitui, qui ve-

vero mediati sint, illud in perpetuum amittant. †††††† In Capitulatione Carolina additur suspensio a Sessione & Voto in Comitiis, ita vt aliter non, nisi consensu Comitiali possint restitui. ††††††† Alii vero qui hoc ius plane non habent, & reprobam potissimum cudunt Monetam etiam mortis, vel graui corporis pœna possunt adfici.

* *Cap. XII. §. XXXIV.*

** *Müntz-Ordnung de a. 1559.* §. *174.* R. I. *Ratisbon. a. 1594.* §. *103.*

*** *Müntz-Ordnung* §. *32.*

† *R. I. Spiræ de a. 1570. R. I. Deputationis Francofurtensis de a. 1571.* §. II.

†† R. I. Spiræ *de a. 1570.* §. *133.* FABER *Tom. V. p. 452.*

††† *Ferdinandi Müntz-Ordnung zu Augspurg de a. 1559.* §. *10.* HORTLEDER *lib. V. c. V. n. 12.*

†††† §. *147. sqq.*

††††† Extat Conuentio Zinnensis a loco dicta, Brandenburgicæ ditionis, prope Iüterbocum, apud LVNIGIVM *p. spec. Sect. II. p. 200.*

†††††† CAPIT. IOSEPHI *art. XXXIII.* Obtinet hoc iamdum Lege antiqua. Sic enim in Recessu Herbipolitano de an. 1287. apud LEHMANNVM lib. V. c. CVIII. *Swer uff iemannes Pfenninge deheimen valsch slecht, oder hat geslagen, den soll man haben für einen Falscher. Wer auch andere Müntz machete oder slüge danne von dem Riche von alter herkommen ist, swie gevvere oder gut das were, es si an Gewürthe gemelte oder swere, den soll man für einen Valscher han, und swanne er deß mit Recht überzüget wirdt, so soll er sin Landtrecht verlorn han.*

†††††††. *art. IX.*

§. XL.

Præcipue vero constitutum, vt bis per annum in singulis Circulis per constitutos Waradinos in nouas monetas inquiratur. * Et cum ex nimia Officinarum monetalium

multitudine, *der Heken-Müntzen*, abusus monetarum proueniat, Recessu Imp. Spirensi a. 1570. constitutum, vt cudendis monetis in quouis Circulo plures quam tres vel quatuor publicæ officinæ haut constituantur. ** Hinc in Circulo Saxonico superiori, Lipsia, Berolinum, Stetinum & Saalfeldia, in Circulo Sueuico Stutgardia, Tetnanga & Augusta, *** per leges Imperii fuerunt definitæ de aliis quoque fuit deliberatum. **** Illis tamen, qui fodinas metallicas in terris suis habent, liberum est, in vrbibus suis, *den Berg-Stædten*, monetas cudere. ***** Dum autem annis aliquot præterlapsis, diuersis in locis aliis monetæ cuderentur, singulari executione Imperiali hisce Attentatis obuiam fuit itum. Sæpius etiam partim in Imperio, partim inter Circulos Correspondentes fuit deliberatum, † qua ratione conformitas in monetis Imperii possit constitui, nondum tamen inter Circulos ea de re conuenit. ††

* Müntz-Ordnung zu Augspurg *de a. 1559. §. 137.* R. I. Spiræ de a. 1570. §. 137.

** R. I. Spiræ de a. 1570. §. 133.

*** MVLLERI *Ann. Sax. ad a. 1570.*

**** Sic enim in CAPITVLATIONE CAROLINA *art. IX.* Imp. adhuc ad ista constituenda obligatur.

***** R. I. Spiræ 1570. §. 133. R. I. Ratisb. 1594. §. 103. *Es soll keinem Stand, so kein eygen Bergwerck haben, erlaubt, sondern gæntzlich verbotten seyn, seine Müntzen anderer Orten, dann in den verordneten Müntz-Stædten müntzen zu lassen.*

† GOCKEL *de Circulo Sueuico p. 41.*

†† Factum hoc iamdum a. 1559. prout IOACH. CAMERARIVS in Narratione Rer. Præcip. ad d. annum animaduertit. Vberius singula circa rem monetariam exposuerunt MELCH. GOLDASTVS *in* *Ca-*

Catholico Rei Monetariæ, qui priorum Impp. Constitutiones circa monetam multa industria congessit. DAV. THOMANNVS ab HAGELSTEIN *in Actis Publicis Monetariis*, qui varios Tractatus huc facientes, Consultationes & Decreta Imperii in vnum Corpus redegit, & HENRICVS de BVNAV *de Iure circa rem Monetariam in Germania, Lipsiæ 1716.* qui antiquitates circa ius monetandi apud Germanos multa cura indagauit. Add. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 316.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 958.* Extat apud LVNIGIVM *Grundueste p. I. p. 166. Bedencken* in caussa Monetaria. Apud FRITSCHIVM ELECTIS I P. *c. VIII.* reperiuntur Consultationes Imperii a. 1678. & 1680. factæ, atque Recessus Circuli Franconici, Bauarici & Sueuici in caussa Monetaria. Consultationes in Comitiis a. 1689. exponuntur a LONDORPIO *Tom. XVI. c. XV.* Talis etiam Consultatio in Comitiis Noribergensibus an. 1438. facta, occurrit apud WENCKERVM *Appar. Archiv. p. 357.*

§. XLI.

De Status Imperii declaratione in Bannum sæpius disceptatum fuit, an ad Iura saltim cum Electoribus communicata, an vero ad Iura Comitialia hoc Ius sit referendum, vsque dum per Capitulationem recentissimam hoc Ius ad consensum Statuum Comitialem fuerit relatum. *

* *Art. XX.* de ipso vero Imperii Banno sequenti Capite plenius agetur.

§. XLII.

Porro ad Iura Comitialia spectat, quidquid ad Politiam facit vniuersalem. Huc facit *Ius Ponderis & Mensuræ vniuersalis.* Hinc, cum Carolus V. omnia pondera & mensuras per vniuersum Imperium vellet exæquare, in Comitiis Augustanis a. 1530. * de eodem actum fuit. Sed cum conuenire

uenire cum Statibus non poſſet, negotium ad proximam Cameræ Viſitationem fuit reiectum.* In Comitiis Auguſtanis a. 1548. hac de re denuo actum fuit, ſed cum ob diuerſas in Germaniæ prouinciis menſuras, diuerſi orirentur ſcrupuli, nihil amplius perfectum fuit, quam vt mandaret Imp. curarent Status, vt in ſingulis Territoriis pondera & menſuræ certæ conſtituerentur. ** Referuntur ad Comitia deliberationes *de promouendis Commerciis*, *** *reformando Iure & Statu Opificiario.* **** Spectat huc *Reformatio Iuſtitiæ*, & quidquid facit ad emendationem Imperii Tribunalium. Ex quo facile patet, cur in Receſſu Imperii nouiſſimo tam multa fuerint definita, quæ concernunt Iudicium Camerale. † Eodem referenda eſt materia *de ſecuritate Imperii, eodemque redintegrando*, prout in Comitiis ſæpius fuit deliberatum, †† & *de moderatione Matriculæ.* ††† Ipſi quoque *Defectus Comitiales*, quæ ratione poſſint emendari, ſæpius in Comitiis fuit agitatum, †††† paruo tamen hactenus cum effectu.

* *Tit. XXX.*

** *Tit. XV.*

*** Reformatio Politica Auguſtana de a. 1548. *Tit. XV.* Plenius, quid in Puncto Commerciorum in Comitiis hodiernis fuerit actum, expoſuit HENNIGES *Medit. ad I. P. ſpec. VIII.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. II. p. 159. 323.* Extant etiam Edicta varia in negotio Commerciorum, apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 496.* De Gallorum Mercibus, qua ratione in Germania poſſint prohiberi, FRITSCHIVS ELECTIS I. P. *c. VII.* In Capitulatione Carolina *art. VII.* Imp. etiam ad promouenda Commercia, atque inhibenda Monopolia obligatur.

**** Varia, circa ſtatum Opificiarium in Comitiis agitata, propoſuit FABER *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 94. 116.* LVNIG *p. Gen. p. 551.*

Hinc

Hinc, dum Officium Lapidicinarum, *das Steinmetzen-Handwerck* Argentorati sibi iurisdictionem vindicaret in reliquos, qui in Imperio viuerent, atque *das Haupt Hütten-Gericht*, vt iura ab iisdem omnes acciperent, ideoque Lapidicinas Moguntinos citarent, factum contra hoc Attentatum fuit Conclusum Comitiale, quod exhibet *Monathlicher Staats-Spiegel Martio 1707. p. 17.*

† De hoc Capite sequenti vberius.

†† De hoc supra *c. V. §. XXVIII.*

††† Sic Elwangen, Regensburg, Isney, Eslingen, Fulda, Luttich, Augspurg in Comitiis obtinuerunt Moderationem. Vid. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 49. sqq.*

†††† De his vberius agitur in HERDENS, siue potius RVDOLPHI HEIDENI *Grundueste p. III. c. VI.* FRITSCHII *Electis Iur. Public. c. II. & VII.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. I. p. 17.* MEDIT. ad I. P. *p. 909.* Statum Comitiorum, qualis fuit sub eorundem initium, salso satis stylo pungit *Ominosa rerum series in Comitiis Ratisbonensibus gestarum*, quæ vel BECHTIO vel BALTH. VENATORI tribuitur, prout VINC. PLACCIVS *de Scriptor. Anonymis cap. V. n. 1164.* tradit. Sigillatim vero caussas, quare Secreta Comitiorum in Germania tam crebro propalentur, explicat *der Pflichtmæssige Bericht von dem Secreto Comitiali 1713. 4.* quod postea cum Additamento quodam prodiit, in quo in quorundam legatorum iniuriam quædam proferuntur; cui postmodum accessit Additamentum. Verum publica Lege & Concluso Trium Collegiorum XXII. Decembris 1713. vtrumque Scriptum fuit prohibitum & flammis per carnificem combustum, de quo etiam ELECTA I. P. *Tom. V. p. 117.*

§. XLIII.

Obtinet etiam in causis quibusdam, quæ coram summis Tribunalibus pertractantur, Recursus ad Comitia. Locum hic Recursus habet, si quæ dubia circa Interpretationem

Constitutionum ac Recessuum Imperii publicorum occurrant, aut in diiudicandis causis Ecclesiasticis vel Politicis inter partes vertentibus, ex paritate Assessorum vtriusque Religionis, postquam in pleno etiam Senatu, pari tamen semper vtrinque iudicantium numero, examinatæ fuerint, contrariæ oriantur sententiæ, Catholicis quidem in vnam, Augustanæ vero Confessionis Assessoribus in aliam abeuntibus, remittuntur ad Comitia Imperii Vniuersalia. * Immo, nec desunt Exempla, quod etiam Causæ in Iudiciis Imperii ventilatæ in Comitiis fuerint propositæ, idque etiam per Capitulationes conceditur, ** prout factum in caussa Hassiæ Landgrauii contra Busseckios *** per Grauamen. Locum etiam hic Recursus habet, vbi Iudicium Aulicum Processus decernat in caussis, quæ ad ipsius Iurisdictionem non spectant, vtpote in caussis Ecclesiasticis vel Criminalibus, prout factum, dum in causa Lotichiana Criminali Iudicium Aulicum decerneret, Episcopus Augustanus Recursum sumsit ad Comitia, ****in iisdemque 8. Maii 1714. decretum, caussam hanc ad Episcopum remitti debere. Dum autem variæ caussæ ad Comitia deferrerentur, quæ secundum casus in Pace Westphalica expressos, ad Comitia deferri non debuissent, Cæsar per Decretum Commissionis an. 1715. † in Comitiis exhibitum, se opposuit, & ne extra casus expressos Recursus fieret ad Comitia, mandauit. Nouiter etiam in celebrata ista causa Rheinsteinensi, quæ in Camera ventilatur, dum Borussiæ Rex ad Comitia recurreret, agi in eadem de interpretanda Pace Westphalica prætexens, †† facto Concluso Comitiali, negotium illud ad Tribunal Camerale fuit remissum, & quod Recursus in hac caussa locum non habeat, decretum. ††† Eadem ratione, dum Baro ab Ingelheim in pago Kirchholtzhausen Catholicam Religionem introducere cona-

retur, ideoque contra Hassiæ Landgrauium, qui contradicebat, a. 1711. Mandatum pœnale obtineret, Hassiæ Landgrauius Recursum sumsit ad Comitia. †††*

* Prout per Pacem Westphalicam *art. V. §. LVI.* fuit decretum, & ibi HENNIGES.

** CAPIT. FERDINANDI IV. *art. XLIII.* LEOPOLDI *art. XLIII.* IOSEPHI *art. XLI.* CAROLI VI. *art. XIII.* *Gestalten VVir denn auch obbemeldtem Churfürsten zu Mayntz, der Kayserlichen Proposition zu Folg, und dem Reich zum Besten, ein und andere Sachen, wie auch der klagenden Stænde Beschvverniße, vvenn auch schon dieselbe Vnsere Hauß- Reichs- Hoff- und andere Ræthe und Bediente, ihrer Art nach, betreffen, in das Churfürstliche, oder in alle Reichs-Collegia zu bringen, zu proponiren, und zur Deliberation zu stellen, kein Einhalt thun vvollen.* GERCKEN *Otio Vienna Ratisbon. c. XIV. §. III. IV.* Sic in Comitiis Ratisbonensibus 1532. Status Grauamina sua contra Consiliarios Cæsaris exhibuerunt, quod plerumque sint Itali, & quod Moguntinus Sigillum Imperii Italo contulerit, apud WENCKERVM *Appar. Archiv. p. 391.*

*** Extat hac in caussa Consilium in LVNIGII *Grundueste Tomo I. pag. 728.*

**** ELECTA IVRIS PVBLICI *Tom. VII. pag. 322. 765. 923.* Conclusum Imp. ita formatum: *Kayserliche Maiestat allermildest geruhen mœchten, nach Dero allerhœchsten Iustitz-liebenden Kayserlichen Gemüths-Eyfer, diese Criminal-Sache nach Anleitung Derer Reichs-Satzungen an das Fürstliche Hoch-Stifft Augspurg allergnædigst zu remittiren, und gehœriger Orten die allergnædigste Verfügung thun zu lassen, damit erstbesagtes Hoch-Stifft, auch in der Nachfolge andere Churfürsten und Stænde des Reichs in ihren Iuribus und Prærogatiuis nicht gekræncket, folglich mit allen vveitern Processen mœgte angehalten vverden.*

† Extat in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. IX. p. 63* Contra hoc tamen Status Euangelici an. 1716. Remonstrationem exhi-

exhibuerunt, quæ extat in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. X. p. 253.*

†† Quid in hac caussa fuerit actum, exponitur in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tomo V. pag. 474. Tom. IX. pag. 145. p. 771. Tom. X. p. 59. 366.*

††† Extat Placitum Imperii in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tomo X. pag. 515.* in quo: *So ist, nach der Sachen, und deren Vmstenden reiffer Ervvegung, dafür gehalten und geschlossen vvorden, daß obgemelte Reinsteinische Sach an das Kayserliche und Reichs-Cammer-Gericht dergestalt zu vervveisen, daß dasselbe denen Reichs-Satz und Cammer-Gerichts-Ordnung gemäß darinnen die Iustitz vorfügen solle.* Id quod etiam a Cæsare fuit confirmatum, prout patet ex ELECTIS I. P. *Tom. X. p. 788.*

†††† Acta huius Controuersiæ a parte Ingelheimensi, haut ita ita pridem sub titulo *Iuris circa Sacra* prodierunt *VVetzlariæ 1718. f.* vbi materia hæc, qua ratione Recursus locum habeat, plurimum ventilatur.



CAPVT

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM DE IVDICIIS IMPERII.

§. I.

POst Comitia, vertimus nos ad Iudicia Imperii, quæ diuersimode sunt consideranda. Primo enim considerandum est Iudicium in causis Imperatoris, secundo Iudicia in causis Statuum, tertio Iudicia ciuilia Imperii.

§. II.

Iudex Imperatoris in A. B. * dicitur Comes Palatinus Rheni, super causis, pro quibus impetitus fuerit, sicut ex consuetudine introductum dicatur, ita tamen, vt Comes Palatinus illud iudicium non alibi, præterquam in Curia Imperiali, vbi Imperator præsens extiterit, possit exercere. Dum autem ad consuetudinem antiquam prouocet Carolus IV. dispiciendum erit, vndenam hæc iura Palatino. GOLDASTVS ** quidem auctor est, hoc Ius primum Rudolpho Palatino circa an. 1250. communi Principum consensu fuisse collatum, cum tamen Speculum Sueuicum atque Saxonicum eiusdem, tanquam rei satis notæ faciant mentionem. Neque tamen a Carolingorum ætate erit petendum, cum HINCMARVS, qui munia Comitis Palatini satis aperte describit, nihil de hoc iure tradat, sed potius credendum, Impp. decrescente ipsorum potestate Monarchica, ex libera

 volun-

voluntate se huic Iudicio subiecisse. Licet plane non constet, quo tempore hoc factum, neque tamen Henrici IV. adhuc temporibus, cui multæ controuersiæ cum Statibus, vlla adhuc mentio fit huius Iudicii.

* *Tit. V. §. 3.* SÆCHSISCH LANDRECHT *lib. III. art. LIII. Wann klaget ein Mann über den Richter, so soll er antworten für dem Schultheissen. Dann der Schultheiß ist Richter seiner Schuld. Also ist auch der Pfaltzgraff über den Kayser Richter.*

** *Rationali Consilit. Imp. p. 99.*

§. III.

Scilicet, Supremus Romani Imperii Iudex erat Comes Palatinus, & cuius sententia maximæ semper habita fuit auctoritatis. * Ex quo ipsi sine dubio hoc ius iudicandi in Imp. fuit subortum. Disquirendum tamen, in quibus caussis hoc Palatini Iudicium fuerit fundatum. ** Caussæ, quæ Imp. concernunt, vel Criminales sunt, vel Ciuiles, vel Imperiales. In Criminalibus causis a nemine iudicari vnquam potuit Imp. ob maiestatem, quæ Criminali legi minime subest, *** Imperio tamen priuari poterit, consilio Principum vel Electorum. ** Sin actio ciuilis esset contra Imp. de bonis Imperii, iudicium spectabat ad iura Comitialia. In caussis vero, vbi ratione Imperii imperitur, tunc demum iudicium Palatini locum habet, vtpote si iniuriam faciat Statibus, si Vasallum stato tempore noluerit inuestire, **** si per datam pecuniam fuerit electus † & quæ sunt alia eiusmodi. Hinc etiam Fridericus III. Imp. cum Heluetorum priuilegia rata habere nollet, ad idem Iudicium Palatini prouocat. †† Fieri tamen hoc debebat in Curia Imperiali, siue in Comitiis.

* In

* In CHRON. CASINENSI *lib. IV. c. CIX.* dicitur quidam *Gualfridus Palatinus, Romani Imperii Iudex.* CHRON. LAVRISHAMENSE, sub Bennone, Abbate XXXII. *ad Imp. Henricum IV. tunc in Italia, ferme decennio turbata Republica demorantem contendit, ac per Godefridum Palatinum Rheni Comitem (cuius sententia momentum Curiæ per id tempores fuit) restitutionem obtinuit.*

** Vrbanus IV. equidem Papa in Epistola ad Richardum apud LEIBNITIVM *Cod. Diplom. Prodr. p. 14.* sic scribit: *&, si votis Principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum conuenientium, diuisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebat, vel ad prædictum Comitem Palatinum tanquam ad huiusmodi discordiæ iudicem est recursus habendus.* Neque tamen hoc Papæ testimonium fide est dignum, dum nullus Scriptorum Germanorum id adserat.

*** SPEC. SVEVICVM cap. XXIII. *dem Kœnig mag niemand an den Leib gesprechen, ihm werd das Reich verurtheilet mit der Fürsten Vrtheil, über des Kœnigs Leib, und über seine Ehre, mag niemand Vrtheil gesprechen, dann die Fürsten; und kriegt er mit iemandum Guth, oder um andere Ding, das des Reichs ist, da sollen über sprechen die Fürsten und Grafen, die Freyen und des Reichs Dienstmann.* Hinc sine ratione prouocabatur ad Iudicium Palatini in depositione Adolphi Nassouii, quem homicidii, stupri in virginem, socordiæ, negligentiæ, periurii accusabant, GOLDASTVS *Const. Imp. Tom. I. p. 315.* Sic etiam minime erat fundatum Iudicium Palatini, in caussa Alberti Imp. de quo HENRICVS STERO in Ann. ad a. 1300. *vnde iidem Principes contra ipsum Albertum conspirauerant, eligentes ipsum Rudolphum* (Palatinum) *pro Iudice & asserentes ad Comitem Palatinum pertinere, quod sit officium Palatinæ dignitatis ex quadam consuetudine, de causis cognoscere, quæ ipsi Regi mouerentur. Quare contra Regem proposuerunt, quod Dominum suum proprium, scilicet Regem Adolphum occidisset: ideo Rex esse non posset.* Idem adserit HENR. REBDORFFIVS *ad a. 1299.* Hinc etiam inter nugas reputamus, quod auctor WEICHBILDI SA-

XONICI art. VIII. adducit : *so soll man über ihn richten, und ihm das Haupt abschlahen, mit einer gülden Parten.*

**** SPEC. SVEV. cap. XX. n. 4. *der Kœnig soll mit Recht dieser Herrschafft keine in seiner Gewalt haben, Iahr und Tag: er soll sie hin leihen. Thut er das nicht, das klagen die Fürsten und ander, das ihn vvere der Pfaltzgraue vom Rhein, der ist zu recht Richter über den Kœnig: und dauon hat der Pfallentz viel Ehren.* Ius Feud. Alemann. cap. XLII. §. 8. *so die Fürsten den Kœnig vvollent beklagen, ob er vvieder recht tut, das sollent su tun vor dem Pfaltzgrauen von Ryne.*

† SPEC. SVEV. cap. XXX. *und vvird der Kœnig derselben Schuld überkumen, so ist er zu Vnrecht an dem Riche. Da soll man ihm um beklagen, vor dem Pfaltzgrafen von Rhein. Niemand mag gezevvg gesein über ihn, über die Schuld, dann d e Fürsten, sie sein geistlich oder vveltlich.* Hinc vix adsentimur LVDEWIGIO *ad A. B. pag. 586.* qui Palatini Iudicium in omnibus caussis, etiam hodie adhuc locum habere contendit.

†† GERARDVS a ROO Ann. Austr. lib. V. p. 177. *ne vero contra ac aequum esset, facere videatur, permittere ipsum, vti ad aequam iuris disceptationem Tiguri ad Calend. Febr. instituendam deueniatur, vbi ex Imperii principibus deligantur arbitri, aut si malint, coram praefecto pratorii Rhenani, vbi omnes Imperatoris causae controuersae decidi solent,* de quo MIILLER *Friderico, I. Vorst. cap. XVI. §. XXV. XXVI.* Fridericus etiam Burggrauius Noribergensis a sententia Caroli IV. dicitur adpellasse ad Rupertum Seniorem Palatinum apud LONDORPIVM *Tom. I. p. 22.* Simile Exemplum *Ruperti*, tempore Wenceslai ad idem Iudicium prouocantis, adducit SCHILTERVS *Comm. in Ius Feud. Alem. ad c. XLII. §. 28. und vvolten sie daran nit ein Genugen han, so vvollen vvir uch mit dem Rechten geinyn fur, unsern und die Riches Kurfürsten am Ryne vertreten, und denselben Rechten, in derselben maasse auch Gnüge thun.* Vid. L. B. de LYNCKER *ad A. B. p. 49.*

§. IV.

Cessat tamen hodie plane hoc iudicium Palatini, * nec Iudi-

Iudicium criminale in Imperatorem locum habet, nisi quod graues ob caussas possit deponi. ** Quod si nomine Imperii impetatur, Grauamina Comitialia Imp. exhibita locum habent, quibus vt medelam Imp. adhibeat, Status petunt. Quod si ratione prouinciarum hæreditariarum ipsi actio intendatur, coram Tribunalibus Imperii, reliquorum Statuum instar, poterit conueniri.

* Auctor quidem *des Bedenckens, ob ein Churfürst zu Pfaltz in caussis grauatoriis des Kaysers Richter seyn kænne?* apud LONDORPIVM *Tom. I. p. 21.* illud adferit, cui tamen contradicit LVDOLPH *in Schaubühne der Welt lib. X. cap. II. §. 30.*

** *cap. XIII. §. XIII. XIV.*

§. V.

Eadem quæ de Imp. diximus, etiam de Rege Romanorum intelligenda, qui Iura non ab Imp. sed per Electionem adeptus. Sunt equidem, qui contendant, * Romanorum Regem subiici Iudicio Imp. Prouocant ad exemplum Conradi, quem Henricus IV. Imp. eo quod contra ipsum rebellaret, fecit captiuum. ** Verum, Iudicium Palatini tunc nondum fuisse fundatum, diximus, atque Henricus vi patriæ potestatis Conradum capiebat, non iudicabat. Fridericus II. Henricum filium suum æque carceri mandabat, *** sed tunc maior erat Imp. Maiestas. Hodie vix credendum, Imperium esse permissurum, vt Imp. sine ipsorum consensu Iudicium exerceret in Regem Romanorum, eo quod Regi omnia Iura per Electionem sint concessa, & potestatis exercitium saltim suspendatur, ipse etiam inuito Imp. possit eligi. **** Patet hoc etiam exemplo Matthiæ, qui plane se opponebat Rudolpho II. Imperatori. ***** Augustam autem quæ Iura sua non ab Imperio sed Imperatore habet, ipsius potestati subiici, † facile concedo.

* LVDEWIG *ad A. B. p. 586.*

** S. H. G. *diss. XV. §. XLV.*

*** S. H. G. *diss. XX. §. XXI.*

**** Vide supra *cap. XIV. §. IV. VI.*

***** S. H. G. *diss. XXXIV. §. XXXVII.*

† Prouocatur equidem ad exemplum Mariæ, quam Otto III. ob Adulterium capite plecti fecerit, cui tamen ob scriptorum coæuorum silentium, fidem minime esse habendam, diximus iamdum in S. H. G. *diss. XIII. §. XVI.*

§. VI.

Alia Iudicia in caussis Statuum. Hæc vel CRIMINALIA sunt, vel Ecclesiastica, vel Feudalia, vel Ciuilia. In delictis & caussis criminalibus Statuum locum olim habebat Ius Principum, *das Fürsten-Recht.* Exemplum præbet Historia Thassilonis, Ducis Bauariæ, quem Franci, Baioarii, Longobardi & Saxones in Conuentu Ingelheimensi ad mortem condemnarunt, mitigante sententiam Carolo M. * Ludouicus Infans in Comitiis Triburiensibus a. 904. in præsentia Optimatum Regni Adalbertum condemnauit. ** Lotharius in Curia Quedlinburgensi generali Hermannum Wintzenburgensem fecit condemnari. *** Singulare exemplum reperitur in Historia Henrici Leonis, qui, cum Imp. friuole in Italia reliquisset, banno ab eodem fuit notatus, & quidem binis Comitiis datis, dum non compareret, in tertiis demum, sententia Principum Banno fuit notatus. † Otto IV. Imp. Ottonem Wittelsbachium, qui Philippum Imp. interfecerat, in Curia magna Francofurtensi ad voluntatem omnium Principum, proscriptione publica damnauit. †† Nec desunt exempla recentiora. Fridericus III. in Comitiis Ratisbonensibus 1463. Albertum fratrem proscripsit. ††† Maximilianus II. in Comitiis Augustanis de a. 1566. omnes Grumba-

chii socios & receptatores communi consensu proscripsit, †††† quod postea in Comitiis Ratisbonensibus de a. 1567. fuit renouatum. †††††

* MONACH. EGOLISMENSIS *Vita Caroli M. p. 253.* REGINO *ad a. 788.* S. H. G. *diss. VII. §. XXVII.*

** REGINO *ad a. 905.* LVITPRANDVS *lib. II. c. III.*

*** Liber de Fundatione Monasterii Gozecensis p. 235. *Annus quartus Lotharii Regis computatur, cum generalis curia Quedelinburg in Pentecoste celebratur. Hic Hermannus de Wintziburg prouinciali, honoribus, dignitatibus, principum iudicio abdicatur.*

† OTTO de S. BLASIO cap. XXIV. *Fridericus I. memor contemptus a Duce Henrico apud Clauennam sibi exhibiti, in ipsum vehementissime exarsit, & quod Italicis hostibus Reipublicæ contra Imperium faueret, vniuersis Principibus conqueritur. Dataque ei curia apud Vlmam, ipsum ad iudicium subeundum imperiali more citauit. Quo non veniente, curiam sibi secundam Ratisbonæ præfixit: quam parui pendens, tertiam nihilominus apud Herbipolim sibi datam supersedit, ibique sententia Principum, Ducatu Norico cum Saxonico & omni prædiorum & beneficiorum possessione, feudali pœna multatus, priuatur.* S. H. G. *diss. XVII. §. XLVIII.*

†† OTTO de S. BLASIO c. L. *post hoc apud castrum Noricum colloquium habens, a Bauaria in Alemanniam peruenit, ibique in Epiphania Domini apud Augustam colloquium habens, Ottonem Palatinum de VVitilinspach, nec non de Anadehse Lege Bauarica sententialiter, propter occisum Philippum proscripsit, eosque dignitatibus, beneficiis ac prædiorum suorum reditibus sine spe recuperationis iudicialiter priuauit, dignitates eorum in alios transferens, aliisque beneficia concedens, reditibus prædiorum hæredibus eorum delegatis.* S. H. G. *diss. XIX. §. XVI.*

††† GERARDVS a ROO *Ann. Austr. lib. VII. p. 240.*

†††† *R. I. Augustæ de a. 1566. §. 7. & sqq.* S. H. G. *diss. XXXIII. §. XXII.*

††††† *R. I.*

††††† *R. I. Ratisbonæ de a. 1567. §. 39.* Plura Exempla reperiuntur apud CONRINGIVM *de Iudiciis Reip. Germ.* §. *XLIX.*

§. VII.

Neque tamen in vniuerſalibus ſaltim Comitiis facta fuit condemnatio, in quibus potiores ſemper Principum partes, ſed etiam in particularibus Principum. Otto III. a. 892. ex primorum iudicio, Waltgarium capite plecti fecit.* Henricus II. Iudicio Principum Merſeburgi Guncelinum Marchionem iudicauit.** Sic Henricus III. Conradum, Baioariæ Ducem, cui iam prius infenſus erat, incuſatum quorundam Principum iudicio, Ducatu priuauit.*** Sic Saxones ab Henrico poſtulabant, vt Duces eorum ſecundum Leges Palatinas, iuſta examinatione habita, vel puniat convictos, vel abſoluat innocentes, vt quauis conditione, quam modo cæteri Principes regni æquam iudicaſſent, crimen refellerent, & innocentiam ſuam aſſererent. **** Henricus V. Henricum Lotharingiæ Ducem, Bonnæ, iudicio optimatum, reum maieſtatis & hoſtem reipublicæ, Ducatu priuauit. ***** Henricus Superbus a Conrado III. Imp. iudicio quorundam Principum proſcriptus, ac Goslariæ Ducatus ipſi fuit abiudicatus. ****** Sic Ottocarus Bohemiæ Rex & Henricus Bauarus ex Principum ſententia hoſtes Imperii fuerunt declarati. ******* Fridericus III. Fridericum Palatinum, quod regalia a Cæſare accipere neglexiſſet, in Principum Senatu an. 1474 proſcripſit.† Idem Imp. conſenſu Electorum & Principum in Comitiis Colonienſibus an. 1475. Gerhardum Iuliacenſem Banno notauit. †† Moris autem potiſſimum erat, vt condemnarentur illorum Principum ſententia, ex quorum ſanguine erant oriundi. Hinc ſub Henrico IV. Otto Dux Baioariorum ex Principum Saxoniæ ſententia Goslariæ reus maieſta-

iestatis fuit iudicatus. ††† Quare etiam Henricus Leo iniuste de se iudicatum fuisse adfirmabat, dicens, se de Sueuia oriundum, & nullum proscriptione posse damnari, non conuentum in terra natiuitatis suæ. ††††

* REGINO ad a. 892. *deinde omnibus primoribus, qui tunc ibi aderant, diiudicantibus, eundem Waltgarium decollari iussit, eo quod in conuentu publico contra regem & dominum suum gladium euaginasset.*

** DITMARVS *lib. IV. p. 388.*

*** HERM. CONTRACTVS *ad a. 1013.*

**** LAMB. SCHAFNAB. *p. 217.* AVCTOR VITÆ HENRICI *sub initium*, de Henrico IV. *quos assuetos sceleri, per edictum coercere non potuit, per censuram Legis & Ius Curiæ mitius tamen, quam culpa exigeret, correxit.* BRVNO Hist. B. Saxonici p. 190. *miserat Henricus Legatos ad Saxones, vt illi quosdam Principes traderent, qui responderunt: vt ipsi ei hac conditione præsentarentur, quatenus sub vtrorumque Principum iudicio starent, vt eos illorum sententia vel conuictos damnaret, vel innoxios Regis gratiæ cum tota Saxonum gente conciliaret.*

***** CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1106.*

****** CONRADVS VRSPERG. *ad a. 1139.* S. H. G. *diss. XVII. §. II.*

******* GERARDVS a ROO *Ann. Austr. lib. I. p. 22.*

† GERARDVS a ROO *lib. VIII. p. 276.*

†† MÜLLER *Friderico, V. Vorst. c. LXX.*

††† LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1070. *postera die rex principes Saxoniæ, quod ex his oriundus esset, & hi propter priuatas inimicitias maxime inuisum eum haberent, sententiam super eo rogauit: qui eum tanquam manifesti criminis deprehensum, reum maiestatis iudicauerunt, & si caperetur, capitali in eum sententia animaduertendum fore decreuerunt.* De eodem Henrico, postquam Welfo Bauariæ Ducatum contulisset LAMB. SCHAFNAB. ad a. 1071. *Nouerat Rex haud satis placiturum principibus Baioariæ, quod hoc tam contra morem & Ius, tam ipsis inconsultis factum fuisset, & propterea quantocius ire in Baioariam cogitabat, vt tumultum si quis forte oriretur, per seipsum reprimeret.*

†††† ARNOLDVS LVBEC. lib. II. c. XXIV. S. H. G. *diss. XVII.* §. *XLVIII.* sed pluribus de hac materia IO. GROENING *de Iure Principum* & SCHOTTELIVS *von unterschiedenen Rechten in Teutschland cap. V.*

§. VIII.

Duplex autem hodie est ratio, vel enim Principes contra Imp. & Imperium deliquerunt, vel delicta quæuis commiserunt. Priori casu iudicium Banni locum habet. Quod si Princeps vel Status Imperii Pacis fractæ publicæ vel religiosæ sit reus, vel alias contra Leges Imperii deliquerit, BANNO notatur, * quod vocatur *die Reichs-Acht, Reichs-Vngnade.* Ad fractam Pacem publicam autem *zum Land-Fried-Bruch* tria potissimum concurrere debent, vt vis illata sit atrox, fiat armata manu, atque ex proposito & dolo. Quæ singula in turbis Bauaricis in Circulo Sueuico nuper concurrebant. Fridericus quidem Barbarossa, qui Maiestatem Imperii conseruare nouerat, solus Ottonem Palatinum videtur proscripsisse. ** Sic etiam Rupertus Imp. Aquisgranensem Ciuitatem, eo quod ipsum recipere noluisset, per Aulæ Imperialis Iudicem a. 1402. fecit Banno notari. *** Eadem ratione Fridericus III. Imp. Ratisbonam, eo quod Alberto Bauaro se subiecisset, per sententiam Iudicii Aulici a. 1492. banno notauit. **** Carolus V. Io. Fridericum Electorem, atque Hassiæ Landgrauium, Philippum, irrequisito Statuum consensu, banno notauit. ***** Rudolphus II. a. 1406. Donawertensem Vrbem solus banno notauit. ****** Exemplum eiusdem secutus Ferdinandus II. dum a. 1621. Fridericum Palatinum, Christianum Anhaltinum, Io. Georgium Brandenburgicum, Georgium Fridericum, Comitem de Hohenlohe, irrequisito Statuum vel Electorum consensu, banno notaret, † de quo potissimum conquesti fuerunt Elector Saxoniæ atque Brandenbur-

burgicus, eandem banni declarationem habentes pro illegitima. †† Ex hinc in Tractatibus Pacis VVestphalicæ de modo declarandi Statum Imperii in Bannum fuit deliberatum: dum autem nihil concludi posset, res ad proxima Comitia fuit reiecta, ††† sed per R. I. nouissimum denuo prorogata. ††††

* KOEN. LANDFRIEDE ZV WORMS *de a. 1485. tit. III.* ORDIN. PACIS PROFANÆ *Wormatia de a. 1521. tit. III.*

** OTTO FRISING. de G. Friderici lib. I. c. LXIII. *Post hac Palatino Comite Ottone ob filiorum suorum excessus proscripto, vicinum eius castrum Chelcheim dictum, rapido Danubii fluminis ambitu clausum, obsidione cingit, eumque ad hoc vt vnum filiorum suorum obsidem daret, coegit.*

*** Extat sententia Banni in APPARATV IVRIS PVBL. *p. 104.* quam publicauit: *VVir Engelhart, Herr zu VVinsperg, des alredurchleuchtigisten Fürsten und Herrn, Hern Ruprecht, von Goitz gnaiden Roimpschen Kunigs zo allen ziten merers des Richs Hoff-Richter.* Et sententia lata esse dicitur: *vor uns in des Heiligen Richs Rechte und Hof-Gerichte.*

**** Prout MÜLLERVS *Maximiliano, I. Vorst. c. XXI.* ex Actis publicis demonstrauit, & quidem sententia dicitur lata: *vor dem Kayserlichen Cammer-Gericht*, quo nomine tunc Iudicium Aulicum venire solebat.

***** HORTLEDER *lib. III. cap. XVI.* S. H. G. *diss. XXXII.* §. *LXXI.*

****** Vid. *Beständige Information Facti & Iuris, wie es mit dem am Kayserl. Hof wieder des Heil. Röm. Reichs Stadt Donawerth ausgangenen Processen, und darauf vorgenommener Execution, im Grund der Warheit beschaffen sey, 1611.* LVDOLPHS *Schaubühne lib. VII. cap. II.* Vide supra *c. V.* §. *XX.*

† Extat Declaratio Banni apud LONDORPIVM *Tomo II. lib. VI. c. I. & II.* S. H. G. *diss. XXXV.* §. *XIV.*

†† Extat apud LONDORPIVM *Tom. II. lib. VI. cap. V.* Declaratio nullitatum in caussa declarationis in Bannum Palatini, quibus illa diuersis Exemplis atque rationibus pro illegitima declaratur. BVRGOLDENSIS *p. III. disc. VI.* LVDOLPHS *Schaubühne lib. XXIII. c. II.*

††† I. P. *art. VIII.* §. 3.

†††† §. 102.

§. IX.

Dum autem in Capitulatione Caroli V. * saltim contineretur, ne Status sine præuia caussæ cognitione in Bannum declararetur, in Capitulatione Ferdinandi III. ** fuit insertum, ne fiat sine consilio & consensu Electorum *ohne Vorwissen, Rath und Verwilligung des Heil. Reichs Churfürsten.* Id quod etiam in posterioribus Capitulationibus *** fuit repetitum. Hinc sibi saltim cum Imp. hoc Ius vindicarunt Electores. Cum igitur die 27. Aprilis 1706. Iosephus Imp. Bauarum banno notaret, **** atque Coloniensem feudis suis priuaret, adhibito saltim consilio Electorum, desuper protestati fuerunt quidam Principes, vtpote Reges Sueciæ atque Daniæ, ratione Prouinciarum Germaniæ, Duces, Saxo-Gothanus, Isenacensis, Brunsuicensis, Würtenbergensis, Mecklenburgensis, Landgrauii, Hasso-Cassellanus & Darmstadtiensis, exhibita desuper Aulæ Imperatoriæ d. 17. Ianuarii 1707. Protestatione. † Potissimum caussæ suæ fundamentum in eo ponebant, quod in omnibus caussis maioribus consensus Statuum Comitialis requiratur, ipsique Impp. se obligent, se nullos Status a Sessione & Voto esse suspensuros, nisi cum communi Statuum consensu. †† Quibus tamen ab Imp. fuit responsum, se per Capitulationem in declaratione Status in bannum ad consensum Electorum esse adstrictum, quod si tamen communi consensu aliud quid decernatur, se facile esse adsensurum. ††† Necessarium itaque esse, vt consultationes de eodem inter vtrumque Collegium iterum adsumantur. Demum per Capitulationem Carolinam †††† idem Ius declarandi Statum in Bannum ad consensum Statuum

tuum

tuum Comitialem fuit remissum, atque modus fuit præscriptus, qua ratione circa Bannum debeat procedi.

* Art. XXII. *wir sollen und wollen auch fürkommen, und keines weges gestatten, das nun hinführo hoch und nieders Stands, Churfürsten, Fürsten, oder andere, ohne Vrsach, auch unverhært, in die Acht oder Oberacht gethan, bracht und erklahret werden, sondern in solchen ordentlichen Proceß, und des Heil. Ræm. Reichs vorausgerichte Satzungen, in dem gehalten und vollzogen werden.*

** *art. XXX.*

*** LEOPOLDI *art. XXVIII.* IOSEPHI *art. XXVII.*

**** Extat Conclusum Collegii Electoralis & publicatio banni in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XI. c. XI.* apud LÜNIGIUM *p. Gen. Cont. II. Forts. p. 304.*

† Reperitur ista in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. c. XI. & Tom. XIV. c. V.* ELECT. I. P. *Tom. I. p. 591.*

†† CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. III.*

††† FABER *c. l.* MONATHLICHER STAATS-SPIEGEL *Iulio 1707. p. 33.*

†††† *art. XX. absonderlich aber auch darauf halten, daß hinführo niemand hohen oder niedern Standes, Churfürst, Fürst oder Stand, oder anderer ohne rechtmæßig und genugsame Vrsach, auch ungehært und ohne Vorwissen Rath und Bewilligung des Heiligen Reichs Churfürsten, Fürsten und Stænde in die Acht oder Ober-Acht gethan, gebracht, und erklaret, sondern in denen künfftigen Casibus, darinn nach Beschaffenheit des Verbrechens, auf die Acht oder Priuation entweder vom Kayserl. Fiscal-Ambts wegen, oder auf Anruffen des lædirten und klagenden Theils, zu procediren und in Rechten zu verfahren, und darüber Wir entweder an dem Reichs-Hoffrath, oder Vnserm und des Reichs Cammer Gericht pro administratione Iustitiæ angeruffen, und imploriret worden, zu færdernist in Decretirung oder Auslassung derer auf die Reichs-Acht oder Priuation gebetenen Ladungen und Mandaten, so dann in der Sachen weitern Ausführung biß zum Beschluß, auf des Heil. Reichs hierüber vorhin gefaste Gesetze, und Cammer-Gerichts-Ordnung genau und sorgfaltige Achtung geben, damit der Angeklagte nicht præcipitiret, sondern in seiner habenden rechtmæssigen*

ſigen Defenſion, der Nothdurfft nach, angehœret werde. Wann es dann zum Schluß der Sachen kommet; So ſollen die ergangenen Acta auf œffentlichen Reichs-Tag gebracht, durch gevviſſe abſonderlich hierzu vereydete Stande (den Pralaten- und Graffen-Standt mit eingeſchloſſen,) aus allen dreyen Reichs-Collegiis, in gleicher Anzahl der Religionen examiniret und überleget, deren Gutachten an geſamte Churfürſten, Fürſten und Stande referiret, von denen der endliche Schluſs gefaſſet, und das alſo verglichene Vrtheil, nachdem es von Vns oder Vnſern Commiſſario gleichfalls approbiret, in Vnſern Nahmen publiciret auch die Execution, ſo vvohl in dieſem als andern Fallen, anderſt nicht, als nach Inhalt der Executions-Ordnung, durch den Creyſs, darinnen der Æchter geſeſſen und angehœrig, fürgenommen und vollzogen vverden.

§. X.

Banno notari poſſunt omnes, ſiue Status Imperii ſint, ſiue non. Videmus enim in hiſtoriis Grumbachium * ob Attentata contra Herbipolitanos, Lutherum in Comitiis Wormatienſibus 1521. quoque banno Imperii fuiſſe notatos. ** Hinc præfecti militum, qui ſine conſenſu, militum delectum inſtituunt, & periuri banno ex Lege Imperii notari debent, *** Vniuerſitates etiam, prout exemplum Donawerthæ a. 1606. **** Bremæ a. 1652. ***** atque Erfurti 1662. † demonſtrant. Immunes tamen a banno ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, eo quod in perſonalibus immunes ſint a iurisdictione Imperatoris & Imperii. Epiſcopi itaque & Prælati terris ſuis, iuribus ſecularibus & regalibus priuantur, prout Exemplum Ioſephi Clementis Electoris Colonienſis, teſtatur, qui Electorali dignitate & terris fuit priuatus, †† iure tamen Archi-Epiſcopali ſemper fuit gauiſus. Hinc contra eosdem ſaltim ſententia Priuationis decernitur. ††† Quod ſi vero perſonæ Eccleſiaſticæ ſint mediatæ, actio ciuilis contra

tra

tra eosdem coram Superioribus suis locum habet ad damna resarcienda.

* R. I. *Augustæ de a. 1566. §. 7. Ratisbonæ de a. 1567. §. 45.*

** SLEIDANVS *lib. III. ineunte.* S. H. G. *diss. XXXII. §. XIV.*

*** R. I. *Treuir. & Colon. pars prima de a. 1512. §. 6. R. I. Ratisbonæ de a. 1594. §. 35.*

**** S. H. G. *diss. XXXIV. §. XXVIII.*

***** HAPPELII *Historia mod. Eur. p. 243.* S. H. G. *diss. XXXVI. §. XLI.*

† HAPPELIVS *p. 655. Vita Leopoldi pag. 478.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. XIII.*

†† Patet hoc ex actu declarationis Iosephi apud FABRVM Tom. XI. p. 615. *es seyen nunmehro wieder beede Churfürsten zu Cölln und Bayern, die respectiue Priuations Acht, und Ober-Acht vollzogen, iedoch mit dem Vnterscheid, das der erstere, als Ioseph Clemens, als Geistlicher, seiner VVeltlichen, von Ihro Kayserl. Maiestæt und dem Reich gehabten Lehen, Regalien, Priuilegien, und Gerechtigkeiten, priuirt, des andern unglückseliger Leib aber, nebst solcher Priuation iedermanniglich frey gelassen vvorden, das sich zvvar niemand an den ersten vveiter solle vergreiffen, vvohl aber an den leztern, iedes ohne Straff, verfreueln kænnen.*

††† Quare in CAPITVLATIONE CAROLINA *art. XX.* dicitur: *Acht- oder Priuation.*

§. XI.

Licet autem quis delictum commiserit, quod banni pœna sequatur, non tamen pro bannito erit habendus, nisi caussa prius fuerit cognita, *reus citatus, & demum per sententiam declaratoriam in bannum declaratus. Olim quidem sententia banni sub dio ** declarabatur, & grauissima erat. *** Proscriptio vero Bauari in Aula Imp. facta, & quidem post propositionem prælegebatur sententia declaratoria, discerpebantur Litteræ inuestituræ, in frusta dissipabantur, atque

que

que declaratio banni diuerſis in locis, Viennæ & Ratisbonæ per certos feciales publicabatur. †

* *Ord. pacis publicæ de a. 1521. tit. II.* prout etiam ex Proceſſu contra Gerhardum Iuliacenſem patet, apud MVLLERVM *Friderico, V. Vorſt. c. LXX.* in Comitiis Colonienſibus 1475. CAPIT. IOSEPHI *art. XXVII.* CAROLINA *art. XX.*

** *R. I. Ratisbonæ de a. 1576. §. 57.* patet hoc ex Litteris Expectatiuæ a Maximiliano II. an. 1573. ſuper Hennebergici Comitatus parte Auguſto Electori conceſſæ, apud LVNIGIVM Cont. II. p. 370. *Als VVir uf rathſam Gutachten und freye Heimſtellung deren auf unſern erſtgehaltenen Reichs-Tage zu Augſpurg anvveſenden Churfürſten, Fürſten und Stænde, auch der abvveſenden Ræthe, Bottſchafften und Geſandten, etliche unſere und des Reichs ungehorſame Rebellen und Echterer ieder Zeit bey Herzogk Iohanns Friedrichen den Mittlern zu Sachſen, zu Gotha und Grimmenſtein enthaltend, ſambt ihren Receptatorn in unſere und des Heil. Reichs Acht erklæret, und daſelbſt zu Augſpurg unter freien Himmel mit gevvæhnlichen Solennitæten œffentlich denunciiren und ausruffen.*

*** Talis reperitur apud GOLDASTVM Tom. I. Reichs-Satzungen p. 238. *vvir theilen deine VVürthin, zu einer vviſſenhafften VVitvven, und deine Kinder zu Ehehafftigen VVæyſen, deine Lehen dem Herren, von deme ſie zu Lehen rühren, dein Erb und Eigen deinen Kindern, deinen Leib und dein Fleiſch den Thieren in den VVældern, den Vœgeln in den Lüfften, und den Fiſchen in den VVaſſern, vvir erlauben dich auch manniglich auf allen Straſſen, und vvo ein ieglich Mann Fried und Gleith hat, da ſolt du keines haben, und vvir vveiſen dich die vier Straſſen der VVelt, in dem Nahmen des Teuffels.* Hodie communis formula eſſe ſolet: *ſetzen ſie aus dem Frieden, in den Vnfrieden, und erlauben ihr Leib, Haab und Güter, iedermænniglich,* iis nempe, quibus ius eſt bona vacantia & delinquentium occupandi, non vero ſingulis priuatis.

§. XII.

Diſtinguitur bannum in primum & ſecundum *Acht und Ober-*

Ober-Acht, quæ in hoc differunt. Qui Banno ſimpliciter eſt notatus, nec bona nec famam amittit, qui vero in ſuperius bannum eſt declaratus, amittit vtrumque. * Et quidem dicitur in A. B. ** quod bannitum talem impune liceat inuadere, *das an ihn ieder ohne Straffe verfreueln kœnne.* Hoc eſt, ipſum captiuum facere, detinere, *** cum durum admodum videatur, illos impune poſſe occidi, quod nec expreſſis verbis dicitur. Amittunt autem omnia bona & dignitates. Feuda Imperii quidem, durante banno, ab Imp. adminiſtrantur, prout exemplum nobis præbet Bauaria. Feuda vero ſub aliis Statibus, dominis ſuis directis aperiuntur. **** Demandari autem debet Executio banni Duci Circuli ad quem bannitus pertinet. † Durat hoc bannum vsque dum ab eodem abſolutus fuerit bannitus, quod etiam ſine conſenſu Statuum minime fieri poterit.

* Patet hoc ex Ordinatione pacis Publicæ *de a. 1521. Tit. Poen aller Friedbrecher.* Putat equidem LVDEWIG *ad A. B. p. 94. Acht* eſſe ſaltim Bannum prouinciale, *Ober-Acht* totius Imperii, vtrumque igitur ex Legibus Imperii decerni. Verum, contrarium patet ex Terris Saxonicis atque Auſtriacis, in quibus vtrumque decernitur, bannum primum atque iteratum.

** *Tit. I. §. 2.* idem dicitur in Ordinatione Pacis Publicæ Wormatienſi a. 1521. Tit. II. *und einen ieden gegen denſelben Thatern und Friedbrechern, ſo bald die an unſerm Kayſerlichen Cammer-Gericht, oder durch unſern Stadthalter und Regiment mit vorgehender Citation oder Fürheiſchung, alſo in die gemeldte Acht gefallen zu ſeyn, declariret und erklæret worden, ihr Leib und Gut erlaubet ſeyn, und niemands daran freveln oder miſshandeln ſoll oder mag.*

*** Explicatur hoc in Pace Neuſtadtienſi an. 1467. apud MÜLLERVM IV. Vorſt. c. XLI. *ob aber iemand darwieder handeln würde, ſoll in unſir Keyſerl. Acht und Aberacht gefallen ſeyn, und ein ieder Macht haben, ihne und ſie mit ſamt ihren Hab und Gut an allen Enden und*

Statten in Reich anzuhalten, anzunehmen, und mit ihme zu handeln, als sich mit Vberfahrern solches Friedens und Gebots gebühret. Ex quo facile patet, quid sentiendum de eo, quod MÜLLER *I. Vorst. c. XI. §. X.* & LVDEWIG ad A. B. *p. 95.* statuit, quod quiuis bannitum impune liceat occidere, cum & verba A. B. & dictæ Pacis Neustadtiensis contrarium plane indicent.

**** CAPIT. IOSEPHI *art. XXVII.* CAROL. *art. XX.*

† *cap. V.* §. *XXII.*

§. XIII.

Locum hæc pœna Banni habet non solum erga delinquentes, sed etiam omnes receptatores, * quod videmus exemplo Io. Friderici Ducis Saxoniæ, qui ob receptum Grumbachium cum sociis, æque banno notabatur. ** Immunes tamen ab hac pœna bannitorum parentes atque liberi, si eosdem receperint, vel qui speciatim priuilegiati, quales esse dicuntur Archi-Duces Austriæ, Duces Würtenbergenses, Comites de Leiningen, Hochbergici Marchiones, Aquisgranenses, Vlmenses & Memmingenses, † quod tamen de bannitis mediatis saltim erit intelligendum, minime de Statibus vel membris Imperii immediatis bannitis.

* In Recessu Imperii Herbipolitano a. 1287. In Ordin. Pacis Neustadtiensis a. 1467. apud MÜLLERVM Friderico, IV. Vorst. c. XLI. p. 292. *Es sollen auch die, die den und dieselben, die solchen Frieden überführen, wissentlich hausen, herbergen, etzen, trencken hinschieben, oder ihne Hulff und Beystand thun würden, als die Vberfahrer des Friedens gestrafft werden.*

** MVLLERI *Ann. Sax. ad a. 1566.* S. H. G. *diss. XXXIII.* §. *XXIV.*

† SCHVVEDER *p. spec. sect. I. c. XXI.* §. *6.* Priuilegium Friderici III. Imp. Comitibus Leiningensibus an. 1447. concessum, extat apud MVLLERVM *I. Vorst. c. XI.* §. *V.* in quo: *VVir thun ihm auch diese besonder Gnad, daß sy offenbare Echter auf dem Iren halten, und alle*

alle Gemeinschafft mit ihn haben mœgen. Simile Priuilegium Wenceslaus Imp. a. 1398. concessit Hochbergicis Marchionibus, quod extat apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. Suppl. p. 136.*

§. XIV.

Habet etiam Camera Ius Banni, maxime, vbi de fracta pace publica agatur. Hæc sine Electorum consensu aliquem Banno notat, qui Status Imperii non est. Hinc in R. I. nouissimo, * hoc Ius Cameræ quidem confirmatum, ita tamen, vt modum in Legibus præscriptum non excedat. Sic per sententiam declaratoriam Waltherum Counotte ob contumaciam a. 1698. banno fuisse notatum, Acta publica nos docent. ** Hoc vero nouiter per Capitulationem Carolinam plane fuit abolitum. ***

* §. 162. Vid. & Diss. b. Parentis *de Banno seculari & Eccles.*

** Acta reperiuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IV. p. 694.*

*** art. XX. *Vnd so viel das Bannum contumaciæ belanget, wollen wir selbiges als ein aus vielen Considerationen unzulengliches Mittel gar abthun, und es in ciuilibus causis, auch bey denen Ciuilibus coercendi & compellendi mediis bewenden lassen.*

§. XV.

In aliis vero Delictis Principum regentium, locum habet Iudicium Austregarum, si ciuiliter agatur. In pœna Criminali vero Impp. olim vel certam Mulctam, vel Canis portationem Principibus Imperii delinquentibus iniungere poterant. * Licet in pœnis corpus adfligentibus locum æque habuerit Ius Principum. Quod si vero Apanagiati, vel qui alias adgnoscunt Superioritatem territorialem, quidpiam commiserint, subiacent omnino Domino territoriali, cui competit iurisdictio omnimoda. ** Prout exempla docent

in domo Saxonica, dum Fridericus Placidus & Wilhelmus Saxoniæ Duces, Sigismundum fratrem suum facerent captiuum. *** A. 1627. Saxoniæ Duces Lineæ Vinariensis Io. Fridericum, fratrem suum custodiæ manciparunt, in qua etiam XVII. Octobris 1628. fuit defunctus. **** His vero in terris Imperii delinquentibus, Iudicium Aulicum iurisdictionem sibi vindicat. Prout exemplum docet Principis cuiusdam Iuuentutis, qui cursorem publicum occiderat, in quem sententia haut ita pridem a Iudicio aulico fuit lata. Nouiter quoque controuersia fuit suborta, an Comites Imperii in Status cuiusdam Territorio delinquentes, in captiuitatem duci atque in eosdem ex foro Delicti Iurisdictio queat exerceri, † prout in Rantzouium Comitem Iurisdictionem exercuit Rex Borussiæ, contra quod tamen Cæsar fuit protestatus, sibi soli in Imperii Immediatos Iurisdictionem reseruans. †† Quare etiam Principes Regentes delinquentes pro abolitione delicti cum Cæsare ad certum militem, vel argenti summam præstandam fuerunt pacti.

* Prout in HISTORIA IVRIS *c. IX. §. IV.* demonstrauimus.

** LINCK *de foro Protest. in caussis matrim. sect. I. §. 35.*

*** Factum hoc ea ex ratione, quod virginem quandam Vestalem in monasterio Mildenfurt deperiret, de quo FABRICIVS lib. VII. pag. 704. *Indignati Fratres, cum nec monitis nec precibus eorum moueretur, mittunt ipsum in custodiam arcis Friburgi ad flumen Vnstrutam: eique adhibent familiares, sex nobiles homines, qui curam ipsius gererent, & quibus possent rebus a turpi illo & famoso amore euerterent.* Vid. etiam MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. XIV. §. IV.*

**** MVLLER *Ann. Saxon. ad a. 1626. 1628.*

† BRVNNEMANN *ad l. 1. C. vbi Senat. vel Clariss.* & cum eo STRYCKIVS hoc adserunt, quibus pro more contradicit L. B. de LYNCKER *Resp. XLVII. n. 27.* Idem de Libert. Statuum p. 43. *Iudicem sortiuntur Principes & Comites Imperii, si capitaliter delinquant, vbi-*

vbicunque fuerint, non nisi Cæsarem. Sic enim habet Friderici II. Constitutio. Wo es aber Fürsten und anderen hohen Leuten an ihr Leib, an ihr Ehr oder Recht gehet, das wollen wir selber richten, auf die VVeise, wie es in dem Kaiserl. Reich von alten Zeiten herkommen, & Constitutio Alberti I. das des Reichs Hoff habe einen Richter, der ein Freymann sey, und die Leute richten soll, die ihme klagen von allen Leuten, ohne Fürsten und andere hohe Leut, wo es gehet an ihr Leib, oder an ihr Ehr &c. Consona Spec. Sueuicum, Vber der Fürsten Leib, und über ihr Gesind, soll niemand Richter seyn, denn der Kœnig: Eamque sententiam Doctores seruant. Adlegat hanc in rem MYLERVM *ad Rumelinum part. II. Diss. I. Cor. 5.*

†† Extant Acta hac de re in ELECTIS IVR. P. *Tom. IX. p. 651.* & FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXVIII. p. 389.*

§. XVI.

Sed, quid dicendum de Legatis & personis Cameralibus delinquentibus. Legati vel in Aula versantur, vel in Comitiis. Isti Iure Gentium vtuntur, & si deliquerint, habent Ius prouocandi domum, nec nisi a Principali suo etiam in delictis possunt iudicari. Idem Ius habent in Comitiis. Sed de eo disquiritur, si Secretarius, vel quis inferioris ordinis quidpiam deliquerit, quis iurisdictionem habeat. Multa de eodem olim inter Ciuitates, in quibus Comitia habentur, & Vice-Mareschallum fuit controuersia, quæ tamen, interuenientibus Legatis Bauaricis & Würtenbergicis singularii transactione an. 1614. fuit sopita, & Iurisdictio Vice-Mareschallo relicta.* Dum vero an. 1686. Secretarius Saxonicus delictum commisisset, atque iurisdictionem in eundem sibi vindicaret Vice-Mareschallus, desuper conquesti fuerunt apud Saxoniæ Electorem Duces, verum, dum nihil proficerent, Secretarium istum ab officio suo remouerunt, ideoque Iudicio Pappenheimii eundem reliquerunt. Et licet in senten-

tia a Vice-Mareschallo lata, adhuc diceretur Secretarius Saxonicus, desuper tamen Ducum Saxoniæ Legatus fuit protestatus.** Quod si vero personæ Camerales deliquerint, minora quidem delicta iudicio Camerali subiiciuntur, maiora vero, quæ corpus & famam lædunt, ad Imperii cognitionem spectant, prout ex caussa Adsessoris de Pürck ab officio suo Camerali remoti, patescit. Licet non defuerint, qui hoc Ius puniendi Præsidem & Adsessores Cameræ, Cæsari tribuerent. ***

* Late WAGENSEIL *de summis Officialibus p. 140.* Extat Transactio apud LONDORPIVM *Tomo I. p. 162.* vide supra *c. XVII. §. XXVII.*

** PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. IV. Tit. I. §. 36.* Extat hac de caussa, *Bedencken* apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. II. p 1131.*

*** Extat hac de re Deductio apud LVNIGIVM *Grundveste Tom. I. c. I.*

§. XVII.

Pergimus ad IVDICIA ECCLESIASTICA. In his Statuum distinctio in Catholicos atque Protestantes erit obseruanda. Isti iurisdictionem in Ecclesiasticis & matrimonialibus adgnoscunt Papæ atque Episcoporum, in quorum diœcesi terræ ipsorum sitæ, excepta Pace religiosa, de qua Imperii adgnoscunt iurisdictionem. Qui fit, quod Episcopus Passauiensis & Vindobonensis quisque speciale suum habeat Consistorium Viennæ, quod Iura Ecclesiastica in terris Austriacis obseruat.* Licet in caussa matrimoniali olim Impp. Synodus potius cognouerit, nec Episcopi hoc iuris esse Papæ concesserunt. In caussa equidem Diuortii Lotharii cum Thietberga Synodus Metensis a. 864. iudicauit. ** Henrico Aucupe Hatburgim monialem sibi copulante intercessit Sigismundus Halberstadiensis Episcopus, *** licet Regiam auctoritatem Conradi I. desuper imploraret Henricus. In caussa repudii Henrici IV.

cum

:um Bertha, a. 1066. Principes & Synodus Moguntina iudi-
:arunt, contradicente licet Pontifice.****

* EVROP. HEROLD *p. I. p. 413.*

** S. H. G. *diss. VIII.* §. *XXXI.*

*** DITMARVS lib. I. p. 325. *Hic* (Sigismundus) *vt perpetrati facinus connubii primo audiuit, ouium culpam suarum ingemuit, & aliquam inter se fieri amplius commixtionem per internuncium, & per epistolam, Banno Apostolicæ autoritatis interdicens, ad condictam ambos Synodum vocauit, Henricus tali rumore turbatus, ad Imperatorem properauit, omnemque indicans ei rem ordine, auxilium eius petiuit, & quia familiaris ei fuit, & patris commisso, ac fideli seruitio impetrauit. Nam Legato ad Antistitem concite directo vt vinctos solueret, & ad suimet præsentiam differret, postulauit.*

**** LAMBERTVS SCHAFNAB. *ad a. 1066.* S. H. G. *diss. XV.* §. *XI.*

§. XVIII.

Alia ratio est cum Protestantibus, qui a iugo Papæ sunt immunes. Hi in causis fractæ Pacis Religiosæ Imperium adgnoscunt. In causis vero matrimonialibus nulli iudicio sunt subiecti, dum Papam non adgnoscant, tales caussæ a iurisdictione Iudicii Aulici, Cameralis & Austregarum sint immunes, & de iisdem nihil legibus fuerit definitum. Duplices autem sunt Protestantium Statuum caussæ matrimoniales, vel versantur circa dispensationem in gradibus prohibitis, vel circa iudicium contentiosum, vbi vel de matrimonio, vel diuortio agitur. Priori casu distinguendum est, an gradus iure humano sint prohibiti, an vero dubium oriatur de prohibitione iure diuino facta. In gradibus iure humano prohibitis ipse Princeps circa subditos potest dispensare, hinc ipse dispensatione opus non habet. † Quod si vero dubium oriatur, an gradus iure diuino sint prohibiti, iudicium diuersorum Collegiorum Theologicorum desuper fuit expeditum.

Exem-

Exemplum habemus in Philippo Hassiæ Landgrauio, dum præter vxorem legitimam, aliam adhuc superinducere vellet, rem ad Theologos Wittebergenses detulit, horum exquirens consilium, qui ipsi dederunt *einen Gewissens-Rath.* †† Idem fecit Albertus Ernestus, Princeps Oettingensis, dum defuncta priore coniuge, Christiana Friderica, Würtenbergica, sororem illius, Eberhardinam Catharinam duceret. ††† Idem sine dubio factum, dum Augustus Philippus Holsatiæ Dux, Lineæ Beckensis, æque duas sorores sibi matrimonio iungeret.

† *Cap. per Venerabilem X. qui filii sint legitimi.*

†† Vid. BRÜCKNERI *Decis. Matrimoniales p. I. ad Cap. XIV. p. 501.*

††† EVROP. HEROLD *p. I. p. 592.* Coniunctim prodierunt: *Responsa und Gutachten samt den Actis eines in der Fürstl. Residentz zu Oettingen den 10. Octob. anno 1681. gehaltenen Colloquii, über die Frage: Ob GOtt verbotten oder zugelassen habe, daß einer seines verstorbenen VVeibes Schwester heyrathen mæge.*

§. XIX.

In Iudicio contentioso vero, agitur de ipso matrimonii vinculo vel constituendo vel dissoluendo, vel de matrimonii saltim accidentalibus, vtpote de dote, donatione propter nuptias, alimentis, sæuitia mariti & similibus. Hoc casu & coram Austregis & coram Tribunalibus Imperii caussa agi poterit, dum mere sit ciuilis. † Priori vero casu nondum definitum est. Olim quidem Impp. hoc Ius exercuisse, patet exemplo Henrici Aucupis ad Conradum prouocantis, †† & Ludouici Bauari, qui non solum in Gradibus prohibitis dispensauit, inter Ludouicum, Marchionem Brandenburgensem & Margaretham, Carinthiæ Ducissam, sed etiam Diuortii sententiam tulit, quæ postmodum a Papa & Episcopis fuit adprobata. ††† Licet autem hoc Ius Imp. adhuc competat, ipse

ipse tamen, quia Papæ nimium indulget, hoc minime exercet, ideoque nec ad Iudicium Aulicum spectabit, †††† nec ad Cameram, vel ad Iudicium Austregarum, quarum iurisdictio in ciuilibus saltim est fundata.

† In caussa Mecklenburgica an. 1664. Ducissa hæc proponebat in DIARIO EVROPÆO p. XI. p. 548. *weil man noch zur Zeit in solchen Terminis nicht versiret, darüber ein geistliches Gericht cognosciren kœnte. Massen unsere Streitigkeiten das Vinculum Matrimoniale an sich selbst nicht, sondern nur zeitliche Güter, sæuitiam maritalem, Beschützung wieder Gewalt, und Verschaffung der Alimenten betreffen.* Hæc vero antea fuerat protestata contra Iudicium Ministrorum Suerinensium, apud LVNIG *Forts. II. Cont. p. 561.*

†† Vide supra §. *XVII.*

††† Extat sententia Diuortii apud FREHERVM *Tom. I. p. 620.* LVNIG *Forts. der II. Contin. p. 5.* S. H. G. *diss. XXVI.* §. *XXXII.* Hac in caussa etiam GVIL. OCKAM scripsit Tractatum *de Iurisdictione Imperatoris in Causis Matrimonialibus*, qui extat in GOLDASTI *Monarchia Tom. I. p. 21.*

†††† Prout etiam B. de LYNCKER Iudicio Aulico Iurisdictionem hac in caussa denegauit, *Vol. I. Resp. XIV.* & IAC. FRIDER. LVDOVICI *de Iudicio in Caussis Protest. Matrim. §. XVII.*

§. XX.

Dum autem nihil adhuc definitum, diuersa a diuersis proponuntur. Quidam Pontifici hoc reliquum esse putant, dum in rebus dogmaticis Protestantes saltim a Iugo Papali facti fuerint immunes, cum tamen nulla ratione Papam adgnoscant, tanquam Iudicem in Ecclesiasticis, ab eiusdem etiam Iurisdictione per Pacem Westphalicam fuerint liberati. * Immo hoc ipsum dogmata concernit, dum Papa hoc Ius sibi sumeret ex prætenso Iure Capitis Ecclesiæ. Alii partem innocentem propria auctoritate vinculum matrimonii ob adulterium, vel malitiosam desertionem, dirimere posse, existimant.

mant. Alii propoſuerunt, optimum eſſe, ſi vnanimi Proteſtantium conſenſu, commune conſtitueretur Conſiſtorium, ad decidendas has Proteſtantium cauſas. ** Verum, dum tale vix ſperandum, Exempla docebunt, quid hac in re hucusque fuerit vſitatum. Primum quod noui, exemplum eſt in domo Saxonica, dum Io. Caſimirus, Dux Coburgenſis, Annam vxorem ſuam adulterii incuſaret. Certi ad cauſam examinandam conſtituti fuerunt Conſiliarii & Conſiſtoriales, quifide ſua inPrincipem hac in cauſſa liberati, ſententiam diuortii pronuntiarunt. *** Alterum exemplum in eadem Domo Saxonica a. 1690. dum ſententia Diuortii per Theologos atque Iure Conſultos Ienenſes fuit pronuntiata. **** Tertium Diuortii exemplum habemus in Domo Brunſuico-Lüneburgenſi, dum d. 28. Decembris 1694. diuortii ſententia a Conſiſtorio lata. † Quæ exempla de more hodierno ſatis teſtantur. ††

* Art. V. §. 48. *Ius Diœceſanum & tota Iurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, (comprehenſa libera Imperii Nobilitate) eorumque ſubditos, tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status, vsque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis ſuſpenſa eſto, & intra terminos Territorii cuiusque ius Diœceſanum & Iurisdictio Eccleſiaſtica ſe contineat.* Quare etiam, cum in cauſſa Diuortii Chriſtiani Mecklenburgici Bullam Papa promulgaſſet; deſuper proteſtati fuerunt Status Euangelici, petieruntque a Cæſare, vt illam æque ac Cæſaris confirmationem aboleret, de quo FRITSCHIVS *Electis c. X.* DIAR. EVROP. *Tom. XI. p. 527.*

** De ſingulis hiſce LINCK *de Immediatorum Proteſtantium foro in cauſſis matrimonialibus, Altdorfi 1680.* & IACOBVS FRIDERICVS LVDOVICI *de Iudice in cauſſis Principum Proteſtantium Matrimonialibus, Halæ 1702.* qui hoc in primis perſequitur, Principem vel ſuo, vel alieno Conſiſtorio ſe hac in cauſſa poſſe ſubiicere. In cauſſa Caroli Ludouici, Palatini Electoris prodiit: *Facti Species nebſt beygefügten*

Beden-

Bedencken, warum sich ein vornehmer Churfürst des Heil. Rœmis. Reichs von seiner Frau Gemahlin Vrsach zu scheiden habe, a. 1657. apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. II. p. 573.* Vid. etiam L. B. de LYNCKER *de Libert. Statuum p. 39.* Facit ad rem optime CÆSAR. FÜRSTENERIVS *de Iure Suprematus cap. XXVIII. fin.* dum ait: *denique quod vt supra monuimus, Principes saltem, Protestantes nullum in matrimonialibus causis iudicem agnoscunt, id nullam aliam rationem habet, quam quod personæ Principum sint liberæ, ideoque in iis quæ mere personalia sunt, qualis est matrimonii obligatio non nisi conscientiæ vinculo obstringi possunt.*

*** MÜLLERI *Ann. Sax. ad a. 1593.*

**** MÜLLERI *Ann. Sax. ad a. 1690.*

† EVROP. HEROLD *p. I. p. 319.*

†† Immo, Nobilem etiam Immediatum adhibito Iudicio prudentum, ab vxore desertrice solutum esse, atque aliud vinculum posse contrahere, respondit Facultas Iuridica & Theologica Ienensis apud L. B. de LYNCKER *Vol. I. Resp. XIV.*

§. XXI.

Haut ita pridem mota fuit Controuersia inter Carolum Leopoldum Megapolitanum & Sophiam Hedwigem Nassouicam, in qua a. 1710. ab vtraque parte ad Consistorium Pomeraniæ, quod Gryphiswaldi est, fuit compromissum, quod etiam ex capite impotentiæ sententiam Diuortii fecit, recepta arrha & restitutione vtrinque illatorum.* Dum autem Ducissa huic Laudo adquiescere nollet, potissimum alimenta peteret, quæ ipsius dignitati conuenirent, ideoque Cæsarem hac in caussa adiret, a Iudicio Aulico decreta fuit Commissio in Ducem Saxo-Gothanum atque Hassiæ Landgrauium.** Et licet Dux caussam hancce per Grauamen ad Comitia deferret, contradixit Ducissa, eo quod potissimum de alimentis ageretur, vsque dum inter ipsos de iisdem etiam conueniret.***

* Extat Ducissæ Compromissum, & sententia Compromissi apud LÜNIGIVM *Fortſ. der II. Contin. p. 627.*

** Per Conclusum 21. Nouembris 1712. publicatum, Commissionem decernere, sibi sumsit: *Fiat Commissio auf den Herrn Hertzogen zu Sachsen Gotha und Herrn Landgrafen zu Hessen Cassel cum inclusione exhibitorum, rescribaturque eidem, die wahre Beschaffenheit derer in beykommenden Einschluß vorgestellten sonderbahren Vmstände, genau zu erforschen, und befindlichen Dingen nach, mit allem Fleiß und Sorgfalt, solche Vorschlæge auszufinden, wodurch beyde Fürstliche Personen, zu Christlicher bestændiger Vereinigung wieder gebracht werden mægten. Da aber wider Vermuthen aller Versuch eines gütlichen Vertrags fruchtloß ablauffen solte, über die eigentliche Bewandniß der Sachen, und aller derselben Vmstænde gehaltenes Protocollum, nebst ihren, denen in dergleichen Fællen eingeführten unzweifelhafften und bey denen Consistoriis und Theologischen Facultæten Augspurgischer Bekantniß zugethaner Stænde üblichen Principiis gemæß abgefassete rathliche Gutachten einzuschicken.*

*** Prodiit in hac caussa: *Kurtzer und deutlicher Beweiß, daß Ihro Regierende Hochfürstl. Durchl. zu Mecklenburg, mit guten Fug Rechtens zu einer Vermæhlung schreiten.* Cui opposita: *Zufællige Gedancken über den so genandten Beweiß.* Licet vtraque Scripta haut sufficiant.

§. XXII.

Tertium IVDICIVM est FEVDALE, in caussis scilicet Feudorum Imperii. Hoc Ius Impp. tanquam dominorum directorum ab antiquo fuisse, omnino certum est. Sed de eo disceptatur, an soli Imp. Ius cognoscendi competat, an vero adhibitis in Consilium Principibus. Quod si ad tempora antiqua recurramus, certum omnino est, causas Feudorum regalium, non nisi cum Principum Iudicio fuisse diiudicatas. Patet hoc non solum ex Iure Feudali, quod Pares Curiæ requirit, eiusdem dignitatis cum Vasallo, * sed etiam Exemplis. Fridericus I. primum in Conuentu Principum

Wor-

Wormatiensi controuersiam inter Henricum Austriæ Ducem & Henricum Saxoniæ, de Bauariæ Ducatu diiudicare voluit, verum, altero non comparente, ** Goslariæ Bauaria Henrico Saxoni, Principum iudicio fuit adiudicata, demum in Curia generali Ratisbonensi de an. 1156. omnis controuersia definita. *** Rudolphus Habsburgicus controuersiam inter Ottocarum, Bohemiæ Regem & Henricum, Bauariæ Ducem de Iure Electoratus in Comitiis Augustanis a. 1275. definiuit. **** Idem Imp. in Comitiis Erfurtensibus a. 1290. compositionem tentauit inter Albertum Degenerem Thuringiæ Landgrauium cum filiis suis. ***** Controuersia, quæ mortuo Ottone, Saxoniæ Duce, inter VVenceslaum fuit atque Albertum, de Saxoniæ Ducatu, in Comitiis Electoralibus Francofurti 1376. fuit examinata atque diiudicata. ****** Sigismundus Imp. in Comitiis Noribergensibus de a. 1431. controuersiam inter Ludouicum & Henricum, Palatinos diiudicauit. † Fridericus III. Imp. caussam Successionis Bauaricæ an. 1440. ad Comitia remisit. †† In Comitiis Noribergensibus a. 1444. caussa Successionis Hennebergicæ licet per arbitros tractata, fuit decisa. ††† Idem Fridericus III, a. 1448. controuersiam inter Henricum Palatinum & Albertum Bauarum non coram Iudicio suo Aulico, sed cum Principum Iudicio voluit decidi. †††† Maximilianus I. in controuersia, de Successione in Ducatum Landshutanum, post mortem Georgii Diuitis a. 1503. suborta, actionem causæ disceptandæ dedit coram Septemuiris, Principibus & Cæsareo consilio. ††††† Obtinuit hoc Ius adhuc in Comitiis Ratisbonensibus a. 1623. in caussa Hessen contra Hessen, quæ quidem in Consilio Aulico fuit examinata, & ab eodem relatio ad Cæsarem Ferdinandum II. facta, qui communicato cum Electoribus, & Principibus, tunc Ratisbonæ præsentibus consilio, sententiam fecit publicari. ††††††

* IVS FEVD. ALEMANN. cap. XVIII. §. 1. *Ein Herre soll zu dem mynsten zwælff Mann han, da er umbe leben richtet.* Hoc etiam moris fuisse apud Germanos, patet ex OTTONE FRISINGENSI de gest. Friderici I. c. XXXI. vbi de Vngaris loquitur: *nulla sententia a Principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur: nulla accusato excusandi licentia datur: sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur.* Et licet Lex Conradi, I. F. XVIII. & II. F. XXXIII. obstare videatur, *si inter capitaneos controuersia sit, coram rege finiatur: si inter Valuasores, coram paribus Curiæ:* Hæc tamen saltim est differentia, quod Rex causas feudales diiudicet, licet non dicatur, quod solus causas feudorum non regalium iudicare possint, pares etiam sine rege. Sic etiam in Rec. Imperii Herbipolensi an. 1187. apud LEHMANNVM lib. V. c. CVIII. p. 630. *der Hoverichter soll allen Lüten richten, die ihm klagent, und von allen Lüten, ane Fürsten, unnd ane andere hohe Lüte, siwa es in gat, an ihr Lip oder an ihr Recht, oder an ir Erbe, oder an ihr Leben, das vvollen vvir selbe richten.* Vid. etiam HIST. IVRIS *cap. VIII. §. XXVII.*

** OTTO FRISING. lib. II. c. IX. & cap. XI. *proinde in oppido Saxoniæ Goslariæ curiam celebrans, vtrosque Duces, datis edictis, euocauit. Vbi, dum altero veniente, alter se absentaret, iudicio Principum alteri, id est, Henrico Saxoniæ Duci Baioariæ Ducatus adiudicatur.* S. H. G. *diss. XVII. §. XXI.*

*** OTTO FRISING. *lib. II. c. XXXII.* Extat sententia Friderici I. in THVCELII *Electis I. P. p. 21.* S. H. G. *c. l.*

**** Extat sententia apud GOLDASTVM *de Septemuiratu p. 756.*

***** S. H. G. *diss. XXXIII. §. XXVII.*

****** GOLDASTVS *de Iure Repræs. Primogen. p. 387.*

† Extat sententia in THVCELII *Electis p. 25.*

†† Extat Cæsaris Rescriptum apud MÜLLERVM *Friderico, I. Vorst. c. III. §. V.* in quo: *Vnd darum solchem Vnrecht fürzukommen, so haben wir ein steten Fried gesetzet, der vier gantzer Iahr vvehren soll, in der Zeit vvir die Sach mit sampt Vnsern und des Reichs Churfürsten und andern Fürsten vor Vns nemmen, und Euch zu beederseit mit der Freundschafft oder mit dem Rechte entschaiden vvollen, als sich gebühren vvürdt.*

††† Prout patet ex Actis, apud MÜLLERVM *Friderico, I. Vorst. c. XIX. §. XII.*

†††† Extat enim Rescriptum Cæsaris, apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. II. p. 155.* in quibus: *Vnd vvievvohlen in denselben unsern Brieffen geschrieben stehet auf den Gerichts-Tag unsers Kæniglichen Cammer-Gerichts. So ist doch unser Meinung nit gevvesen, und auch noch unser Meinung nit, daß solch Recht in unserm Cammer-Gericht, das vvir mit andern Personen, vvan Fürsten und umb Sachen, die unser und des Reichs Fürsten Ehre, Leib oder Leben nicht berüren, besetzen, zvvischen Euer soll oder solte austragen vverden.*

††††† ADLZREITER Ann. Boi. *p. II. lib. IX. n. 71.* MVLLER *im Teutschen Reichstags-Staat lib. II. c. XVIII.* GOLDASTVS *Reichs-Handlungen p. 45.* S. H. G. *diss. XXXII. c. XIX.*

†††††† Narrat hæc REINKINGIVS *de regim. seculari & Eccles. lib. I. cl. IX. c. XIX. n. 29.* qui ipse præsens erat. Plenius hanc materiam absoluerunt SCHOTTELIVS, IO. GRÖNING & CASSANDER THVCELIVS in ELECTIS IVRIS PVBLICI *cap. I.* In DONAWERTHISCHER INFORMATION *p. 152. sqq.* plura reperiuntur Maximiliani I. Documenta idem indicantia.

§. XXIIII.

A Maximiliani I. tamen temporibus potissimum inualuit, vt Iudicio suo Aulico quod sub ipso fuerat formatum, reseruarent causas Feudorum regalium, & hisce similes Impp. Licet etiam non desint Exempla quædam anteriora inter bella Germaniæ. * Patet illud ex controuersia de successione Iuliacensi, Oldenburgica, Saxo-Lauenburgica, Megapolitana, Coburgensi, Römhildensi atque aliis, quæ coram Iudicio Aulico ventilatæ vel adhuc ventilantur. Licet quandoque consilium Ducum Circuli, sub quo Feudum regale controuersum situm, vel Statuum potentiorum requirere soleat Imperator. Immo, nonnunquam tales Controuersiæ feudales per modum Grauaminis ad Comitia deferuntur, quæ tamen, vbi Recur-

sus

ſus locum non habet, ad Imperii Tribunalia remittuntur, prout nuper factum fuit in cauſa Reinſteinenſi. **

* Exempla quædam recenſet ITTERVS *de feudis Imperii c. XXV.* §. 9.
** Vide ſupra *cap. XXIII.* §. *XLIV.*

§. XXIV.

De eo tamen adhuc dubium ſupereſt, an Imp. ita in cauſis feudalibus ſit iudex, vt plane excludat Cameram, quæ alias cum Iudicio Aulico concurrentem habet Iurisdictionem. Negandum hoc non eſt, ſi de toto feudo regali ſit controuerſia, eo quod in Ordinatione Camerali,* ſoli Imp. fuerit reſeruata. Verum, controuerſia nuper ſuborta fuit in cauſſa Comitiſſæ de Pöttingen contra Burggrauium de Kirchberg, de tertia parte Comitatus Hachenburgenſis. Hæc in Camera fuit ventilata, & per Litis conteſtationem firmata, a Iudicio Aulico poſtmodum auocata, per Grauamen ad Imperii Comitia fuit delata, in quibus per Concluſum Trium Collegiorum Imp. petierunt, vt dicta cauſſa iurisdictioni Camerali relinqueretur, eo quod controuerſia ſaltim ſit de parte Comitatus, dum Ordinatio Cameralis agat de integris Feudis, immo ipſa hæc pars Comitatus controuerſa feudum Imperii non ſit, ſed partim allodialis, partim alios Status adgnoſcat dominos directos, vt ideo multo minus a iurisdictione Camerali poſſit excludi. ** Sic etiam Cameralem iurisdictionem adgnoſcunt. Dd. Camerales, ſi de iuribus regalibus, vrbe, caſtro, villa in Terra feudali ſitis, ſit controuerſia. † Cauſſas etiam Allodiorum Imperii in Camera ventilari docet nos, non ſolum quod illa in Ordinatione Camerali non excludantur & Controuerſia ſucceſsionis in Comitatum, nunc Principatum, Meurs qui Allodium eſt, inter Arauſionenſes & Naſſouios coram Camera diſ-

disceptatur. †† Reseruantur etiam Feuda & terræ mediatæ, quæ per adpellationem ad Cameram possunt deuolui, cum in Ordinatione saltim dicatur, *so vom Reich zu Lehn rühren.* Eadem ratione caussæ Feudorum regalium coram Camera pertractantur, si in possessorio agatur. Hinc cum Camera in caussa Lippe contra Schauenburg Lippe d. XXIV. Nouembris 1700. Citationem decerneret ad videndum se declarari hæredem ex semisse, similemque ††† in caussa viduæ in Manderscheid Gerolstein contra Principem Schwartzenbergicum emitteret, atque Imp. vtrisque contradiceret, Camera Imperialis a. 1702. singulari Scripto †††† Ius sibi in eiusmodi caussis competens adseruit, eo quod Comitatus Schaumburgensis purum sit Allodium, Landgrauiatus etiam Kletgouiensis, de quo in posteriori caussa agebatur, plurimis Allodiis intermixtus, in vtrisque non de toto Comitatu, *gæntzlich*, sed de parte saltim fuerit actum. ††††† Caussæ Feudorum non regalium & minorum Imperii, vtpote in Ordinatione Camerali Imp. non reseruatæ, sine controuersia adgnoscunt iurisdictionem Cameralem, vti praxis docet quotidiana. ††††††

* *p. II. tit. VII. Ob auch Sachen fürfielen, Fürstenthum, Hertzogthum, Grafffschafft &c. belangend, so dem Reich zu Lehn rühren, so einen Theil gæntzlich und endlich abgesprochen vverden solten, derselbigen Erkæntnus vvollen vvir der Kayserl. Maiest. oder Ihrer Kayserl. Mai. Abvvesens Vns, als Ræm. Kænig hierinn doch sonst in andern Sachen dieser Ordnung unabbrüchig, vorbehalten haben.*

** Extant Acta hac de re in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XV. cap. VI.*

† GERDES *de Mandatis auocatoriis cap. XVI. §. 9.*

†† FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 339.*

††† Vid. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. p. 339.*

†††† In ELECTIS I. P. *Tom. IV. p. 3.*

††††† Extat apud LONDORPIVM *Tomo I. p. 23.* MARQVARDI FREHERI

Bericht über die Frage, ob Ræmische Kayserl. Maiestat in Sachen, Fürstenthumb, Hertzogthumb, Grafffchafften &c. belangend, so vom Reich zu Lehn rühren, und einem Theil gantzlich und endlich abgesprochen vverden solten; allein, und zvvar durch Dero Reichs-Hoffrath oder mit Zuziehung der Chur- und Fürsten des Reichs, als Parium Curiæ, zu erkennen und zu sprechen. Idem reperitur apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. I. p. 667.* Et dum 31. Augusti 1685. Commissionis Decretum idem Ius soli Imp. vindicaret, prodiit: *Bedencken über die Frage: Ob ein Kayser allein in Sachen, Fürstenthum, Hertzogthum, Grafffchafften &c. belangend, so vom Reich zu Leben rühren, und einem Theil gantzlich und endlich ab und zugesprochen vverden sollen, Cognitionem & Sententiæ dicendæ potestatem habe,* quod extat apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. II. p. 1534.* quo contrarium adseritur. Tota res redit ad vsum & obseruantiam hodiernam.

††††† ITTERVS *de Feudis Imperii cap. XXV. §. 7.* Licet etiam hæc Cameræ deneget CASP. LEIPOLD *Diss. de Concurrent. Iurisdict. qu. VI.*

§. XXV.

Vacante Imperio, Vicarii quoque de Feudis Regalibus cognoscunt. Et licet inuestitura Feudorum regalium ipsis speciatim fuerit prohibita, hoc tamen ad cognitionem minime erit extendendum, quæ nullibi prohibetur, quin potius potestas Iudicia exercendi concessa. *

* Vid. plenius LIMNÆVS *lib. III. c. XII. n. 57. sqq.* ITTER *de feudis Imperii c. XXV. §. 19.* supra *c. XIII. §. XXXIV.*

§. XXVI.

Quartum est IVDICIVM CIVILE in Imperio. Locum illud habet vel in iure cognitionis, vel extremæ prouocationis. Illud obtinet in controuersiis Statuum, si reus sit Status Imperii, qui coram Imperii Tribunalibus poterit accusari, nisi obstet certum Priuilegium, quod vel in electione fori,

fori, vel iure Auſtregarum, vel immunitate a certo Iudicio conſiſtit. Hoc dicitur, dum in cauſis ſubditorum mediatorum a ſententia Statuum ad Iudicium ſuperius adpellatur, a quo aliqui Status per Priuilegium de non adpellando ſunt immunes. Eiusmodi Priuilegia olim libere concedebant Impp. vsque dum per Receſſum Imperii * nouiſſimum fuerit decretum, haut facile inpoſterum debere concedi.

* §. *116.* quod deinde in Capitulationibus fuit definitum, CAPIT. CAROL. *art. XVIII.*

§. XXVII.

Eſt autem *priuilegium de non adpellando* vel illimitatum vel limitatum. Illud habent ex A. B. * in Terris Electoralibus Electores, non æque in hæreditariis, licet Treuirenſis atque Colonienſis ** hoc non plene exerceant. Archi-Duces Auſtriæ ex priuilegio Caroli V. de a. 1530. *** Duces Saxoniæ ex priuilegio Ferdinandi I. de an. 1559. **** in Terris ſuis Thuringicis & Miſnenſibus, non æque in Epiſcopatu Numburgenſi & Martisburgenſi. † Rex Sueciæ ratione feudorum Imperii. †† Dux Burgundiæ, Lotharingiæ & Würtenbergicus. ††† Hoc tamen priuilegium in caſu denegatæ vel protractæ Iuſtitiæ minime valet, †††† hocque Priuilegium in tantum obtinet, vt contra eos, qui Priuilegium violauit, de violato eodem agi poſſit. †††††

* *Tit. XI. §. 3.*
** *Cap. XVI. §. XVII.*
*** CVSPINIANVS *Auſtria p. 38.*
**** LIMNÆVS *lib. III. c. X. n. 41.* MVLLER *Ann. Sax. ad a. 1559.*
† CARPZOV *de Saxon. non adpell. iure c. V. §. 56. ſqq.*
†† *I. P. art. X. §. 12.*
††† LIMNAEVS *lib. V. c. XVI. n. 11.*
†††† A. B. *tit. XI. §. 3.*

 ††††† Vbe-

††††† Vberius hoc persecutus fuit CASP. MATTH. MVLLERN *de Competenti foro violantium Priuilegium Cæsareum de non adpellando.*

§. XXVIII.

Limitatum Priuilegium vel ad certas caussas est restrictum, vel ad certam formam. Illo gaudent ex Priuilegio Caroli V. de a. 1541. Marchiones Brandenburgenses in caussis, *so Frevel, Schmachsachen, Lämbd und fliessende Wunden betreffen.* * Duces Brunsuicenses ex Priuilegio Ferdinandi III. in debitis liquidis & confessatis. Iudicium Aulicum & Prouinciale Holsaticum in debitis liquidis & confessatis, ac caussis iniuriarum; Principes Frisiæ Orientalis & Comites Oldenburgenses in eiusdem generis debitis, & caussis, *Leibsbeschwerung, Irrung, Bau- und Dienstbarkeit betreffend.* Hamburgum in caussis debitorum liquidorum, iniuriarum & ædificiorum ciuitatis. Ad certam summam restrictum Priuilegium habet Elector Brandenburgicus in Terris suis hæreditariis ad 2500. aureos. ** Marchiones Brandenburgenses ad 800. florenos Rhenanos per Priuilegium Ferdinandi II. de a. 1627. *** Landgrauii Hasso-Cassellani ad 1000. aureos Rhenanos. **** Duces Brunsuicenses ex Priuilegio Ferdinandi III. de a. 1648. ad 2000. florenos in auro. † Duces Megapolitani ad 2000. florenos Rhenenses vsque, per Priuilegium Ferdinandi III. de a. 1651. †† Idem Priuilegium diuersi Comites ad certam summam obtinuerunt. †††

* LVNIG *Reichs-Archiv p. sp. sect. III. p. 40. 101.*

** LVNIG *p. 282. 312.*

*** LVNIG *p. 305.*

**** LVNIG *Cont. der II. Forts. p. 905.*

† LVNIG *sect. IV. p. 136.* Vid. pluribus BLVMIVS *Proc. Cam. tit. 47.*

†† LVNIG *Forts. der II. Cont. p. 543.*

††† LVNIG

††† LVNIO *VI. Abtheil. p. 92.* exhibet Priuilegium Comitum de Lippe, *p. 529.* Comitum Hanouiensium, *p. 590.* Comitum Ruthenorum.

§. XXIX.

Aliud est *Ius primæ Instantiæ*, ad quod Principes vel Status prouocant, si immediate coram summis Imperii Tribunalibus conueniantur, vt prius caussa coram Iudicio Austregarum vel subalternis examinetur. *Priuilegium* vero *electionis fori* in eo consistit, vt reo liberum sit, eligere, an coram Iudicio Aulico, vel Camerali malit conueniri. Tale Priuilegium habet Rex Sueciæ, ratione prouinciarum Germanicarum, * & Duces Brunsuico-Lüneburgenses. ** Aliud est Priuilegium Domui Austriacæ a Carolo V. concessum, quod in arbitrio ipsorum sit, an ab Imperio velint iudicari, an vero vnum ex Vasallis suis Iudicem constituere. *** Idemque ad instar Austregarum concessum esse videtur. Sic etiam Princeps Würtenbergicus ex Priuilegio Maximiliani I. coram *Hofmeister & Rethen*, poterit conueniri. † Ad hæc atque alia Priuilegia sarta tecta conseruanda obligantur Imperatores. †† Quare etiam Nassouii Saarbruckenses, cum ab Austregis Conuentionalibus in caussa diuisionis terrarum cum Idsteinensibus caussa ad Iudicium Aulicum traheretur, Granamen exhibuerunt. ††† Sic etiam in caussa Successionis Coburgensis, Meinungenses sibi Austregas reseruarunt, licet Iudicium Aulicum hanc, tanquam feudalem caussam sibi vindicauerit. ††††

* *I. P. art. X. §. 12.*

** Extat Priuilegium Ferdinandi III. de a. 1648. apud LVNIGIVM *im Reichs Archiv p. sp. sect. IV. p. 138.*

*** CVSPINIANVS *Austria p. 38.*

† LIMNAEVS *lib. V. c. XVI. n. 12.*

†† *Instr. Pacis art. V. §. 56. R. I. de a. 1654. §. 168. Reichs-Hoffraths-Ordn. tit. II.* CAPIT. CAROLI *art. XVIII.*

††† Extant Acta in ELECTIS I. P. *Tom. I. p. 787.*

†††† Extat Scriptum hac de causa in LVNIGII *Grundveste p. II. p. 126.*

§. XXX.

Ab hoc distinctum est Priuilegium de non euocando subditos, quod hunc effectum habet, vt ex Territorio Statuum tali modo priuilegiatorum in prima Instantia ad Imperii Tribunalia euocari non possint, sed coram Magistratu suo ordinario in quibuscunque caussis conueniri. Gaudent hoc Priuilegio Electores singuli.* Tale etiam primo ex Misnensibus Saxoniae Electori Friderico Bellicoso a. 1423. ad singulas terras concessit Sigismundus ** Imperator. Idem Fridericus III. Marchionibus Brandenburgicis indulsit, vt hoc Iure, ad instar Electorum, gauderent. ***

* Vide supra *cap. XVI.* §. *XVII.* Sic etiam in Decreto Caroli IV. de an. 1353. apud LVNIGIVM Fortf. II. Contin. p. 961. *wann ein ieglicher Churfürst die Freyheit hatte, das niemand keinen seinen Mann laden solt, für kein Gericht noch beklagen, dann vor dem Churfürsten des Manne er ware, und da solt dem Klager unverzüglich Recht beschehen, nach seines Hoffs Recht und Gewohnheit.*

** Extat Priuilegium apud LVNIGIVM p. spec. f. IV. p. 258. *in dem Chur-Fürstenthum und allen seinen Landen und Fürstenthum.* Idem Priuilegium a. 1492. confirmauit Maximilianus I. MÜLLER *Maximiliano, II. Vorst. c. LIX. §. IV.*

*** Extat apud LVNIGIVM *Fortsetzung der II. Continuation p. 235.* in quo: *Also das sie nun hinführo alle die Gnad, Freyheit, Recht und Gerechtigkeit, die unser und des Heil. Reichs Chur-Fürsten, mit Abforderung ihrer Leute, Rathe, Diener und Vndersassen wegen, auch haben und der gebrauchen und geniessen sollen, und mögen von allermanniglichen ungehindert.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Dum autem omnia iudicia olim ab Imp. dependerent, diuersa horum erat ratio. Antiquissima Iudicia erant vel Imperii, vel publica & prouincialia. Iudicium Imperiale locum habebat in caussis maioris momenti, quæ Iura Statuum concernerent. Illud Imp. in caussis potentiorum, cum Principum & Comitum iudicio exercebat, atque sententiam pronuntiabat, quam omnes, qui præsentes fuerunt, subscribebant.* Dicebatur illud Curia Imperialis,** in hoc distincta a Comitiis, quæ Curia solennis vel generalis dicebantur. Alias Iudicium Aulicum vel Camerale *der Reichs-Hof*, cui præerat certus Iudex, dictus *der Hof-Richter*,*** qui olim fuit Comes Palatii, idemque in reliquis caussis, quæ ad palatium deferebantur, iudex erat. †

* Talis sententia Imp. adducitur a BALVZIO *Miscell. lib. III. p. 114.* DITMARVS *lib. VII. p. 402.*

** Const. Friderici apud GOLDASTVM *Tom. I. p. 281. A. B. tit. XI. §. 4.*

*** R. I. de a. 1236. tit. pen. *wir setzen das des Reichs-Hof habe einen Hof-Richter.* Rec. Imp. Herbipolitanus a. 1287. apud LEHMANNVM l. V. c. CVIII. *p. 630. Wir setzen, daß dis Riches Hofe habe einen Hove-Richter, der ein Frimann si, der soll och an demselben Ampt zum minesten ein Iahr beliben, ob er sich recht und wol haltet.* SCHILTER *Inst. I. P. lib. IV. tit. IV.* §. *2. 3.*

† *c. XX.* §. *VIII.*

§. XXXII.

Alia erant Iudicia prouincialia & publica, dum in singulis Prouinciis certum Iudicium constitutum, quod nomine Imp. exerceretur, & vocabatur *Mallus publicus*, cui Comes a latere Imp. missus, præerat.* Et cum iisdem Iudiciis certus locus esset constitutus, exinde reliquias Iudiciorum Prouincialium videmus. Hinc originem sine dubio duxit Iudicium

Burg-

Burggrauiatus Noribergensis, Herbipolense, Prouinciale Sueuicum, Iudicium Prouinciale Hagenouiense, *das Kayserliche Land-Gericht auf der Lauben zu Hagenau*, cuius iurisdictio potissimum se extendit in decem Ciuitates Imperiales Alsatiæ, ** licet per pacem Westphalicam Gallis cessum. Tale quoque Iudicium prouinciale Thuringiæ Mittelhusæ, vbi publicum prouinciæ forum.*** Iudicium prouinciale Comitatus Hennebergici Wasungæ erat, † de quo Comites Hennebergici ab Impp. inuestiebantur. Isti præerat Scultetus, cui etiam facultas erat, Banno Imperii notandi. †† Talis Mallus publicus erat Iudicium Scabinorum Magdeburgensium, *das Kayserliche Schœppen-Gericht zu Magdeburg*, quod ab Imp. per certos Scabinos exercebatur, qui indubiæ esse debebant antiquitatis, *Schœppen-Bahre* & quidem ex Iure Feudali transibat hæc dignitas ad primogenitum. ††† Coram eodem Burggrauius æque poterat conueniri. Tale fuit Iudicium Prouinciale per Spirgouiam. †††† Eiusmodi Iudicia sæpe etiam ad tuendam Pacem publicam in certis prouinciis, quæ eandem acceperant, fuerunt constituta. †††††

* Præceptum Caroli M. pro Trutmanno *a. 789.* apud BALVZIVM Tom. I. p. 249. *Quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum Virum illustrem ibidem Comitem ordinamus, vt resideat in curte ad campos in Mallo publico ad vniuersorum causas audiendas vel recta Iudicia terminanda, iisque Aduocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, superque Vicarios & Scabinos quos sub se habet, diligenter inquirat, & animaduertat, vt officia sua sedulo peragant.* Vid. SAGITTARIVS *Antiquit. Duc. Thuring. lib. IV. c. XII.* Vide supra *c. XX. §. I.*

** HERTZOGS *Elsassische Chronic lib. IX. c. III.*

*** PAVLLINI Ann. Isenac. p. 206. *Mittelhusinum iudicium passim nominatur: das hœchste Gericht, des Landgrafen Ding-Stul, tribunal Landgrauiatus, summum prouinciale Iudicium, vulgare placitum in*

Mittel-

Mittelhusen, der gemeine Land-Tag zu Mittelhusen. TENTZEL *Supplem. sec. Hist. Goth. p. 343. sqq.* FABRICII *Origg. Sax. lib. VI. p. 629. Diss. de allodiis Imperii §. XXI.*

† SPANGENBERGS *Henneberg. Chronic. lib. V. c. V. p. 179.*

†† Patent hæc singula ex Litteris Proscriptionis apud TENTZELIVM *Hist. Goth. Supplem. p. 648.* in quibus: *Ich Apel Meynfrid, Scholtheiß zu Wasungen, bekenne an diesem offin Briffe, daz ich satz an dem fryen Gerichte, daz der Edel, myn libir gnediger Herr, Her Heinrich, Graffe und Herr tzu Hennenberg und sin Herschafft zu Lehin habin von deme heiligen Romischen riche, Küngen und Kysirn.* Et in fine: *und dyselbin von Gotha wurdin da geurteilt mit Gericht und und mit recht, und in dy achte gethan des heiligen Romischen Riches, und das sprech ich Apel Scholtheiß vorgenant, uf myn Eyd, und mit mir dy virtzehin schæppsin, ouch uf ire Eyde, dy wir unsirm vorgenanten Hern uf das Gericht gesworen habin, daz daz also vor uns an unsirs Hern vorgnant fri Lantgericht geschehin ist.*

††† SÆCHSISCH WEICHBILD *art. XI. XII. XIII. XIV.*

†††† Cuius mentionem fecit DATT *lib. I. c. XVIII. n. 21.*

††††† Facit huc ALBERTVS ARGENT. *p. 160.* de temporibus Caroli IV. *& venit Rex Hagenouiam, vbi in die omnium Sanctorum communicatus fuit. Facta est etiam liga Pacis ibidem ad triennium, in qua quindecim Iudices sunt statuti, duo per Episcopum, & duo per Ciuitatem Argentinensem, tres per Oppida Imperii, vnus per inferiorem Landgrauium, vnus per Dominos de Lichtenberg, de Ochsenstein, & Geroltsecke in Vosago, vnus per Abbatem Morbacensem, Dominos de Rapoltsteine, de Geroltsecke, in Mortenowe, & de Vsinberg, vnus per Episcopum, & vnus per Ciuitatem Basiliensem, & quindecimus per Regem.* Plenius DATT *lib. I. c. XVIII.*

§. XXXIII.

Tale IVDICIVM Prouinciale quoque erat VVestphalicum, dictum VEHMICVM, alias *das Fehm-Ding, Frie-Gericht, Frie-Geding, Stuhl-Gericht, Still-Gericht, das heimlich Gericht.* Iu-

 dici-

dicium erat Saxoniæ crudelissimum, in quo leues coniecturæ ad mortis supplicium sufficerent. Dicebatur autem Vehmicum siue Femicum, non quasi vetitum, vel a verbis *Væ mihi*, sed a voce *Fehmen* quod idem est ac iudicare, *verurtheilen*, inde in Litteris inuestituræ sæpius occurrit *eine Feimstett*, quod de Iurisdictione criminali dicitur. Præses dicebatur *der Friegraf*, Assessores *die Stul-Herren*, quia sedentes iudicabant. Originem hoc Iudicium habet a Iudiciis Saxoniæ Criminalibus a Carolo M. institutis, quæ deinde in varios abusus traxerunt Iudices, dicti Feimeri. Prima Iudicii huius sedes erat Tremonia, *Dortmünd*, alias inter Rhenum præcipue atque Visurgim reperiebantur talia Iudicia, in Episcopatibus, Mindensi & Vltraiectino, in Landgrauiatu Hassiæ, Grebensteinii potissimum & Zirembergæ. Sed, cum viles personæ inter Scabinos sumerentur, istique pro arbitrio suo omnia agerent, multæ de hoc iudicio subortæ querelæ, hinc iussu Sigismundi Imp. a Dieterico, Archiepiscopo Coloniensi a. 1439. in Comitiis Augustanis reformatio fuit facta. Postea Fridericus III. per Reformationem Francofurtensem de a. 1442. hoc Iudicium reformauit, & Maximilianus I. a. 1495. constitutiones aduersus illud edidit. Idem demum, habita cum Friegrauiis Capitulatione, per Philippum, Coloniensem Præsulem a. 1512. nouam legem promulgauit, qua hoc Iudicium in arctos nimis limites cogebatur, nec tamen, vt communis est opinio, plane tollebatur, cum eiusdem adhuc in Ordinatione Camerali de a. 1555. fiat mentio. Sed, cum horum potestas admodum fuerit circumcisa, ipsi Status in Territoriis suis sibi sumerent Iurisdictionem Criminalem, atque ab Imp. inuestirentur *mit Frey-Stühlen*, hæc Iudicia non tam cessarunt, quin potius ex Iudiciis Imperii fierent Iudicia Statuum VVestphaliæ, atque Hassiæ Prouincialia.*

* No-

* Nolumus hic repetere, quæ in HISTORIA IVRIS *cap. IX. §. XVI. sqq.* vberius exposuimus. Addimus saltim Litteras Inuestituræ Hassiacas a Maximiliano I. a. 1495. concessas, in quibus Hassiæ Landgrauii inuestiuntur inter alia, *mit Obern und Niedern Gerichten, Frey-Stühlen, dem Bann über das Blut zu richten*, apud LVNIGIVM *Forts. der II, Contin. p. 767.*

§. XXXIV.

Dum enim Status sibi sensim vindicarent Superioritatem Territorii, transiit quoque ad eosdem potestas iudiciaria, ita, vt in terris mediatis Iudicia prouincialia, non amplius Imperii nomine, sed propria auctoritate exercerent. In terris immediatis vero manserunt aliqua Iudicia Imperii. Exinde differentia orta fuit inter Iudicia Imperii & Prouincialia. Ista vel ab Imperatore & Imperio dependent, vel Legibus Imperii sunt stabilita; hæc sunt Statuum, in Territorio.

§. XXXV.

Iudicia Imperii vel sunt subalterna, vel summa. Ista sunt, in caussis Statuum primæ instantiæ, & vel Status in genere concernunt, paucis exceptis, vel limitatam saltim ad certum territorium habent iurisdictionem. Inter illa referendum est IVDICIVM AVSTREGARVM vulgo *die Austræge*, quia iisdem caussa quædam controuersa poterit definiri. Austregæ sunt vel Gentilitiæ, *Erb- und Stamm- Austræge*, vel Conuentionales *gewillkührte oder besondere Austræge*, vel Legales, *Gesetzliche Austræge.** Istæ originem suam habent in magno Germaniæ Interregno, ** dum per nouendecim annos nulla Iudicia; nulla Comitia. Nonnullæ itaque Familiæ atque Vrbes Imperiales ex pacto & conuentione sibi tales constituerunt. In istis Austregis autem certæ personæ mutuo consensu constituuntur. Quod si igitur inter Duces

Saxoniæ ſit controuerſia, deputantur vtrinque quatuor Nobiles, & duo Conſiliarii litterati, qui, relaxato iuramento, dominis ſuis præſtito, in cauſſa cognoſcunt. Sic inter Fridericum Thuringiæ Landgrauium & Guilielmum diuitem, Miſniæ Marchionem conuenit, vt quatuor nobiles controuerſias illorum diiudicarent. *** Quod ſi inter Haſſiæ Landgrauios oriatur controuerſia, nominantur tam ex parte actoris quam rei quatuor Nobiles & totidem Deputati Ciuitatum, quibus Adſeſſor Iudicii Aulici & ab vtraque parte ICtus Marpurgenſis adiungitur, idque intra ſpatium ſex hebdomadum. **** Coram his conſtitutis Iudicibus Proceſſus formatur, cauſſa agitur, iſtique curant, qua ratione componi poſſint controuerſiæ, quod ſi fieri nequeat, ad Iudicia ſuperiora prouocatur. † Sic etiam Electores per Vnionem an. 1446. de certo Auſtregarum modo, ſi inter ipſos controuerſiæ fuerint ortæ, inter ſe conuenerunt. †† Eadem ratione, dum Brandenburgici Marchiones fœderi Sueuico accederent inter hos & reliquos fœderis ſocios de certo Iudicii conuenit modo. †††

* Sic diſtinguuntur in CAPIT. CAROLI VI. art. XVIII. *dem Iure Auſtregarum, tam legalium, quam conuentionalium, vel familiarium.* In Ordinatione Camerali a. 1495. §. 25. *Welche ſonderlich gewillkührt Rechtliche Austræg gegen einander haben, der ſollen ſie ſich laut derſelben gegen einander gebrauchen,* Aliæ erant *Bundes-Austræge*, quæ inter Fœderis Sueuici ſocios locum habebant apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. II. p. 180.*

** CONRING *de Iudiciis Germaniæ §. LIII.* S. H. G. *diſſ. XXII. §. XIV.*

*** MÜLLERI *Ann. Saxonici ad a. 1421.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 922.*

**** Patet hoc *aus der Erbeinigung* inter Wilhelmum, Philippum & Georgium a. 1568. inita, apud LVNIGIVM *Fortſ. der II. Contin. p. 789.* in qua: *als nehmlich ſoll der klagende Theil vier von Adel aus ſeinen Rathen und Ritterſchafft, die Landſaſſen ſeyn, vier Raths-Perſonen*

sonen aus seinen selbst oder andern seiner Brüder-Statten, wie das einem ieden gefællig ist, und einem Gelehrten von Hoff-Gericht, desgleichen der beklagte Theil ebenmæssiger VVeise, vier vom Adel aus seinen Ræthen und Ritterschafft, die Landsassen seyn, vier Raths-Personen aus seinen Statten, einen Gelehrten vom Hof-Gericht, und darüber beyde Klæger und Beklagter sæmbtlichen einen Iuristen aus der Vniuersitæt zu Marpurg, innerhalb sechs VVochen, nach geschehener des klagenden Theils Ersuchung, benennen und erwehlen.

† PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. IV. Tit. V. §. 3.*

†† MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. XXIII. §. XX.*

††† DATT *lib. II. c. IX. n. 49.*

§. XXXVI.

Habent etiam certæ Ciuitates suas Austregas Conuentionales. Sic Noriberga Iudices Austregarum in controuersiis cum aliis adgnoscit VVinsheimium & VVeissenburgum Nordgouiæ. Ratisbona habet Augustam, Noribergam & Vlmam. Est prætera in arbitrio actoris, quinque septemue e Senatu Ratisbonensi in Iudices eligere, a quibus ad Cameram possit adpellari. Eslinga habet Vlmam, Reutlingam, Heilbrunnam; Argentoratum olim Basileam, VVormatiam & Vlmam. Et quidem in actoris est arbitrio, locum commodiorem ex his tribus Ciuitatibus eligere, vbi Iudicium hoc habeatur.* Reutlinga primos Iudices habet Vlmam, Eslingam & Gemundam Sueuorum; Dinckelspühla Præfectum suæ Ciuitatis (*Stadt-Ammann*) qui Senatores quatuor iuratos sibi adiungit ex Ciuitatibus, Nördlinga, Rotenburgo ad Tubarim, Hala & VVerda Sueuorum. Suinfurtum conuenitur primum coram eius loci Præfecto Imperiali, qui sibi Senatores aliquot Noribergenses & Rotenburgenses adsciscit. Zell am Hammerbach primos Iudices adgnoscit Hagenouiam, Sletstadtum & Friburgum Brisgouiæ. **

* LIMNÆVS *lib. IX. c. XV. n. 16.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. IV. Tit. V. §. 7.*

** BLVMIVS *Proc. Camer. Tit. XXVI. n. 53.* GOCKEL *de Iurisdictione p. 32.*

§. XXXVII.

Aliæ ſunt Auſtregæ legales, a Maximiliano I. per Ordinationem Cameralem * in Comitiis VVormatienſibus a. 1495. primum inſtitutæ, a Carolo V. poſtmodum in Comitiis VVormatienſibus a. 1521. ** demum per Ordinationem Cameralem an. 1555. confirmatæ. Gaudent hoc Iure omnes Electores, Principes, & Comites, etiam Apanagiati, membra quoque Immediata Imperii, non vero Ciuitates Imperiales, nec mediati. Olim quidem ſoli Electores & Principes iisdem vtebantur, & quidem contra actores ſaltim immediatos. Poſtea vero etiam contra quosuis mediatos, etiam ſubditos. *** Diſtinguuntur iſti, qui Iure Auſtregarum Legalium gaudent in duas Claſſes, prima continet Principes & qui ſunt Principalis dignitatis, vtpote Epiſcopos & Abbates Principales *Fürſten und Fürſtenmaßige Perſonen:* altera continet Prælatos ſimplices, Comites, Barones & Nobiles immediatos. Ratio differentiæ in eo latet, quod primi ordinis perſonæ, Auſtregarum Iure gaudent, quicunque ſit actor, etiam mediatus. Secundi ordinis perſonæ vero hoc Iure ſaltim gaudent, ſi actores non ſint conditionis inferioris. Actor itaque etiam eſſe poteſt mediatus, in primi ordinis, non æque in ſecundi ordinis perſonis. **** Gaudent etiam ſinguli hoc Iure, ſi ab extero conueniantur. †

* ORD. CAM. *de a. 1495. §. 25. VVie Chur-Fürſten, Fürſten und Fürſtmaßige einander zu Recht fordern ſollen.*

** Extat in Ordinatione Wormatienſi tit. XXXIII. *Rechtlich Fürnehmen und Austrag der Grafen und Ritterſchafft gegen Churfürſten Fürſten und Fürſtmaßige.*

*** ORD. CAM. *p. II. tit. IV. & V.*

**** Licet etiam Comites Austregarum Instantia se tueri velint contra actores etiam mediatos, prout singulari Scripto docuerunt, quod extat apud LVNIGIVM *Grundveste p. II. p. 508.*

† ORD. CAM. *de a. 1495. §. 25. 26. 27.* ORD. CAM. *de a. 1555. p. II. §. 2. 3. 4. 5.* STRYKIVS *de foro Austregarum.* Vid. L.B. de LYNCKER *de Grauam. Extraiud. p. 397.* LVDOLFI *Delin. Iuris Cameralis sect. I. §. IV.*

§. XXXVIII.

Iudices Austregarum constituuntur pro diuersitate personarum. Quod si persona primi ordinis conueniatur ab actore eiusdem ordinis, reus quatuor Principes nominat, ex quibus actor vnum eligit, qui per Consiliarios suos litem definit. Quod si vero ab actore secundi ordinis, vel mediato quodam conueniatur, octo viæ per Ordinationem Cameralem Augustanam de an. 1555. fuerunt introductæ, ex quibus tertia & quarta sunt frequentiores, vt reus tres Principes regentes nominet, & actor ex istis vnum eligat, vel a Cæsare impetretur Commissarius. * His viis etiam locus est, si subditi Principem suum velint conuenire, nisi in Prouinciis certa Iudicia fuerint constituta, in quibus Principum caussæ possint tractari, prout in Terris Saxonicis hodie sunt Iudicia Prouincialia, *die Hof-Gerichte*, coram quibus etiam ex ipsorum beneplacito Principum Territorii caussæ possunt terminari. ** Si vero personæ secundi ordinis sint conueniendæ, tunc vel actor a Cæsare petit Commissarium sui Ordinis, vel reus tres ex Electorum & Principum ordine nominat, ex quibus actor vnum eligit. †

* ORD. CAM. *p. II. tit. IV.*

** STRYX *de foro Austregarum n. 25.* Sic enim inter Wilhelmum Saxoniæ Ducem & Status ipsius Prouinciales an. 1446. conuenit, *daß keiner bei Vermeidung der Acht, von denen Vnterthanen*

iemand

iemand vor auslendische Gerichte Geist - oder VVeltliche ziehen, und daß die Chur- und Fürsten zu Sachsen, vermæge der Hofgerichts-Ordnung vor solchen Hofgerichte vvegen ihrer Patrimonial-Güter stehen und recht geben, oder doch gevvillkührte Richter aus der Landschafft niedersetzen lassen vvolten. EVROP. HEROLD *p. I. p. 922.*

† ORD. CAM. *p. II. tit. V.*

§. XXXIX.

In caussis, quæ ad hoc Iudicium sunt deferendæ, generalis est regula, quod caussæ ciuiles saltim, & illæ quidem, quæ per adpellationem ad Cameram possint deuolui, ad illud deferantur. * Excluduntur itaque caussæ feudales, criminales, matrimoniales & quæ ad Reseruata faciunt Imperatoris. Immo, nec omnes caussæ, quæ ad Iudicium Camerale possunt deuolui, ad Austregas spectant. Locum enim Austregæ non habent in caussis illis, in quibus fundata est Iurisdictio Cameralis, nec in caussa fractæ pacis profanæ & religiosæ, fiscalibus, pignorationis, litigiosæ possessionis, arrestorum, mandatorum, protractæ iustitiæ. ** Nec contra Iudicium Rotwilense atque alia subalterna locum habet forum Austregarum, cum ista iamdum sint Iudicia primæ instantiæ.

* ORD. CAM. *p. II. tit. II.* FRIDERVS MINDANVS *Proc. Cam. l. I. c. XVI. XVII. XVIII.* COMIT. RATISBON. *p. V. p. 392.*

** BLVMIVS *Proc. Cam. tit. XXVII.* §. *174.* Plenius de iisdem egerunt GEORGIVS SCHVBHARDVS singulari Tractatu *de Austregis*, & FRIDERICVS LENTIVS *de Priuilegiatis Immediatorum S. R. I. Procerum Instantiis.*

§. XL.

Processus in Ordinatione Camerali est proscriptus. Si quis per sententiam Austregarum se læsum esse sentiat, adpellare

lare poterit vel ad Iudicium Aulicum, vel Camerale. * Sed, si sententia a iudicibus Austregarum lata, suum obtinuerit valorem, quæritur, an etiam illis competat Executio. Sunt quidem, qui contendant, idque ex Ordinatione Camerali, ** vbi ipsis Executio demandatur. Verum COCCEIVS *** satis demonstrauit, hoc Iudicium in sola caussæ definitione consistere, atque in Ordinatione non executionem sententiæ, sed instantiæ, *von Ausübung erster Instantz* saltim intelligi. Confirmatur etiam hoc praxi, dum vel Cæsar, si ipse Commissarium dedit, super executione implorari solet, vel Camera, vt illam Duci Circuli committat. † Vix tamen hodie amplius ad hoc Iudicium prouocatur, dum rei eidem, ob nimios, quos requirit sumtus, soleant renuntiare, quod tamen nec inuito actore, nec reo licebit. ††

* ORD. CAM. *p. II. tit. VI.* ORD. IVD. AVL. *tit. II.*

** *Tit. IV. §. 14. vor denen die Hauptsach und Execution in erster Instantz gebæret.*

*** Erudita Dissertatione *de notione & executione Austregarum, Francofurti ad Viadrum 1690.*

† EVROP. HEROLD *Tom. I. p. 923.*

†† Quare etiam Elector Palatinus in caussa Wildfangiatus ad Forum Austregarum prouocabat, de quo DIARIVM EVROPÆVM *App. Tomo XIII. p. 605.*

§. XLI.

Huic fere adfine est Iudicium Compromissoriale. An. 1273. inter Rudolphum Habsburgicum & Episcopum Basileensem conuenit, vt, quæ inter ipsos esset controuersia per Fridericum, Noribergensem Burggrauium, quem nominauerat Rudolphus, & Henricum, Hochbergicum Marchionem, ab Episcopo electum, decideretur, quibus si per negotia adesse minus integrum foret, Henrici duo, Fürstenbergicus &

Gerolzeggius substituerentur. * Eadem ratione controuersia de Terris Ducatus Meraniæ inter Hermannum Bambergensem & Comites Orlamündanos per Compromissum an. 1293. fuit composita. ** Anno 1444. in controuersa successione Hennebergica in Gotfriedum Würtzburgensem Episcopum fuit compromissum. *** Eodem modo controuersia inter Ludouicum Bauarum & Albertum Marchionem Brandenburgicum a. 1459. controuersia per arbitros ab vtraque parte constitutos fuit composita. **** In caussa dissidiosæ Electionis in Episcopatu Argentoratensi a. 1592. arbitrium VI. Principem locum habuit. ***** Nec desunt exempla recentiora. In controuersia enim Wildfangiatus ad Galliæ & Sueciæ Reges fuit prouocatum, qui etiam per Laudum Heilbrunnense a. 1666. omnem controuersiam definiuerunt. † Idem factum in caussa Palatina, ratione Successionis Aurelianensis, quæ demum a. 1702. per Papam fuit definita. ††

* GERM. a ROO *Ann. Austr. p. 12. 13.* WVRSTEYSEN *Basler Chronic. lib. II. c. XXI.* FVGGER *lib. I. c. VIII. p. 75.* qui etiam Litteras Compromissi super hoc negotio exhibet.

** In Archiuo Plassenburgensi reperitur hoc Compromissum, in quo: *Nos Heinricus Comes de Hennebercbr, Eberhardus de Stutzzelberch, Heinricus Aduocatus de Wida, Herdenus de Grindla, Wolframus Pincerna de Ruth, Eberhardus de VValdenuels, constare volumus vniuersis, quod super dissensionem, quæ inter venerandum Dominum nostrum Bertholdum, Bamberg. Episcopum ex parte vna, & Nobiles viros Hermannum & Ott. Com. de Orlamund ex altera, pro Feudis & Bonis relictis per mortem Ducis Merani vertebatur, in nos exstitit compromissum, prius a Dno Episcopo, & a Com. Herman. pro se & fratre suo corporali præstito iuramento, quod vtrinque Ordinationi nostræ, quam inueniremus per amicitiam & Iustitiam obedirent.*

*** De

*** De hoc MVLLER *Friderico, I. Vorst. c. IX.* §. *X.*
**** Extat ista apud MVLLERVM *Friderico, III. Vorst. c. XI.* §. *3.*
***** S. H. G. *diss. XXIV.* §. *XI.*
† S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XIV.*
†† S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *LXXXVIII.* Plura Exempla vide apud LEHMANNVM *lib. VII. c. CVII. CXIV.* DATT *lib. I. c. XXVII. n. 62.*

§. XLII.

Alia sunt Iudicia quidem Imperii, sed, dum ipsorum iurisdictio ad certum saltim Territorium sit restricta, particularia. Inter hæc primo loco memorandum est IVDICIVM ROTWILENSE, *das Rotweilische Hofgericht.* Originem huius Iudicii vulgo repetunt a Conrado III. qui Rotwilæ in fidei præmium, atque præstiti contra Lotharium auxilii, illud an. 1146. concesserit. * Verum, dum in ipsa Conradi Ordinatione ** huius Iudicii, dicatur, quod antiquitus constitutum, *von Alters her*, facile concludimus, antiquitus iam fuisse, sed mobile olim, vsque dum Conradus Rotwilæ sedem figeret perpetuam. *** Idem postea Maximilianus I. a. 1496. singulari Priuilegio confirmauit. ****

* MAVRITIVS *de Iudicio Rotwilensi c. II.* §. *4.*
** Extat ista apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. f. 6.*
*** LEHMANN *lib. V. c. L.* S. H. G. *diss. XVII.* §. *XII.*
**** Extat illud apud MVLLERVM *Maximiliano, IV. Vorst. c. XXIX.* §. *XI.* LVNIG *Cont. p. Gen. p. 168.*

§. XLIII.

Dependet igitur hoc Iudicium a solo Imp. qui ipsi iurisdictionem concessit, id quod etiam nomen indicat, eo quod *Kayserlich Hoffgericht* audiat, licet Rupertus Imp. illud etiam vocauerit *unser und des Reichs Land-Gerichte* * atque

proximum olim erat a Iudicio Palatino, ** cui iuri tamen Maximilianus I. derogauit. Iudex, vel præses Iudicii ab Imp. constituitur, & licet olim munus esset arbitrarium, a temporibus tamen Ruperti Imp. illud Comites Sultzenses hæreditario iure possederunt. Mortuo vero a. 1687. Io. Ludouico, ex Comitibus Sulzensibus vltimo, vxor Ferdinandi, Principis Schwartzenbergici, Maria Anna, defuncti Comitis filiarum primogenita, in Terras Sultzenses successit, atque filiis ipsius concessa est hæreditaria Iudicis in hoc dicasterio dignitas.*** Vice-Præsidem, qui ex Comitum vel Baronum numero sumitur, ex Priuilegio Ruperti ipse eligit Iudex, **** & vocatur *Erb-Hoffrichter*, *Ambts-Statthalter.* † Adsessores partim ex Equestri Ordine, partim ex Senatu Rothwilano, ex Septemuiris, *von denen Siebenern*, ad huiusmodi munus, sub iuramento singulis annis constitutis, præuio Iudicis & reliquorum Adsessorum examine, deliguntur. ††

* Prout SCHILTERVS *lib. IV. Tit. IX.* hoc ex diuersis Litteris declarat, vti etiam Iudex vocatur: *unser und des Richs Landrichter zu Rotwil.* Indeque distinguitur *vom Kœnigl. Hof-Gerichte.*

** Patet hoc ex procemio Primæ Ordinationis Conradi in quo vocatur: *das negst und vvürdigst des Heyl. Reichs Gericht seyn soll nach dem Hoffgericht, dass ein Rœm. Kayser oder Kœnig in seinem Kayserl. oder Kœnigl. Hof hielte.* Et in Priuilegio Maximiliani I. *unserm Hofgericht zu Rotvveil als dem Oberſten Gericht in Teutschland.*

*** IMHOF *Not. Proc. lib. VII. cap. XIV.* §. 5. EVROP. HEROLD *p. I. p. 590.*

**** SCHILTER *Instit. I. P. lib. IV. Tit. IX.* §. 2.

† Prout videre est ex decreto, quod exhibet ERN. GOCKELIVS *de Iurisdictione p. 28.*

†† SCHVVEDER *p. spec. sect. I. c. XIV.* §. 59.

§. XLIV.

§. XLIV.

Iurisdictio Iudicii Rotwilensis non est vniuersalis, sed ad certas Terras restricta. Circumscripta enim saltim est Circulo Austriaco, Sueuico, Rhenano, Franconico, * in Status & membra immediata. Licet etiam in his plures ab eodem vel speciali Priuilegio, vel consuetudine, præscriptione, ordinatione vel Transactione sint exemti. Sunt autem potissimum Electores, Austriaci, Episcopus Bambergensis, Herbipolitanus, Argentoratensis, Comites Palatini, Marchiones Brandenburgenses, Duces Würtenbergenses, plures Prælati & Comites, Ciuitates Imperiales & Nobiles Immediati. **

* Limites circumscribuntur in Maximiliani I. confirmatione Priuilegii Rotwilensis & Maximiliani II. reformatione, MAVRITIVS *cap. II. §. 5.*

** MAVRITIVS *cap. II. §. 9. 10.* Hos exemtos prolixe recenset GOCKELIVS *de Iurisdictione p. 114.* Priuilegium Exemptionis Würtenbergensis exhibet LVNIG *Cont. II. Fortſ. p. 714.*

§. XLV.

Neque tamen solum in Status & Membra immediata Imperii Iurisdictionem exercet, sed etiam in omnes dictorum Circulorum subditos mediatos, ex reliquiis iurisdictionis Imperatoriæ, quæ in mediatos etiam olim se extendebat. Hinc concurrentem Iurisdictionem habet cum Magistratibus ordinariis, ita, vt præuentioni sit locus. * Quare multi Status ratione subditorum, Priuilegia exemtionis impetrarunt, & si Priuilegium exemptionis exhibuerint, caussas ad hoc Iudicium delatas, si iusto tempore fiat, possunt auocare. Certæ tamen caussæ sunt reseruatæ, vulgo dictæ *Ebehafften*, quarum 28. numerantur, in quibus exemptionis Priuilegium

 locum

locum non habet. Nihilominus contra hos etiam casus, excepto casu denegatæ iustitiæ, priuilegiati sunt Electores, Domus Austriaca, Episcopus Argentoratensis, Dux Würtenbergensis. **

* WEHNERVS *ad reformat. Iud. Rotwil. p. II. tit. I. p. 17.*

** *Ref. Iud. Rotwil. p. II. tit. V.* MAVRITIVS *cap. II. §. 11. & Cap. Tertio.*

§. XLVI.

Caussæ, quæ ad Iudicium hoc Rotwilense deferuntur, sunt omnes, siue sint voluntariæ, siue contentiosæ iurisdictionis, caussæ etiam fractæ Pacis religiosæ & profanæ, immo caussæ mediatorum criminales. Excipiuntur tamen caussæ Ecclesiasticæ, & matrimoniales atque Reseruata Imp. Iudicium est Ordinarium, quare defuncto etiam Imp. continuatur sub Vicariatu Palatino. Ab ipso adpellatur vel ad Cameram vel ad Iudicium Aulicum. In casibus vero, quibus propter protractam vel denegatam iustitiam, nullitatem & iudicis recusationem, vel aliam ob caussam citra adpellationem ad Superiorem deuoluitur Iurisdictio, non ad Cameram, sed Iudicium Aulicum solum poterit adpellari. Ordinationem primam fecit Conradus III. a. 1146. Sed tempore Maximiliani II. a. 1572. noua prodiit, quæ hodie adhuc est in vsu. Processus in plerisque obseruatur Cameralis, nisi Reformatio iudicii alium indicet, qui breuior esse solet. *

* Vid. R. I. Wormatiensis *de an. 1521. §. 17.* & plenius de singulis MAVRITIVS *de Iudicio Rotwilensi cap. II. & III.* Facit huc: *alte und erneverte Ordnung und Reformation der Ræmischen Keyserlichen Maiestæt, Keyserl. Hoffgerichts zu Rotwveyl cum Notis & Obseruationibus* PAVLI MATTHIAE WEHNERI, *Francfurt 1610. f.* & IO. GEORGII VON ZIMMERN *Manuale Cæsareo-Dicasteriale, Constantiæ 1679. 8.* qui potissimum singula huc facientia probe annotauit.

§. XLVII.

§. XLVII.

Ast, licet hoc Iudicium tam antiquum, multæ tamen de eodem Ordinum sunt querelæ, * qui non semel eiusdem abolitionem, etiam in Tractatibus Pacis Westphalicæ petierunt, quod tamen ad proxima Comitia fuit reiectum. ** Dum etiam de eodem an. 1653. in Comitiis ageretur, Comes Sultzensis, & Senatus Rotwilanus pro hac impedienda exhibuerunt Memoriale, quod vocarunt, *Handhab der Rœm. Kayserlichen Maiestat, ubralten Kayserlichen Hoffgerichts zu Rotweil*, *** in quo adducuntur rationes: Dicasterium hoc esse solius Cæsaris, Rotwilensibus in remunerationem; præsidis munus Comitibus a Sultz in feudum concessum. Inde in Capitulationibus Electores Leopoldum † & subsequentes Impp. saltim obligarunt ad abolendos huius & aliorum Imperii subalternorum iudiciorum abusus, & ne concedatur, vt in eodem, ad nudam subditorum instantiam, mandata cum & sine clausula extrahantur. Hinc ordinarie Reformatio huius iudicii Imp. competit, & licet in R. I. Ratisbonensi de an. 1532. constitutum, reformationem fieri debere a Visitatoribus Cameræ, factum tamen hoc ad preces Statuum ex concessione Imperatoria. ††

* Patent istæ ex R. I. Wormatiensi *de a. 1521. §. 17.* ex CAPITVLATIONE MATTHIAE *art. XVI.* FERDINANDI II. *art. XVII.* potissimum Comitiis Ratisbonensibus 1641. de quo Recessus *§. XCIII.* s. u. c. *diss. XXVI. §. XV.*

** INSTR. PACIS *art. V. §. 29.*

*** Extat in LONDORPII *Tom. VII. lib. VI. c. CCXLVII.* LVNIGS *Grundveste p. II. p. 584.* BVRGOLDENSIS *Discurs. ad Instr. Pacis p. II. d. XX. p. 033.* SCHILTER *Tom. II. Tit. XIX. p. 55.* DIARIVM EVROP. *App. Tom. VI. p. 45.*

† *art. XVII.* CAROLI VI. *art. XVIII.*

†† MAVRITIVS *c. II. §. 56.*

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Sueuia olim plura eiusmodi nouit Iudicia Imperialia. Iudicia hæc post Interregni magni potissimum tempora, hinc inde fuerunt statuta, ad seruandum Pacem publicam, sopiendis controuersiis vtilia. Hæc autem Iudicia in terris mediatis in Ducum Principumue venerunt potestatem, qui constituerunt *Land-Gerichte*, *Hof-Gerichte.* In terris vero immediatis remanserunt Iudicia Imperialia, *Kayserliche Land-Gerichte.* * Tale est Iudicium *Schwattzabense* in Comitatu Bregantino, ** Comitatus *Maurstettensis*, *Schaltbacense*, in Comitatu Heiligenberg, *Osttingense*, *Campidonense*, Comitum *Fürstenbergensium* & *Montfortensium*, *** *Stockacense* & *Siffingense*, *Nellenburgense* Austriacorum, quæ singula Iudicia olim Imperialia in Sueuia, ac peculiaria a Cæsaribus obtinuerant Priuilegia, coram quibus etiam immediati poterunt conueniri, quæ & facultatem Banni habebant, **** licet Immediati iisdem se sensim subduxerint, vt saltim fierent Territorii. *Frauenfeldense* ***** Heluetiis fuit relictum.

* Prout etiam adseruit DATT *lib. I. c. XVIII. n. 20.* atque in HIST. IVR. *cap. VI.* § *XXX.* demonstrauimus.

** Extat in DEDVCT. LINDAV. *p. 668.* sententia, cum hoc initio: *Ich Walthere in freye von Thorenbeuren Landrichter zu Schwartzach, an des Edlen Statt Grafen Huges von Bregentz.*

*** Inter Diplomata ÆNEÆ SYLVII *Historiæ Friderici III. subiecta p. 40.* reperitur Confirmatio Caroli V. super Priuilegio Friderici III. *daß gemelter Hans Casper und weyland Hanß von Laubenburg und Ir Erben und Nachkumen alle Ire Sloß, Guter, Aigen und Vogtleut, Diener, Vnterthan, Hindersessen und Zugewanten dem Landgericht, so weyland sein Maiestat weyland Graff Haugen von Montfort zu Rettenfels in der Graffschafft aufzurichten vergunnt und erlaubt hat, nach desselben Grafen und seinir Erben und Nachkomen Gebotten noch Verbotten gantz nicht underworffen noch verpflicht seyn sollen.*

**** De

**** De his vberius BVRGERMEISTER *Ritter-und Grafen-Saal p. II. sect. XLIX. p. 294.*

***** De hoc LVDEWIG *Germ. Princ. lib. I. cap. IV.* §. *XLIV.* ex IO. FRANC. DIETRICH *de Tribunalibus Imperii Germanici pag. 231. ab oppido Frauenfeld in Turgouia. Prouinciale hoc Iudicium Sueuiæ Ducibus vsque ad Cunradini obitum permansit a. 1268. Quapropter etiam Rudolfus Habsburgicus filium illo Iudicio inaugurauit. Sigism. Constantiæ oppignorauit hoc Iudicium, sed hac excidit possessione 1499. Inde Austriacorum Iura illud Maximilianus I. detulit Heluetiis.* De his Iudiciis etiam legi possunt IO. GEORG KIEFFER *de Sereniss. Habsburgo-Austriaco-Germanica Domo qu. XLII.* & IO. FRANC. BALTHASAR *de Iudiciis S. R. Imperii*, HIST. IVRIS *cap. VI.* §. *XXXIII.*

§. XLIX.

Tale adhuc obtinet Iudicium *Ranckweilanum* a pago Ranckweil sic dictum, non procul a Veldkircho dissito, quod olim duodecim Adsessores S. R. I. Comites habuit & Barones, quorum Familiæ tamen plerumque fuerunt extinctæ. * Præter hoc IVDICIVM est PROVINCIALE SVEVICVM, *Kays. Land-Gericht in Ober-und Nieder-Schwaben.* Hoc enim olim ipsi Sueuiæ Duces in loco publico, dicto *Künig-Stuhl*, vice Imperatoris exercuisse videntur. ** His vero extinctis, remanserunt eiusdem reliquiæ. Hodie eius Iurisdictio se extendit in certos limites ad Danubium, *** atque in tribus Ciuitatibus Imperialibus, Rauensburg, Wangen, Isney habetur, ac in pago Altdorf, *genannt Weingarten.* Quolibet loco tot constituendi Adsessores, vt singulis Iuridicis duodecim illorum præsto esse possint. Concurrit in Iurisdictione cum Statibus Circuli Sueuici non priuilegiatis, licet etiam casus reseruati, *die Ehehafften*, hic locum habeant. **** Adpellatur ab eodem ad Cameram. Et licet Archi-Duces Austriæ, ad Iudicium su-

 pre-

premum Oenipontanum prouocationes fieri debere contendant, eo quod Aduocatiæ Prouinciali Sueuiæ sit adnexum, quæ Archi-Ducibus competat Austriacis. Confirmata tamen fuit per Capitulationem Impp. recentiorum ***** prouocatio ad Cameram. Aliud in Sueuia Iudicium prouinciale est *auf der Leutkircher Heyde in der Pürsch*, † cuius Iurisdictio se saltim ad districtum Ciuitatis Leutkirchensis extendit. Exhibita fuerunt X. Nouemb. 1645. Osnabrugæ Grauamina, *von Aufhebung der Kayserlichen Land-Gerichten in Francken, Schwaben und am Rheinstrom*, eo quod hodie sint superflua, pars aduersa variis instantiis diuexetur, Iuri Territorii Statuum obsint, Iuris etiam scientia, sæpe in Adsessoribus desideretur: immo ignorari ista in aliis Germaniæ Prouinciis. Austriaci tamen illa, tanquam Sueuiæ Aduocatiæ adnexa voluerunt conseruari, atque per eorundem abolitionem Domui Austriacæ præiudicium adferri haut debere. ††

* GEORG SCHLEE in Relat. Histor. inf. Rhet. p. 9. *Priuilegium huius Iudicii erat antiquissimum, quod ab huius Iudicii sententia ad alia prouincialia Iudicia non potuit prouocari. Immo, a Iudicio prouinciali Sueuico in transactione a. 1533. latrocinia, furta, incendia aliaque criminalia poterat auocare.* De hoc etiam DEDVCT. LINDAV. p. 627 *zu Ranckwyl in der Graffschafft Feldkirch, dahin vor Alters die Herrschafften Iagberg, Blumenegg und Neuburg am Rhein gehœret, und theils noch gehœren.* BVRGERMEISTER *c. l.*

** Patet hoc ex Diplomate Friderici Sueuorum Ducis de an. 1224. in caussa Salmansweilerensi, in quo: *notum facimus cunctis tam futuris quam præsentibus, nobis in publico placito, quod dicitur Chunigesstuhl cum vniuersis Principibus totius Sueuiæ consedentibus Christianum Abbatem de Salem super tali grauamine querelam deposuisse.* Vid. SALMANSWEILERISCHE DEDVCTION *contra Heiligenberg p. 13.* Hic forsan erit *der Kaisers-Stuhl* in campis Lyci, de quo diximus *cap. III. fin.*

*** In Ordinatione huius Iudicii p. I. tit. I. ita describuntur: *über die*

Donau biß an das Land Würtenberg, und biß an den Lech, dem Lech nach hinauf gen Reit an die Brücken, darnach hinüber auf Tachheim, an die Graven-Pünde, zu Anfang des Schweitzer Lands, folgends gen Costantz, auch herüber auf Stockach, und von dannen, so weit sich der Bezirck des Schwaben-Lands erstreckt.

**** BESOLDVS *vom Land-Gericht in Schwaben*, atque vberius BVRGERMEISTER *c. l. p. 296.* GOCKEL *de Iurisdictione p. 29.* Processum huius Iudicii singulari cura descripsit ANDR. CHRISTOPH. SCHNEIDERVS.

***** *art. XVIII.* Iosephi *art. XVII.* CAROLI VI. *art. XVIII.* dicitur: *von mehr erwehnten Hof- und Land-Gerichten, entweder ad Aulam Cæsaream, oder an unser und des Reichs Cammer-Gericht, ohne einige unsere VViderred oder Hinderung zu appelliren.*

† LIMNÆVS *enucl. lib. IV. c. LXXV.* BVRGERMEISTER *p. 294. 309.*

†† Extat etiam apud LVNIGIVM *Grundveste p. II. c. III.* Informatio Austriaca contra abolitionem horum Sueuiæ Iudiciorum.

§. L.

In Franconia bina sunt Imperii Iudicia. Inter hoc præcipuum est IVDICIVM PROVINCIALE BVRGGRAVIATVS NORIBERGENSIS. Hoc olim Norībergæ instituebatur, postea, ex Priuilegio Friderici III. an. 1456. Alberto, Marchioni fuit concessum, vt alio in loco, vel in Burggrauiatu, vel in aliis Terris suis instituatur, inde Cadolsburgum, Neustadtum, demum Onoldum fuit translatum.* Idem Imp. aboleuit an. 1454. omnia Priuilegia, quæ huic Iudicio in contrarium fuerint concessa, ** atque voluit, vt Iudex vice Imp. iudicaret. *** Dum autem Albertus Marchio Iurisdictionem suam etiam in terras Bauaricas extenderet, **** grauis inter ipsum & Ludouicum Bauariæ Ducem exorta fuit controuersia, quæ per arbitros an. 1459. fuit definita, ita, vt Albertus Litteras quasdam Friderici III. contra ipsum impetratas redderet. Quo in Comitiis Noribergensibus an. 1459. facto, Ludouicus illas

coram omnibus lacerauit, ideoque ab Imp. fuit proscriptus & graue contra ipsum bellum fuit commotum. *****

* Prout LIMNÆUS *Addit. ad lib. V. c. VII. p. 749.* animaduertit.

** Extat illud apud LUNIGIUM *p. spec. III. Abs. p. 14.* Idem extat apud MÜLLERUM *III. Vorst. c. XI. §. II.* Confirmauit illud idem Fridericus a. 1456. apud LUNIGIUM *p. 15.* & a. 1457. *p. 17.*

*** Sic enim in dicto Priuilegio: *und dasselb Land-Gericht mit mancherley Freyheit und Rechten aufgesetzt, geordnet, gemacht, und also gefreyet sey, daß ein Land-Richter desselben Land-Gerichts, an des Kaysers statt, auf demselben Land-Gericht sitzet, und also richtet.*

**** ADLZREITER Ann. Boiic. p. II. lib. VIII. n. 29. p. 176. *Res nouas moliebatur Albertus fretus Cæsariis tabulis, quibus aiebat, factam sibi, velut constituto vniuersæ Germaniæ Prætori, esse potestatem, quemuis ex Germanico Imperio, in arcem Caroloburgum, auctoritate publica, pro arbitratu ad suum tribunal, veterum more, citandi. Alberto sese Episcopus Eistadianus fœdere, cum nonnullis aliis sociant, communibus armis vim Ludouico illaturi, vel prohibituri. Ad Ludouicum accesserunt Herbipolensis & Bambergensis Episcopi.*

***** Prout TRITHEMIUS *Chron. Hirsaug. p. 434.* vberius demonstrauit, & ex eo ADLZREITER *c. l.* MÜLLER *Friderico, III. Vorst. c. XI.* S. H. G. *diss. XXX. §. XXXVIII.*

§. LI.

Exercent igitur Brandenburgici Marchiones hoc Iudicium Imperiale, * qui etiam a Carolo IV. Imp. Priuilegium an. 1355. obtinuerunt substituendi, *einen erbaren Ritter an ihre statt zu setzen.* ** Hinc Marchiones vnum ex Nobilibus Præsidem constituunt huius Iudicii. Quater in anno Onoldi adhuc celebratur, quod vocari solent die *4. Hohen-Gericht,* ad quæ vterque Marchionum vnum ex Consiliariis Nobilibus, Magister Ordinis Teutonici Commendatoren in Ellingen & Virnsberg, Noriberga duos ex Senatu ablegat, qui ab Adsessoribus Ordinariis de Processibus coram hoc Iudicio institu-

tis informantur, atque adsunt publicationi sententiarum. Extendebat hoc Iudicium olim limites suos, vti diximus, etiam extra Franconiæ fines in Sueuia, Bauaria & Terra Rhenensi, contra Principes etiam aliosque immediatos, licet hodie eiusdem Iurisdictio admodum sit circumscripta, dum Bauari, Bambergenses & Eyhstadtenses eidem Iudicio se subduxerint. *** Olim etiam Burggrauiorum Principes filiæ Renuntiationes coram hoc Iudicio faciebant, immo ipsi Burggrauii eidem se subiiciebant. **** Et, dum Iudicia Duellica olim apud Germanos obtinerent, de Duellis etiam iudicabat, † ideoque singularis publicata fuerat Constitutio, dicta *Ordnung des Kampffs des Burggraffthumbs zu Nürnberg.* †† Ab eodem Iudicio vero adpellatur vel ad Iudicium Aulicum, vel Camerale, si summa concernat 800. florenos Rhenenses, idque ex Priuilegio Ferdinandi II. †††

* Priuilegium Rudolphi Habsburgici de a. 1 2 8 1. apud LIMNÆVM Addit. ad lib. V. c. VII. p. 745. in quo: *Iudicium prouinciale in Nurnberg, cui etiam vice Imperatoris existens, omne iudicium iudicans exercebit.* Eadem repetuntur in Diplomate Ludouici Bauari a. 1 3 2 8.

** LIMNAEVS *p. 749.*

*** Extat Dn. PACHELBL a GEHAG *de Iudicio Prouinciali Noribergensi* Tractatio singularis.

**** Eiusmodi Litteræ plures reperiuntur in Archiuo Plassenburgensi. Tales de a. 1439. *Ich Wilhelm von Rehperck zu haben Rehperck Cent-Richter zu Nürnberg. Tue kuntt mit diesem Briefe daß für mich komen in Gericht der Hochgeborn Furste und Herr, Herr Friderich Marggraue zu Brandenburg des Heiligen Rœmischen Reichs Ertz Cammerer und Burggraue zu Nürmberg der Elter &c.* Tales sunt Litteræ apud GASTELIVM *de Statu Europæ f. 785.* cum eiusmodi initio: *Ich Heinrich Schencke, von Lautershausen genant, Land-Richter zu Nürnberg, thue kund mit diesem Brieffe, daß für mich*

kame in Gerichte Iohannes Secreuter, an statt von wegen mit vollen und gantzen Gewalt, des Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Iohannes Burggraffen zu Nürnberg &c. Confirmatur autem in hisce Litteris Burggrauio Johanni omnis Terra.

† HENR. REBDORFFIVS ad a. 1359. *in die Marci & Marcellini Martyrum simile Duellum habuit in Iudicio Prouinciali Burggrauii.*

†† Extat apud LIMNAEVM *p. 750.*

††† BVRGERMEISTER *Grafen-Saal p. II. sect. LII. p. 321.*

§. LII.

Alterum Iudicium Imperii in Franconia adhuc obtinet HERBIPOLENSE, *das Kayserliche Land-Gericht des Hertzogthums Francken zu Würtzburg.* Hoc Iudicium ab eo tempore cœpit, postquam Iudiciariam potestatem in Terris suis Episcopus sub Ducis Titulo ex Priuilegio Friderici I. fuit adeptus. * Et dum Episcopi Iurisdictionem suam extenderent vlterius, diuersæ Ciuitates Imperiales exemtionem ab eodem Iudicio petierunt. ** Ab hoc Iudicio primum ad Episcopum, inde ad Cameram prouocatur. *** Obtinuit etiam olim Iudicium Imperiale Rotenburgi ad Tubarim, quod tamen a Ruperto Imp. Ciuitati pretio fuit concessum. †

* Sic enim in dicto Priuilegio de a. 1168. *confirmamus omnem Iurisdictionem s. plenam potestatem faciendi iustitiam per totum Episcopatum & Ducatum Würtzburgensem & per omnes Cometias in eodem Episcopatu & Ducatu sitas de rapinis & incendiis, de allodiis & beneficiis, de hominibus & de vindicta sanguinis &c.*

** Vtpote Hala Suecorum apud LIMNAEVM *lib. VII. c. XXV. num. 7.* Hailbrunna a. 1487. KNIPSCHILD *de Ciuit. Imp. p. 736.* Comites Wertheimenses a. 1503. Vid. *VVertheimischer Gegenbericht de a. 1617. p. II. p. 7.*

*** Prodiit *des Hochlœblichen Stiffts VVürtzburg und Hertzogthumbs Francken Kayserl. Landgerichts-Ordnung.* Vberius de hoc Iudicio egit

egit GYLMANNVS *Tom. VI. Symphor. cap. VIII.* & BVRGERMEISTER *Grafen-Saal p. II. s. LII.*

† BVRGERMEISTER *c. l. sect. LIII.*

§. LIII.

Summa vero hodie in Imperio Tribunalia, ad quae non solum ab istis subalternis, sed etiam omnibus Iudiciis Prouincialibus, nisi quae Priuilegio de non adpellando fuerint munita, poterit adpellari, sunt IVDICIVM AVLICVM & CAMERALE, IVDICIVM AVLICVM olim dicebatur *das Kayserliche Cammer-Gericht, vel das Kayserliche Hoff-Gericht,* * hodie *des Reichs Hoff-Gericht*, vel vt plurimum *der Kayserliche Reichs-Hoffrath.* ** Originem suam hoc Iudicium habet a Iudiciis Palatinis, quae res arduas & maioris momenti iudicabant. *** Quare etiam Imp. extra Germaniam tendente illud Palatino Comiti erat demandandum. **** Dum autem inter Germaniae Turbas controuersiae illustrium, vel armis, vel per arbitros, vel in Comitiis etiam deciderentur, constituta fuerunt in diuersis Germaniae Ciuitatibus Imperialibus, potissimum Noribergae & Constantiae, certa Iudicia, quibus certi Principes, Comites atque Dynastae, tanquam Iudices Palatini, *Hoff-Richter* fuerunt praefecti. ***** Inde saepius deliberatum fuit de Iudiciis Imperii in melius efformandis, in Comitiis Francofurtensibus a. 1435 & aliis ****** idemque in Comitiis Moguntinis an. 1444. factum, atque consilia agitata, qua ratione Iudicium Camerale possit constitui, ad illud etiam sedecim Adsessores Iurium periti destinati. † Huic Camerali Iudicio quatuor Iudicia Aulica *Hoff-Gerichte* debebant esse subordinata. In Viennensibus Comitiis a. 1470. de eodem fuit deliberatum. †† Demum tale

le Iudicium in Comitiis Auguſtanis a. 1472. in illa Ciuitate fuit inſtitutum, eiusdemque Præſes Adolphus Moguntinus conſtitutus, cui ſubordinati fuerunt diuerſi Iureconſulti. ††† Scriptis etiam mandata fuit Ordinatio huius Iudicii, †††† quæ tamen a Statibus haut adprobata. In Comitiis Auguſtanis a. 1473. idem Iudicium locum habuit. †††††

* Prout DATT *lib. IV. c. I. n. 19.* demonſtrauit.

** REFORMATIO FRIDERICI *de a. 1442. §. 44.*

*** De his ſupra *c. XX. §. VII.*

**** SCHWABEN-SPIEGEL c. XXIV. *Aber über der Fürſten Leib und über ihr Geſynd ſol nyeman Richter ſeyn ee wann der Künig. Vnd kehrt der Künig von Teutſchen Land, ſo ſol er dem Pfaltzgraven von dem Rheyn den Gewalt geben daß er Richter ſey an des Künigs ſtatt über der Fürſten Leib, und gibt er ihm den Gevvalt nit, ſo hat er nit recht daran.*

***** DATT lib. I. c. XVIII. n. 15. *Das die Röm. Kaiſer vor der Zeit, ehe die ordentliche Land- und Cammer- Gericht im Reich aufgerichtet worden, und eine Zeitlang darnach in Maleſiz-Sachen gewiſſe Ordnung gemacht, bißweilen 10. in 12. gewiſe Perſonen zu Iuſtitiariis und Richtern geordnet, die mehrentheils in Mitte des Ober-Teutſchlandts, auch zu Nürnberg, etliche auch zu Coſtanz ihre VVohnung und Reſidenz gehabt, und ſeyen die Verordnete über den Land-Frieden genennet worden: haben auch zu Zeiten, oder deren Hauptmann die Reichs-Voigthey zu Nürnberg vervvaltet, und finden ſich in glaubvvürdigen Vrkunden, Ruprecht Hertzog zu der Ligniz, Friedrich von Seldeneck, zu Zeiten Kayſers Caroli IV. Arnold von Seckendorff, Günther Graff zu Schvvartzenburg, VVilhelm Graff zu Orlamünd, Michel Burggraf zu Magdeburg. Heinrich Burggraff zu Meiſſen und Herr zu Plau, Iohannes Graff zu VVertheim. Iohannes Graff zu Sponheim, Cunrad Herr zu VVinſperg des Römiſchen Reichs Erb-Cammerer und andere mehr.*

****** Vid. WENCKER App. Archiv. p. 327. *daſs der Römiſche Kayſer ſein Kayſerl. Hoff-Gericht mit ſeinem Hof-Richter und den Rittern, die von Rechte daran ſitzen ſollend, und darzu gehören, beſtelle.*

† Sic

† Sic enim in declaratione Friderici III. apud MVLLERVM *I. Vorst. c. V. p. 65. das im Hayligen Roem. Reich teuzscher Nation fürbashin das Recht des H. Reichs Cammer-Gericht sol mit erbarn dapffern unparteilichen unverleumbten Mannern sechzehen besetzt werden. Nemlich zwen von Fürsten, zwen von Graven und Herrn, zwen von der Ritterschafft, drey von Stetten des Reichs, drey von den gemeyn Fürsten-Stetten im Reich, und vier von allen Commun und Gemeynden im gantzen Roemischen Reich, das ir aller zusammen sechzehen sey. Die sollen ongeverlich im Reich ein Grauen oder Herrn erwelen, der ihr Obman und des Heyligen Reichs Cammer-Richter sein sol, damit das Gericht alweg besezt bleibe.*

†† DATT lib. IV. cap. I. num. 40. *Cum vero sic certum sit, consilia Electorum saluberrima de constituendo Camerali Iudicio (peculiari scil.) ad exitum non deducta, de Camerali iterum, siue Aulico Imperatoris Iudicio certis legibus ordinando, de constituendis Assessoribus, & forma Processus in variis conuentibus deliberari coepit. In Viennensi praesertim Diata, qua anno 1470. per duos menses habita, cuius etiam in Chronico Hagecii Bohemico part. 2. ad A. C. 1470. mentio sit, eius fundamenta quaedam iacta sunt.* MVLLER *Friderico, IV. Vorst. c. XLIX.*

††† Mentio eiusdem fit in Decreto Imp. sub dato Neustatt 17. Oct. 1472. quod exhibet GOLDASTVS *Tomo II. der Reichs Satzungen f. 169.* & MVLLERVS *Friderico, V. Vorst. c. XXIX.* §. 2. vbi in pr. *das für unser Kayserl. Cammer-Gericht, so der Erwürdig Adolph Ertz-Bischoff zu Maintz - - - mit den Ersamen unsern Rathen, den Rechtsgelehrten und des Reichs lieben Getrewen auff den 25. Monats-Tag Aug. nagst vorgengen an unser Statt besessen hat.*

†††† Extat ista apud MVLLERVM *V. Vorst. c. XXIX.*

††††† WERLICH Augspurg. Chronic p. II. p. 227. *Auff diesem Reichs-Tag befahle der Keyser Adolphen Bischoffen zu Meyntz das Kammer-Gericht alß Praeses, auf oeffentlichen Tantzhauß zu besitzen, und beneben den darzu deputirten Fürsten, auch Hocherfarnen Doctorn der Rechten, als Beysitzern, allen Waisen und Betrangten so es begert, recht zu sprechen.* Idem confirmat FVGGER *lib. V. c. XXII. n. 8.*

& lib. V. c. XLI. p. 1080. damit auch des Reichs Fürsten und Stände nit immer seinem Hof, mit Beschwerniß, Nachreisen, oder ihre Gesandten nachsenden, noch über das mit langsamen Bescheid verkürtzet vverden müsten, besetzte er, endlich zu Augspurg beym Reichs-Tag A. 1473. ein Gerichte mit verständigen und gelehrten Mannern, dem Reich recht zu sprechen. Dis vvurde das Kaiserl. Cammer-Gericht genennet, und nachmals von K. Maximilian bestätiget.

§. LIV.

Postquam autem Iudicium Camerale in Comitiis Wormatiensibus an. 1495. a Maximiliano I. fuisset institutum, salua adhuc manebat Imp. Maiestas in controuersiis Principum definiendis, quod vero vel in Comitiis fiebat, prout in caussa successionis Bauaricæ videmus, quæ primum in Comitiis Augustanis 1504. coram Cæsare, Septemuiris, Principibus & Cæsareo Consilio fuit ventilata, decisaque, in Comitiis Constantiensibus an. 1507. terminata: * vel pro arbitrio certus Senatus Imperialis in vrbe quadam Imperiali constituebatur, coram quo talis controuersia illustris terminaretur, prout in caussa Georgii Saxoniæ Ducis & Edzardi, Frisiæ Comitis Coloniæ a. 1512. fuit factum. ** Verum, dum controuersiæ Illustrium indies augerentur, in Comitiis Coloniensibus an. 1512. decreti fuerunt octo Consiliarii Imperii dimidiam partem ab Electoribus, alteram dimidiam a reliquis Statibus constituti, qui curam haberent, ne qui Statuum Imperio se subtraherent, prout Heluetiæ Ciuitates fecerant, Principibus & Statibus Imperii contra illorum subditos immorigeros adsisterent, caussas etiam Statuum, quotidie increscentes, quantum quidem fieri posset, amicabili via componerent, Imp. etiam contra Papam & Galliæ Regem sint a Consiliis. *** Hoc igitur primum est fundamentum Iudicii

cii Aulici, quod adhuc a Camerali distinctum in Aula Cæsarea continuatur.

* S. H. G. *diss. XXXI. §. XIX.*

** PONTVS HEVTERVS Hist. Austr. lib. VII. cap. IV. *Interea Cæsar Coloniam Agrippinam profectus, coram se sisti iubet Georgium Saxonem, ac Comitem Etzardum, cum vterque Legatos misisset, nil vel præsente Cæsare effici potuit, tanta erat ab vtraque parte innata ambitiosis animis e diuturno odio pertinacia. Tandem controuersiam definiendam permittunt iudicibus neutri parti addictis, quos Cæsar esset daturus. Quod si nec hi caussam finire possent, volebat Cæsar vlteriori prouocationi Senatus Imperialis Iudicio, quod tum Wormatiæ erat indicturus, omnino starent.*

*** Singula hæc decreta fuerunt in Recessu Imperii Treuirensi & Coloniensi an. 1512. p. II. §. 5. 6. 7. 8. 9. vbi potissimum §. 8. *zum dritten, nachdem taeglich der Partheyen Handel und Sachen aus dem Reich an Unserm Kaiserlichen Hof wachsen, die man zu Zeit mit Freundschafften, und gutem Willen in der erst wohl ableinen und richten, auch ausserhalb des Cammer-Gerichts, so die Partheyen etwan selbst des Vorzugs und Kosten halben scheuen, vertragen mœcht.* Et paucis interiectis: *Daß demnach die Acht Ræth, als des Reichs verordnete Ræth, billich ein Einsehens haben werden, uns helffen und rathen sollen, solche Partheyen Handel, so sich im Reich zutragen, in der erste, gütlich und freundlich niederzulegen.* Ne quis vero putet, omnem viam iuris Statibus coram hoc Iudicio præcisam fuisse, additur: *Doch soll kein Parthey dardurch, wider ihren Willen in gefæhrliche Handlung von ihrem Rechten gedrungen oder daran verhindert oder aufgehalten werden.*

§. LV.

Caput & Iudex est ipse Imperator, * a quo etiam solum hoc Iudicium dependet, idque ex more antiquo, dum Impp. olim ipsi Iudiciis præsederint. ** Præses dicitur *der Reichs-Hofraths-Præsident*, ex Principum, Comitum vel Baronum

Imperii ordine.*** Adſeſſores in duo Scamna diuiduntur, Comitum,Baronum & Equitum,*die Grafen-Herren-und Ritter-Banck*, & Doctorum, *die Gelebrte Banck*, atque iſti omnes nunc a ſolo Imp. conſtituuntur, atque pro ordine ſuæ receptionis in ſingulis ſcamnis ſedent, vt Nobiles antiquiores inter Comites & Barones,recentiores inter Doctores ſedes ſuas habeant.**** Debent autem eſſe Germani, ***** licet etiam Itali quidam fuerint recepti, bonæ exiſtimationis, rerum & Iuris Germanici peritia inſtructi, quare tales ſeliguntur, qui iamdum per tempus iudiciis prouincialibus præfuerunt. Numerus olim per Receſſum Imperii Treuirenſem atque Colonienſem an. 1512. octo ſaltim ****** Adſeſſorum erat definitus. Ordinauit tamen Ferdinandus III. ne excepto Præſide, plures ſint quam octodecim. Sub Leopoldo † hic numerus ad alterum tantum excreuit. Licet maior ſemper ſit numerus Comitum ac Baronum, quam reliquorum, quibus tamen plerique labores incumbunt. Per Inſtrumentum Pacis †† definitum fuit, vt in cauſſis inter vtriusque Religionis Status controuerſis, paritas numeri Adſeſſorum locum habeat, idque per Ordinationem Iudicii Aulici ††† nouiſſimam ita declaratum, ſex vt adſumerentur Euangelici, qui per fictionem quandam Iuris, licet numero ſint impares, pro paribus tamen cum Catholicis habeantur, vt ſi vnus ex Catholicis Proteſtantibus accedat, hi maiora conſtituant, & viceuerſa. Sub Leopoldo demum ex Reformatis quoque acceſſit Baro de Danckelmann. Sunt etiam in Principum Aulis certi Conſiliarii Aulici Imperii Honorarii, quibus, non niſi extra ordidinem certæ Commiſſiones ab Imp. ſolent committi. Per Reſcriptum ſingulare Caroli VI. Imp. XIV. Ianuarii 1714. iniungitur Conſiliariis Aulicis, qua ratione diuerſis malis remedium poſſit adferri. ††††

* REICHS-HOFRATHS-ORDNVNG *tit. I.* CAPIT. LEOPOLDI *art. XLI.* IOSEPHI *art. XL.*

** Exemplum Rudolphi vide apud LEHMANNVM *lib. V. c. CIX.* Exemplum Caroli IV. de a. 1353. exhibetur in DONAWERTISCHER INFORMATION p. 245. *Wir Carl von GOttes Gnaden Ræmischer Kænig - - - bekennen und thun kundt offentlich mit diesem Brieffe, daß VVir zu Gericht gesessen seyn zu Speyer an dem nechsten Freytag nach S. Andreas-Tag.*

*** CAPIT. IOSEPHI *art. XXXIX.* CAROLINA *art. XXIV.*

**** CAPIT. IOSEPHINA *art. XXXIX.* & CAROLINA *art. XXIV. das auf den Ritter-Bæncken zwischen denen vom Ritter-Stand, welche zu Schild und Helm Ritter- und Stifftmæssig gebohren, und denen Grafen und Herren, so in denen Reichs-Collegiis keine Session oder Stimm haben, oder von solchen Reichs-Session habenden Hæusern entsprossen, und gebohren sind, in der Raths-Session dem Herkommen gemæß, kein Vnterscheid gehalten, sondern ein ieder nach Ordnung der angetretenen Raths-Dienste ohne einigen von Standes wegen suchenden Vorzug verbleibe.* art. XXV. ita locantur: *dem würcklich bestellten Præsidenten, Reichs-Hoff-Vice-Cantzlern, als zugleich würcklich bestellten Reichs-Hoff-Rath, so dann Vice-Præsidenten und andern Reichs-Hoff-Rathen.*

***** Quare Status Imperii apud Carolum V. an. 1532. fuerunt conquesti: *das E. K. Mai. des Reichs Cantzelley dieser Zeit mit auslændischen Zungen besetzen, mit denen sich der mehrer Theil des Reichs Stend nit bereden, und bey denselben wenig Ansehens haben.* WENCKER *Appar. Archiv. p. 392.*

****** *p. II. Tit. V. §. V.*

† Consiliarios Iudicii Aulici sub Leopoldo recenset RINCK *Vita Leopoldi p. 183.*

†† *art. V. §. 54.*

††† *Tit. I. §. II.* Extat in LVNIGII *Grundveste p. I. p. 179. Vorstellung des Corporis Euangelicorum auf dem Reichs-Tage an K. Leopoldum, daß bey Bestellung des Reichs-Hoff-Raths die Paritas Religionis beobachtet vverden mægte,* de a. 1666.

†††† ELECTA I. P. *Tom. VII. p. 180.*

§. LVI.

Conueniri coram hoc Iudicio possunt omnes, siue immediate siue mediate Imperio sint subiecti. Status quidem, saluis Priuilegiis Austregarum & primae Instantiae, subditi mediati, si per adpellationem a Iudicio quodam prouinciali caussa ad hoc Aulicum deuoluatur. Caussae coram hoc Iudicio ventilandae primum praescriptae fuerunt per Recessum Imperii Treuirensem & Coloniensem an. 1512. * Postea vero omnes caussae, quae Imp. Iurisdictioni subiectae, ad illud fuerunt relatae. In caussis siquidem ciuilibus concurrentem habet iurisdictionem cum Camera, ita, vt praeuentioni locus sit. Communis tamen est Regula, omnes causae, quae ad Reseruata Imp. spectant, ad iurisdictionem Iudicii Aulici solummodo referuntur. ** Quales sunt caussae feudales, illae quae concernunt *** Dispensationes & Priuilegia Imperii, quo etiam spectant caussae teloniorum. **** Caussae Italicae, excepto Sabaudo, qui aeque in Camera potest conueniri, quia Status est Imperii. Vindicat etiam hoc Iudicium sibi caussas Criminales, ***** praecipue fractae pacis publicae & religiosae. Licet in iisdem Adpellationes a Iudiciis suis minime concedant Status, prout in caussa Lotichiana videmus, in qua Iudicium Aulicum contra Episcopum Augustanum decreuit, hoc tamen caussam per Grauamen ad Comitia deferente. † Excipiuntur tamen caussae Ecclesiasticae. †† Nec Adpellationes a Consistoriis Statuum Euangelicorum ad hoc Iudicium conceduntur, prout Consistorium Guelpherbytanum a. 1714. eiusmodi Adpellationi se opposuit, eademque caussa per Grauamen ad Comitia fuit delata. †††

* Vide supra §. *LIV.*

** R. H. O. *tit. II.*

*** Disputatum tamen fuit, an caussae Teloneorum, coram Camera penden-

dentes possint auocari. Per Capitulationem Leopoldi *art. XXIV.* tales caussæ plane excluduntur a Iurisdictione Camerali, licet Principes in Monitis suis *ad Art. XXIV.* vrserint: *daß in dem Zoll-Sachen dem Cammer-Gericht die Concurrentia Iurisdictionis nicht zu entziehen*, repetitum tamen illud fuit in Iosephina *art. XXIII.* In Proiecto vero Capitulationis perpetuæ & Carolina idem fuit omissum, nisi quod *art. VIII.* dicatur, quod Imp. per Mandata S. C. nouis Vectigalibus obuiam ire velit. Vid. GERCKEN *Otio Vienna-Ratisbon. p. 111.*

**** MAVRITIVS *de Iudicio Aulico §. 10.* Vide supra §. *XV.*

***** Has caussas vberius exposuit IO. A SCHVLTZ SZVLECKI in Dissertatione, *de Camera Imperiali, cum Iudicio Aulico non concurrente, Francofurti ad Viadrum 1706. 4.* & IO. DAVID GVTHER *de Caussis Iudicium Aulicum fundantibus sine concurrentia cum Iudicio Camerali, Altdorfi 1711. 4.*

† Agitur de hac caussa in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 322. 765. 923.*

†† Vide supra §. *XX.*

††† Vid. Acta in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. VII. p. 566. 743.* FABER *Tom. XXV. p. 178.*

§. LVIII.

Locus esse solet in Aula Imperatoris, * Ordinationes huius Iudicii præter antiquas illas Friderici II. Rudolphi I.** sunt tres: prima Ferdinandi I. de an. 1559. altera Matthiæ anni 1614. quæ tamen nunquam vsu recepta; *** Tertia est Ferdinandi III. quæ durantibus Comitiis an. 1654. publicata. **** Petebant eiusdem communicationem Status, Protestantes præsertim, sed facta non est, re ad Comitia prorogata reiecta. ***** Hanc ob rem Ordines illam adgnoscere noluerunt. † Interim tamen in Capitulatione Leopoldi, Iosephi, atque Caroli VI. †† hæc Ordinatio fuit adprobata, vsque dum in Comitiis aliud quid concludatur. In Capitulatione Carolina vero Imp. ad emendandam secundum

Pla-

Placitum Imperii, Ordinationem se obligat. ††† Processus iuxta I. P. †††† secundum Ordinationem Cameralem per omnia dirigi debet, licet in quibusdam discrepet & breuior sit. †††††

* R. H. O. *tit. I.* §. *3.*

** GOLDASTI *Reichs-Satzungen P. II. p. 17.* LEHMANN *Chron. Spir. lib. V. c. CVIII.*

*** Extant vtræque apud LEHMANNVM *de Pace Religionis l. I. c. XXXVII. & XXXVIII.* LONDORPIVM *T. I. p. 194.*

**** Extat ista apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 295.* & VFFENBACHIVM, ex eadem ordine Alphabetico epitomen collegit ERNESTVS GOCKELIVS *de Iurisdictione p. 47.*

***** HERDENS *Grundveste p. III. c. III.*

† *Monitis ad Capit. art. XLII.*

†† LEOPOLDI *art. XLI.* IOSEPHI *art. XL.* CAROLINA *art. XVI.*

††† Art. XVI. *auch sollen und vvollen VVir, gleich nach angetretener Vnserer Regierung per Decretum von dem Reich ein Gutachten vvegen zu verbesserender Reichs-Hoffraths-Ordnung erfordern, und so vveiters sothane Verbesserung mœglichster Dinge befœrdern und fort dieselbe zu ihrem Stand bringen lassen.*

†††† *art. V. §. 5.*

††††† Plenius singula exposuit IO. CHRISTOPH ab VFFENBACH *in Tractatu de Consilio Cæsareo Aulico,* & IO. DECKHERRVS *Concordia Supremorum Tribunalium S. Rom. Imperii.*

§. LVIII.

Olim quoque vsitatum, vt ex Iudicio Aulico caussæ grauiores, cum Voto *mit einem Gutachten*, referantur ad Cæsarem, atque eo in casu Cæsar caussam in Consilio sanctiori, *im geheimen Rath* expendebat, num commode ita possit pronuntiari. * De hoc sæpius conquesti Electores, tandem Ferdinandum III. Imp. eo obligarunt, ** ne concederet, vt imposterum Consilium sanctius negotiis, quæ ad Iudicium Auli-

cum

cum ſpectant, ſe immiſceat, quod etiam in ſubſequentibus Capitulationibus fuit repetitum. In Ordinatione tamen Iudicii Aulici † conceditur, vt ad Imp. cauſſæ dubiæ referantur, maxime, ſi Vota ſibi inuicem fuerint contraria. Inde in hoc Iudicio decernitur: fiat Votum ad Cæſarem, atque in Capitulatione nupera, Imp. obligatur hoc in caſu, ſe non niſi adhibito Conſilio Iudicii Aulici eſſe deciſurum. ††

* LIMNÆVS *Tom. I. add. ad lib. IX. c. IV.*

** CAPIT. FERDINANDI III. *art. XLIV.* LEOPOLDI *art. XLII.* IOSEPHI *art. XLI.* CAROLI VI. *art. XVI.*

† *Tit. V. §. 17.* Egit hac de materia ex inſtituto PAVLVS HENNINGVS GERKEN *in Otio Viennæ Ratisbonenſi, ſiue de Voto Conſilii Cæſareo Imperialis Aulici ad Sacram Cæſaream Maieſtatem, indeque ſumto recurſu in cauſis Iuſtitiæ ad Comitia, Hildeſiæ 1717. 4.* Idem demonſtrat, *p. 61.* qua ratione Reſolutio Cæſarea in cauſſa Coadiutoris Lubecenſis & Schaumburg Lippe contra Detmold a Concluſo Maioris partis in Conſilio Aulico receſſerit.

†† CAPIT. CAROLINA art. XVI. *VVo auch im Reichs-Hoffrath in wichtigen Juſtiz-Sachen ein Votum oder Gutachten abgefaſſet, und Vns referiret werden ſolte, wollen VVir Vns ſolches in Anweſen des Reichs-Hoffraths-Præſidenten und des Reichs Vice-Cantzlers, mit Zuziehung der Re- und Correferenten, und anderer Reichs-Hoffrathe beyder Religionen, inſonderheit wenn die Sache Partheyen von beyderſeits Religions-Verwandten betrifft, vortragen laſſen, mit denenſelben darüber berathſchlagen und in keinen andern Rath reſolviren, vvas noch einmahl in erſt gedachtem Vnſerm Reichs-Hofrath oder Cammer-Gerichte in Iudicio contradictorio cum debita cauſæ cognitione ordentlicher VVeiſe abgehandelt und geſchloſſen iſt, dabey ſoll es fœrderiſt allerdings verbleiben.*

§. LIX.

Ab hoc Iudicio autem, quia Supremum eſt, nulla datur amplius Adpellatio. Neque enim ab Imp. ad Ordines

Imperii licebit adpellare, prout a Georgio Friderico Marchione Badense a. 1622. a Mauritio Hassiæ Landgrauio, in caussa Successionis Marpurgensis a. 1623. a Ferdinando Coloniensi Electore a. 1637. factum. Sed reiectæ illæ adpellationes & Notarius, qui Instrumentum Adpellationis confecerat, ab officio per integrum annum fuit suspensus. * Quod si tamen dubia oriantur circa interpretationem Constitutionum & Legum Imperii, aut in diiudicandis caussis Catholicos inter atque Protestantes controuersis, ad Comitia est recurrendum. **

* MYLERVS *addit. ad Rumelinum p. II. diss. II. §. 18.* SCHWEDER *p. spec. sect. I. c. XI.* §. 5.

** R. H. O. *Tit. V.* §. 2. vide supra §. *XLIV.*

§. LX.

Obtinebat olim *Adpellatio ab Imp. male informato ad melius informandum.* Sub extrema Friderici III. Groningenses coram Notario vsi fuerunt adpellatione, quæ tamen ob Cæsaris mortem haut fuit insinuata. * Vsus eadem fuit Wigandus, Episcopus Herbipolitanus in caussa contra Albertum Brandenburgicum; Henricus & Guilielmus Lüneburgi Duces in caussa contra Hamburgum & Magdeburgum; Ducissa Vinariensis an. 1613. in caussa præcedentiæ contra domum Altenburgensem. ** Eadem Adpellatione Philippus Christophorus Treuirensis Archiepiscopus a. 1640. fuit vsus. *** Dum autem Impp. hoc in præiudicium auctoritatis suæ vergere putarent, per Pacem Westphalicam remedium Supplicationis **** fuit decretum. Hoc si læsa pars vti velit, plura Remedia per modum Supplicationis ad Cæsarem proponit, sed vnicum saltim decernitur, vt plurimum reuisorium, licet etiam coram hoc Iudicio Remedium Nullitatis, Restitutionis in

in integrum & Syndicatus locum habeat. Inde deposita prius certa argenti summa, quæ vocantur *Succumbenz-Gelder*, tempore quadrimestri exhiberi debet *Haupt-Gravatorial-Libell*, in quo omnia argumenta insimul per summam sunt exponenda. † Certa tamen adesse debent requisita, alias non admittitur. Licet autem suspensiuum hoc olim fuerit, praxin tamen Iudicii Aulici hodie aliam esse tradit VFFENBACH, †† atque non obstante Supplicatione, præstita tamen a parte victrice cautione idonea, in casum, vbi supplicans vicerit, de restituendo, Executionem decerni docet.

* MVLLERVS *Maximiliano, II. Vorst. c. LXX. §. XLVI.*

** Vid. *vvahrhaffter Bericht, vvas in Sachen des zvvischen VVeimar und Altenburg erregten Pracedentz und Primogenitur-Streits vorgefallen p. 27.*

*** LVNIG *I. Cont. III. Forts. p. 70.*

**** *art. V, §. 56.*

† Facit huc potissimum GABR. SCHWEDERI *Diss. de Concursu & electione vtiliori Remediorum contra sententias in supremis Imperii Tribunalibus latas, Tubingæ 1717.*

†† *De Iudicio Aulico cap. XXIII. p. 269.* Adsentitur MVLTZIVS de Officio Directorum *c. XXII.* Licet contradicat Auctor *de Iure Exequendi c. XXII.*

§. LXI.

Cancellaria huius Iudicii sub Directorio est Moguntini, cui etiam Eiusdem competit Visitatio, toties, quoties opus fuerit, obseruatis iis, quæ in Comitiis fuerunt decreta.* Dum autem Moguntinus a. 1664. solus Visitationem tentaret, prætenderunt reliqui Electores, vt illa tamdiu suspenderetur, vsque dum de certo modo in Comitiis conuentum, Moguntino Visitationem nihilominus peragente. †

* INSTR. P. *art. V.* §.*56.* CAPIT. IOSEPHI *art. XLI.* CAROLINA *art. XXIV.* dicitur: *mit Beobachtung dessen, vvas nach Anleitung erstgedachten Frieden-Schlusses bey solcher Visitation zu beobachten die Stände vor gut befinden vverden.*

† Quid in hac controuersia actum, exponit PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. III. Tit. X.* §. *12.* NITSCHIVS *ad Capit. Iosephi p. 642.*

§. LXII.

Quod si Imp. fatis concedat, statim Acta a Registratore obsignantur & adseruantur, atque Iudicium hoc, vsque ad noviter Electi Imperium in suspenso manet, nisi adsit Rex Romanorum, qui in locum defuncti Imp. statim succedit. Interea quilibet Vicarius in Terris Vicariatus sui Regimen constituit, quod vicem sustineat Iudicii Aulici. *

* *cap. XIII.* §. *XXXIV.* Dimissionem Consiliariorum Aulicorum post mortem Ferdinandi II. vide apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 116.*

§. LXIII.

Licet autem ab antiquo obtinuerit hoc Iudicium, tempore etiam Maximiliani I. totius Imperii consensu fuerit stabilitum, plura tamen subinde contra illud a Statibus proposita fuerunt Grauamina. Dum Iudicium Aulicum in caussa Ciuitatis Coloniensis contra Hermannum Electorem an. 1502. Citationem atque Processus decerneret, conquesti desuper fuerunt Electores, atque ab Imp. petierunt, vt iste Processus secundum Ordinationem Cameralem Wormatiensem a. 1495. decerneretur. Vocabantur isti Processus contra quos Electores agebant, *Kayserliche Hoff-Processe.* * Paullo post, dum Camerale Iudicium Noribergam translatum, plane cessaret, nouum Iudicium sine Statuum consensu Ratisbonae instituit Maximilianus I. Imp. quod, dum normam in Ordina-

dinatione Wormatiensi præscriptam minime obseruaret, Sportulas etiam Iudiciales, quos Status denegabant, peteret, de eodem abolendo in Comitiis Moguntinis a. 1503. agebatur,** idemque Imperii Status per litteras Imp. exhibitas instanter vrgebant. *** Cessauit postmodum hæc controuersia paullisper, postquam in Comitiis Treuirensibus atque Coloniensibus communi Statuum consensu octo Consiliarii Aulici decernerentur. Ast, dum Regimentum Imperii Iustitiæ etiam caussas sibi vindicaret, idem per Recessum Imperii Noribergensem a. 1524. fuit prohibitum, atque decretum, vt ab hoc caussæ Iustitiæ ad Iudicium Camerale aliaque Ordinaria remitterentur, **** vt ideo nec tunc in caussis Ciuilibus Iudicii Aulici Iurisdictio fuerit fundata. Recruduit controuersia, dum Rudolpho II. imperante, Iudicium Aulicum iterum sibi caussas ciuiles etiam vindicaret, contra quod tamen Status, potissimum Euangelici, sæpius fuerunt conquesti, † obtinuerunt etiam per Recessum Ratisbonensem a. 1594. Iudicii Cameralis confirmationem. ††

* Extat in Donawertischer Information p. 247. *der fünff Churfürsten Maintz, Trier, Pfaltz, Sachsen, Brandenburg Schreiben an Kænig Maximilian, a. 1502. umb Abstellung Keyserlicher Hoff-Proceß,* in quibus: *darauff die ausgangen Ladung, Mandata und andere Procefs Gnediglich abzustellen und fallen, und beede Theil gegen einander ordentlich, gebürlich Rechtfertigung, nach Auswweisung obberührer Ewer Kænigl. Maiestæt und des Reichs Ordnung zu VVormbs auffgericht, gebrauchen und dabey bleiben zu lassen.*

** MULLER *Reichs-Tags-Staat lib. I. c. XXIII.* S. H. G. *diss. XXXI. §. XVIII.*

*** Extat Scriptum Statuum Electorum atque Principum *Churfürsten und Fürsten Bottschafften in* DONAWERTHISCHER INFORMATION *p. 264.*

**** *§. 18. Fürter soll unser Stadthalter und Regiment, alle gerichtliche Procefs und Rechtfertigung für das Cammer-Gericht, und andere ordentliche Gericht vveisen.*

† Prodierunt *hochvvüchige und denckvvürdige Copien und Schrifften, so kurtz vorschiener Zeit zvvischen Kais. Rudolpho II. und etlichen Churfürsten, Fürsten, Stætten, Kraifs-Standen &c. abgelassen, Ingolstadti 1618. 4.* quæ plena sunt eiusmodi Grauaminum. Inter hæc Litteræ reperiuntur Legatorum Palatinorum, Saxonicorum & Brandenburgicorum, in quibus pag. 10. *So ist auch bey Hochgedachten unsern Gnædigsten Herren, Beschvverungs vveise anbracht, vvie dass sich ie zu Zeiten, Evver Kays. Mayest. Reichs-Hofrath in fürfallenden Sachen, dem Herkommen zuvvieder, allerley understehe, darauss den Stænden des Heiligen Ræmischen Reichs hæchstes und unvviederbringliches Nachtheil erfolgen vvil. Ob nun vvohl Ihr, Chur und Fürstl. Gnaden, Evver Kays. May. Hofraths Iurisdiction zu disputiren nicht gesinnet, auch hiermit unterthænigst bitten, Evver Kays. May. vvolle solches von ihren Chur- und Fürstl. Gnaden anderst nicht dann Evver Kays. May. selbst, und gemainer VVolfarth selbst zum Besten underthænigst gemeint seyn, vermercken. So kænnen Ihro Chur- und Fürstl. Gnaden aus underthænigster undschuldiger Pflicht, nit umbgehen, Evver Kays. May. aus deren Ihren Chur- und Fürstl. Gnaden furbrachten Klagen underthænigst vermelden zu lassen, dass ohne eynigen Vnderscheid auch in den allernættigsten im Reich vorgehenden Sachen, die beschvverlichste Mandata sine clausula bey hæchster Straff der Acht, an berührten Evver Kays. May. Hoff auszufertigen, bey vvenig Iahren hero angefangen vvorden, dem alten Herkommen gar zu entgegen, da man einen fleissigen Vnderschid zvvischen den Sachen die gen Hoff ans Cammer-Gericht, und für allgemeine Stand des Reichs gehærig, observiret, und gebetten, und sich berichten lassen, auch darauf nach Gelegenheit und ordentlicher Verhær, die Sach an das Kays. Cammer-Gericht gevviesen, und von Hoff remittirt. - - - Vber diß vvil man sich bemelten Orts understehen, die Reichs-Constitutiones mit allerhandt Praiudiciis fast beschvver-*

schvverlicher VVeiß zu erklæren. VVelches doch Evver May. sampt den Standen des Reichs, als statuentibus gebührt.

†† §. 98.

§. LXIV.

Sub initium Superioris Seculi Quæstio agebatur, an Iudicium Aulicum cum Camerali concurrentem habeat Iurisdictionem. * Non defuerunt, qui eandem Iudicio Aulico omnino tribuerent, quia Imp. tanquam summus Princeps fons & scaturigo sit omnis Iuris, & licet Cameræ Iurisdictionem concesserit, factum tamen illud esse, saluo iure Cæsaris, idem etiam in Transactione Passauiensi ** atque Obseruantia fundari; Dum e contrario alii contenderent, omnem Iurisdictionem Imperii, exceptis causis, quæ Principum corpus, honorem & bona concernerent, Camerali Iudicio fuisse demandatam. Postquam vero per Pacem Westphalicam *** Iudicio Aulico etiam modus fuisset præscriptus, noua nihilominus in medium prolata fuerunt Grauamina. Dum enim a. 1664. Elector Moguntinus visitare Iudicium Aulicum vellet, quod eo tempore Cæsarem Ratisbonæ præsentem comitabatur, Status Protestantes statim intercesserunt, datisque ad Cæsarem litteris petierunt, vt hoc negotium tantisper differatur, donec in Comitiis de iis quæ circa hanc rem obseruanda viderentur, ex Statuum placito fuerit decretum. Dum autem Responsum non obtinerent die XVIII. Nouembris 1666. noua exhibuerunt Grauamina, quod Iudicium Aulicum non sufficienti numero Consiliariorum sit instructum, Catholici maiora constituant, caussa ad Consilium Imp. secretius deferantur, Austregarum & primæ Instantiæ Priuilegium non satis accurate obseruetur, petebant itaque vt I. P. Westphalicæ in omnibus satisfiat, atque vt casus dubii ad Comitia

mitia remittantur. Dum autem Responsum non obtinerent, quod placeret, die VIII. Aprilis 1668. Grauamina hæc paullo prolixius Cæsari scripto exposuerunt. † Postquam Augustissimus Carolus VI. Imp. fuisset electus, exhibita fuerunt. Eidem an. 1711. Grauamina non solum communia omnium Statuum, sed sigillatim etiam Euangelicorum, Imp. etiam per singularem Constitutionem die XIV. Ianuarii 1714. variis Grauaminibus attulit medelam. ††

* Prodiit hac in caussa: *Gründlicher Vnderricht von der Frage: Ob der Kayserliche Hoffrath, mit und neben dem Kayserlichen Cammer-Gericht zu Speyer concurrentem Iurisdictionem in allen und ieden Sachen ohne Vnderschied habe, Amberg 1614. 4.* in quo vtriusque partis argumenta reperiuntur. Extat etiam apud LONDORPIVM *Tom. I. p. 6.* & LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. I. p. 645.*

** §. XIV. *daß der Kays. Mai. Hoffrath, so des H. Reichs und Stende gemeine oder sonderbahre Sachen berathschlagen und erledigen, also stattlich mit Teutschen Rathen besetzt.*

*** *art. V. §. LV. LVI.*

† Exhibuit hæc Acta AVCTOR MEDIT. AD INSTR. P. MANTISSA II. vbi etiam quædam Grauamina a priuato saltim concepta, quæ examinanda sint, proponuntur.

†† Hæc vberius exponuntur in ELECTIS I. P. *Tom. VII. p. 161.* FABER *Tom. XXIV. c. XIII.*

§. LXV.

Alterum IVDICIVM Supremum est CAMERALE, *das Kayserliche Cammer-Gericht.* Quod a Camera, seu conclaui, in quo celebrandum, nomen habet, dum Iudicia alias sub dio haberentur. Primam huius Iudicii, quatenus a Iudicio Imp. Aulico distinctum, Originem in Comitiis Noribergensibus a. 1467. videmus, vbi Statuum consensu eiusmodi Iudicium placuit, * quod tamen in causis saltim fractæ Pacis publicæ locum haberet, salua Cæsaris competente Iurisdictione. ** Dum autem in

n Comitiis Francofurtensibus a. 1486. Publica Pax decerneretur, actum etiam fuit de Iudicio Camerali loco fixo in perpetuum constituendo, atque a Statibus Proiectum proponebatur, quod tamen Cæsari displicebat. *** Agebatur eadem caussa in Comitiis Coloniensibus a. 1487. atque volebant Status, vt Iudicium hocce proxime aperiretur. **** Idem repetebatur in Comitiis Noribergensibus a. 1487. ***** & Francofurtensibus a. 1489. ****** Sed, prout Fridericus III. pleraque negotia reliquit imperfecta, hoc etiam effectu fuit destitutum. Demum Maximilianus I. Imp. communi Statuum consensu, in Comitiis Wormatiensibus an. 1495. hoc Iudicium ordinauit, idemque ita instituit, vt in fixo loco, & per certos Iudices ab Imp. simul cum Principibus constituendos, posthac celebraretur. † Initium huius Iudicii factum fuit Francofurti in Domo Brunfelsiana, Gros-Braunfels vltima Octobris 1495. †† Hoc ipso Iurisdictionem omnimodam, quam solus hucusque vel in Comitiis, vel constitutis in certis Vrbibus Imperialibus exercuerat Imp. cum Statibus communicauit Maximilianus I.

* Extat Recessus apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. p. 184.* SCHILTERVM *Inst. Iur. Publ. Tom. II. p. 179.* DATT *lib. I. c. XXVIII. p. 200. n. 67. 68.* MÜLLERVM *Friderico, IV. Vorst. c. XL.* in quo: *Vnd uff das solcher Fried dester fruchtbarlicher gehandhabt und vollzogen würde, so sult ein Keyserlich Gericht redlich und trefflich mit einer zimblichen Zahle Herrn, Ritter und Knecht, und sust andern die man tugenlich darzu erkennet, der aller XXIIII. Vrtheiler sein, die von allen Teutschen Landen dorzu gegeben werden, also daß dieselben Teutschen Land in sechs Theil getheilt, und ieder Theil IIII. darzu orden solt, hieoben im Reich, mit nahmen zu Nürnberg fürgenommen und gesatzt werden.*

** In dicto Recessu: *Item auf daß unsern Herrn Keyser an seiner*

Obrigkeit und Cammer-Gericht, auch einem ieden Churfürsten, Fürsten, geistlichen und weltlichen Prelaten, Graven, Herren, Rittern, Knechten und Statten an ihren Obernkeiten und Gerichts-Zwengen des obgemelten Gerichts halben kein Irrung oder Abbruch geschehe, so suls dasselb Gericht und die so als vorstet es besessen, nicht weiter noch anders Macht haben zu richten dann über und wider die so ane Mittel under unserm Herrn Keyser und das H. Reich gehærten, und allein von Vberfahrung wegen die obgemelten Friden fürgenommen und beklagt werden.

*** Extat apud MÜLLERVM, *V. Vorst. c. IV.*

**** *daß das erst Cammer-Gericht uf den ersten Gerichts-Tag nach S. Petri und Pauli Tag nechst komt gehalten werde*, DATT *lib. IV. c. I. n. 54.*

***** MÜLLER *V. Vorst. c. XIV. XV.*

****** LONDORP *Tom. V. p. 321.*

† Extat apud GOLDASTVM *Reichs-Satzungen p. I. p. 205.* Recessus Francofurtensis, quem etiam exhibet MÜLLERVS *p. VI. c. XXXIX. XL. & XLI.* in cuius §. X. *das sein Kæniglich Gnaden auff die Ordnung und Artical, auff vorgehalten Tagen zu Franckfurt und Nurnberg, auff das Kayserlich Cammer Gericht begriffen, und seiner Kæniglichen Gnaden übergeben, das Cammer-Gericht mit Cammer-Richter, Beysitzern, auch der Mahlstatt und andern laut derselben Ordnung zwischen hir und Weihenachten nechst auffrichten und zu besten ordnen und bestellen wollen.* Plenius de eo LEHMANN *lib. VII. c. CXVIII.* & DATT *lib. IV. c. I. n. 50.*

†† Annotata de Personis Iudicii Cameræ Imperialis, Ingolstadii 1557. f. in quorum initio statim: *Postquam Cæsar Maximilianus, in proximo conuentu principum Wormatiæ habito Imperialis Cameræ suæ iudicium, quod hactenus Aulam sequi oportuit, ita instituit, vt in fixo loco & per certos iudices a sua Maiestate simul cum Principibus constituendos, posthac celebraretur. Huic rei Maiestas sua, per se ipsum initium fecit Francofurdiæ in Domo Brunfelsiana, vltima Octobris Anno 1495. Quando ab iis iudicibus, qui infra notantur iudicandi Sacramentum recepit, eisque caussas & alia negotia Iudicii, grauissima oratione per Baronem Vitum de Wolckenstain habita, commen-*

mendauit, ac vt illi posthac reliquos, qui huic celeberrimo Tribunali quouis modo praeesse, aut inseruire debebunt, suo quemque Iuramento adstringant, commisit. Iudices. Eytel Fridericus Comes de Zollern &c. Iudicii Cameræ Imperialis Præsidens. Bernhardus Comes de Eberstain. D. Iuo Wittich 3. Nouembris D. Theodoricus de Plenningen. D. Richardus Grammann de Neckendich, Officialis Treuerensis. D. Nicolaus de Heynitz D. Haringo Sikkama Frisius, Vitus de VValrod eques, D. Georgius de Hotzfeld 3. Nouembris, D. Bernbardus Schefferlin, 2. Decembris. Per istos cœpta est haberi publica audientia 3. Nouembris. MÜLLER *Maximiliano, II. Vorst. c. XLI.* 3. H. G. *diss. XXXI. §. VI.*

§. LXVI.

Locus huic Iudicio primum Francofurti fuit adsignatus, quod tamen a 1497. Wormatiam fuit translatum, verum dum iterum deficeret, Augustæ † an. 1500. restitutum, noua etiam Ordinatio publicata. Cessauit iterum hoc iudicium an. 1502. partim quod Regimentum Imperii cessaret, partim quod Adsessoribus Salaria deficerent, †† restitutum tamen in Comitiis Constantiensibus a. 1507. ††† Institutum iterum an. 1509. Ratisbonæ, rursus Wormatiam, an. 1513. Spiram, an. 1514. denuo VVormatiam fuit translatum. Carolus V. hoc Iudicium in Comitiis VVormatiensibus a. 1521. restituit, atque Noribergæ voluit celebrari, †††† quod a. 1524. Eslingam, an. 1527. Spiram fuit deductum, ††††† quæ etiam per R. I. Augustanum de an. 1530. & per Ordinationem Cameralem pro sede perpetua fuit definita, †††††† non nisi communi consensu in alium locum transferenda, exceptis saltim pestis & belli temporibus. Hinc VVimpina 1539. & 1540. Eslinga 1555. & 1556. momentaneam saltim sedem huic Iudicio dederunt. In Comitiis Noribergensibus a. 1540. de Iudicio hoc Francofurtum transferendo agebatur, Senatu hoc

deprecante. ††††††† In Tractatibus quidem Pacis VVestphalicæ †††††††† de translocando hoc Iudicio in locum commodiorem fuit actum, sed res ad proxima Comitia fuit reiecta. In his vero translationem Iudicii Cameralis e re Imperii haut esse, fuit decretum.* Dum autem per Gallorum inuasionem Spira an. 1689. in cineres esset redacta, in Comitiis de nouo loco fuit deliberatum, & licet Francofurtum, Suinfurtum, Hanouia, Erfurtum, pluresque vrbes proponerentur, istæ vero receptionem deprecarentur, placuit tandem VVetzlaria, vbi prima sessio d. XXV. Maii 1691. fuit habita. ** Et licet de eodem in alium locum transferendo an. 1698. ageretur, desuper conquestus fuit Magistratus VVetzlariensis, ex hac quidem ratione, quod non solum hoc respectu Reformatis atque Catholicis Religionis exercitium fuerit concessum, sed etiam plures impensæ factæ, vt eodem in loco adhuc subsistat, *** quanquam Spirenses eiusdem restitutionem petierint. **** Haut ita pridem, denuo de eodem translocando fuit actum, placuit etiam Aschaffenburgum, VVormatia, Erfurtum, Suinfurtum, sed nihil decisum. *****

† Extat Ordinatio in Corpore Recessuum p. 71. in cuius initio: *VVeiter, nachdem unser Kœniglich Cammer-Gericht etliche Zeit, aus zugefallenen Mangeln still gestanden, und nicht gangbafftig gevvesen.*

†† MÜLLER *Reichs-Tags-Staat lib. I. c. XXIII.*

††† Extat Ordinatio in Corpore Recessuum p. 94. in cuius initio: *vvollen erstlich, vvie Unser Cammer-Gericht anfænglich auf unserm erst gehaltenen Reichs-Tag zu VVormbs geordnet und besetzt gevvesen, dasselbig ietzt vvieder mit einem redlichen, verstandigen Cammer-Richter, der auffs vvenigst ein Graf oder Herr sey, besetzen, und Sechzehen Beysitzer.*

†††† S. H. G. *diss. XXXII. §. IX.*

††††† Hæc

††††† Hæc vberius persequitur DATT *lib. IV. c. I.* qui huius Iudicii Historiam exposuit.

†††††† *R. I. Augustæ* §. *83.* ORD. CAM. *p. II. tit. XXXI.*

††††††† S. H. G. *diss. XXXVI.* §. *XIII.*

†††††††† *art. V.* §. *53.*

* R. I. *de a. 1654.* §.*167.*

** CASSANDER THVCELIVS *Electis Iur. P. cap. IX.* LONDORP *Tom. XIV. c. XV. Tom. XVII. c. X.* FABER *Tom. III. c. X.* DECKHERR *Concord. Tribun. cap. I.* S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *LXIX.* LVNIG *p. Gen p. 266.* Extant in eiusdem GRVNDVESTE Tom. II. p. 574. binæ Remonstrationes super Quæstione an eiusmodi Ciuitatibus, quæ Iudicium Camerale recipiant, præiudicium adferatur circa Religionem. In eiusdem Staats-Consiliis Tom. II. p. 1295. reperitur: *Bedencken, vvarumb ein oder andere Reichs-Stadt das Cammer-Gericht einzunehmen bemühet seyn solle.*

*** FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IV. p. 622.*

**** Extat Spirensium Memoriale in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVI. cap. III.*

***** Reflexiones super hac re extant in ELECTIS IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 904.*

§. LXVII.

Constat hoc Iudicium ex Iudice, Præsidibus & Adsessoribus. Iudex *der Cammer-Richter*, nonnisi ex illustribus, potissimum vel ex Principum, vel Comitum Imperii numero ab Imp. legitur, hodie est Princeps de Fürstenberg, qui paucos ante annos, defuncto Principe Nassouio in Hadamar, successor datus fuit ab Imperatore. Et quidem vel Ecclesiasticus vel Laicus, Euangelicus quoque esse potest, † quod tamen hodie vix sperandum. Officium eiusdem in Iudicii directione consistit. Dum vero plerumque absens sit, vice eiusdem funguntur Præsides. Hi æque ab Imp. constituuntur, ex Comitum vel Baronum numero, †† & quidem olim duo saltim erant,

erant, ††† per I. P. quatuor fuerunt conſtituti, †††† vt ex vtraque religione, Proteſtantium & Catholica duo ſumantur, licet hodie bini ſaltim ſint ex vtraque, Ioannes Fridericus, Comes Solmenſis in Labach, & Franciſcus Adolphus Dietericus, Baro ab Ingelheim. Plures autem Præſides ideo fuerunt conſtituti, vt ob negotiorum multitudinem ad cauſſas diuerſas vna vice examinandas plures conſtitui poſſent Senatus. ††††† Inualuit haut ita pridem occaſione nuperarum turbarum Cameralium controuerſia an Imp. Cameræ Præſidem ſuſpendere valeat, vel remouere. Cæſar hoc prætendebat ex eo, quod Præſes a Cæſare conſtituatur, dum in contrarium opponeretur, Iudicium hoc inſimul a Statibus dependere. ††††††

† ORD. CAM. *p. I. tit. III.* §. *3.*

†† Petierunt tamen Comites Sueuici a. 1665. ab Imp. ne alii quam Immediati admitterentur, prout horum Scriptum extat apud LVNIGIVM *Grundveſte p. II. p. 507.*

††† ORD. CAM. *p. I. tit. I.* §. *3.*

†††† *art. V.* §. *53.*

††††† Qua ratione a. 1675. quatuor conſtituti fuerint Senatus, expoſuit SCHILTERVS *Tom. II. p. 44.*

†††††† Extat Scriptum hac in materia, apud FABRVM *Tom. IX. p. 207.* LVNIGIVM *Grundveſte p. I. p. 9.* Argumenta ab vtraque parte congeſſit HAKE *de Viſitatione Camerali* §. *XVIII. XIX.*

§. LXVIII.

Aſſeſſores olim viginti fuerunt conſtituti, * quorum bini ab Imp. ſex ab Electoribus, duodecim ex antiquis Circulis conſtituti, qui numerus ad triginta duos, ex Decreto Comitiorum Spirenſium de an. 1570 ** ad quadraginta & vnum, per I. P. *** ad quinquaginta vsque fuit definitus. Præſentantur iidem ab Imp. Electoribus, vel Circulis. Catholici qui-

quidem præſentantur viginti ſex: ab Imp. duo, & totidem a ſingulis Electoribus, Moguntino, Treuirenſi, Colonienſi, Bauaro. Auſtriacus & Burgundicus Circuli ſinguli binos repræſentant, Bauarus quatuor, Franconicus, Sueuicus, Rhenanus Superior, Weſtphalicus ſinguli binos. Adſeſſores Auguſtanæ vel Reformatæ religioni addicti præſentari poſſunt viginti quatuor, ab Electoribus, Saxoniæ, Brandenburgico, Palatino olim, a ſingulis bini, a Circulo Saxonico ſuperiori quatuor, totidem a Saxonico inferiori, vtrique per alternationem quintum adhuc A. C. addictum adiiciunt. Franconicus, Sueuicus, Rhenanus Superior, VVeſtphalicus a parte Proteſtantium ſinguli binos legunt, & per alternationem vnum adhuc adiiciunt. Circulus Rhenanus inferior nullum præſentat, quia conſtat ſaltim ex IV. Electoribus, qui alias hoc Iure gaudent. Nondum tamen vna vice vltra ſeptendecim Adſeſſores fuerunt.

* ORD. CAM. *p. I. tit. I. §. 3.*

** §. *50.*

*** *art. V.* §. *57.* Vid. ENGELBRECHT *de Conuent. Circul. c. III.* §. *XXX.*

§. LXIX.

Eliguntur iſti atque præſentantur a ſuis Circulis, & quidem vel per maiora a Statibus Circuli conſtituuntur, prout in plerisque obtinet, vel per alternationem, prout hucusque in Circulo Saxonico Superiori moris fuit, in quo Saxoniæ Duces in conſtituendo Circuli Adſeſſore alternant, Electoribus, Saxone atque Brandenburgico ex Iure Electoratus tales præſentantibus. In Circulo Rhenano Superiori etiam Comites circa conſtitutionem Adſeſſoris cupiunt concurrere, * quod ipſis a reliquis Circuli Statibus hactenus fuit denegatum. Petierunt etiam Adſeſſores Camerales per litteras ſingu-

gulares VIII. Aprilis 1716. XXI. Martii 1709. in Comitiis exhibitas, augmentum Salarii & Numeri Adſeſſorum, eo quod ipſi ob multitudinem Proceſſuum quotidie increſcentium, amplius iisdem expediendis pares eſſe nequirent. ** Adnuit etiam horum petitis Cæſar, nihil tamen in Comitiis adhuc dum fuit concluſum. Præſentari debent intra ſex menſes a die inſinuatæ requiſitionis, *** quibus R. I. nouiſſimus **** vnum adhuc menſem adiicit, & quidem debent eſſe ex legitimo thoro nati, Germani, vni ex religionibus conceſſis addicti, morum grauitate & Iuris peritia inſignes, nec niſi præuio examine, & facta Actorum Relatione admittuntur. *****. Sumuntur autem vel ex equeſtri ordine, vel ex eruditis, qui Doctores eſſe debent vel Licentiati. † Priuilegia eorundem in eo conſiſtunt, vt immunes ſint ab omnibus Oneribus, & ſub ſpeciali Imperii protectione degant, certa etiam ipſis præfinita ſunt Salaria. ††

* Prout horum argumenta extant apud LVNIGIVM *p. II. p. 510.*

** Acta hac de re exhibentur in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIX. cap. XIII.*

*** ORD. CAM. *p. I. Tit. IV.*

**** *§. XXII.*

***** Paucos ante annos prodiit: *Norma Examinis Candidatorum ad Aſſeſſoratum S. R. I. Iudicii Cameralis præſentatorum*, quæ ſingula hæc, quæ ad Adſeſſorem Cameralem requiruntur, probe diiudicat.

† ORD. CAM. *p. I. tit. III.*

†† *R. I. Nou. §. XL.*

§. LXX.

Sunt præter hos aliæ perſonæ Camerales, quales Aduocati & Procuratores viginti quatuor, qui a Præſidibus & Adſeſſoribus conſtituuntur, atque ad certam formulam iurare tenentur. Salarium alias non habent, ſed illud ab iis accipiunt,

piunt, quibus aduocando vel procurando adsistunt.* Fiscalis Cæsareus eodem Salario, iisdemque priuilegiis vtitur ac Adsessores.** Adest etiam præfectus rei nummariæ, *Reichs-Pfennigmeister* *** a Statibus Imperii constitutus, qui Collectas Imperiales ad sustentationem Cameræ destinatas, ad ipsumque transmissas, dispensat, & Medicus Cameralis. Aliæ sunt Personæ Cancellariæ, quibus præest Administrator Cancellariæ, qui a Moguntino constituitur.†

* ORD. CAM. *p. I. tit. XVIII. XIX.*

** ORD. CAM. *p. I. tit. XVII. R. I. nou. §. 11.*

*** ORD. CAM. *p. I. tit. XL.*

† ORD. CAM. *p. I. tit. XXVI. sqq.* Singulæ Personæ Camerales, Annorum 1704. atque 1714. describuntur in ELECT. IVR. PVBLICI *Tom. VI. p. 831.*

§. LXXI.

Iurisdictio huius Iudicii, nomine Cæsaris & Statuum exercetur, vt ideo circa eiusdem vel mutationem, vel reformationem nihil sine Statuum consensu valeat Imp.* Subsunt eidem omnes Imperio vel immediate vel meditae subiecti, exceptis iis, qui speciali fruuntur Priuilegio.** Caussæ, quæ ad hoc Iudicium deferuntur, sunt ciuiles & quæ Feuda minora, vel partem Feudorum regalium concernunt.*** Excluduntur igitur Reseruata Imp. & quæ alias spectant saltim ad Iudicium Aulicum, Caussæ Spirituales & Ecclesiasticæ, nisi, vbi de facto sit quæstio. In his autem dum Camera sibi Iurisdictionem vindicare conaretur, iamdum Seculo XVI. desuper protestati fuerunt Status Euangelici,**** & Grauamen in Comitiis proposuerunt, prout factum a Magistratu VVetzlariensi in caussa Precum ab Hellmundio Pastore institutarum, ***** & a Comitissa Pöttingensi an. 1715. dum Camera in caussa depositi Pastoris Reformati Mandata sine

clausulâ decerneret. Immo, nec in caussis Canonicatuum hoc conceditur. ****** Caussæ Criminales æque a Iurisdictione Camerali excluduntur: excipiuntur tamen caussæ fractæ Pacis publicæ & religiosæ. Locum etiam habet Cameralis Iurisdictio in casu nullitatis, in quæstione, vbi non de crimine puniendo, sed de eo quæritur, quis iudicare debeat. Quod si etiam Iudex Ordinarius negligat Iustitiam in Criminalibus, mandata sine clausula pœnalia contra eum decernuntur. Immo, si de pœna pecuniaria agatur, adpellationes poterunt admitti, quia in Ordinatione Criminali tantum excluduntur caussæ *die Leib-Straffe auf ihnen tragen.* † Excipiuntur etiam delicta a personis Cameralibus commissa. †† Omnes aliæ caussæ, a quibus adpellari non potest, excluduntur a Iurisdictione Camerali. Inde Episcopus Monasteriensis an. 1690. conquestus fuit, quod Iudicium Camerale in caussis Possessorii Summarissimi, alimentorum, mulctarum, piarum caussarum, pupillorum & viduarum processus decreuerit. ††† In his autem caussis, in quibus fundatam habet Iurisdictionem, concurrit cum Iudicio Aulico, †††† ita, vt Imp. caussas coram Camerali Iudicio pendentes auocare ab eodem minime possit. ††††† Hinc etiam, dum durante Iustitio Camerali, Iudicium Aulicum in quibusdam caussis coram Iudicio Camerali pendentibus decerneret, Status desuper fuerunt conquesti. †††††† Superiori tempore etiam inter Iudicium Camerale & Senatum Spirensem diuersæ fuerunt controuersiæ, parte vna super iurisdictionis restrictione, altera super eiusdem extensione conquerente, Iudicii Cameralis caussa an. 1679. a parte Imperii per Placitum Comitiale fuit suscepta. †††††††

* Patet hoc pluribus ex locis, præsertim ex R. I. nouissimo §. 165. Prodiit hac in caussa QVINQVERTIVM CAMERALE a. 1705. 4. in quo per quin-

quinque Quæstiones demonstratur, quod in Iudicio Camerali nihil nec circa ipsum Iudicium, nec circa Præsidem, vel Adsessores, sine communi Imp. atque Statuum consensu possit constitui, & qua ratione Moguntini auctoritas circa hoc Iudicium sit fundata. Conscriptum illud est, dum in nupera controuersia Camerali Imp. Pürckium voluisset restitui. Dum autem Moguntinus Cancellariam claudi fecisset, Moguntini Iura adseruntur.

** Vide supra §. *XXVIII. XXIX. XXX.*

*** Vide supra §. *XXV.*

**** De hoc vberius egit IO. STRAVCHIVS *de Recusatione Iudicii Cameralis* inter exotericas Dissertationes XIII.

***** Quid in hac caussa fuerit actum, exponitur in EL. IVR. PVBL. *Tom. V. p. 739. Tom. VI. p. 591. Tom. VII. p. 69. 583. p. 592.* FABER *Tom. XXVI. cap. I. Tom. XXVII. cap. I.*

****** Vide hac de causa Responsum HENRICI GÜNTHERI THVLEMARII quod a. 1700. prodiit, postea FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p. 507.* fuit insertum.

† ORD. CAM. *p. II. Tit. XXVIII. §. V.*

†† ORD. CAM. *p. I. tit. L. §. vlt.*

††† CAPIT. IOSEPHI *art. XLI.* CAROL. *art. XVI.* Quare Camerales XXIV. Nouembris 1700. dum Acta in caussa inter Lippienses Comites controuersa, & in caussa Heyden contra Wendt, ab hoc Iudicio auocarentur, desuper conquesti fuerunt in Comitiis, THVCELIVS *Actis Publicis Tom. II. p. 855.*

†††† Egit de hac materia CASPAR LEIPOLDI *de concurrentia Iurisdictionis cap. IV.*

††††† Grauamen hac de re reperitur in LONDORPII *Tomo XVII. cap. XI.* Has autem caussas vna cum reliquo Statu Iudicii Cameralis expositas videmus in LVDOLPHI *Iuris Cameralis delineatione breui & perspicua*, quæ prodiit *Francofurti ad Mœnum 1714. 4.*

†††††† Acta de hac controuersia vid. in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XII. c. III.* In controuersia Marchionum Brandenburgensium cum Ciuitate Noribergensi, HAKE *de Visitatione Cameræ nouissima §. XIII. XIV.*

††††††† Extant Acta in FRITSCHII *Electis I. P. cap. VI.*

§. LXXII.

Requiritur vero in caussis, quæ per Adpellationem ad Cameram deuoluuntur, vt summa litis sit adpellabilis, quæ primum ad quinquaginta florenos * decreta, postea aliquoties aucta, vsque dum in Recessu nouissimo ** ad quadringentos Imperiales definiretur. In hac tamen computanda, non summa litis, sed grauaminis attenditur, licet diuersæ summæ, si vna actione petuntur, possint cumulari, non vero vsuræ.

* ORD. CAM. *p. II. Tit. XXIIX.* §. 4.
** *R. I. Nou.* §. 112.

§. LXXIII.

Modus procedendi fundatur in Ordinatione Camerali, Recessu Imperii Nouissimo, per quem multa fuerunt adiecta, vel emendata, & Obseruantia, vel Decretis Cameralibus, quæ vocantur *Gemeine Cammer-Bescheide.* * Ordinatio Cameralis prima in Comitiis VVormatiensibus an. 1495. a Maximiliano I. fuit publicata. Nouam equidem ipsi Camerales in Comitiis Lindauiensibus an. 1496. exhibuerunt, ** nihil tamen tunc fuit conclusum. Postquam Iudicium Camerale in Comitiis Augustanis an. 1500. restauraretur, noua etiam placuit Ordinatio, atque tunc Articuli in Comitiis Lindauiensibus exhibiti, fuerunt confirmati. *** Noua placuit Ordinatio in Comitiis Constantiensibus a. 1507. Processus etiam Cameralis in Comitiis Ratisbonensibus an. 1507. fuit decretus. Dum Carolus V. Iudicium hocce in Comitiis VVormatiensibus a. 1521. restitueret, nouam etiam publicauit Ordinationem. Per Regimentum Imperii Noribergæ an. 1523. Processus iterum fuit ordinatus. In Comitiis Spirensibus a. 1527. noua publicata fuit Reformatio, idemque factum in Comitiis

mitiis Spirensibus an. 1531. 1533. 1582.**** Noua demum, eademque plenior in Comitiis Augustanis a. 1555. a Ferdinando I. fuit publicata, ***** & per Capitulationes ****** fuit confirmata, atque hactenus obseruata. Dum autem in Comitiis posterioribus plura fuerint immutata, Rudolphus II. a. 1598. voluit, vt a Cameralibus vtriusque Religionis noua formaretur Ordinatio, quæ Imp. & Statibus postmodum exhibenda. † Camerales igitur Proiectum Moguntino exhibuerunt, qui illud in Comitiis Ratisbonensibus an. 1603. ad examinandum proposuit, vt in Comitiis sequentibus possit confirmari, sed, dum ob periculum a Turcis imminens, nihil potuisset concludi, negotium hocce ad proxima Comitia fuit reiectum. †† Dum autem Comitia ob Bellum Germanicum vsque ad annum 1641. in suspenso mansissent, propositum quidem idem Proiectum fuit in Comitiis Ratisbonensibus, verum ad Comitia Deputatorum Francofurti instituenda fuit remissum, ††† sed neque in his quidpiam effectum. In Comitiis Ratisbonensibus an. 1654. de hoc negotio iterum fuit actum sed nihil conclusum, dum illud ad proximam Cameræ Visitationem reiiceretur, †††† vt ideo dictum Proiectum vim Legis nondum obtinuerit, per Recessum nouissimum vero quædam circa Processum Cameralem fuerunt constituta, ††††† quæ hodie obseruantur. Decreta Cameralia collecta fuerunt a BARTHIO, SETLERO, GYLMANNO, BLVMIO, DECKHERRO, LVDOLPHO.

* Prodierunt etiam coniunctim: *des H. Röm. Reichs Cammer Gerichts Gemeine Bescheide und andere Raths-Schlüsse vom Jahr 1497. biß 1711. Wetzlar 1714. f.* vbi coniuncta videmus quæ partim ab aliis sparsim collecta, vel etiam nondum edita. Prodierunt haut ita pridem IO. PAVLI KRESSII, *singulares Obseruationes circa Processum, præcipue Cameræ Imperialis & Iudicii Aulici, Helmstadii 1718. 4.*

** Exhibet illam MIELERVS *Maximiliano, III. Vorst. c. X. §. VII.*

*** In Corpore Recessuum *p. 77.* extant, cum hac Rubrica; *die Artickel des Cammer-Gerichts zu Lindaw und Freyburg auffgericht, werden hiemit ratificirt.*

**** Singulæ hæ Ordinationes reperiuntur in Corpore Recessuum.

***** Extat æque in Corpore Recessuum *p. 570.* & apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 163.* Hanc etiam Ordinationem adiectis omnibus mutationibus vsque ad a. 1580. factis, sigillatim imprimi fecit NICOLAVS CISNERVS, *Moguntiæ 1605. f.* & latino sermone IVSTINVS GOBLERVS *Francofurti 1564.*

****** LEOPOLDI *art. XXXVIII.* IOSEPHI *art. XXXVII.* CAROLINA *art. XVI.*

† R. I. Ratisbonæ de a. 1598. §. *69. 70.*

†† R. I. Ratisbonæ de a. 1613. §. *4.*

††† R. I. Ratisbonæ de a. 1641. §. *90.*

†††† R. I. Ratisbonæ de a. 1654. §. *134.*

††††† Extat apud LVNIGIVM c. l. *Kurtzer Begriff des Kayserlichen Cammer-Rechts, was durch den Westphalischen Frieden, und den jüngern Regenspurgischen Reichs-Abschied de a. 1654. weiter vor Veränderungen darin geschehen.*

§. LXXIV.

Respicere debent Camerales in Sententiis suis primario ad Leges Imperii. Deinde ad Constitutiones prouinciales, si ad easdem prouocetur, atque his deficientibus, demum ad Ius Cæsareum.* Et licet Sententiæ in Iudicio Camerali latæ, suum omnino habeant vigorem, neque tamen in Iudiciis inferioribus in caussis similibus eundem semper retinent, eo quod Statuta atque Consuetudines prouinciales admodum varient, atque leges sæpe aliter explicentur a Cameralibus ac a Iudicibus inferioribus. Vbi vero nulla adsit obseruantia contraria, Iudices inferiores ad Processum Cameralem remittuntur.**

* Patet hoc ex Formula Iuramenti Personarum Cameralium, quæ primum Wormatiæ 1495. decreta postmodum 1521. & Spiræ 1538. in qua

hæc verba: *nach des Reichs gemeinen Rechten, Abschied, und den iezt bewilligten, und auf diesen Reichs-Tag aufgerichten Frieden in Religion und andern Sachen, auch Handhabung des Friedens, und nach redlichen, ehrbarn und lendischen Ordnungen, Statuten und Gewohnheiten der Fürstenthumen, Herrschafften und Gericht, die vor sie bracht werden.* Quod autem sub *gemeinen Rechten*, intelligatur Ius Cæsareum, demonstrauit DATT *lib. IV. c. I. §. 233. sqq.* HISTORIA IVRIS *cap. VI. §. XL.*

** *R. I. Nou. §. 137.*

§. LXXV.

Licet autem Supremum hoc sit Iudicium Camerale, vt nulla ab eodem amplius detur prouocatio, dantur tamen contra sententias Camerales quædam remedia. *Restitutio in integrum* quidem æque a Camera petitur, vt sententiam ante latam, siue interlocutoriam, siue definitiuam, certis & legitimis de caussis, quæ ante in Actis non deductæ, atque summarie proponendæ, retractet. * Alterum remedium est *Reuisio Actorum.* Locum hæc habet, si Iudicis vel Referentis culpa redarguitur, si summa litis 2000. Imperiales in sorte, absque vsuris constituat, & caussa talis sit, in qua iure communi possit adpellari. Alias Reuisio locum non habet in caussis, quæ in prima instantia in Camera ventilantur. Petenda Reuisio est intra quatuor menses a die latæ sententiæ ab Electore Moguntino, aut, si ipse in caussa versatur, Treuirensi, & per schedulam ex Cancellaria Moguntini, Cameræ Imperiali est insinuanda, præstito simul Iuramento reuisorio, & exhibitis grauaminibus. Petitam reuisionem Moguntinus tres menses ante Kal. Maii Imp. ac Statibus Imp. ad annuam Visitationem deputatis significat, cum requisitione, vt Consiliarios suos ad hanc mittant reuisionem, petens vero certam pecuniæ summam a Reuisoribus pro qualitate persona-

rum

rum & grauitate caussarum terminandam in Lectoria Iudicii Cameralis deponit. Visitatores ac Reuisores sub fide specialis iurisiurandi in Ordinatione præscripti, vt & Assessores Cameræ, per quos sententia fuit lata, religione iuramenti, quod initio officii iurarunt, omnia atque singula Acta denuo perpendunt. Assessores etiam rationes prioris sententiæ referunt. Visitatores vero soli rationibus vtriusque partis probe examinatis, priorem sententiam vel confirmant, vel reformant. ** Olim hoc remedium erat suspensiuum, hodie non amplius, si modo pars, quæ sententiam pro se habet, sufficientem præstet cautionem de restituendo iudicatum, vbi in reuisorio succubuerit, exceptis caussis religionis & secularibus, quatenus ad Cameram spectant. *** Tertium remedium est *Syndicatus*, quo litigator ipsos Iudices de dolo, vel quod muneribus, precibus aut odio adducti, male iudicauerint, accusat. Talis autem Processus obseruatur ac in Reuisione. †

* ORD. CAM. *p. III. tit. LII. fin. R. I. Nou.* §. 34.

** ORD. CAM. *p. III. tit. LIII. R. I. Nou.* §. 127. De eadem egerunt vberius BENDERVS, OTTO PHILIPPVS ZEPPERVS & potissimum HERTIVS *de Iudicio Reuisorio in Camera Imperiali.* Addi potest HENR. COCCEIVS *diss. de Reuisoriis Iudiciis cum in genere tum in specie Statuum Imperii.*

*** *R. I. Nou.* §. 124.

† ORD. CAM. *p. III tit. LIII.* Facit huc potissimum GABR. SCHWEDERI *Diss. de Concursu & Electione vtiliori Remediorum, contra sententias in supremis Imperii Tribunalibus latas, Tubingæ 1717. 4.*

§. LXXVI.

Dum autem in Iudicio Camerali varii orirentur defectus,

ctus, subinde de Eiusdem emendatione fuit agitatum. Factum hoc in Comitiis Augustanis a. 1500. Constantiensibus a. 1507. Wormatiensibus a. 1521. * Augustanis a. 1547. ** Augustanis a. 1566. *** In Tractatibus Pacis Westphalicæ agebatur de tertio Iudicio constituendo in Saxonia Inferiori, **** quartum etiam proponebatur pro Circulo Franconico & Sueuico. Verum, dum & media ad Adsessorum sustentationem deficerent, & Status metuerent, ne ordinariis nouis, veterum auctoritas vilesceret, hæc consilia effectu fuerunt destituta.

* Vide supra §. *LXVII.*

** SLEIDANVS *lib. XIX. p. 591.*

*** S. H. G. *diss. XXXIII. §. XXII.*

**** SCHILTER *Inst. Iur. P. Tom. II. p. 70. Fernere Erklerung in Puncto Grauaminum der Evangel. Reichs-Stande in Tract. Pac. Osnabr. m. Mai. 1646. Art. 49. zu denen beyden hœchsten Iudiciis nehmlich dem Keyserlichen Reichs-Hoffrath und Keyserlichen Cammer-Gericht soll noch eins uffgerichtet werden, und zwar in einer Stadt des Niedersæchsischen Creyses, darzu man biß Magdeburg angebauet wird, Halberstadt oder Hildesheim vorschlegt, Dem Keyserlichen Reichs-Hoffrath wære, wann ein Keyser aus dem Hause Oesterreich oder Beyern erwehlt ist, unterworffen der Oesterreichische und Beyerische Kreyss, dem Cammer-Gericht zu Speir, die beeden Rheinischen, Franckische, Schwabische und Burgundische: Dem dritten hœchsten Gericht aber, das aniezo angeordnet werden soll, die beeden Sæchsischen und Westphal. Creyß. Und zwar diese 3. Keyserliche und des Reichs hœchste Gerichte sollen in gleicher Iurisdiction, Potestet und Dignitæt bestehen, auch zwischen ihnen keine Concurrenz, Auocation, Inhibition, Commission und dergleichen statt haben, was zu Abbruch und Hemmung Dero ordinari Iurisdiction gereichen kœnte. So soll auch in allen dreyen nach der Gerichts-*

Ordnung und derselben Verbesserung procedirt, wie nicht weniger einerley modus visitandi & reuidendi gehalten, und niemand was Dignitat, Praeminenz und Hoheit derselben sey, sub Praetextu habender Priuilegien und Exemptionen, sich diesen Gerichten zu entziehen, nicht nachgesehen werden &c. PVFENDORF *de Rebus Suecicis lib. XVII. §. CXIII.* Quartum addit, dicens: *contra expedienda litium multitudini proponebatur, Iudicio Aulico Circulum Austriacum & Bauaricum, Spirensi Camerae vtrumque Rhenanum cum Burgundico assignandum, ac noua duo Tribunalia erigenda, quorum vni vterque Saxonicus cum Westphalico, alteri Franconicus & Sueuicus tribuendus sit.* PFANNER *Hist. P. VV. lib. II. §. LXXI.* NITZSCHIVS *ad Capit. Ioseph. art. XVII. num. 49.*

§. LXXVII.

In corrigendis etiam huius Iudicii defectibus locum habet *Visitatio Camerae.* Haec est vel Ordinaria, vel Extraordinaria. Ordinariae Visitationis modus praescribitur in Ordinatione Camerali, vt quotannis primo Maii instituatur. Visitatores erant, praeter Commissarios Imp. & Moguntini, duo ex Principibus Ecclesiasticis vel Secularibus, quorum vnus in persona adesse debet, alterius consiliarius, idque pro ordine sessionis, vnus ex Praelatis, vnus ex Comitibus, vnus ex Ciuitatibus. * His incumbebat in Praesidem, Assessores & singulas personas Camerales inquirere, an officio suo satisfaciant, atque defectus emendare. Quod si etiam Reuisio Actorum ipsis esset per trimestre spatium ante Kl. Maii denuntiata, haec quoque ipsis competebat. Durauit haec Visitatio quotannis vsque ad an. 1582. quo ** ordo inter Principes Ecclesiasticos tangebat Archiepiscopum Magdeburgensem, Ioachimum Ernestum, qui reformatae religioni erat addictus, cui Status Catholici non sessionem & Votum solum, sed etiam Iudicium reuisorium denegabant. *** Reductu

ducta quidem per R. I. nouissimum fuit † Visitatio, neque tamen in effectum fuit deducta. †† Placuit vero nuper per Conclusum Trium Collegiorum, quod ab Imp. adprobatum, in caussa Erbmannorum Monasteriensium Reuisio extraordinaria, quae binis Statibus ex singulis Collegiis commissa, qui secundum ordinem in R. I. nouissimo praescriptum, Reuisionem instituerent, licet etiam super hoc varii moti fuerint scrupuli. †††

* ORD. CAM. *p. I. tit. L.* Recessus eiusmodi Visitationis Ordinariae de an. 1556, reperitur apud LVNIGIVM *p. Gen. Cont. p. 950.*

** Patet hoc ex Recessu Imperii nouissimo §. 131. in quo: *VVeilen von Anno 1582. keine Ordinar-Visitationes und Reuisiones gehalten vvorden.* Fuisse tamen extra ordinem Visitationes, docet nos GVIL. RODINGVS *Pand. Camer. Tit. LXI. p. 1009.* qui ait, vidisse se sententiam in caussa Noribergensium contra Marchiones Brandenburgicos, per Commissarios Caesareos & Reuisores 3. Iul. 1587. latam. Immo NIC. CISNERVS *ad Ord. Cam. p. 257. sqq.* tradit ab a. 1582. ad a. 1587. Visitationes processisse.

*** LIMNAEVS *L. IX. c. II. n. 197.*

† *§. 128. sqq.*

†† Coniunctim prodierunt *Visitations-Abschiede das Kayserliche und des Reichs-Cammer-Gericht betreffend 1714. f.* e quibus etiam factae singulae Visitationes adparent.

††† FABER *Tom. XI. p. 239. sqq. Tom. XII p. 690. 701. 733. T. XIII. c. VIII. T. XV. c. IV. T. XXVII. c. III.* MONATHL. STAATS-SPIEGEL *Decembr 1705. p. 49. Februarius 1706. p. 10.* EL. I. P. *T. I. p. 719. T. II. p. 255. T. III. p. 73. 283. T. VIII. p. 175 T. IX. p. 395.*

§. LXXVIII.

Visitatio Extraordinaria decreta fuit in Comitiis Augustanis

a. 1530. atq; insequenti anno fuit exercita, Reformatio etiam Iudicii decreta.* Dum aliquot ante annos ipsi Præsides atq; Adsessores inter se diuiderentur, istæq; turbæ in tantum excrescerent, vt dum Moguntinus Elector Cancellariam Cameræ per Præfectum suum *dem Cantzelley-Verwalter* claudi iuberet, plane Iustitium introduceretur,** decreta in Comitiis die X. Oct. 1704. fuit Visitatio Cameræ extra ordinem instituenda, *** sed, dum de deputandis inter Catholicos & Protestantes haut conueniret, an isti per maiora, an vero secundum Religionis paritatem sint seligendi, variæ exinde exortæ fuerunt remoræ. Sub Iosepho vero Imp. a. 1706. decreta tandem fuit noua Visitatio Cameralis, deputatis ad eandem ex Collegio Electorali, Moguntino, Palatino, Saxone atq; Brandenburgico. Ex Principum Collegio & quidem Catholicorum, Salisburgensis, Austriacus, Bambergensis, Spirensis, Hildesheimensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Badensis, Prælati Sueuici, Euangelicorum Magdeburgensis, Bremensis, Saxo-Vinariensis, Brandenburgo-Culmbacensis, Brunsuico-Cellensis, Würtenbergensis, Hasso-Cassellanus, Mecklenburgico-Suerinensis, Comites Wetterauici. Ex Ciuitatum Imperialium Collegio, Aquisgranum, Colonia, Noriberga, Francofurtum, qui Wetzlariam missi, **** Cæsaris parte; gerente Campidonensi Abbate, & Consiliario Imperii Aulico Zimmermanno, publicata illorum Commissione, XX. Octobris 1707. primam instituerunt Sessionem, Cameræ defectibus fere inueteratis medelam adlaturi.***** Postquam igitur de aperiendo iterum Iudicio Camerali XXVIII Aprilis 1708. Placitum Imperii fuisset constitutum, idemqe XIV. Iun. 1710. confirmatum, inter Catholicos vero atque Euangelicæ Religionis Visitatores de modo, quo nouiter præsentandi sint recipiendi, & quod circa eandem paritas Religionis debeat ob-

ser-

seruari, † non statim conueniret, tandem compositione facta, sub directione Principis Nassouii in Hadamar, Iudicium hoc Camerale XXVIII. Ianuarii 1711. solenni more iterum aperitur. †† Mortuo paullo post Iosepho Imp. Visitatio Cameralis continuabatur nihilominus, dum Cæsaris Legatis ad eandem constitutis, Abbati Campidonensi & Zimmermanno nouis mandatis desuper ab Imperii Vicariis prospiceretur. Demum Visitatio hæcce per publicationem Recessus Visitationis, VVetzlariæ XVIII. Dec. 1713. factum, fuit finita. †††

* S. H. G. *diss. XXXII. §. XLIII.* Extat Reformatio in Corpore Recessuum *p. 278.* De aliis Visitationibus extra ordinem agit IAC. BLVMIVS *Proc. Cam. tit. XI. §. XIII.*

** Status Controuersiæ breuiter describitur im BÜCHER-CABINET *p. V. p. 864.* S. H. G. *diss. XXXVII. §. CXCV.* Acta extant in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. IX. p. 121. Tom. X. c. III.* EL. I. P. *Tom. I. p. 118.* Ipsum Collegium Camerale nec ab Imp. nec iussu Moguntini fuit clausum, sed saltim Cancellaria, quod ipsum ansam postmodum dedit Iustitii, vid. FABER *Tom. IX. c. III.*

*** Extat Conclusum apud LVNIGIVM *p. Gen. p. 268.*

**** FABER *Tom. XI. c. V.*

***** EL. I. P. *Tom. I. p. 906. 915. Tom. II. p. 454.* LVNIG *App. p. Gen. p. 115.* S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XVI.*

† EL. I. P. *Tom. III. p. 242.* FABER *Tom. XIV. p. 257.*

†† FABER *Tom. XV. c. III. Tom. XVII. c. X. Tom. XVIII. c. V. Tom. XIX. c. IV. Tom. XX. c. V. Tom. XXI. c. III.* EL. I. P. *Tom. II. p. 402. Tom. IV. p. 576.* LVNIG *II. Forts. der Contin. p. Gen. p. 339.* Hæc singula persecutus fuit CHRISTIAN. ALB. HAKE *de Camera Imperii Visitatione nouissima, Bremæ 1715. 4.* qua ea quæ circa hanc visitationem peracta, ex Actis publicis sigillatim exposuit.

††† ELECTA I. P. *Tom. VI. p. 556. 831.* Hic Recessus Visitationis a. 1714. etiam typis fuit impressus.

§. LXXIX.

Executio Sententiarum in Iudicio Camerali latarum Circulo demandatur, ſub quo Status eſt ſitus, qui eandem per Ducem Circuli perficit, ſecundum Ordinationem Executionis aliasque Leges Imperii. Iſtam vero Ducum Circuli propriam eſſe, vt nec per Imp. nec per alium etiam fieri poſſit, ſuperius iamdum demonſtrauimus. *.

* *Cap. V. §. XXII.*



CAPVT

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM
DE
CANCELLARIA, ARCHIVO,
IDIOMATE ET MATRICVLA IMPERII.

§. I.

IN Comitiis æque ac Iudiciis Imperii locum habet CANCELLARIA IMPERII, *die Reichs-Cantzelley.* Hæc vero Triplex est, vel in Comitiis, vel in Iudicio Aulico, vel in Camera Imperiali. Singulas dirigit Elector Moguntinus, tanquam Imperii Archi-Cancellarius.* *Cancellaria in Comitiis* vulgo dicitur *Chur-Mayntzische Cantzelley*, vel *Reichs-Cantzelley*, quam per Legatos dirigit Moguntinus. Omnia igitur Acta Comitialia ex eadem eduntur, omnia Protocolla, dum solum Moguntinum sit authenticum, ad quod etiam, si reliqua inuicem discrepent, prouocatur.**

* Vide supra *cap. XVII.* §. *III.*

** *cap. XXII.* §. *XX.*

§. II.

Altera *Cancellaria est Iudicii Aulici*, dicta *die Reichs-Hof-Cantzelley*, quandoque etiam *die Reichs-Cantzelley.* Director eiusdem est Elector Moguntinus, cui etiam competit libera eiusdem dispositio, visitatio atque reformatio, qui Vicarium suum *den Reichs-Vice-Cantzler* & reliquos Cancellariæ Officiales constituit.* Vice-Cancellarius quidem idem est, qui olim dicebatur Imperialis Aulæ Cancellarius, qui vice Mogun-

guntini recognoſcebat, ** hodie plerumque ex Comitum vel Baronum ordine ſumitur, licet & olim priuati fuerint admiſſi. Hic Sigillum Imperii maius & medium adſeruat, litteras Iuſtitiæ atque Gratiæ vna cum Imp. decreta vero vna cum Secretario ſubſcribit, curam habet negotiorum Imperii, in feudorum maiorum inueſtituris nomine Imp. proponit, ſeſſionem etiam habet in Iudicio Aulico. Quod ſi vero abſens fuerit, tunc primus Iudicii Aulici Conſiliarius eius munere fungitur. Subſunt eidem Secretarii, Taxator, Regiſtratores, Protonotarius, & plures miniſtri minores. ***

* CAPIT. IOSEPHI *art.* *XXXIX.* CAROLINA *art.* *XXV.*
** *cap. IX.* §. *XIV.*
*** VFFENBACH *de Conſilio Aulico cap. VIII.* & *IX.*

§. III.

Omnia regalia & decreta Iudicii Aulici, omnes literæ inueſtituræ, omnia Diplomata, omnia Priuilegia, & quæ alias regalia Imperii concernunt, ex Cancellaria hac ſunt expedienda, ad quod in Capitulatione ſe obſtringunt Impp. * De ſingulis certa taxa ſoluenda, e quibus non ſolum, maxime vero ex Inueſtituris & Priuilegiis præter adſignatum ab Imp. ſalarium, ſua Vice-Cancellario ſunt emolumenta.

* CAPIT. FERDINANDI III. *art. XLVI.* IOSEPHI *art. XLIII.* CAROLINA *art. XXII.*

§. IV.

Tertia *Cancellaria* eſt *Cameralis*, quæ æque dependet a Moguntino. * Hic conſtituit ſuum Adminiſtratorem, dictum *den Cantzelley-Verwalter*, qui Cancellariam hancce dirigit, Protonotarios, Notarios atque Lectores; reliquos minores, vtpote Copiſtas, famulos, nuncios & ſimiles conſtituit Adminiſtrator. ** Ex hac Cancellaria omnia negotia & Decreta Came-

Cameralia sunt expedienda. Salaria accipiunt Officiales ex taxa Cancellariæ. Dependent ab eadem Notarii Immatriculati, qui dicuntur. Hi sunt vel in ipsa Camera, vel in Ciuitatibus potissimum Imperialibus, qui præuio legitimo examine, in matriculam Cameræ fuerunt relati, atque adhibentur ad insinuanda decreta Cameralia, accipiunt etiam diploma cum sigillo Camerali. *** Hanc Cancellariam Elector Moguntinus in nuperis turbis Cameralibus claudi iussit. ****

* Caroli V. Imp. Decretum de hac Cancellaria Moguntino concessum, extat apud LVNIGIVM *Cont. I. III. Forts. p. 27.*

** ORD. CAM. *p. I. tit. XXVI. & XXVII.*

*** ORD. CAM. *p. I. tit. XXXIX.*

**** Vide *cap. super. §. LXXX.*

§. V.

Lingua, cuius vsus in negotiis, Comitiis & Iudiciis Imperii, vocatur IDIOMA IMPERII. Hoc in actis publicis primorum temporum saltim erat Latinum, quare etiam Leges atque Constitutiones Imperiales eodem saltem sermone publicabantur. Pauca reperiuntur Exempla, quod in caussis publicis, præter Romanam, etiam lingua Theotisca obtinuerit, prout exemplum Caroli Calui testatur, qui, postquam cum fratre suo Ludouico Germanico pactus, vtraque Lingua fuit vsus. * In vulgari vero vsu erat Lingua Theotisca. **

* Patet hoc ex BALVZIO Capit. Tom. II. pag. 144. vbi ait: *hac eadem Dominus Karolus Romana Lingua adnuntiauit & ex maxima parte Lingua Theodisca recapitulauit.* Extant etiam Formulæ Fœderis apud FREHERVM *Tom. I. p. 71.*

** Adducit GROTIVS *ad Scriptores Rerum Septentr. p. 19.* locum Walafridi Strabonis, qui Ludouici Pii temporibus vixit, quo inter alia ait: *nostrum, id est Theotiscum sermonem.* GOLDASTVS Rerum Alemann.

mann. Tom. III. p. 64. *Tuitiste dixit quod vulgo Theutonice: nam & Theodiscam Linguam illi dicebant, hoc est Germanicam, die Tautsche Sprach.* Vberius de hac materia B. RHENANVS *Rer. Germ. lib. II. p. 362.* LEHMANN *lib. II. c. XLV.* HERTIVS *de Fide Diplomatum ſ. I. §. II. III.*

§. VI.

Primus autem Receſſus Teutonicus † memoratur, qui in Comitiis Moguntinis an. 1235. a Friderico II. fuit publicatus, †† licet ab iſto tempore Germanica lingua vniuerſalis non fieret. In omnibus Iudiciis autem non niſi Lingua Latina obtinebat, idque partim ex arcano Clericorum, qui ſibi ideo curam negotiorum publicorum vindicabant, cum alii Latinæ Linguæ paucam curam haberent, partim ad conſeruandam Imperii Romani Maieſtatem fuit factum. Rudolphus Habsburgicus inde in Comitiis Würtzburgenſibus a. 1287. Receſſu Teutonico Pacem publicam conſtituit. ††† Idem etiam Lege publica decreuiſſe dicitur, vt poſthac omnia Edicta, actaque Iudicialia Teutonico ſermone conſcriberentur, ne populus latini ſermonis ignorantia deciperetur. †††† Dum autem coæui Scriptores de publico Edicto taceant, & publica Edicta ad Maximiliani I. vsque tempora, latino ſermone publicata fuerint, eodemque ſermone Diplomata, Contractus, atque Acta Iudicialia multa ad ſeculum vsque decimum ſextum reperiantur, facile credimus, a Rudolphi temporibus inualuiſſe ſaltim in Actis, potiſſimum Iudicialibus, vernaculum ſermonem. †††††

† SCHILTERVS equidem *præf. ad Cod. Iuris Feudalis Alemannici* §. IX. *ſqq.* demonſtrare voluit, vſum Linguæ Germanicæ iamdum æuo Carolingico fuiſſe in Legibus, idque confirmat ex lib. II. CAPIT. c. XXIV. vbi Ludouicus Pius a. 823. ſtatuit: *volumus etiam, vt Capitula, quæ nunc & alio tempore conſulta noſtrorum fidelium a nobis conſtituta ſunt, a Cancellario noſtro, Archiepiſcopi & Comites eorum de*

de propriis ciuitatibus modo aut per se aut per suos missos accipiant, & vnusquisque per suam diœcesin cæteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transscribi faciant, & in suis Comitatibus coram omnibus relegant, vt cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Ex hoc concludit, si Capitula & Constitutiones Impp. etiam fidelibus fuerint prælecta, certe Alemannis atque Saxonibus non in alia lingua promulgari potuerint, quam in sua, quam calluerint. Sed dicitur hoc de Episcopis atque Abbatibus, qui latinam linguam omnino callebant, & Comitibus atque fidelibus, qui si non omnes, certe quidam latinæ linguæ quandam notitiam habuerunt. Nullum autem ante Friderici II. tempora produci poterit Exemplum Constitutionis Teutonicæ. Quare etiam Schiltero minime adsentitur HERTIVS *de fide Diplom. sect. I. §. II.*

†† GODEFRIDVS MONACHVS ad an. 1236. *curia celeberrima in assumptione beata Maria apud Moguntiam indicitur, vbi fere omnibus principibus Regni Teutonici conuenientibus pax iuratur, vetera Iura stabiliuntur, noua statuuntur, & Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicantur.* LEHMANN *lib. V. c. CVII.* Exhibet eundem GOLDASTVS *Tom. II. Reichs-Satzungen p. 17.* S. H. G. *diss. XX. §. X.*

††† Inseruit hunc Recessum integrum LEHMANNVS *lib. V. c. CVIII.*

†††† Prout tradunt AVENTINVS *lib. VII. c. IX.* MART. CRVSIVS *Annal. Suev. lib. III. p. III. c. L. p. 134.* LEHMANN. *lib. V. c. CVII.* FVGGER *lib. I. c. XVI. n. 3.*

††††† Prout etiam adserui in S. H. G. *diss. XXIII. §. XXVII.*

§. VII.

Mansit igitur etiam post Rudolphi I. tempora vtrumque Idioma & Latinum & Germanicum in conficiendis Actis publicis, vel priuatis etiam,* quæ vel Latino vel Germanico idiomate conscripta. Sigismundus vero Imp. an. 1417. decreuit, quod Principum negotia Lingua Germanica, & secundum Iura Germanica debeant componi. ** Postea vtroque Idiomate vsus fuit Maximilianus I. in Ordinatione sua de No-

tariis, Coloniæ 1512. Immo, Electores Carolum V. in Capitulatione *** obligarunt, ne in negotiis publicis Imperii alia quam Latina vel Germanica lingua vteretur, quare etiam vtroque sermone exhibita fuit Confessio Augustana. Idem in subsequentibus Capitulationibus fuit repetitum. ****

* Comprobat hoc BECMANNVS *Hist. Anhaltina p. IV. c. VI. §. X.* ac tradit, etiam in Iudiciis Anhaltinis latinam linguam obtinuisse. Quare etiam Liber Iudicialis Seruestanus inscriptus *Liber Donationum* de an. 1300. latina saltim lingua fuerit confectus.

** Extat Decretum apud GOLDASTVM *Reichs Satzungen p. II. p. 98.*

*** *art. XIV.*

**** LEOPOLDI *art. XLIII.* IOSEPHI *art. XLII.* CAROLINA *art. XXIII.*

§. VIII.

Desiit tamen hodie in plerisque negotiis publicis Germaniæ vsus linguæ Latinæ. In Comitiis quidem Germanica saltim lingua vsum habet, excepta Burgundia, Sabaudia & Lotharingia, qui scripta & vota etiam Latina lingua proferunt. In Iudicio Camerali tamen nec ab his scripta alio sermone quam Germanico recipiuntur. In Iudicio Aulico obtinet vtraque. *

* CAPIT. IOSEPHI *art. XLII.* CAROLINA *art. XXIII.* AHASV. FRITSCHIVS *de Iure Idiomatis.*

§. IX.

In negotiis cum exteris, lingua Latina saltim vsu venit. In Pace Westphalica Cæsarei & Hispani latina Lingua, Galli vernacula sua vtebantur. † In Nouiomagensi vero placuit, vt in colloquio, & tractanda Pace quilibet sensus suos, qua vellet, lingua explicaret. †† Licet Proiectum Pacis & scripta publica Latina lingua fuerint exhibita. Hinc, dum Galli in Congressu Francofurtensi an. 1682. scripta sua Gal-

Gallico Idiomate ederent, Imperii Legati illa admittere noluerunt. ††† In tractanda Pace Ryswicensi, Galli etiam sua lingua scripta exhibuerunt, de quo tamen conquesti fuerunt Status Imperii. †††† Interim ipsa Pacis Instrumenta in VVestphalica, Nouiomagensi & Ryswicensi, Latina lingua fuerunt conscripta. In Conuentu Circuli Franconici Noribergæ an. 1702. Gallicus Legatus Postulata sua primum latina lingua proponebat, postea d. XXI. Februarii denuo petebat, vt noua propositio ipsi lingua Gallica concederetur, quod dum renuerent Status Circuli, ipsum Legatum iterum dimiserunt. ††††† Rastadtiensis Pax eiusdemque Tractatus Gallico sermone concipiebantur, Imperii tamen Iura ratione Idiomatis Imperialis per articulum separatum reseruabantur. †††††† Dum etiam post eandem Pacem Legatus Gallicus, Comes de Gergy Credentiales suas Gallico sermone exhiberet, easdemque Moguntinus recipere nollet, vsque dum Transumptum quod vocari solet latini sermonis adderetur, quod Legatus renuebat: factum desuper fuit Conclusum Trium Collegiorum, in eodemque fuit decretum, secundum Imperii Obseruantiam alias litteras ab ipso recipi haut debere, nisi vel Latini vel Germanici sermonis. Et licet Legatus opponeret, se in reliquis exhibendis latino vsurum Idiomate, Credentiales etiam olim ab anterioribus Legatis, de Crecy & Chamoy Gallico sermone fuisse receptas, Status Imp. tamen per nouum Conclusum XXII. Febr. 1717. renuerunt eiusmodi Credentiales sine Transumpto latino admittere, id quod etiam a Cæsare fuit confirmatum. * Exteri Reges atque Respublicæ Latino sermone scripta in Comitiis exhibent, nisi quod Legatus Belgicus sæpe etiam scriptis vtatur Germanicis.

† Prout docet PVFENDORF *Rer. Suec. lib. XVI.* §. *LIX.*

†† ACTES & MEMOIRES de la Paix de Ryswic *T. II. p. 20.*

††† B. de LYNCKER *de Idiomate Imperiali p. 19.* ELECTA I. P. *Tom. VI. p. 393.*

†††† ACTES & MEMOIRES *p. 281.*

††††† Hæc exponuntur plenius in *Historischer Anzeige der Chur-Bayerischen Associations-Handlung p. 69.*

†††††† *art. II.*

* Extant Acta in EL. I. P. *Tom. X. p. 948.* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XXIX. c. XI.*

§. X.

Ab Idiomate pergimus ad ARCHIVVM IMPERII, in quo adseruantur Leges & Constitutiones Imperii, Acta publica, Instrumenta, Documenta publica, Matricula, Fœdera, Legitimationes & Instructiones Legatorum, aliaque, quæ publico nomine tractantur vel decernuntur. * Duplex autem est vel Imperatoris, vel Imperii. Illud a solo Imp. dependet arbitrio, in quod referuntur omnia Acta vel Imperii, vel etiam familiam & terras Austriacas concernentia. In illud refertur etiam vnum Exemplar singulorum Imperii Recessuum, quæ vti diximus, in duplo expediuntur. **

* B. de LYNCKER *de archiuo Imperii* §. 4.

** ARVMÆVS *de Comitiis cap. VIII. n. 65.*

§. XI.

Alterum est Archiuum Imperii. Hoc ab directione Moguntini dependet, & Triplex est, vel primarium Imperii, vel Iudicii Aulici, vel Cameræ Imperialis. Primarium Imperii in Aula sita habet Moguntinus, in quo omnia Imperii documenta, Leges & Acta Comitialia adseruantur, talia etiam Acta, quæ caussas Italicas concernunt, non obstante titulo Coloniensis, qui Archi-Cancellarius dicitur per Italiam,

liam, idque primum a Maximiliani I. temporibus cum cura cœpit ordinari. † Alterum Archiuum eſt Iudicii Aulici, in quo adſeruantur omnia Acta, quæ ad illud vel deferuntur, vel ex eodem expediuntur. Tertium eſt Cameræ Imperialis, in quo præter Acta Cameralia, adſeruantur ſæpe Priuilegia originalia Statuum vel Immediatorum Imperii, vt ſi opus, præſto ſint. ††

† WAGENSEIL *de Archiuo Imperii* §. *VIII.* B. de LYNCKER *de Archiuo Imperii p. 11. & 13.*

†† B. de LYNCKER *p. 10. 11.*

§. XII.

Adſeruatur in eodem Archiuo æque MATRICVLA IMPERII. Hæc, deſcribente MAVRITIO, † eſt libellus, publica auctoritate Imp. & Statuum deſtinatus, vt in eo deſcribantur nomina omnium Statuum, & quantum quisque eorum ad vſus communes contribuat. Diuiduntur Matriculæ in antiquiores atque recentiores. Iſtæ dicuntur, quæ præcedunt a. 1521. hæ, quæ ſequuntur. Potior vero eſt Diuiſio in Matriculam Statuum, Matriculam Collectarum Imperii, & Matriculam præſtationum Cameralium. ††

† *De Matricula* §. *V.*

†† CORTREIVS *de Matricula cap. V.*

§. XIII.

Matriculam Statuum, in qua ſcilicet ſola nomina Statuum ſine adiectis collectis deſcripta, dari negat MAVRITIVS, † adfirmat LIMNÆVS, †† cui adſtipulatur CORTREIVS, ††† qui etiam talem Matriculam operi ſuo inſeruit, hoc titulo, *der Kayſerlichen Maieſtat und gemeiner Stænden des Heiligen Ræmiſchen Reichs, Teutſcher Nation derer zehen Crayſe, unter*

welchen

welchen Crays ein ieder Standt gehœret, gemachet und aufgerichtet auf dem Reichs-Tage zu Worms anno 1521. Licet ista non adeo pro norma ſit habenda, vt ex ſola relatione in Matriculam probari poſſit, eſſe aliquem Statum Imperii. ††††

† *De Matricula* §. *11. 12.*
†† *Lib. I. c. VII. n. 28. ſqq.*
††† *De Matricula Imperii p. 2.*
†††† *cap. XV.* §. *IV.*

§. XIV.

Altera Matricula eſt Collectarum Imperii. Neglecta iſta fuit * ab initiis Imperii Romano-Germanici, per aliquot ſecula, magno Germaniæ damno, vsque dum Sigismundus Imp. in Comitiis Noribergenſibus an. 1431. pro expeditione in Huſſitas ſuſcipienda primam componi faceret. ** Secutæ plures fuerunt, altera quidem Friderici III. temporibus in Comitiis Noribergenſibus a. 1467. *** Tertia Ratisbonenſis anno 1471. aduerſus Turcas, **** Quarta Noribergenſis an. 1480. pro ſubſidiis 15000. militum contra Turcas fuit ſancita. ***** Quinta prodiit in Comitiis Noribergenſibus an. 1481. contra Turcas. ****** Sexta confecta eſt in Comitiis a. 1486. ******* Septima prodiit in Comitiis Noribergenſibus a. 1487. contra Regem Hungariæ. † Octaua condita eſt in Comitiis Francofurtenſibus a. 1489. pro ſuppetiis contra Regem Galliæ & Hungariæ †† Nona in Comitiis Noribergenſibus a. 1491. contra Gallos ††† Decima in Comitiis Wormatienſibus anno 1495. †††† Quam ſecuta fuit illa in Comitiis Conſtantienſibus 1507. ††††† & plures aliæ. ††††††

* CONRING. *de Ciuibus Imperii* §. *44.*
** Vocatur *Anſchlag auf gemeine Stænde des Reichs zu Nürnberg, zu Hülffe wider die Bœhmen gemacht, unter dem Rœm. Kœnige Sigismundo.* LEHMANN *lib. VII. c. LXXX.* Inſeruit eandem SCHILTERVS *Tom. II. Inſt. loc. citat.* & CORTREIVS *p. 7.* *** Ex-

*** Extat illa apud MVLLERVM *Friderico, IV. Vorst. c. XL.* §. *VI.* LVNIO *p. Gen. Cont. p. 83.*

**** Extat apud MVLLERVM *V. Vorst. cap. XIV. p. 486.* LVNIG *p. Gen. Cont. p. 100.*

***** MVLLER *V. Vorst. c. LXXXI.* §. *IV.* LVNIG *c. l. p. 116.*

****** MVLLER *VI. Vorst. c. LXXXIV.* §. *III.*

******* Adducit eandem LEHMANNVS *lib. VII. c. CXVII.* hoc titulo: *Anschlag zu Francfurt an. 1486. gemacht, darinn sich die Stände des Reichs einer Geld-Hülffe verglichen, darinn zu sehen, daß die Frey- und Reichs-Stædte mehr als die Churfürsten absonderlich, die Fürsten Geistlich und VVeltlich auch absonderlich contribuiret.* MVLLER *VI. Vorst. cap. II.* §. *XII.* Licet Ciuitates nimio onere se in eadem grauatas esse, conquerentur de quo S. H. G. *diss. XL.*

† LEHMANN *lib. VII. c. CXVIII.* MVLLER *VI. Vorst. c. XXI.* §. *XX.*

†† LEHMANN *lib. VII. c. CXX.* MVLLER *VI. Vorst. c. XXXIX.* §. *XI.*

††† MVLLER *Maximiliano, I. Vorst. c. XVI.* §. *XIV.*

†††† MVLLER *Maximiliano, II. Vorst. c. XXVI.* §. *IX.*

††††† Extat apud LVNIGIVM *p. Gen. Cont. p. 423.* S. H. G. *diss. XXXI.* §. *XXV.*

†††††† Recenset has Matriculas GOLDASTVS *de R. Bohemiæ lib. II. cap. XVII.* & plenius CORTREIVS *p. 7. & seqq.*

§. XV.

Tandem vero in Comitiis Wormatiensibus Status a. 1521. acriter contenderunt, vt certa conficeretur Matricula, quod etiam in effectum fuit deductum.* Ast, cum diuersæ Ciuitates Imperiales in eadem fuerint omissæ, ipsaque hæc Matricula absentibus Ciuitatum Deputatis confecta, hæ istam accipere noluerunt, & protestando Ius suum conseruarunt. Nec solum Ciuitates, sed alii etiam Status de hac Matricula fuerunt conquesti, quod nimia ipsis imposita sint onera. ** Hinc in R. I. Noribergensi de anno 1524. *** Moderatio fuit decreta, in Recessu Imperii Ratisbonensi de an. 1541. conuenit, vt Matricula per destinatos Cameræ Visitatores in ordinem redigere-

tur, **** quod in diuersis Comitiis repetitum, vsque dum in Comitiis Augustanis de a. 1551. denuo decerneretur & prodiret: *Anschlag des Reichs nach dem Anschlage des Rœmer-Zugs zu Worms einfach, die neue Moderation zu Worms gemacht.* Sed cum nec dum cessarent Statuum querelæ, noua prodiit Moderatio a. 1557. quam tamen adhuc quidam Status impugnarunt, atque ad Iudicium Camerale prouocarunt. ***** In R. Imp. Ratisbonensi de an. 1576. † Augustano an. 1582. †† Ratisbonensi a. 1594. ††† Spirensi an. 1600. †††† de eadem in ordinem redigenda fuit deliberatum, idemque per Capitulationem nuperam denuo fuit decretum. †††††

* Exhibet eandem CORTREIVS *p. 30. 112.* LVNIG *p. Gen. p. 764.*

** CORTREIVS *p. 37.*

*** § *21.*

**** §. *72.*

***** Singula hæc plenius exponit CORTREIVS *p. 37. & seqq.*

† §. *83. & seqq.*

†† §. *3. 51. 52. 56.*

††† §. *107.*

†††† §. *150.*

††††† Art. V. *Vielmehr daran seyn, daß der Punctus redintegrationis Circulorum, moderationis Matriculæ & peræquationis, auf gemeinen Reichs- oder einem absonderlichen Moderations-Tag, rechtmæssig und færderlichst vorgenommen und erærtert werde.*

§. XVI.

Licet autem ista Matricula suos habeat defectus, plures Status, vel cum, vel sine Onere ex eadem fuerint exemti, * obtinuit tamen ista postmodum & per Recessum Ratisbonen-

bonensem de a. 1576. fuit confirmata. ** Alia post conclusam Pacem Westphalicam a. 1648. placuit, secundum quam Satisfactio Suecica fuit directa. *** Et licet in Comitiis anni 1653. ad Collectas cogi nollent Ciuitates, antequam Moderationem accepissent, hoc tamen decretum, vt quantum matriculare præstarent, vsq; dum Moderatio fuisset definita.**** In præsentibus Comitiis vbi plures Status Moderationem obtinuerunt, sæpius actum fuit de reformanda Matricula, demum a. 1698. noua placuit, secundum quam Imperii Onera hactenus fuerunt directa. †

* Integrum Catalogum exemptorum a Zacharia Geitzkoflero confectum exhibet CORTREIVS *de Matricula p. 50. seqq.*

** *§. 99. VVeil dann unverborgen, dass die Matricul im Jahr der mindern Zahl zwantzig ein, mit Rath und Bewilligung gemeiner Stænden auffgericht, für unser und des Heil. Reichs gerechte und gewisse Matricul zu halten.*

*** Extat apud CORTREIVM *p. 145.*

**** *R. I. Nou. §. 184.* PFEFFINGER *lib. I. Tit. XII. §. XIII.*

† Exhibet illam CORTREIVS *pag. 167.* PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. XII. §. IX. sqq.*

§. XVII.

Fundamentum hæc Matricula habet in Expeditione Romana, vt pro rata de Terris suis æstimentur Status, prout ad Expeditionem Romanam olim concurrere debuerunt. * Nec aliter quam in Comitiis de eadem vel conficienda vel redintegranda vel moderanda tractandum. ** Olim quidem, vbi de moderanda Matricula agendum, ad conuentus Circulorum vniuersales prouocabatur. *** Postquam vero isti desierunt, &

Comitia hodierna fere sint perpetua, in iisdem quoque de moderatione quanti matricularis agitur. Hinc de moderatione Abbatis Fuldensis, Ciuitatis Isnensis, Eslingensis, **** Francofurtensis, † Memmingensis, †† Augustanæ, aliorumque in præsentibus Comitiis fuit actum, certa etiam Moderatio definita. Eandem adhuc petunt Episcopus Augustanus, Spira, Vlma, Wormatia.

* *Cap. XXIII. §. V.*

** MAVRITIVS *de Matricula* §. 13.

*** *R. I. Spir.* §. 12. *& seqq.*

**** PFEFFINGER *p. 283.*

† FABRI *Staats Cantzelley Tom. X. cap. IX.*

†† FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XI. cap. IV.*

§. XVIII.

Tertia Matricula præstationes Camerales continet. Hanc a Matricula Statuum atque Collectarum diuersam esse, plerique adgnoscunt. * Describuntur in eadem Status, & horum Quantum matriculare, quod singulis annis ad sustentationem Iudicii Cameralis tribuunt. Constructa hæc primum est an. 1549. posteaquam anno anteriori Ordinatio Cameralis esset reuisa, & in diuersis Capitibus aucta atque immutata. Dum autem Camerales Salaria ipsis adsignata ad sustentationem suam & Familiæ minus sufficere, sæpius conquererentur, atq; in R. I. nouissimo ** Salaria ipsis augerentur, adauctum etiam quantum matriculare. Hanc igitur Matriculam *die erhœhete Cammer-Matricul* exhibet CORTREIVS. *** In hac summum Quantum Matriculare Electorum est quingentorum florenorum. †

* CORTREIVS *de Matricula c. III.* ** §. 11.

*** Exhibet eandem æque MAVRITIVS in fine Dissertationis de Matricula, sed plenius adhuc atque accuratius, prout scilicet a Moguntino per dictaturam fuit communicata, CORTREIVS sub finem Tractatus sui de Matricula. † FABRI *Staats-Cantzelley T. XXIII. c. II.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM DE TERRITORIIS STATVVM ET SVPERIORITATE.

§. I.

POst Iura Imperii, pergimus ad Territoria & Iura Statuum. Diuersa autem Germaniæ sunt *Territoria*. Primo distinguuntur ista in *immediata* & *mediata*. Immediata dicuntur, quæ immediate subsunt Imperio, qualia sunt Statuum Territoria. Status enim regulariter sua habent Territoria immediata, licet etiam dentur Status minores Imperii, qui vel nullum plane, vel exiguum possident territorium immediatum. Inter Prælatos tales sunt Abbas S. Emerani, Monasterii Superioris atque Inferioris apud Ratisbonenses, Abbas S. Vdalrici & Afræ apud Augustanos, Abbatissa Lindauiensis, Baindtensis, Buchouiensis, quæ inter Prælatos ad vota curiata concurrunt, nullos tamen habent subditos, nullum, extra Monasterium suum, territorium immediatum.* *Ober-Münster*, vero Ratisbonæ vocatur *das Reichs-Stifft Ober-Münsterische Reichs-Territorium*, Comites Mansfeldenses, Superioritatem adgnoscunt vel Saxonicam, vel Magdeburgicam. Plures sunt Comites, qui Territorium quidem possident immediatum, ratione certarum Terrarum vero, aliorum adgnoscunt Superioritatem.**

* EVROP. HEROLD *p. I. p. 595.* TENZEL *Vindiciæ Lindau. p. 63.*
** Vide supra *cap. XV.* §. *III.*

§. II.

Alia Territoria mediata, tali modo sunt subiecta, vt possessores ratione Territorii aeque subiiciantur. Vocatur hoc *Ius Landsassiatus.* * Exempla plura reperiuntur. Inter Episcopos Landsassios referendi Viennensis, Gurcensis, Lauantinus, Labacensis, qui cum Territoriis suis Austriacae Domui subiacent. ** Huc referuntur Territoria Episcopatus Misnensis, Merseburgensis, Numburgensis, in quae Saxoniae Elector, licet non sine contradictione, Superioritatem sibi vindicat. *** Principes Schwartzburgici Ducum Saxoniae sunt Landsassii, istis tamen contradicentibus, Principes Silesiaci olim Regi Bohemiae suberant. Inter Praelatos, Magister Sonneburgicus Iohannitici Ordinis, vulgo *der Herren-Meister*, & Commendatores, ex veteri consuetudine, inter Ordines Prouinciales Pomeraniae censentur, tributis pariter cum hisce sunt obnoxii. **** Sic etiam Commendatores Prouinciales, Thuringiae atque Hassiae inter Ordines Prouinciales locum habent. † Nec desunt Comites & Barones Landsassii. Eodem referenda sunt Territoria Apanagiatorum.

* De hoc IO. BALTHAS. WERNHER *de probatione Landsassiatus ex situ Terrarum.*

** LIMNAEVS *Tom. I. Addit. lib. IV. c. VII.*

*** *cap. XV.* §. *XVIII.*

**** PVFENDORF *Rer. Brand. lib. III.* §. *XXX.*

† HERTIVS *de spec. Rom. Germ. Imp. rebusp. sect. I.* §. *5.*

§. III.

Secundo distinguuntur Territoria Germaniae in *Feudalia* & *Allodialia.* Feuda dependent vel immediate ab Imp. & Imperio, vel ab aliis Statibus. Plerique Status possident Feuda Imperii immediata, licet nullus facile sit Elector, nec Prin-

Princeps Imperii, qui non Dynaſtiam quandam, vel Feudum ab alio Statu, quandoque inferiori teneat.* Nec deſunt Status, qui Territoria ſua ab aliis Statibus in feudum tenuerunt, ſalua Status qualitate & Iuribus, cum a Iure Dominii directi ad ſubiectionem argumentari non ſemper liceat. Exemplum nobis præbet Ducatus Würtenbergicus, qui feudum factus Domus Auſtriacæ, ſaluo Iure Immedietatis & Status Imperii.** Comitatus Waldeccenſis Feudum Haſſiacum, ita tamen, vt regalia & Superioritatis Iura ab Imperio recognoſcerent.*** Comitatus Erbacenſis feudum eſt Palatinum, ſaluo tamen Iure Status. † Tales igitur, ſecundum Leges feudales domino directo ſubiiciuntur, alias exercent omnia Iura Superioritatis, cum Iura atque Regalia ab Imperio teneant, earundemque ratione ſint immediati, vt ideo Vaſalli fiant, non vero Subditi. †† Teſtatur illud etiam Exemplum Principum Italiæ, qui Vaſalli quidem ſunt Imp. non æque eiusdem Subditi, quin potius liberi. Exinde etiam diſtinguebantur Terræ in *Feudum & Hæreditatem Dignitatis*. Illud de Comitatibus dicebatur, quæ Principibus cum omni Iure conferebantur, ††† hoc de Dynaſtiis extantioribus, quæ hæreditatis Iure ad Principes deferebantur. ††††

* HERTIVS *de ſpec. Germ. rebuspubl. S. II. §. 33.* LVD. HVGO *de Statu Regionum Germaniæ.*

** *cap. XV. §. III.*

*** SPENER *Op. Herald. p. ſpec. lib. III. c. XXXIX. §. 2.* IMHOF *Not. Proc. libr. VI. c. XIX. fin.*

† EVROP. HEROLD *p. I. p. 726.*

†† B. de LYNCKER *Vol. I. Reſp. CXCIII.*

††† Patet hoc ex Litteris Inueſtituræ Caroli IV. ſuper Palatinatu Lauchitedr de a. 1350. apud REINHARDVM *de Officiis Imperii Saxonicis p. 95.* in quibus: *als dieſelbe Pfallantz-Grafſchafft der Achparr Füerſte Fridrich ſeliger ir Vater und ander ir Vorfaren, den Got gna-*

gnade, von den heiligen Rœmischen Reich behalden und erworben haben, von unsirn Kæniglichen Gnaden, und geligen haben ewiglich zu besitzen zu rechten Fürstlichen Lieben.

†††† Patet hoc ex CHRONICO Anonymi apud MADERVM in quo *p. 12. cessit etiam eidem Ludero, ex vxore sua Rikiza, Brunswik hareditas dignitatis, qui etiam Duce Saxoniæ Magno mortuo, a Rege Henrico Ducatum Saxoniæ pro sua industria est adeptus.*

§. IV.

Alia sunt Allodia Imperii. Nolumus hic repetere, quæ alibi exposuimus vberius, sed * pauca saltim delibabimus. Olim quidem plures ratione originis erant Terræ Allodiales, quæ tamen postmodum in feudum fuerunt oblatæ, prout de diuersis Palatinatus terris, ** atque patrimonio Guelphico *** iamdum demonstrauimus. Hodie præter Principatum Meursensem, **** inter Ducatus vel Principatus, nulli reperiuntur plene allodiales, nisi quod iisdem plures Terræ Allodiales, quæ vel ex Bonis ecclesiasticis seculo addictæ, ***** vel pignoris Iure ab Imperio, dum vtraque non nisi Allodii Iure fuerint adquisita, ****** vel per Vxores, vel aliunde adquisitæ, sint incorporatæ. Inter Comitatus vero reperiuntur, qui vel pure sunt allodiales, vel pluribus Allodiis intermixti, ******* eademque in Recessibus Imperii vocantur, *Eigenthum.* ******** Illorum Exemplum præbet Comitatus Hohenzolleranus, prout ex litteris inuestituræ † Ferdinandi II. de a. 1622. Comitibus de reliquis terris factæ, patet. De Comitatu Oettingensi BESOLDVS †† adserere non dubitauit, verum adhuc hodie esse allodium. Comitatum Hungensem & Laubacensem Solmensium, allodiali Iure adhuc teneri testatur HERTIVS. ††† Comitatum Sarwerdensem allodialem esse, pluribus euincere conatur GOEDDEVS. †††† Hanouienses Comitatus potissima pars ex Allodiis consistit. †††††
Sic

Sic etiam Limburgenses Terræ sunt allodiales, nisi quod Regalia & Bannum Sanguinis ab Imperio Feudi lege dependeant. †††††† Saynensis etiam Comitatus potiorem partem faciunt Allodia. ††††††† Dynastiam Homburgensem non feudalem, sed allodialem esse, ex Actis Wittgensteinensibus confirmat ITTERVS. * Præcipue vero modernum exemplum testatur Comitatus Wartembergici, ** qui remissa a Palatino Electore qualitate feudali, quam olim ista bona habuerunt, ab Imp. in Comitatum Imperii liberum atque allodialem fuit erectus. Plura sunt Exempla Comitatuum, quæ ex Feudis constant, Allodiis intermixtis. ***

* *Diss. de Allodiis Imperii, Ienæ 1710, 4.*

** *Diss. de Allodiis Imperii §. XVII.*

*** BRVNO *Hist. B. Saxon. p. 180.* de Lüneburgo: *illud autem Castellum Magni Ducis parentum semper fuerat, & ad ipsum suumque patruum Hermannum, tunc hæreditario Iure peruenerat.* Et p. 183. *Hermannus Comes, quod nuper erat factum narrauit, quod Rex occupauit, & si eam retinere potuisset, totam illam regionem, quam sibi parentes Iure dimiserant, non regia potestate, sed iniusta possidere voluit.* Vid. dicta Diss. §. *XVIII.*

**** Prout adseruit REINKING *de Regim Sec. & Eccl. cl. IV. c. XVI. n. 60.* EYBEN *Electis Feudal. c. VI. §. VI.* & DEDVCTIO NASSOVICA apud FABRVM *Tom. XII. p. 339.*

***** Quod etiam adseruit THOMASIVS *de Nat. Bonorum secularisatorum §. XVIII. sqq.* Licet feudorum naturam adeptæ, postquam talia bona litteris Inuestituræ fuerint insertæ, prout in Litteris Inuestituræ Saxonicæ an. 1688. fuit factum, in quibus etiam exprimuntur *Prælaturen, und Clæster, der Weltl. Obrigkeit Schutz-Rechten und Advocatien*, idque factum, vt eo certior redderetur possessio.

****** Prout etiam demonstrauimus in dissertatione nostra *de Allodiis Imperii §. XLII. XLIII.*

******* Facit hoc potissimum HENRICVS COCCEIVS *de Præsumtione*

Qualitatis Feudalis Comitatuum, *Francofurti* 1709. 4. qua demonstrat, Principatus non præsumi esse allodiales, secus de Comitatibus.

******* R. I. Augustanus de a. 1548. §. 56. *daß einem sein Grafschafft, Herrschafft, Stædt, Schlæsser oder andere Güter die sein Eigenthum, und zuvor in keinem Anschlag begriffen wæren, über das sonderlich in die Reichs- Anschlag wolten gezögen werden.*

† Dicitur in iisdem: *Eine uhralte mit allen ihren Regalien, Herrlichkeiten und Pertinentiis gantz frey eigenthümlich, unmittel- und unlehnbare Reichs-Graffschafft Zollern.* BESOLDVS *thes. Pract. pag.* 282. PREGITZER *im Teutschen Regierungs- und Ehren-Spiegel p.* 27. *Diss. de Allodiis* §. *XXXVIII.*

†† *Thes. voce Reichs-Stænde p.* 805. ALEXANDRI *de Iure Allodiali Principum cap. III.* §. 57.

††† *De Superioritate territoriali* §. *LVIII. fin.*

†††† *Vol. IV. Marpurg. cons. LVII.*

††††† Quæ enumerauimus in dicta Dissertatione §. *XXXIX.*

†††††† Prout demonstratum fuit singulari Deductione apud FABRVM *Tom. XVIII. c. I.*

††††††† In dicta Diss. §. *XXXV.* FABER *Tom. XV. p.* 539.

* *De Feudis Imperii cap. V. p.* 182.

** In Diplomate Iosephi desuper concesso vocatur: *eine Allodial- und freye Herrschafft*, & paullo post: *als einen sonderlichen District und Territorium mit darzu gehærigen Land und Leuten, Territorial-Superioritæt Hoch- Herrlich- und Gerechtigkeiten, unter dem Namen VVartenberg, zu einer des Heil. Ræm. Reichs unmittelbar gefreyten Graffschafft erheben*, FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p.* 799.

*** *Diss. de Allodiis Imperii* §. *XXXIX.*

§. V.

Tertio, Territoria distinguuntur in *pura*, vel *mixta*. Ista vnicum saltim agnoscunt Dominum. Hæc autem vel in condominatu consistunt territoriali, vel in communicatione certorum territorii iurium. *Condominatus territoriales* dicuntur, dum duo, pluresue immediati in vna vrbe vel regione

ne, pro partibus indiuisis, iisdemque vel æquis, vel inæqualibus, Superioritatem Territorialem exercent, *da zween, drey oder mehr Stände im Besitz und Niessung einer unzertheilten Herrschafft seyn.* * Hinc vernacula nostra vocantur *zwey, drey oder viel herrliche Landschafften, gesammte gemeine Herrschafften.* Hoc Dominium vel vniuersale est, quod in vniverso Territorii Iure persistit, vel Particulare quod in certis saltim Territorii Iuribus atque partibus fundatur. Prioris Exemplum habemus sub initium superioris Seculi in Ducatibus Iuliacensi, Cliuensi & Montensi, quos ad breue tempus pro indiuiso possederunt Brandenburgicus & Neoburgicus. Eiusmodi Territorii Condominium hodie in Ducatu Coburgensi exercent Saxoniæ Duces lineæ Gothanæ. Talis est Dynastia Müntzenbergensis communis Solmensibus & Stolbergensibus, Butzbacum Hassorum est, & ad quadrantem commune cum Solmensibus. ** Talis est communio Trefurtensis castri & vrbis inter Moguntinum, Saxoniæ Electorem Ducesue, atque Hassiæ Landgranios, *** per Pacem singularem an. 1333. **** constituta. Lippstadtum, Marcani Comitatus oppidum commune est Brandenburgico Electori & Lippiensibus Comitibus. ***** Plura Exempla ad Rhenum & aliis in locis. † In his certa pacta ratione Condominii esse solent, quæ vocantur *der Burgfriede.* †† Posterioris exemplum habemus in Domo Saxonica Lineæ Ernestinæ, quæ nostram Academiam vna cum Iudicio Prouinciali aliisque Iuribus tenet in communi. Eiusmodi Exempla occurrunt in Domo Brunsuico-Luneburgica, Megapolitana, Holsatica, aliisque, in Abbatia Quedlinburgensi, in qua ex Pacto inter Augustum, Saxoniæ Electorem atque Elisabetham Reinsteinensem an. 1574. inito, certa Iura Superioritatis ab Saxone Electore, in cuius Iura cessit Rex Borussiæ, ex Iure

Aduocatiæ hæreditariæ; certa Iura ab Abbatiſſa exercentur. †††
In Franconia ſæpius reperiuntur talia Territoria ratione Iurium mixta, in quibus alius exercet Superioritatem Territorii, alter Iurisdictionem altam, tertius Baſſam ſiue Vogteiam, quartus Iurisdictionem foreſtalem, quintus Iurisdictionem Eccleſiaſticam, ſextus *den Kirchweih-Schutz*, ſeptimus Iurisdictionem communem *die Dorff-Herrſchafft*, †††† ex quo tamen multa ſæpe oritur confuſio, cum diſtinctio Iurium illorum, pro diuerſitate prouinciarum variet, atque ſola nitatur obſeruantia.

* *R. I. Ratisbonæ de a. 1576. §. 101.*

** *I. P. art. III. §. 33.*

*** Qua ratione hæc Communio ex Bello Treſurtino fuerit orta, docet FABRICIVS *Origg. Saxon. lib. VI. p. 640.* Adſtipulatur CHRISTOPH. BROWERVS *Antiquit. Fuldenſibus lib. II. c. XI.* PAVLLINI *Ann. Iſenac. p. 77.* TENVZEL *Suppl. Hiſt. Goth. p. 91.* WINCKELMANN *Heſſ. Chronic. p. 301.*

**** Extat *der Burgfriede über das Hauß Treffurt* de a. 1333. apud LVNIGIVM *Cont. II. p. 181.*

***** Quare etiam notante FROMMANNO *de Condominio Territorii cap. VI. §. I.* vocatur *eine Samtſtätt Ihrer Churfürſtlichen Durchleucht zu Brandenburg und derer Herren Graven von der Lipp.*

† Vid. Litteræ Erneſti Brunſuicenſis apud HORTLEDERVM *libr. IV. c. XXV. num. 33.* Add. ENGELBRECHT *de Seruit. I. P. ſ. II. §. I.* L. B. de LYNCKER *de Super. Territ. p. 35.* hoc vocat Communem Superioritatem.

†† HERTIVS *de ſpec. rebuspubl. Sect. II. §. 27.*

††† Extat illud in FABRI *Staats Cantzley Tom. XIV. p. 493.*

†††† De hac Iurisdictionis communione legi merentur Grauamina Comitum & Nobilium Immediatorum contra Status Superiores in Franconiæ, apud GOLDASTVM *Reichs-Handeln p. 989.* BVRGERMEISTER *Grafen-Saal p. 314.* Quid circa eiusmodi communiones iuris ſit, exponit IO. ANDR. FROMMANNVS *de Condominio Territorii, Tubingæ 1682. 4.* & MICH. GRASS *de Iure Condominii Territorialis, Tubingæ 1717.* Quousque vero limites cuiuslibet Iurisdictionis ſe extendant, in

in Collectione CHRISTIANI LEONHARDI LEVCHTII *de Iurisdictione* vberius demonstratur.

§. VI.

Neque tamen ad Territorii Condominatum referendæ* sunt Seruitutes Iuris Publici, dum quis in alieno Territorio certa Iura exercet, neque Ius Territorii particulare ** hoc poterit adpellari, cum salua nihilominus maneant Iura Territorii. Exemplum habemus in Electore Palatino, qui VVildfangiatus Ius atque Conducendi, Protectionem etiam in Fabros ærarios, in alienis Territoriis exercet. *** Ius Conductus Saxoniæ Ducibus competit in Territorio Ciuitatis Erfurtensis. Elector Moguntinus per Superiorem Comitatum Catimelinbocensem, VVürtenbergicus Dux per Gemundam vrbem & Territorium Ciuitatis Eslingensis, Palatinus per Gelnhusam, Hassiæ Landgrauii per VVetzlariam & Friedbergam Conducendi Ius exercent. **** Tacemus Ius Sequelæ, Collectarum, Aperturæ, Præsidii, Patronatus, Decimarum, Redituum aliaque Regalia consuetudine, vel pacto in alienis Territoriis adquisita, quæ tanquam Iuris Publici seruitutes sunt consideranda. Nec omittendum est Dominium Directum quod in alienis Territoriis sæpe exercetur, prout Serenissimi Marchiones Brandenburgici ex concessione Ludouici Bauari Dominium directum exercent in plures Austriæ Vasallos † Elector Moguntinus, Abbas Fuldensis, Princeps Hirsfeldensis, Principes Anhaltini in multis Comitum & Nobilium Thuringiæ feudis Dominio directo gaudent. ††

* Hanc materiam probe persecutus fuit CHRISTOPH. IOAN. CONRAD ENGELBRECHT erudito Tractatu *de Seruitutibus Iuris Publici*, qui etiam differentiam Seruitutum a Condominio Territorii *sect. II. §. I.* declarauit. Addi potest STRYKII *Diss. de Iure Principum extra Territorium.*

 ** Prout

** Prout sentit ANDR. KNICHEN *de Iure Territorii c. IV. n. 11.* SCHRADER *de feudis p. X. s. I. n. 148.*

*** Supra *c. XVII. §. XXXVI. XXXVII.*

**** ENGELBRECHT *sect. II. m. II. §. XV.*

† S. H. G. *diss. XXVI. §. XI.*

†† HENR. de BVNAV *Exam. Diss. I. P. cap. VI. §. VII. VIII.*

§. VII.

Quarto distinguuntur pro Statuum diuersitate, in Territoria Statuum Ecclesiasticorum & Secularium. Ecclesiasticos iam olim sua habuisse Territoria, in superioribus * fuit dictum. Hæc vero pro istorum diuersitate etiam sunt diuersa, vel Archiepiscopalia, vel Episcopalia & Abbatum Principalis dignitatis, vel Prælatorum simplicium. Distinctum etiam est Territorium, quod ad Episcopatum spectat, *die Stiffts-Lande,* ab aliis, quæ ad Episcopatum accesserunt. Sic Moguntinus præter Terras Episcopales, possidet Comitatum Kœnigsteinensem, & partem Comitatus Rheineccensis. Coloniensis præter Episcopatum, habet Westphaliæ partem, & Comitatum Arensbergensem.

* *Cap. VIII. §. X.*

§. VIII.

Distinguendum autem est inter Territorium, Ius Metropolitanum Archiepiscoporum, & diœcesin Episcoporum. *Territorium* est, quod ipsos tanquam Dominos adgnoscit, in quo iura Superioritatis exercent. *Ius Metropolitanum* vero Archiepiscopi exercent in Episcopos Suffraganeos, * qui eorum Iurisdictionem in caussis ecclesiasticis adgnoscunt. Hoc etiam plane in alienis Territoriis poterit exerceri. Sic per Pacem Monasteriensem, Metense, Tulense atque Virodunense Territoria Gallis fuerunt cessa, saluo tamen Iure Metropo-

tropolitano Treuirensis. ** *Ius Diœcesanum* Germanis *der Geistliche Kirchen-Sprengel*, Episcopi Catholici exercent in Territoriis Statuum Catholicorum, & consistit in Iurisdictione ecclesiastica, quam Status Seculares illis relinquunt. Cuilibet itaque episcopo adsignata sunt certa Territoria Statuum Secularium, in quibus iurisdictionem ecclesiasticam, seu ius diœcesanum exerceat. In Terris Protestantium vero ius diœcesanum subest Territorio, idque exercent Superintendentes, nomine Principis.

* *cap. XVIII. §. XVII.*
** *§. LXXI.*

§. IX.

Territoria Statuum Secularium consistunt vel in Electoratibus, Austriæ Archi-Ducatu, Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dynastiis, vel Ciuitatum Imperialium Terris. Circa Electoratus distinguendæ sunt Terræ Electorales, quæ dignitati Electorali sunt nexæ, a Prouinciis Hæreditariis, *denen Erb-Landen*, quæ ex iure hæreditario, vel aliunde fuerunt adquisitæ. * Ciuitatum Imperialium Territoria vel intra muros ** consistunt, vel in certo Territorio extra vrbem, prout quædam Ciuitates integros possident Comitatus, vtpote Vlma, Noriberga, Tremonia. †

* *cap. XVI. §. XXII.*
** *Instr. Pacis art. VIII. §. 4.*
† Vide supra *c. XXI.*

§. X.

Principum Euangelicorum Territoria vel sunt *secularia*, eademque vel ab initio talia fuerunt, vel ex ecclesiasticis seculi iuri addicta, *die Erb-Lande*, vel *ecclesiastica*, quæ adhuc aliquam formam Episcopatus vel Regiminis ecclesiastici habent,

habent, *die Stiffts-Lande*. Hæc non tam Iure hæreditario, quam potius per Postulationem deferuntur, licet etiam hæc pacto ad certam Familiam possit restringi. Tales sunt Episcopatus, Lubecensis, qui pacto cum Capitulo a. 1647. per sex Successiones ad Familiam Gottorpiensem fuit adstrictus.* Merseburgensis, Numburgensis, qui bini per pacta ad Domum Saxonicam, sunt adstricti. In his Ius Canonicum adhuc obtinet, quatenus in Terris Protestantium est receptum. Alia sunt Territoria *mixta*, quorum regimen quidem est seculare, saluo tamen Iure Capitulorum. Exemplum præbet Ducatus Magdeburgensis, Principatus Halberstadtensis, Mindensis, Caminensis, qui, quantum ad iura Episcopalia, seculi iuri fuerunt addicti, atque hæreditario iure ad Brandenburgicos deferuntur, saluo tamen Iure Capitulorum.

* S. H. G. *diss. XXXVII. §. XCVI.*

§. XI.

Hoc autem notandum, *aliud esse in Territorio, aliud de Territorio*. Illud in quibusdam Ciuitatibus Imperialibus atque Monasteriis locum habet, quæ scilicet alieno Territorio ita sunt circumscripta, vt in eodem sita esse videantur. Exemplum præbet Hamburgum Territorio Holsatico; Brema Territorio Ducatus Bremensis circumsepta. Monasterium S. Emerani, superius atque inferius *Ober- und Nieder-Münster* Ratisbonæ, Monasterium Lindauiense, Monasterium S. Vdalrici & Afræ, quæ intra mœnia Ciuitatum inclusæ, Ciuitates tamen pro Superioribus haut adgnoscunt, sed ratione Monasterii sui non solum, sed etiam Iurium personalium Imperio immediate subiiciuntur, ideoque non sunt de Territorio. Nobiles vero & Membra immediata, ratione personæ saltim imme-

immediate ſubſunt Imperio, licet ratione Bonorum, Superioritatem Territorialem adgnoſcere teneantur. *

* Vid. PAVLI IOANNIS MARCI Diſſertatio ſub præſidio Thomaſiano, *de inutilitate Brocardici vulgaris: quæ ſunt in Territorio, præſumuntur etiam eſſe de Territorio.* Vide etiam Supra *c. V. §. V.*

§. XII.

Hiſce Territoriis inhæret Superioritas. Duplex iſta eſt *Iuris* vel *Gentium*, vel *Territorialis*. Iſta conſiſtit in Iuribus Maieſtati proximis, quæ ſinguli Status moribus & conſenſu Gentium, etſi Territorium immediatum non poſſideant, exercent. Hæc ita Statibus eſt propria, vt, ſi quis etiam liberum poſſideat Territorium, non ideo habeat Superioritatem, ſi non æque Iura Status adipiſcatur, prout videmus in Nobilibus Imperii Immediatis, immediata Imperii Allodia poſſidentibus. Quod ſi enim Princeps iuri Superioritatis in Terris Landſaſſii renunciet, retento ſaltim dominio directo, is ideo non adquirit Superioritatem, niſi inter Status recipiatur. * Territorialis vero Superioritas a Statibus exercetur in Territoriis. Hæc dum plenius examinare conamur, dicendum primo, quid ſit Superioritas; deinde Origo Superioritatis Territorialis; demum Iura eiusdem erunt exponenda. **

* Vid. etiam FROMMANN *de Condominio Territorii cap. IV. §. XX.*
** In I. P. art, X. §. 30. diſtinguuntur: *ius territorii & ſuperioritatis.*

§. XIII.

Conſiderantes, quid ſit Superioritas, bene ad inuicem ſunt diſtinguenda Ius Suprematus, Superioritas atque Iurisdictio. *Suprematus* quidem, vel communi conſenſu idem eſt, quod Gallis dicitur *La Souverainité*. Hunc quidem Principibus etiam armipotentibus tribuit FÜRSTENERIVS. * Verum,

rum, si consideremus, *Souverains* illos saltim dici, qui non nisi a solo Deo dependent, ** hoc autem de Principibus Imperii dici nequeat, qui praeter Vasallagium, ad Leges aeque & mandata Imperii tenentur, ideoque Subditi potius Imperii dicuntur *** qui Ius Belli & Pacis & similia, non nisi cum restrictione quadam exerceant; Vix illis Suprematus poterit attribui, qui de solis praedicatur Regibus, qui Superiorem plane non adgnoscunt. Et licet Statibus nonnunquam titulus Maiestatis fuerit tributus, ipsi saepius Sigillo Maiestatis vtantur, **** immo nonnunquam tribuatur *La Souveraineté*, ***** ex istis tamen Titulis nihil concluditur, quia in curialibus saltim consistunt. *Iurisdictio* hodie competit omnibus Magistratibus, etiam Nobilibus mediatis, si de eadem fuerint inuestiti. *Superioritas* vero Imperii Statibus competit.

* *De Iure suprematus cap. IX. & X.* Idem singulari Tractatu ROSENFELD siue RELFENDSO *de summa Principum potestate* demonstrare conatus. BRÜCKNER *Curiosis Iuris Publici* §. *X.* Contra haec tamen disputat L. B. de LYNCKER *de Super. Territ. p. 96. seqq.*

** Ita enim Vsus est huius vocabuli in Tractatibus Pacis inter Ludouicum XIV. Galliae & Christianum V. Daniae Regem, vbi in fine de Duce Holsatiae: *vbi vigore huius articuli consentit in restitutionem praefati Ducis in ipsius ditiones, prouincias, loca & vrbes in eo, quo nunc inueniuntur statu, vti & in Suuerennitatem vti vocant, qua ipsi vigore Tractatuum Rodschildensis & Hafniensis competit,* RECVEIL DES TRAITTES DE PAIX *Tom. IV. p. 444.* Hinc in Pace Monasteriensi §. 74. Superioritas & supremum Dominium ab inuicem distinguuntur.

*** Id quod supra demonstrauimus *c. XV.* §. *XXI.*

**** Vide supra *c. VIII.* §. *XVIII.*

***** PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. I. Tit. IV. n. 9.* ITTER *de feudis Imperii c. XIX.* §. *6.*

§. XIV.

§. XIV.

Consistit vero hæc Superioritas, Statuum propria, *vel in exercendis Iuribus Maiestati proximis, quæ ipsis vsu adquisita, per Leges Imperii & consensu Gentium concessa, vel in ordinando Territorio suo immediato, atque exercenda in eodem potestate omnimoda, subordinata tamen Legibus Imperii,* * *saluis quoque pactis atque priuilegiis subditorum.* Ignota primum hæc vox, vti ipsa res erat, nec, nisi crescentibus Principum Iuribus enata. Priori quidem tempore, sub iuris & Iurisdictionis nomine Principum iura efferebantur, ** & sub mero & mixto Imperio, *** qua notione etiam Iureconsulti Itali vtuntur. **** Inde Ius Principatus fuit adpellatum. ***** Postea in Diplomatibus atque Litteris inuestituræ Principum iura plenius atque sigillatim fuerunt expressa, sæpe etiam olim sub Regalium nomine elata, vsque dum Carolus IV. in litteris inuestituræ Guilielmi, de Gelriæ Ducatu a. 1317. concessis, eundem quoque de Superioritatibus inuestiret. † Sensim itaque hæc vox vsu venit, & licet in Pace Monasteriensi †† pro Suprematu diceretur, postea tamen pro iuribus Statuum inualuit. Germ. dicitur *Lands- und hohe Obrigkeit, Landsherrliche Botmæssigkeit, Oberherrlichkeit und Gebiet* ††† *Landes-Hoheit.* †††† Hæc autem pro diuersitate Statuum, vel est *Lands-Fürstliche, Lands-Græfliche, Herrliche, Stædtische, Landes- und hohe Obrigkeit.*

* Patet hoc ex *Ordnung des Land-Friedens* an. 1521. Tit. *Handhabung des Friedens* §. 4. SECKENDORF *Fürsten-Staat p. II. cap. II, p. 60.*

** Sic Fridericus I. Imp. in charta a. 1180. Philippo, Archiepiscopo Coloniensi partem Ducatus Westphaliæ & Angariæ *cum omni iure & iurisdictione, videlicet cum Comitatibus, cum Aduocatiis, cum conductibus, cum mansis, cum curtibus, cum Beneficiis, & cum*

omnibus ad eundem Ducatum pertinentibus concessit, GELENIVS *Syntagm. de magnit. Colon. lib. I. cap. VII.* LVNIG *im Reichs-Archiv p. spec. sect. I. p. 434.* Fridericus II. in Constitutione de Iuribus Principum ecclesiasticorum de a. 1220. *ne noua telonia & noua moneta in ipsorum Territoriis siue iurisdictionibus statuantur: neue Officiales sui in Ciuitatibus eorundem Principum iurisdictionem aliquam siue in theloneis siue in monetis seu in aliis officiis quibuscunque sibi vindicent.* Otto IV. a. 1198. Corbeiensi Ecclesiae concedit Iurisdictiones, videlicet Aduocatias, & Comitatus & Regales Bannos, apud SCHATENIVM *Ann. Paderborn. Tom. I. lib. IX.*

*** Carolus IV. Cunoni, Archiepiscopo Treuirensi an. 1376. ciuitatem, oppida, villas, castra & fortalitia Ecclesiae confirmauit cum iurisdictione, mero & mixto Imperio, & eorundem exercitio ac potestate animaduertendi. Vid. etiam BROWERVS *Ann. Treuir. Lib. XVII. ad a. 1314.*

**** Plures allegat HERTIVS *de superior. territ. §. 2.*

***** Quare Rudolphus, Dux Saxoniae cum an. 1357. Ordinis Teutonici equites Sylua donasset, Superioritatem sibi sub Iuris Principatus nomine reseruauit, PAVRMEISTER *de Iurisdict. lib. I. c. VIII. n. 5.* Fridericus etiam Burggrauius, dum Ciuitati Noribergensi multa Iura venderet, sibi reseruauit *seine Herrschafft und andere des Burggrafthums Herrlichkeit, Rechte und Güter,* LIMNAEVS *Tom. IV. Addit. ad lib. V. cap. VII. p. 773.* Paulus III. Summus Pontifex, cum an. 1523. conuentionem inter Ducem Brunsuicensem & Canonicos Hildesheimenses, Statusque Prouinciales initam, confirmaret, his verbis vtitur: *quod Vasalli feuda, quae prius ab episcopo Hildesheimensi tenuerant & habuerant a Ducibus Brunsuicensibus a modo recipere, & ipsis Principibus eorumque Superioritati obedire deberent.*

† Ita enim in litteris Inuestiturae de an. 1377. *Wilhelmum Ducem de Gelriae & Comitem de Zutphania cum Ducatu Gelriae & Zutphaniae Comitatu cum Superioritatibus, iuribus, teloniis, feudis, homagiis, proprietatibus, ciuitatibus, castris, territoriis, hominibus, & tum pertinentiis & attinentiis, quibuscunque nominibus censeantur, cum*

cum nostro Imperatorio Sceptro inuestiuimus, apud PONTANVM *Hist. Gelr. ad d. a.*

†† §. 96. *Dux Sabaudiæ non inquietetur in Superioritate, aut iure Superioritatis, quod habet in Feudis Rocheuerani, Olmi & Casolæ cum appertinentiis, quæ a Romano Imperio nulla ratione dependent.*

††† In Rec. Imp. Augustano de an. 1548. §. 66. vocatur *Landes-Fürstliche Obrigkeit*, §. 48. *Ober- und Gerechtigkeiten* in R. I. Augustano a. 1555. §. 40. & 1559. §. 21. *Oberherrlichkeiten* R. I. Augustanus de a. 1555. §. 16. *Obrigkeiten, Herrlichkeiten, Gerechtigkeiten* I. P. art. V. §. XII. *Ius Territorii.*

†††† In CAPIT. LEOPOLDINA *art. III.* vocatur *der Fürsten Hoheiten*, CAROLINA *art. XV. Landes-Fürstliche hohe Obrigkeit.*

§. XV.

Originem Superioritatis, si indagemus, post Carolingorum demum tempora cœpit, dum iam in superioribus fuerit demonstratum, Duces & Comites non proprio iure prouinciis præfuisse vel iurisdictionem exercuisse, sed nomine Imp. Prima vero initia Superioritatis iacta fuerunt, postquam Conradus I. propriam atque hæreditariam Principibus secularibus potestatem concessisset, sub nexu tamen vasallitico. * Licet autem propria ab isto tempore vterentur potestate Duces Germaniæ, non tamen erat omnimoda, quin potius potestatem iudiciariam, aliaque Iura, belli, pacis & Tributorum, sibi reseruarint Impp. Et licet iam sub Ottone M. bella gesserint Germaniæ Duces, ipsos tamen Imp. satis compescuit. Crescente vero Ducum sub Henricis potentia, sensim etiam hæc sibi Iura vindicarunt, ** eosdemque secuti Episcopi, tot prouinciis donati, vsque dum, durante Interregno, fere concideret Imppi potestas. Rudolphus Habsburgicus quidem statim ac coronatus, pristina Iura reuocare

conabatur,*** sed videns, malo iam satis inueterato medelam adferri non posse, nihil profecit.

* *Cap. XIX.* §. *VIII.* Demonstrantur hæc plenius in B. de LYNCKER *Diss. de Superioritate Territoriali p. 8.* & in Dissertatione sub præsidio LVDEWIGII habita *de Germania Principe post Carolingica sub Conrado I.* Licet in eo adsentiri non possim, quod isto tempore Duces iamdum habuerint Ius Belli & Pacis, Legum ferendarum & similia, quæ sensim postea adquisiuerunt.

** Patet hoc potissimum ex I. FEVD. ALEMANN. *c. XLII.*

*** FVGGER *Spiegel der Ehren lib. I. c. IX.* LEHMANN *lib. IV. c. I.*

§. XVI.

Neque tamen, etiam post Interregnum, statim omnia Superioritatis Iura exercuerunt, sed ex concessione Impp. potestate saltim vtebantur iudiciaria, iure Banni & Regalibus, de quibus inuestiebantur. * Accedebant alia Iura, monetæ, teloniorum, feudorum, metallifodinarum, de quibus a seculo potissimum XIV. speciatim Principes inuestiebantur, ** atque ista plerumque sub voce *Regalien & Herrlichkeiten* exprimebantur: *** vsque dum reliqui Principes hæc & maiora iura vel ex speciali Priuilegio, vel vsu & præscriptione adquirerent, quæ accedentibus bellis Germaniæ, Smalcaldico atque Tricennali, magis magisque fuerunt adaucta, & per Pacem Westphalicam, **** tanquam legem pragmaticam, & Capitulationes, ***** perpetuo iure firmata, ita vt in litteris Inuestituræ Principum Imperii hodie sæpius exprimantur *Landes-Fürstl. hohe Obrigkeiten.* Principes vero Italiæ Superioritatem Territorii primum sub Vicaria potestate † obtinuerunt, eandemque sensim sibi proprio iure postmodum, decrescente potissimum apud Italos Impp. auctoritate, sibi vindicarunt. ††

* Pa-

* Patet hoc ex Diplomate Comiti Hennebergico de Principali dignitate concesso, in quo potissimum tribuuntur: *omnia Iura Principum in sententiis conueniendis, dictandis, pronunciandis, in iure ciuili & plebiscito, quod vulgo dicitur Landrecht* apud MEIBOMIVM *Tom. III p. 209.* & in Confirmatione Friderici III. Imp. Donationis a Conrado Masouiæ Duce Ordini Territorio factæ, apud MVLLERVM *Friderico, II. Vorst. c. III. p. 440.*

** Patet hoc ex Litteris Inuestituræ Castrucii, & Ducum Lucenburgensium & præcipue Diplomate Erectionis Ducatus Holsatiæ Friderici III. apud MEIBOMIVM Tom. III. p. 213. in quo hæc verba: *vt cum omnibus Ducatibus ac Principatuum dignitatibus, iuribus, honoribus, titulis, eminentiis, vtilitatibus & prærogatiuis possidere, & præsertim Iure auream argenteamque monetam fabricandi, venationes banniendi, gabellas & telonia solita subleuandi, & saluos conductus & securitates præstandi, vti, frui & gaudere possint ac valeant.* Eadem patent ex Litteris Inuestituræ Friderici Bellicosi, Saxoniæ Electoris, a Sigismundo Imp. factæ, apud ALBINVM *Meißnische Chronic tit. XVI. p. 212.* In Litteris Inuestituræ FRIDERICI III. Imp. an. 1459. Brandenburgicis Marchionibus concessæ: *über all Ir Churfürstenthumb, Fürstenthumben, Gerechtigkeit, Freyheiten, Gnade, Gewonheit, Lannt-Gericht, Besitzung, Eigenschafft, Vesten, Stette, Lannde, Lütte, Closter and Closter-Vogteyen, Mannen, Manschafften, Leben, Lebenschafften, geistlichen und werntlichen, Zwyngen und bennen, Kraissen, VVelden, Holtzern, Püschen, VVelden, Wayden, VVassern, VVasserleuffen, Vischereyen, Gegayden, VVildpennen, Gerichten, Geleitten, Münssen, Ertzte, Berckwercken, Nutzen, Zinsen, Güllten und allen Pfannerschafften und Ampten &c.* In Litteris Inuestituræ a Maximiliano I. Wilhelmo II. & Wilhelmo Iuniori Hassiæ Landgrauiis a. 1495. concessis apud LVNIGIVM Forts. der II. Cont. p. 768. *daß wir ihnen ihre Regalia, nemlich die Landgravschafft und Fürstenthumb Hessen, mit ihren Landen, Leuthen, Schlossen, Stadten, Marckten, Dærffern, Freyheiten, Gnaden, Herrlichkeiten, Zællen, Geleiten, Obern-und Niedern-Gerichten, Freystühlen, den Bann über das Blut zu richten, Gewon-*

Gewohnheiten, Besitzungen, Eigenschafften, Stifften, Clœstern, Vogteyen, Obern- und Niedern Mannen, Mannschafften, Geistlichen und VVeltlichen, Zwingen, Bannen, Creyssen, VVælden, Hœltzern, Büschen, Veldern, VVeyden, VVassern, VVasserleufften, Iagden, VVildbahnen, Weydenereyen, Ertzten, Bergwercken, Erb- Aemptern, Zinsen, Gülden, Ehren, Rechten und Würden, und allen andern Gerechtigkeiten darzu gehœrende, nichts ausgenommen, - - - bestætiget. Eadem ratione Litteris Inuestiturae Mariae Burgundicae a Friderico III. Imp. de Geldriae Ducatu factae, in Assertione Iuris Geldrici Iura haec sigillatim exponuntur.

*** Agit de eadem voce L. B. de LYNCKER *Resp. CXCIII. n. 45.* MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. XXIII. §. XXVIII.* HERTIVS *de Super. Territ. §. VIII.* Sic in Conuentione inter Fridericum, Brandenburgensem Marchionem & Ciuitatem Noribergensem, a 1496. inita, conuentum, ne illa Serenissimi Marchionis Superioritati, *Ihrer Fürstlichen Obrigkeit und Herrlichkeiten*, sit damno apud WAGENSEIL *de Rep. Norib. lib. II. c. I. p. 307.*

**** Art. VIII. §. 1. *vt autem prouisum sit, ne posthac in Statu Politico controuersiae suboriantur, omnes & singuli Electores, Principes & Status Imperii Romani in antiquis suis Iuribus, praerogatiuis, libertate, priuilegiis, libero iuris territorialis tam in Ecclesiasticis quam Politicis exercitio, ditionibus, Regalibus, horumque omnium possessione, vigore huius transactionis ita stabiliti firmatique sunto, vt a nullo vnquam sub quocunque praetextu de facto turbari possint vel debeant.* & art. X. §. 30. *cum Iure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus vsitata praxi.*

***** CAPITVL. IOSEPHI *art. III.* CAROLI VI. art. I. *und wollen nicht gestatten, daß denen Standen in ihren Territoriis, in Religion-Politischen und Iustitz-Sachen sub quocunque praetextu wider den Friedens-Schluß oder auffgerichtete rechtmæßige und verbündliche Pacta vor- oder eingegriffen werde.* Art. XV. *Wie Wir denn keinen Churfürsten, Fürsten und Stand seine Landsassen, ihme mit oder ohne Mittel unterworffene Vnterthanen, und mit Landes-Fürstlichen auch anderen Pflichten zugethane Eingesessene, und zum Land gehœrige von der Bothmæssigkeit und Iurisdiction, wie auch wegen Landes-Fürstlicher*

lichen hoher Obrigkeit; und sonsten hergebrachten respective Steuern, und andern gemeinen Bürden und Schuldigkeiten, weder unter dem Prætext der Lehn-Herrschafft noch einigem andern Schein eximiren und befreyen.

† In Litteris Inuestituræ Saxonicæ de an. 1688. sæpius exprimuntur: *Fürstliche Regalische Obrigkeiten, Fürstliche Regalien, Herrlichkeiten, Obrigkeiten, Landes-Fürstlichen Hoheiten & præcipue mit allen derselben Zugehœrungen, an Mannschafften, Leuten, Lehen, Lehenschafften, Gerichten, Oberst und Niederst, Straffen, Renten, Gefællen, Wassern, Fischereyen, Rechten, Nutzungen, Bergwercken, Saltzwercken, VValden, VVildbahnen, Zœllen, Gleiten, und gemeiniglich mit allen und ieden ihren Regalien, Landes-Fürstlichen hohen Obrigkeiten, Herrlichkeiten, Ehren, VVürden und Freyheiten. &c.*

†† Vide supra *cap. XIII. §. XLIV.* Hanc Superioritatis originem vberius exposuit HENNIGES *de Superioritate Territoriali §. XXX. sqq.* & IO. WILH. GOEBEL *de Iuribus Procerum Maiestaticis, Helmst. 1718. 4.*

§. XVII.

Serius cœpit Comitum Superioritas, qui Ducum Exemplum secuti, eadem sibi Iura vindicarunt. Hæc autem Comitum Iura non vno statim tempore cœperunt, sed potestatem primum iudiciariam & Iurisdictionem, quam Cæsaris nomine exercebant, sibi propriam fecerunt. Quare etiam illis saltim tribuitur: *Zwang und Bann* * & COCCEIVS ** auctor est, ex antiquis concessionum tabulis patere, Comitibus ante dua vel tria Secula, Terras saltim fuisse concessas, cum Iurisdictione, reditibus, mero & mixto Imperio, *mit Ober- und Gerichtbarkeiten, Ober-und Erb-Gerichten, Zwang, Bann, Cent &c.* rarius addi *Herrlichkeiten.* Patet hoc magis ex eo, quod, dum Comites Principali dignitate ornarentur, ipsis concederetur potestas Iure prouinciali, *Landrecht*, vtendi, immo, plura alia Regalia atque Iura Superioritatis concederentur, prout Diplomata Comitis Hennebergici, erectionis

Ducatus Lucenburgensis & Holsatici testantur.*** Certum tamen est, hæc Iura sensim vsu atque consuetudine inualuisse, ita, vt in Terris immediatis omnia Iura Superioritatis sibi arrogarent Comites, in Terris mediatis vero plerique Ducum subiicerentur Superioritati. Neque vero hæc Comitum Superioritas diuersa est ab ista Principum, dum per Pacem Westphalicam Statibus sine exceptione ista fuerit tributa,**** quare etiam speciatim cum Regalibus vel Superioritate inuestiuntur.***** Scilicet, ratio habendi est eadem, licet non eodem modo Comites possint exercere, ac Principes, potissimum armipotentes, eo quod plerorumque Territorium non adeo sit amplum.

* Reformatio Sigismundi cap. XX. apud GOLDASTVM Tom. VII. p. 199. *Es ist zu wissen, daß hoben Fürsten, die grosse Land haben, auch fast Kyserliche Recht zu ihrem Theil halten: aber Grafen, Freyen, Ritter und Knecht, die auch Zwing und Penn haben.*

** *Cap. XXI. §. XII.* Quare etiam in Litteris Inuestituræ Henrico Rutheno a Ludouico Bauaro a. 1323. concessis, apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 203.* dicitur: *ad hoc eidem contulimus Iudicia in terris suis, Conductus, Venationes, Theolonia, seu tributa, Item montana, seu mineralia, que Bergwerck vulgariter appellantur, si forte in terris suis ea contingent reperiri.*

*** Reperiuntur ista apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 209. seqq.* Exinde facile patet, etiam immediatorum Comitum potestati, postquam Principes facti, plurimum accessisse, secus ac sentit LVDEWIG *Diss. de Nexu Ciuit. Imp. cap. VII. §. 3.*

**** Vindicauit hanc Comitibus Superioritatem IO. HENRICVS BOECLERVS singulari Dissertatione, *Argent. 1710. 4.* Id quidem contra Cocceium, qui propria quidem potestate gaudere Comites, sed ea tamen in rem suam vti, adseruerat.

***** Sic Comes Wartenbergicus, a Iosepho Imp. inuestitus: *mit der Herrschafft Wartenberg und dazu gehærigen Land und Leuten, Territorial-Superioritat, Hoch-Herrlich- und Gerechtigkeiten.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Ciuitates Imperiales vero Superioritatis Iura adquisiuerunt, postquam cessarent Aduocati atque Præfecti Imperiales. Dum enim Priuilegiis se munirent, ne sub Comitum, vel aliorum, qui olim Cæsaris nomine in Ciuitatibus Imperialibus eandem exercuerunt, essent Iurisdictione, * propriam sane fuerunt adeptæ, quibus accesserunt reliqua iura & regalia, quæ partim singulari Priuilegio, partim etiam vsu atque præscriptione obtinuerunt, vsque dum singula hæc per Pacem Westphalicam confirmarentur, idque non solum sub generali Statuum nomine, sed speciatim quoque ipsis Ciuitatibus fuit prospectum.** Patet illud etiam exercitio, dum vel omnia iura Superioritatis, illa etiam, quæ Iuris Gentium sunt, exerceant, milites conscribant, Legatos mittant, fœdera ineant, quæ illis sane non ex speciali Priuilegio, sed Iure Superioritatis concessa,*** si forsan excipias Ius Postarum, quo Ciuitates quidem minores ob defectum Territorii destituuntur, licet maiores æque exerceant, & Ius monetandi, quod aliter exerceri nequit, nisi quatenus vel ex priuilegio, vel præscriptione obtinet.****

* *cap. XXI. §. 27.*

** I. P. art. VIII. §. 4. *Tam in vniuersalibus vero quam particularibus Diatis liberis Imperii ciuitatibus, non minus quam cæteris Statibus Imperii competat votum decisiuum, iisque rata & intacta maneant regalia, vectigalia, reditus annui, libertates, priuilegia confiscandi, collectandi, & inde dependentia, aliaque Iura ab Imperatore & Imperio legitime impetrata, vel longo vsu ante hos motus obtenta, possessa & exercita, cum omnimoda Iurisdictione intra muros & in Territorio.*

*** Demonstrauit hoc singulari Diss. FRIDER. HEILBRVNNERVS *de Superioritate Ciuitatum Imperialium*, sub Præsidio WILDVOGELIANO, *Ienæ 1709.* qua etiam aduersariis, potissimum ANDREÆ KNICHENIO, qui

in Velitatione Apologetica, eandem Ciuitatibus abiudicare conatur, respondet. Secutus Heilbrunnerum fuit DAV. WILH. RAV in Diss. *de Pari Nexu Ciuit. Imper.* sub Praesidio SCHWEDERIANO *cap. II.* §. *VII. sqq.* Eandem defendit LINDENSPÜR *de Imper. & Famil. Orig. Mutat.* §. *XXX.* §. *LXVIII. sqq.*

**** *cap. XII.* §. *XXXII.*

§. XIX.

Sunt equidem, qui distinguant inter Ciuitates liberas atque Imperiales, quod istis quidem Iura Superioritatis concessa, non aeque his.* Verum, licet minime negemus, liberis Ciuitatibus, ratione proedrias, atque immunitatis, certas fuisse praerogatiuas, nihil tamen exinde poterit concludi ad Superioritatem, maxime, cum in Pace Westphalica, qua Superioritas haec potissimum firmatur, omnes dicantur liberae Ciuitates. Immo dicitur, ** non deesse Ciuitates, qui Iurisdictione destituti, quam Princeps quidam vicinus sub Iure Sculteti Imperii exerceat, vel destitui eas Iure Belli ob Iura Praefectorum, *der Reichs-Vœgte*, in quibusdam Ciuitatibus adhuc reliqua, sint Imp. tributariae, Statibus vicinis concedere teneantur Ius conducendi, portoria atque vectigalia in Territorio suo. Ast, haec iura specialia Ciuitatum Imperialium Superioritati non obstant, sed tanquam Seruitutes in alieno Territorio sunt consideranda. Cum plures sint Status, qui vel similia Iura exercent in Principum Territoriis, salua tamen horum Superioritate Territoriali.

* HEVSS Differt. Inaug. *de Nexu Ciuitatum Imperialium*, sub Praesidio LVDEWIGII habita, *cap. VII.* §. *4.*

** *Cap. VII.* §. *8.*

§. XX.

Exercent igitur Superioritatem omnes Status, Foeminae etiam, si in horum sint numero, vel tutorio nomine, vel in Terris Allodialibus & Feudis Foemineis, vel Abbatissae. Et licet

licet vna eademque sit Superioritas, ob potentiæ tamen diuersitatem, diuersimode exercetur, ita vt in Statibus potentioribus Maiestati sit propior, quam in reliquis.

§. XXI.

Iura Superioritatis sunt diuersa. Consistunt ista, vel in Iure Sacrorum, vel in Iure circa caussas seculares. Ius Sacrorum, siue, vti adpellari solet, Superioritas Sacra, conuenit omnibus Statibus, licet non omnes hodie illam exerceant. Primis equidem Temporibus Ius Sacrorum per vniuersam Germaniam libere exercebant Impp. * qui etiam Iura in Episcopos Principibus sæpe concesserunt; prout Henricus Auceps illa Arnolpho Bauariæ Duci tribuit, idemq; Henrico Leoni fecit Fridericus Barbarossa. ** Postea vero ex Territorii Iure Germaniæ Principes Iura in Episcopos atque Aduocatias Episcopatuum & Monasteriorum ditionis suæ exercuerunt. Ex eodem capite Godefridus, Lotharingiæ Dux Verdunensem Ecclesiam ab iniuriis Sub-Aduocatorum liberauit. *** Quare etiam, dum Fridericum, Lotharingiæ Ducem, Alphonsus, Romanorum Rex inuestiret, quintum Vexillum accepit in signum & inuestituram pro Regalibus Imperatoriis in Monasterio S. Martini Metensis, & quod debeat habere custodias Ecclesiarum in Ducatu suo. Immo, **** Eugenius IV. Papa, ipse Terras Cliuenses ab omni iurisdictione, potestate & Superioritate spirituali Coloniensis Archiepiscopi & Episcopi Monasteriensis eximit ac liberat, eademque Iura Adolpho, Cliuensi Duci, eiusdemque filio primogenito Iohanni concedit. † Tritum exinde oritur Prouerbium Cliuiæ Ducem esse Papam in suis Terris. Et licet Vrbanus IV. Papa iniquum esse iudicaret, vt in prædiis & hominibus Ecclesiarum Laici pro Aduocatis se gererent, opposuit tamen Fridericus Imp.

in Comitiis Gelnhusanis a. 1186. quod longa dies in consuetudinem vertisset, haut ita facile mutari posse. Exercuerunt hæc Iura Status, increscente licet Paparum potestate. Quare Georgius, Saxoniæ Dux, Pontificiæ licet Religioni addictissimus, in controuersia circa Balliuiam Thuringensem ab Ordine Teutonico ipsi motam, adserere non dubitauit: *Er wære in seinem Lande selbsten Pabst, Keyser und Teutscher Meister.* †† Ex eodem Capite Imperii Principes inuestiuntur *mit allen Prelaturen und Clœstern, derselbigen weltlichen Obrigkeit, Schutz, Rechten und Aduocatien.* †††

* Vide supra *cap. X. §. XVIII.*

** Vide supra *cap. XVIII. §. III.* Immo REINHARDVS *de Iure Principum Germ. circa sacra cap. I. §. XXV.* demonstrauit, iam ante Henrici Aucupis tempora, Bauariæ Duces potestatem exercuisse in Episcopos.

*** Extat Charta apud MARTENE *Anecdotorum Tomo I. p 189.*

**** Extant Litteræ Inuestituræ in LEIBNITII *Codice Diplomat. p. I. n. XIII.*

† HELMOLDVS *Chron. Slau. lib. III. c. XVI.*

†† STRYK *de Iure Papali Principum Euangelicorum c. I. §. X.* REINHARD *c. II. §. V.*

††† Sic in litteris Inuestituræ Ducum Saxoniæ, & Marchionum Brandenburgensium, de quibus supra §. XVI. In Priuilegio Caroli V. Austriaco, apud CVSPINIANVM Austria p. 39. *Sie sollen auch haben all Vogtheyen und Vogtrecht, in Bistumben, Abteyen, Probsteyen, Cloestern, Gottsheusern, und Khirchen, an Leuten und Güettern, die in iren Herrschafften und Landen oder anderstwo gelegen sein, dern Erbvægt sie sein, und zu recht sollen sein.* REINHARD *cap. II. §. IV.* HERTIVS *de Super. Territ. §. XI.*

§. XXII.

Nec solum Aduocati dicuntur Principes Germaniæ Episcopatuum ac Monasteriorum, quæ ipsorum Territoriis subiecta

iecta, ſed etiam Fidei atque Religionis Defenſores, prout a Carolo V. vocantur *Schützer und Schirmer des Glaubens.* * Quare Rhenenſes Electores a. 1421. cum Miſniæ Marchionibus fœdus inierunt de arcenda e Terris ſuis Huſſitarum doctrina. ** Ipſa Pax Weſtphalica *** Statibus ex Iure Superioritatis tribuit Ius Sacrorum. Eadem ratione Germaniæ Status in Epiſcopos olim & perſonas Eccleſiaſticas Iurisdictionem exercuerunt, **** circa negotia & Societates Eccleſiaſticas diſpoſuerunt, fundationes, incorporationes, vniones atque diuiſiones eccleſiarum confirmarunt, ***** Leges Eccleſiaſticas conſtituerunt, ****** Eccleſiarum Viſitationes iuſſerunt, Eccleſias reformarunt, † Epiſcopos & Abbates confirmarunt †† circa bona Eccleſiaſtica diſpoſuerunt, ††† Litteras Primariarum Precum conceſſerunt, †††† bona mobilia Prælatorum defunctorum ſibi vindicarunt, ††††† in cauſſis matrimonialibus decreuerunt, †††††† circa excommunicationem, aliaque negotia eccleſiaſtica ſtatuerunt, aliosque actus Eccleſiaſticos exercuerunt. * Licet & Impp. & Papæ his Statuum Iuribus obuiam ire quandoque tentauerint. **

* In Rec. Noribergenſi de a. 1524. §. 28.

** Exhibuit illud REINHARDVS *cap. II. §. II.*

*** Art. V. §. XXX. vbi de Iure Reformandi ſermo eſt: *Conuentum eſt, hoc idem porro quoque ab vtriusque Religionis Statibus obſeruari, nullique Statui immediato Ius, quod ipſi ratione Territorii & Superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere.*

**** SÆCHSISCH LANRECHT lib. I art, IV. *Wenn ein Biſchoff in eines Leyen Hertzogs (der Recht hat ein Hoff zu gebieten) kompt, die Stadt davon er heiſt, liegen hat, daß derſelbe ſolches Leyen Fürſten-Hoff zu beſuchen ſchuldig.* Patet hoc ex Diplomate Friderici Grauis Thuringiæ Landgrauii de a. 1345. quo conſenſum ſuum adhibet in translatione Capituli Ordrufienſis Gotham facta, apud TENTZELIVM *Supplem. Hiſt. Goth. p, 119.* vbi dicitur: *quamobrem nos inſpecta*

Eta affectione honorabilium virorum nobis in Christo deuotorum Decani & Capituli Ecclesie collegiate Beate & gloriose Virginis Marie in Gotha, qua mediante, se nobis & dominio nostro subiecerunt. Aliud adducitur apud eundem *p. 114.* quo Canonici Gothani petunt, *die allen Vnsin Frybeiten, Eren und Rechten lassen bliben, als andere Tum-Herren und Pfaffen, die in der Herschafft gesessin sind.* Plura Exempla adlegat REINHARD *c. III. §. XII.*

***** Plura Exempla adducit REINHARD *c. II. §. IX.*

****** Adducit REINHARDVS *cap. II. §. XII.* Litteras Friderici II. Saxoniæ Electoris & Guilielmi Fratris, de a. 1444. quibus de cultu diuino per certas personas in Ecclesia collegiata Altenburgensi celebrando præcipiunt, Statutis Ecclesiasticis non obstantibus, aliasque Constitutiones Principum Ecclesiasticas. Facit huc etiam *das Sendrecht*, quod apud Germaniæ Status olim obtinuit, de quo diximus in *Historia Iuris c. VII. §. XXXIX.*

† Plura Exempla adducit REINHARDVS *c. II. §. XIV.*

†† REINHARD *cap. III. §. V.* HERTIVS *de Superioritate §. XI. Notit p. 209.*

††† REINHARD *cap. IV.* HERTIVS *de Superiorit. Territ. §. XI.*

†††† REINHARD *c. IV. §. XI.*

††††† REINHARD *c. IV. §. XI.*

†††††† Diuersa Exempla adduxit REINHARDVS *c. IV. §. VII.*

* Hæc & similia vberius persecutus fuit CHRIST. THOMASIVS *in Vindiciis Iuris Maiestatici circa sacra, Halæ 1709.* qua etiam contra sentientibus respondet. IO. GEORGIVS REINHARDVS *in Meditationibus de Iure Principum Germaniæ, cumprimis Saxoniæ, circa Sacra ante Tempora Reformationis exercito,* qui hanc materiam multa cum industria pertractauit, atque exemplis egregie illustrauit. Idem fecit Auctor *Examinis Vindiciarum Rittmeyerianarum parte I.* & BÖHMERVS *de Iure Episcopali Principum Euangelicorum c. I. §. XIV.*

** Extat Martini V. Bulla, in Concilio Constantiensi a. 1417. edita, qua de Germaniæ Ordinum Statutis circa caussas Ecclesiasticas conqueritur, quæ Bulla tamen in Concilio Basileensi fuit reprobata. Vid. HERTIVS *de Super. Territ. §. XI. p. 204.* Extat Diploma Caroli

roli IV. a. 1372. in CHRON. Mindens. Episc. apud PISTORIVM *T. III. p. 746.* & LEVBERVM *de Stapula Saxonica n. 985.* in quo: *quod seculares quidam in potestatibus & Officiis publicis constituti videlicet Duces, Comites, Barones, Milites & Sculteti & alii domini temporales: nec non Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores Diœcesis prædicta, Dei timore postposito, statuta singularia, iniquas ordinationes motu proprio, ac temeritate præsumtuosa de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum Religiosorum libertates & Priuilegia condiderunt & condunt, eisdemque publice & de facto insistere præsumpserunt.*

§. XXIII.

Hodie vero distinguendum est inter Status Pontificios atque Protestantes. Isti vel ecclesiastici sunt, vel seculares. Ecclesiastici exercent Ius Sacrorum, sed subordinatum, * ita, vt ab iis ad Papam possit adpellari, saluis tamen Papæ Reseruatis, quæ potissimum in Iure dispensandi consistunt, quod vel ipse circa personas illustres, vel circa personas minoris ordinis, nomine ipsius, Nuntius Papalis Coloniæ, Viennæ vel Lucernæ residens, exercet. Seculares vero Ius Sacrorum non exercent, sed Episcopi, ad cuius Diœcesin illorum Terræ spectant. Quare etiam in prouincias Imp. hæreditarias Episcopus Viennensis & Passauiensis Iurisdictionem exercent Ecclesiasticam, & Consistoria sua Viennæ tenent. Sæpius autem de Papæ attentatis ipsa quoque conquesta fuerunt Capitula. **

* Qua ratione Episcopi Germaniæ Papæ sint subiecti, exposuit CONRING *ad Lampadium p. III. c. VI. §. X.*

** Art. V. §. 48. *Ius Diœcesanum & tota Iurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, comprehensa libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos tam inter Catholicos & Augustanæ Confessioni addictos, quam in-*

ter ipsos solos Augustanæ Confessionis Status, vsque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa esto, & intra terminos Territorii cuiusque Ius Diœcesanum & Iurisdictio Ecclesiastica se contineat.

§. XXIV.

Commune tamen Statibus æque Catholicis atque Protestantibus est *Ius Reformandi*, siue religionem mutandi, vt scilicet Status Pontificius ad Protestantium castra possit transire, & vice versa, immo Religionem semel receptam in Territorio suo mutare. Ad hoc autem requiritur, vt quis vni ex tribus receptis Religionibus accedat, dum per I. P. decretum, ne præter hasce, alia toleretur. * Deinde hæc mutatio fieri debet, saluo iure prioris religionis, vt templa, scholæ, iura, emolumenta omnia prioris religionis in quibuslibet Terris sarta tecta conseruentur, prout 1. Ianuarii 1624. fuerunt, qui ideo dicitur Annus decretorius. ** Tertio, nec Pacta cum Statibus inita obstare debent, prout in Saxonia potissimum inter Electores atque Principes a tempore Reformationis conuenit, ne alia quam Euangelica religio locum habeat, idem factum in Pomerania, licet hæc ipsa Pacta Principum mutationi, minime obstent. Quarto, circa personas, quæ Beneficia tenent ecclesiastica, saluum esse debet Reseruatum ecclesiasticum *der Geistliche Vorbehalt*. † Quinto, mutatio hæc fieri debet, sine læsione conscientiæ, ita, vt nemo, ad hanc vel illam Religionem cogatur, nec etiam alienæ religioni addicti vllo modo lædantur. †† Quod si hæc non obseruentur, Grauamina subditorum ad corpus Statuum Euangelicorum in Comitiis deferuntur, qui inuicem de iisdem deliberantes, Grauaminum medelam a Cæsare vel Statibus petunt, prout in Grauaminibus Palatinatus de Religione factum,

ctum, ††† atque nuper demum Grauamina subditorum Sickingensium eadem ratione fuerunt proposita.

* *Art. VII. §. 2. art. X. §. 30.*

** *I. P. art. V. §. 2.* Auctor Scripti de Iure Reformandi in Fasciculo tertio Scriptorum de Directorio Euangelico, etiam ad annum 1618. prouocari debere autumat, secundum Art. III. P. Westphalicæ, qui tamen saltim ad restitutionem ex capite Amnestiæ spectat.

† Vide supra *cap. VI. §. LII.*

†† *Art. V. §. 30.*

††† Extat de eodem *des Evangelischen Corporis voellige Religions-Negotiation bey Seiner Churfürstl. Durchl. zu Pfaltz 1701. f.* Vide supra *c. XXIII. §. II.*

§. XXV.

Exercent autem Ius Reformandi non Status solum, sed etiam ex speciali pacto, Nobiles immediati, in Terris & Feudis suis immediatis. † Ius mutandi Religionem vero atque vnam ex concessis exercendi, habent omnes atque singuli Subditi, ita, vt nemo ideo turbari possit, & cuiuis beneficium emigrandi sit liberum. †† Distinguendum tamen inter cultum publicum atque actus Stolæ, qui omnino ad Ius Sacrorum spectant & Superioritatem Territorialem, cultus priuatus vero Religionis a singulis poterit exerceri.

† *I. P. art. V. §. 28.*

†† *Art. V. §. 30.* Videri potest, Diss. L. B. de LYNCKER *de eo quod iustum est circa personas diuersæ Religionis, Ienæ 1691.*

§. XXVI.

Protestantes igitur ex Iure Territorii * exercent Superioritatem Sacram. Vocatur illud Iurisdictio Ecclesiastica & in I. P. Ius Diœcesanum, ** plerumque tamen Ius Episcopale,

 licet

licet hæc adpellatio non adeo conuenire videatur, cum hoc Ius pars potius sit Ciuilis Imperii, idemque Principes non tanquam Episcopi, sed tanquam Principes exerceant.*** Immo, maiora in Territorio possunt Principes, quam Episcopi, cum etiam ea exerceant, quæ alias Papæ sunt Reseruata, vtpote Dispensationes atque in Episcopatibus sibi subiectis Mensium alternatiuam & quæ sunt similia. Hinc ab aliis vocatur Ius Papale † Principum Euangelicorum, neque tamen hoc satis accurate, cum & Papæ præter id quod sibi adrogauit, nullum aliud Ius competat quam Episcopale. Potius igitur Ius Principis circa Sacra, vel Ius Sacrorum Principi in Territorio competens dici meretur. Gaudent igitur hoc Iure omnes Imperii Status, atque vi Pacis Westphalicæ etiam Nobiles Immediati. †† Dantur tamen æque Terræ, in quibus Superioritas Sacra & Territorii a diuersis exercetur. Huius Exemplum in Comitatu Solmensi, in quo omne Ius Sacrorum, ex Pacto, confirmante illud Ferdinando II. Imp. Hassiæ Landgrauiis fuit concessum. †††

* I. P. art. V. §. XXX. *Quantum deinde ad Comites, Barones, Nobiles, Vasallos, Ciuitates, Fundationes, Monasteria, Commendas, Communitates & subditos Statibus Imperii immediatis siue Ecclesiasticis siue Secularibus subiectos pertinet: cum eiusmodi Statibus immediatis cum iure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus vsitata praxi, etiam Ius reformandi Exercitium Religionis competat*, & art. VIII. §. II. *libero iuris Territorialis tam in Ecclesiasticis quam Politicis exercitio*. Extat Consilium hac de apud LVNIGIVM *Staats Consiliis Tomo II. p. 391* Idem demonstrauit HERTIVS *de Superioritate Territoriali §. XIII.* & BÖHMERVS *de Iure Episcopali cap. II. §. III.* HENNIGES *Medit. ad I. P. art. V. §. 30. p. 514.*

** Vid. Grauamina Capituli Wormatiensis & Monasteriensis in FABRI *Staats-Cantzelley T. V. c. IV.*

*** Prout etiam BÖHMERVS erudite demonstrauit *de Iure Episcopali Principum Euangelicorum*, potissimum *cap. II.*

† Prout STRYKIVS adseruit *de Iure Papali Principum Euangelicorum.*

†† Art. V. §. XXVIII. *Libera & Immediata Imperii Nobilitas omniaque & singula eius membra, vna cum subditis & bonis suis feudalibus & allodialibus, nisi forte in quibusdam locis ratione bonorum & respectu Territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur subiecti, vigore Pacis religiosæ & præsentis conuentionis in iuribus religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus, idem Ius habeant, quod supradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis sub quocunque prætextu impediantur aut turbentur, turbati vero omnes omnino in integrum restituantur.*

††† Prout HERTIVS docuit *de Superioritate Territ.* §. *XIII.*

§. XXVII.

Consistit hoc Ius in Iure Patronatus regio. Eiusdem vi singuli Status Protestantes in Prouinciis, ea quæ ad defensionem atque prouisionem ecclesiarum, directionem Religionis atque Status Ecclesiastici faciunt, libere exercent, † ita vt ab illis, nec in caussis Beneficiorum ecclesiasticorum nulla detur prouocatio, si modo secundum Leges Imperii hoc fiat, Pacem potissimum Religiosam, atque Westphalicam, secus si per modum Grauaminis negotium ad Comitia deferatur. †† Hinc Leges ecclesiasticas promulgant, Synodos & Colloquia indicunt, circa bona ecclesiastica disponunt.

† Extat hac de re Responsum THVLEMARII in Fabri *Staats-Cantzelley Tom. XIII. p. 567.* Vid. etiam BODINI *Dissert. de illicita a Principibus Protestantibus prouocatione in caussis ecclesiasticis.*

†† Vide supra *cap. XXIV.* §. *LXXII.*

§. XXVIII.

Competit igitur iisdem Ius, Senatum Ecclesiasticum

einen Kirchen-Rath constituendi, qui circa politiam Ecclesiæ sit occupatus, Ius Consistoria & Iudicia Ecclesiastica ordinandi, quæ circa caussas ecclesiasticas sint occupata, Ius constituendi Ministros sacrorum, vel eosdem remouendi, * atque inter hos Superintendentem, qui Iura Episcopalia, Principis nomine exerceat. Habent præterea Ius promulgandi Leges Ecclesiasticas, atque singula disponendi, quæ ad caussas Sacrorum faciunt. Sic etiam Euangelici Principes, qui Episcopatus in Terris suis habent, gaudent omni iure Episcopali. Vtuntur enim Alternatiua mensium, & quod Elector Brandenburgicus exercet, Primariarum precum. **

* Vid. BÖHMERVS *de Iure Principis circa dimissionem Ministrorum c. II. §. IX.*

** Singula hæc vberius exposuit STRYKIVS *de Iure Papali Principum Euangelicorum.* IO. WOLFG. TEXTOR *de Iure Episcopali in Terris Statuum Protestantium, aliaque de Iurisdictione Ecclesiastica.* BÖHMERVS *de Iure Episcopali Principum Euangelicorum,* & AHASV. FRITSCHIVS *in Iure Ecclesiastico.*

§. XXIX.

Licet autem Catholici Status Papæ suam concedant auctoritatem atque Iurisdictionem, sæpius tamen conquesti fuerunt Status, quod istam nimium extenderet. Fridericus II. equidem Imp. a. 1213. Egræ Constitutionem publicauerat, per quam Adpellationes in caussis Ecclesiasticis ad Sedem Papalem liberas permisit, quam tamen iterum reuocauit. * Martinus V. Papa ad petita Marchionum Misnensium per singularem Bullam de a. 1421. decreuit, ne subditi Misnenses in causis pecuniariis, Ciuilibus & Criminalibus ad Iudicia Ecclesiastica traherentur. ** Ipse Wilhelmus, Saxoniæ Dux per singulares Constitutiones, eiusmodi Attentatis Iudiciorum

rum obuiam iuit. *** In Comitiis Wormatiensibus a. 1495. eiusmodi Grauamina proponebantur, tunc vero negotium ad amicabilem compositionem remittebatur. **** Idem factum in Comitiis Lindauiensibus 1496. sed nihil decisum. ***** In Conuentu Regimenti Noribergensi a. 1501. fuit decretum, ne vltra modum potestatem suam Papa extendat. † Quare etiam Maximilianus I. dum Papa in Comitem Virneburgensem sibi Iurisdictionem sumeret, a. 1505. sub graui poena decreuit, ne quis Papae Iurisdictioni se subiiceret. †† Iisdem Attentatis etiam obuiam iuit Recessus Imperii nouissimus. †††

* SCHILTER *de Libert. Eccl. Germ. lib. V. c. IIX. §. XII.* CONRING *de German. Imperio Rom. c. XIII. §. XXII.*

** Extant Bullae Papales apud MVLLERVM *Maximiliano, III. Vorst. c. XX. §. IIX.*

*** Factum illud in Wilhelmi Ordinatione Prouinciali de a. 1446. apud MVLLERVM *c. l. c. XXVII. §. II.* Eiusdem Ordinatione Politica de a. 1497. & 1499. §. *V.* & singulari Constitutione de a. 1454. quae extat apud MVLLERVM *Friderico, I. Vorst. cap. IX. §. XXXVIII. p. 130.*

**** MVLLER *Maximiliano, II. Vorst. c. XLV.*

***** MVLLER *c. l. III. Vorst. c. XX. §. X.*

† Apud DATTIVM *lib. II. c. II. p. 225.*

†† GOLDASTVS *Reichs-Satzungen T. II. p. 179.*

††† *§. 164.*

§. XXX.

Obligarunt ideo per Capitulationes * se Impp. vt, si Nuntius Papalis eiusmodi Iurisdictionem sibi in caussis ciuilibus velit adrogare, omnia aboleantur. Factum hoc an. 1677. dum Nuntius Papalis Coloniae Gerhardum Rensingium in caussa debiti ab Officiali ad Camerale Iudicium adpellantem Banno notaret, cui Attentato Leopoldus mascule se opposuit.

posuit. ** Idem factum, cum Innocentius XI. a. 1686. vellet, vt ab Electore Coloniensi in posterum non ad Iudicia Imperii, sed ad Nuntium Papalem adpellaretur. *** An. 1698. Camera Imperialis se opposuit Sententiæ per quendam Auditorem Rotæ, Aloysium Priolum pronuntiatæ in caussa Mottet & VValtheri Counotte. **** Hinc, dum Capitulum Thorense in caussa Feudali contra Abbatissam suam, ad Nuntium Papalem adpellaret, Abbatissa desuper in Comitiis fuit conquesta, idque obtinuit, vt per Conclusum Trium Collegiorum Imp. imploraretur de annullanda hac Nuntii adfectata potestate. ***** Eadem ratione Iosephus Imp. contradixit acerrime, dum Clemens XI. Papa in causa Præcedentiæ inter Petershusanum Abbatem & Creutzlingensem Iudicium suscipere conaretur. † Sic in Iudicio Aulico cassata est sententia Romana III. Decembris 1708. in causa Amersbeck & Schreiber, & die XVI. Maii 1708. in caussa Gras contra VVerneking. ††

* CAPIT. IOSEPHI *art. XVII.* CAROLINA *art. XIV.*

** Caussam hancce prolixe exposuit BÖHMERVS *Iure Eccles. Protest. lib. I. Tit. XXX.* §. *XVIII. p. 703.* Imp. in Litteris ad Maximilianum Henricum Coloniensem Electorem Factum Papalis Nuntii vocat *ein abscheulich Exempel, ungewæhnliche Extremitæten, hæchst praiudicirliche Excommunication.*

*** SCHWEDER *de Regalibus* §. *XXXV.*

**** FABRI *Staats Cantzelley Tom. IV. p. 694.*

***** Vt Acta testantur apud FABRVM *T. XI. p. 97.*

† ELECTA I. P. *Tom. V. p. 53. Tom. VI. p. 381. 630. sq.*

†† GERCKEN *Otio Vienna-Ratisbon. p. 135.* in priori sententia dicitur: *fiat decretum an dem Beklagten, sich des Recursus ad Nuncium Apostolicum, in hac causa civili, unter Vermeidung einer Straffe von 5. Marck læthigen Goldes hinführo vællig zu enthalten,* in altera sententia: *das zuförderst die in hac causa wider die Keyserl. und Reichs-*

Constitutiones ergangene Romanische Vrtheil mit Vorbehaltung der wegen dahin genommenen Recursus verwickelten Straffe zu cassiren und aufzuheben.

§. XXXI.

Inualuit haut ita pridem controuersia, an Princeps Euangelicus, Religionem postmodum mutans, Ius Sacrorum etiam in Terris suis possit exercere. Inter Serenissimos Saxoniæ Duces Lineæ Vinariensis a. 1672. conuenit, vt si quis ipsorum aut hæredum suorum ab inuariata Augustana Confessione recederet, Iure Sacrorum excideret, idemque ad reliquos eidem Confessioni addictos deuolueretur. Idem Pactum a. 1685. denuo confirmarunt Guilielmus Ernestus & Ioannes Ernestus, Fratres, Duces Saxoniæ. * Eadem Ratione in Pacto diuisionis Comitatus Hennebergici inter Serenissimos Paciscentes a. 1661. conuenit. A Io. Georgio II. Saxoniæ Electore Saxoniæ Status Prouinciales ante præstitum Homagium stipulati fuerunt, vt, si circa Religionem quidpiam immutaretur, ipsi a præstito Iuramento essent immunes. ** Si rem ipsam penitius consideremus, diffitendum haut est, Ius Sacrorum Principi Catholico in Subditos Euangelicos secundum Pacem Westphalicam denegandum haut esse, nisi Pacta vel Gentilitia, vel cum Statibus Prouincialibus aliud iubeant. Verum Religionis Exercitium illis est relinquendum, quatenus anno 1624. quacunque anni parte fuit, sine vlla alteratione. *** Inde & ne quid alteretur Iudicia Ecclesiastica relicta fuerunt A. C. addictis, qui Catholicos Territorii Dominos nacti fuerunt, & quod dici solet, Ius Coëpiscopale, prout in Palatinatu videmus, vbi A. C. addictis Consistorium Heidelbergæ fuit relictum, idem Erfurtensibus concessum Moguntino se dedentibus. Hodie etiam caussæ Ecclesiasticæ in Electoratu Saxonico coram Supre-

mo Consistorio Dresdensi expediuntur. Eadem obseruanda esse circa Catholicos sub Principe Euangelico degentes & I. P. & obseruantia nos docet. ****

* HERTIVS *de Superior. Territ.* §. *XIII. p. 224.* L. B. de LYNCKER *de Libert. Statuum p. 54.*

** In Recessu de a. 1661. apud LVNIGIVM p. *Spec. II. p. 80. Mochte sichs aber begeben, (daß GOtt in Gnaden verhüte) und anderte über kurtz oder lang einer oder mehr Unserer Nachkommen die Religion, und trate van Unsern Christlichen Glaubens-Bekandtnüß ab; So sollen der oder dieselben, in keinerley Weise noch Wege, es geschehe unter was Pratext es wolle, seiner Religion Exercitium in Kirchen und Schulen einzuführen, nicht berechtiget, sondern aller Gewalt in Ecclesiasticis etwas sub Pratextu Iuris Territorialis vel Episcopalis anzuordnen, verlustiget seyn, und deme oder denenienigen zuwachsen, so die andern Portiones der Grafschaft haben, und dessen, der die Religion geandert, nechste Agnaten seynd, wann er sich aber durch GOttes Erleuchtung wieder zu Unserer Religion begiebet, hat er sich alsdenn der Ecclesiasticorum wiederum anzunehmen.*

*** I. P. art. V. §. XXXI. *Hoc tamen non obstante Statuum Catholicorum Landsassii, Vasalli & Subditi cuiuscunque generis, qui siue publicum, siue priuatum Augustana Confessionis Exercitium anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, quacunque anni parte, siue certo pacto aut priuilegio, siue longo vsu, siue sola denique obseruantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam imposterum, vna cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse, probare poterunt. Cuiusmodi annexa habentur institutio Consistoriorum, Ministeriorum, tam Scholasticorum quam Ecclesiasticorum, Ius Patronatus, aliaque similia Iura, nec minus maneant in possessione omnium dicto tempore in potestate eorundem constitutorum templorum, fundationum, Monasteriorum, hospitalium cum omnibus pertinentiis, reditibus & accessionibus.* Idem etiam confirmat L. B. de LYNCKER *Vol. I. Resp. CLIV.*

**** I. P. art. V. § I. *In reliquis omnibus autem inter vtriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes & singulos sit aequalitas ex-*

exacta, mutuaque, quatenus forma Reipublicæ, constitutionibus Imperii, & præsenti Conuentioni conformis est, ita, vt quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum. §. XXX. *hoc idem porro quoque ab vtriusque Religionis Statibus obseruari, nullique statui immediato Ius, quod ipsi ratione Territorii & Superioritatis in negotio Religionis competierit, impediri oportere.* Idem confirmat AVCTOR MEDIT. *ad Instr. Pacis Mantissa II.* Idem demonstratur in *Examine Vindiciarum Rittmeyerianarum p. 170.* Addi potest Fasciculus Tertius Scriptorum de Directorio Euangelico, cui insertum est Scriptum singulare de Iure Reformandi. Addi possunt BOEHMERI *Iura Statuum Protestantium circa Monasteria Catholicorum, Halæ 1719. 4.*

§. XXXII.

Post Pacem Westphalicam vero disputatum fuit, an Status Catholicus, in Terris suis, in quibus anno 1624. vnica viguit Religio Euangelica, Catholicam possit introducere, & potissimum Templa collapsa Catholicis concedere. Cœpit hæc controuersia primum a. 1649. dum Coloniensis Elector tanquam Episcopus Hildesiensis postularet, vt Templum quoddam desolatum in Vrbe Hildesiensi Capucinis relinqueretur, contradicente tamen Senatu.* Magis ista inualuit, postquam Neoburgensis Linea Catholica an. 1685. in Palatinatu succederet, in eodemque Religionem Catholicam hinc inde introduceret. Et dum alia subinde orirentur Exempla, ** vt Status Catholici Religionem Catholicam in Terris suis, vbi an. 1624. sola viguerat Religio Euangelica, introducere conarentur, magis adhuc ista controuersia fuit agitata. *** Non diffitemur equidem, Ius Reformandi adnexum esse Iuri Territorii, neque tamen hoc libere, sed secundum Pacem Westphalicam erit exercendum. Hæc autem expressis verbis decernit publicum Religionis Exercitium idem maneat, quod quouis in loco a. 1624. vsitatum fuerit, absque vnius vel alterius partis impedimento.**** Vera igitur Iuris Reformandi

in eo consistit, vt Status vel Euangelici vel Catholici in Territoriis suis, in quibus solitaria Religio an. 1624. haut viguit, alterius Religionis subditos recipere iisdemque noua templa cultumque possint concedere, non vero in loco quodam sui Territorii, nouam Religionem introducere, quæ a. 1624. plane non fuit.***** De Sacris Aulicis an hoc casu concedi possint, dubium equidem esse videtur, eo quod tales saltim inter Lutheranos atque Reformatos decernantur. † Licet vsu hoc etiam ad Principes Euangelicos, Religionem mutantes, fuerit extensum. Hoc tamen certum, Sacra hæc Aulica non vltra modum extendi debere. Noua hac in caussa haut ita pridem subnata fuit controuersia cum Franciscus Adolphus Dietericus L. B. de Ingelheim in Pago Kirchholtzhausen, vbi sola Religio olim viguerat Euangelica, Ius Reformandi prætenderet, nouamque Capellam Catholicam extruere, contradicente tamen Landgrauio Homburgensi & Darmstadiensi, qui sibi in dicto Pago vindicant Ius Episcopale. ††

* Prodiit hac in caussa: *Synopsis Fundamentorum, vermæg welcher beständig behauptet werden kan, daß das Ius Reformandi dem Iuri Territoriali anklebe, und davon dependire*, quæ extat apud LVNIGIVM *Grundveste p. I. p. 146.* Idem proposuit GVILIELMVS IGNATIVS SCHÜTZ in *Manuali pacifico*, cui tamen sub nomine HEIDENI BORROMÆI RICCRVNTI obuiam iuit HIERONYMVS BRÜCKNERVS. Postea Episcopus Hildesiensis: *Vindicias des hœchstverletzten Landes-Fürstlichen Respects und Gehorsams a. 1696.* in Camera exhibuit, quibus Hildesienses *Anti-Vindicias Statuum Episcopatus Hildesiensis Euangelicorum a. 1703.* opposuerunt, quibus potissimum actum fuit de Iure Reformandi.

** Auctor Vindiciarum Iuris Reformandi plura adducit Exempla, ad quæ tamen in Examine *p. 96 sqq.* singula respondetur, ista huc non quadrare.

*** Tem-

*** Tempore Pacis Ryswicensis a. 1696. prodibat: *VVarhaffte und in dem I. P. gegründete Auslegung derienigen Frage, ob ein Catholischer Fürst in seinem Fürstenthum, darinnen das Exercitium Euangelicae Religionis resp. a. 1618. oder 1624. bloss und allein in Vbung gewesen, sein Religionis Exercitium introduciren kœnne?* in quo occasione introductae in Palatinatu Religionis Catholicae, Auctor hoc denegat. Huic Scripto CHRISTIANVS RITTMEYERVS, Apostata, opposuit *Vindicias Iuris Reformandi, Confluentiae 1704. f.* editas, qui multa cura Ius Reformandi etiam hoc casu locum habere defendere fuit conatus. Isti vero oppositus fuit *Tractatus Iuris Publici de Statuum Imperii Romano-Germanici Iure Reformandi 1710. f.* quo Auctor demonstrat, Ius Sacrorum Status Euangelicos etiam ante Reformationem exercuisse, atque ad argumenta & Exempla Rittmeyeri respondet. Huius Scripti summum exhibent ELECTA I. P. *Tom. III. p. 459.* HENNIGES tamen *in Medit. ad I. P. art. V. §. 30. p. 314.* Mantissa secunda, ad Spec. IV. Ius Reformandi tali casu Statibus tribuit Catholicis. Extat aeque apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. II. p. 1288.*

**** Prout *art. V. §. XXVI.* expressis verbis dicitur, etiam *art. V. §. II.* ibidemque nulla plane mutatio a Kl. Ianuarii 1624. conceditur atque alibi passim ad dictum Terminum decretorium prouocatur, omnia in Statu istius temporis esse relinquenda.

***** Legi meretur Responsum L. B. de LYNCKER, quod extat *Vol. I. Resp. LVIII.*

† Prodiit hac in caussa a parte Ingelheimensi: *Ius circa Sacra, nimirum Reformandi & Episcopale Statibus & Nobilitati Immediatae Imperii vi Iuris Territorialis in Subditos Augustanae Confessioni addictos, & res eorum sacras competens, VVetzlariae 1718. f.*

†† Art. VII. §. 2. *ipsi quidem Concionatores Aulicos suae Confessionis citra subditorum onus aut praeiudicium, secum atque in Residentia sua habere liceat.*

§. XXXIII.

Dum autem ea quae diximus, saltim inter Euangelicos atque Catholicos fuerint statuta, Instrumentum Pacis etiam

præſcribit, qua ratione Controuerſiæ Religionis, quæ inter Lutheranos atque Reformatos verſantur, poſſint definiri, tali modo, vt ſi quis Princeps vel Territorii Dominus ad alterius partis Sacra tranſierit, liberum ipſi ſit ſuæ Confeſſionis Concionatores in Aula ſua citra ſubditorum onus habere, fas autem ipſi non eſſe, quidpiam immutare, vel alterius Confeſſionis Miniſtros obtrudere, vllumue præiudicium alterius Sacris adferre. Quare ipſis Communitatibus præſentandi ſuæ Confeſſionis Miniſtros conceditur. Hæc tamen a tempore Pacis Weſtphalicæ ſaltim ita fuerunt definita, dum Status Religionis Reformatæ in Terris Anhaltinis aliisque, prout iſto tempore fuerat, relinquendus.*

* Art. VII. §. II. Videri etiam poteſt L. B. de LYNCKER *Vol. I. Reſp. LXXXI.*

§. XXXIV.

Alia Iura Superioritatis vel Iuris Gentium ſunt, vel Territorialis. Iſta ſunt Iura Belli, Pacis, Fœderum, Legationum, & ſimilia, licet ex iisdem diuerſa quoque ſequantur Iura Territorialia. *Ius Belli & Pacis* ſub Carolingis, Principum non fuit, cum nomine Imp. adminiſtrarent prouincias, & quod Thaſſilo contra Carolum geſſit, non bellum erat, ſed rebellio.* Sub Conrado I. vero primum Ius Belli ſibi adſerere cœperunt Germaniæ Principes, atque Conradum eo adegerunt, vt ipſis propriam concederet poteſtatem. Henrico Aucupi ſe opponebat Arnulphus, Dux Bauariæ. Sub Ottonibus varia Bella ciuilia, quæ, creſcente Principum poteſtate, ſub Henrico IV. magis fuerunt adaucta, & durarunt vsque ad Interregnum. Hinc ſub Henricis ſenſim inualuit Ius Manuarium,** quod per diuerſas conſtitutiones abolere conati fuerunt Impp. fruſtraneo tamen cum ſucceſſu. Carolus

rolus IV. per A. B. *** diffidationes iniustas prohibuit, non vero iustas. Maximilianus I. vero per Pacem publicam in Imperio omnes plane diffidationes prohibuit. **** Licet nec istæ ob caussam religionis, Bello Smalcaldico atque Tricennali plane cessarint.

* SIGEB. GEMBLAC. ad a. 780. *Thassilo, Dux Baiuariæ, contra Carolum Regem rebellat.* S. H. G. *diss. VII.* §. *XXVIII.*

** S. H. G. *diss. XV. c. IX.*

*** *Tit. XVII.*

**** *Cap. VI.* §. *XXXVIII.*

§. XXXV.

Sunt autem Bella vel ciuilia, vel socialia, vel externa. * Ciuilia dominis Regionum eatenus sunt permissa, vt subditos refractarios armis possint coërcere. Licet hoc proprie Bellum dici non possit, sed Dominis Territorii ex Iure in subditos competit. ** Socialia vero Bella, siue Status in Constatum Legibus Imperii sub pœna fractæ Pacis publicæ, sunt prohibita, *** nisi contra Status refractarios, secundum Leges Imperii Executio fuerit decreta. Bella externa vero, cum exteris Regibus vel Rebuspublicis Status libere gerunt, eo quod contra eosdem Iure experiri minus liceat, † ni modo Imperium eidem tacite inuoluatur. Hinc male habebat vicinos Bellum, quod Coloniensis Elector atque Monasteriensis Præsul an. 1672. contra Belgas suscepissent, eo quod Germaniam quoque sit inuoluturum. †† Eadem ratione Iuri Repressaliarum contra exteros quoque locus erit, licet non desint qui inter Status etiam Ius Repressaliarum obtinere velint, ††† quod tamen Legibus Imperii Paci profanæ & Westphalicæ contrarium esse videtur. ††††

* HERTIVS *de Super. Terr.* §. *31.*

** *R. I. Augustæ de a. 1525. §. 2.* Hinc, dum Fridericus Guilielmus, Bran-

Brandenburgicus Elector a. 1664. Magdeburgensem vrbem armis ad deditionem cogeret, PVFENDORFIVS Rer. Brandenb. lib. IX. §. 83. ait: *bellum vocari non posse, si Princeps refractarios subditos ad homagium, a Cæsare & Imperio probatum, vi compelleret.*

*** Pax publica Wormatiæ *de a. 1495. tit.* I. R. I. Spiræ *de a. 1526. §. 5.* R. I. Spiræ *de a. 1541. §. 26.* I. P. art. XVII. §. 7. *nulli omnino Statuum Imperii liceat Ius suum vi vel armis prosequi: sed si quid controuersia siue iam exortum sit, siue posthac inciderit, vnusquisque iure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis,* OBS. HALENSES *T. IV. Obs. VIII. §. 2. seqq.*

† *Cap. I.* §. *XII.*

†† PVFENDORF *lib. X. Rer. Brandenb.* §. *19. & lib. XI.* §. *39.*

††† IO. BALTH. WERNHER *de Iure Repressaliarum inter Principes Imperii, Wittebergæ 1715.*

†††† In Pace Profana art. I. hoc plane prohibetur atque omnes ad Iudicia Imperii remittuntur. In Ordinatione Camerali *p. II. Tit. XXII.* etiam Pignorationes prohibentur, R. I. Spiræ 1570. §. 84. *Wann auch die Arresta, wie die Repressalien generaliter in Rechten verbotten,* prout etiam statuit HERTIVS *de Super. Territ.* §. *XXXIII.*

§. XXXVI.

Ex eodem Iure belli, ipsis in Territorio competit omne *Ius Armandiæ*, sub quo comprehenditur *Ius legendi Milites* * in Territorio suo, quod immediate ab Imperio tenent: dum in illis terris, quæ alterius Status subsunt Superioritati, hoc minime concedatur. Inter hæc, ipsis non solum, sed etiam Principibus Apanagiatis competit facultas Exteris militandi & manus militum adducendi, ita tamen, ne extero contra Imperium militanti sint in auxiliis, ** si contra fecerint, graui pœna notandi. *** Quod si enim Exteri contra Imperium arma gerant, Auocatoria ab Imp. promulgantur, quæ in singulis Statuum Territoriis adfiguntur, ad eademque omnes Germani tenentur. **** Huic adfine est Ius

Sequela

Sequelæ die Heeresfolge, Landaufbot, cuius vi ſubditos ſuos ad defendendos Territorii fines poſſunt euocare. † Licet olim, dum Miles lectus nondum eſſet, etiam extra patriæ fines ſubditi ducerentur. †† Quare ſinguli Status in Territoriis ſuis habent lectum Militem prouincialem, *den Landausſchuß*, a Vaſallis poſtulant *die Ritter-Pferde*. ††† Habent etiam Ius conſtituendi Armamentaria, *Zeughauſer anzulegen*, eaque variis armorum generibus inſtruendi. †††† Quod ſi vero per alterius Status Territorium miles ducendus, Tranſitus, ſi innoxius ſit, facta prius requiſitione, denegari nequit, ita tamen, vt diuiſis copiis fiat, atque omnia parata pecunia ſoluantur, ††††† licet hoc vltimum vix amplius obſeruetur.

* R. I. Auguſtæ *de an. 1525. §. 2.* R. I. Auguſtæ *de a. 1530. §. 104.* R. I. Spiræ *de a. 1542. §. 36.*

** R. I. Auguſtæ *de a. 1582. §. 31.* Plenius hoc declarauit NIC. MYLERVS ab EHRENBACH *in Stratologia Germanici Imperii Statuum* Diſcurſu. Exempla habet L. B. de LYNCKER *de Libert. Stat. p. 56.*

*** CAPIT. LEOPOLDI *art. XVI.* IOSEPHI *art. XV.* CAROLI VI. *art. IV.*

**** R. I. Auguſtæ *de a. 1555. §. 44.* R. I. Deputationis Wormatiæ *de an. 1564. §. 32.* Vid. FRIDERICVS GERDES *de Auocatoriis Mandatis.*

† AHASV. FRITSCHIVS & IO. WOLFGANG TEXTOR *de Iure Sequelæ* FABRI *Staats-Cantzelley Tom. II. c. IV.*

†† Qua ratione Fridericus III. in B. Vngarico a. 1446. hoc Ius Sequelæ exercuerit, docet nos MVLLERVS *Friderico, I. Vorſt. c. XXV. §. IX.* Fridericus Sapiens, Saxoniæ Elector, eiusdemque frater Iohannes Vaſallos & ſubditos ſuos ad bellum Belgicum & liberandum Maximilianum I. euocarunt. MÜLLER *Maximiliano, I. Vorſt. p. 76.*

††† STRYK *de Militia lecta prouinciali.*

†††† R. I. Auguſtæ *de a. 1555. § 80.*

††††† R. I. Ratisbonæ *de a. 1598. §. 31.* Extat de hoc Tranſitu innoxio Conſilium apud LVNIGIVM *T. II. p. 1537.*

§. XXXVII.

Consequentia Iuris Belli sunt *Ius extruendi Fortalitia, Ius Præsidii* & *Ius Aperturæ.* Fortalitia vel publico Imperii nomine extruuntur, vel a Dominis Territorii. Publico Imperii nomine, etiam in Statuum Territoriis extrui possunt munimenta, non tamen nisi de libero omnium Ordinum suffragio & voluntate. * Priuato vero nomine in Territorio, Fortalitia, non nisi Cæsaris consensu, extruere olim licebat, cum & ipsis primum solis competeret Ius dandi ciuitatem. ** Inualescente tamen in dies Statuum Iure Belli & Pacis, hoc ius sibi Duces æque vindicarunt, in tantum vt etiam hoc Vasallis suis concederent, prout Fridericus Strenuus, Thuringiæ Landgrauius Schwartzburgicus anno. 1324. concessit Ius Plauiam muniendi. *** Et, cum ex Iure Aduocatiæ idem tentarent in Terris Episcopalibus atque Monasteriorum, illud speciali constitutione prohibuit Fridericus II. **** Adolphus Nassouius in Comitiis Noribergensibus a. 1295. decreuit, nulli licitum esse munitionem erigere de nouo in Comitatu alicuius Comitis nisi petita eius licentia & obtenta. ***** Episcopi vero, Comites atque Ciuitates, qui Superioritatis Territorialis Iura tardius adquisiuerunt, hoc ius muniendi ab Imp. petierunt.† Hodie hoc ius tanquam adnexum Iuris Belli, ad Superioritatem Territorialem spectare omnino putarem, †† dum exempla non desint Statuum, qui in Territorio suo vel noua fortalitia extruxerunt, vel vetera adauxerunt, prout exemplum Spandouiæ, Berolini a diuersis Electoribus Brandenburgensibus, arcis Magdeburgensis, ab Rege Borussiæ munitæ, Ratzeburgi & similia testantur. Et licet Ernestus, Saxoniæ Dux, de ædificanda arce Fridensteinensi Imp. consensum impetrauerit, ††† factum tamen hoc ideo, quia diruta

diruta a. 1566. communi Imperii consensu arx Grimmensteinensis, (in cuius locum Fridensteinensis cessit,) atque decretum, ne iterum ædificaretur. †††† Quare etiam per Capitulationem nuperam Carolinam hoc Ius singulis Statibus ex Territorii Iure fuit concessum. ††††† Requiritur tamen, vt Munimenta saltim defensionis gratia extruantur, non ad æmulationem, nec contra Priuilegia vicinorum. *

* *Art. IIX. §. 2.*

** Vide supra *cap. XI. §. XXXVII.*

*** Extant Litteræ concessionis apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 283.* in quibus: *daß VVir unsern lieben Ohmen, Graven Heinrichen von Schwartzburg dem Eldern und seinen Erben, durch sonderliche Freundschafft und Gunst, die wir zu ime haben, eime erleubet haben unde geben unsirn gueten VVillen darzue, das her in dem Dorff zu Plau, das gelegen ist ienseit Arnstadt gen Ilmenau buben mac und mægt eiVehsten, oder ein Hauß mit unsir Laube.*

**** Reperitur ista apud SCHILTERVM *Inst. I. P. Tom. II. Tit. XV. pag. 113. item constituimus, vt nulla ædificia, castra videlicet, seu ciuitates in fundis Ecclesiarum vel occasione aduocatiæ, vel aliquo quoquam prætextu constituantur, & si qua forte sunt constructa contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur regia potestate.*

***** GOLDASTVS *Tom. VII. Const. ad d. a.* In SPECVLO SAXONICO *lib. III. art. LXVI. Man en mus ouch keine Burgk bauen noch Stadt vehsten mit Plancken noch mit Muren noch Berge noch Torme by anen Dorffe machen ane des Landrichters Orlop.*

† Henricus II. archiepiscopus Coloniensis a Cæsare impetrauit Ius ciuitatum & munitionis oppidorum Rodenberg, Dusten, Lechenich Kempen, ÆGID. GELENIVS *libr. I. de magnit. Colon. synt. VII.* Rudolphus Imp. permisit Petro, Episcopo Patauiensi villas suas munire fossis, mœniis, & vallis HVND *Metrop. Salisburg. Tom. I. p. 319.* Ludouicus Bauarus concessit a. 1238. Burggrauio Noribergensi plurimorum munimentorum extructionem GOLDASTVS *Tom. I. Const. p. 330.* Idem Imp. concessit Gerhardo, Episcopo Spirensi *das Dorf*

Vdenheim zu einer Statt zu bauen, und die mit Mauren und Graben umfahen und befestigen, LIMNÆVS *lib. II. c. IX.* §. *118.* LONDORP *Tom. I. p. 396.* Plura Exempla apud HERTIVM *de Superior. Territ.* §. *XIX.*

†† Vid. STRYKII *Differ. de Iure prohibendi extructionem fortalitiorum.*

††† MVLLER *Ann. Sax. ad a. 1643.* S. H. G. *diss. XXXIII.* §. *XXV.*

†††† R. I. Ratisbonæ *de a. 1567.* §. *60.*

††††† CAPIT. CAROLINA art. IV. *Iedoch sollen und wollen VVir weder in vvæhrendem solchen Krieg noch auch sonsten, in der Churfürsten, Fürsten und Stænde Landen und Gebieth keine Vestungen von neuen anlegen oder bauen, noch auch zerfallene oder alte vviederum erneuern, vielvveniger andern solches gestatten oder zulassen, inmassen dieses allein die Landes-Herren, nach denen Reichs-Satzungen, in Ihren Territoriis zu thun, befugt und berechtiget seyn.*

* LIMNAEVS *lib. IV. c. IIX. n. 235.* FRITSCHIVS & STRYKIVS *de Fortalitiis.* SPEC. SAXON. c. l. *Mann mus keine Margkt buen, den andern eine Meyle nahe.*

§. XXXVIII.

Connexum plerumque solet esse Iuri Territorii *Ius Præsidii*, quod in suis castris atque fortalitiis habet Dominus, ita, vt suis sumtibus militem præsidiarium sustentet. † Sunt tamen quandoque etiam distincta. Sic Gallis per Pacem Westphalicam †† Ius Præsidii in Philippsburg cessum, saluo Iure Territorii Episcopatus Spirensis, quod tamen per Pacem Nouiomagensem ††† iterum abolitum. Sic etiam Belgæ Fœderati ex pacto olim in Ducatu Cliuensi Ius Præsidii habuerunt, saluo omni Superioritatis Iure, †††† ipsi tamen postmodum renuntiarunt. In vrbe Philippiburgo Præsidii Ius hodie exercet Imperium, saluo tamen Episcopis Spirensibus Territorio atque Superioritate. Durante nupero bello Belgæ Præsidia in Germaniæ vrbibus, Leodio, Huio & Bonna tenuerunt, quæ non nisi post varia molimina inde eduxerunt.

† R. I.

† R. I. *de a. 1654. §. 180.* CAPIT. LEOP. & IOSEP. *art. III.* CAROLI VI. *art. IV.* Quare Elector Brandenburgicus Mindæ Ius proprii præsidii inficiebatur, *velut e præcipuis Regalibus & Reseruatis Principis, quod soli ipsi competat, ad quem Iurisdictio & Superioritas Territorialis spectat*, PVFENDORF *de Reb. Suec. lib. XXI. §. 50.* FRITSCH *de Iure Præsidii.*

†† Pac. Monast. *p. 76. 77.*

††† *Art. IV.*

†††† Pactum de eo continetur in RECVEIL *des Traittés de Paix T. IV. p. 133.*

§. XXXIX.

Diuersum ab hoc est *Ius Aperturæ, das Oeffnungs-Recht*, quod a Iure Præsidii in eo distinctum, quod hoc sit, vbi perpetuus miles in castro quodam alatur, illud vero, dum vrgente saltim necessitate, vel ad transitum, vel Belli tempore castrum quoddam aperiendum. Hæc Apertura vel Iure Territorii nititur, vel consuetudine, vel pacto. † Illam exercet quiuis superior in castris subditorum vel vasallorum suorum. Hanc vero aliter non, nisi pacto vel præscriptione obtineat. †† Inualuit ab aliquo tempore controuersia de castro Rheinfelsa, cum opposito munimento, dicto *die Catz*, interLandgrauium Hasso-Cassellanum, qui in iisdem Ius Præsidii hucusq; exercuit, dum Landgrauii Lineæ Rheinfelsanæ Ius Aperturæ saltim vellent concedere. ††† In Transactione equidem inter Domum Hasso-Cassellanam & Rheinfeldensem an. 1654. ita * Ius aperturæ Landgrauio Hasso-Cassellano conceditur, & dum dictusLandgrauius antePacem Ryswicensem, ** eodem vteretur, per eandem Landgrauiis lineæRheinfelsanæ restitutio fuit decreta. Verum, dum etiam post dictam Pacem LandgrauiusCassellanus hanc arcem cũ Territorio retineret, eademque in Præliminaribus Pacis atq; per Pacem Traiectensem ipsi fuisset relictæ, *** Landgrauius tamen idem per Pacẽ Badensem

obtinere haut valuerit, quin potius per Decretum Imperiale eiusdem Restitutio fuerit decreta, Executione Circulo Rhenano Superiori demandata, quo demum ad educendum militem suum e castro Rheinfels fuit obligatus. ****

† FRITSCHIVS *de Iure Aperturæ, Cap. III.* WILH. DECKHERR *de Iure Aperturæ Cap. IV.*

†† Sic Eques de Lichtenstein cessit Spirensibus Ius Aperturæ in Arce Kropffsberg, LEHMANN *lib. V. c. CXIII. A. 1453.* Archiepiscopus Coloniensis, Dietericus, & Ludouicus Pacificus, Hassiæ Landgrauius, in vrbibus & arcibus Aperturam sibi inuicem promiserunt. A. 1436. eidem Ludouico Landgrauio, Comes Georgius Sayno-Witgensteinius in oppidis atque arcibus suis Aperturam perpetuo & hæreditario Iure concessit. Quare etiam Fœderis Sueuici socii in suis castris sociis Ius Aperturæ concesserunt, prout tradit DATT *lib. I. c. XXI. n. 22.* Philippus Raugrauius an. 1380. Aperturam concedit Moguntinis Archiepiscopis, prout Litteras exhibet LVNIG *I. Contin. III. Forts. p. 3.* Eadem ratione Iohannes Episcopus vna cum Capitulo Passauiensi an. 1383. Aperturæ Ius concedunt *c. l. p. 255.* Principes Hassiæ in Arce Krohnberg extra ipsorum Territorium sita eodem Iure gaudere, docet FRITSCHIVS *de Iure Aperturæ c. III. n. 29.* Alia Exempla habet LEHMANN *Chron. Spir. lib. VII. c. XXVII. XXVIII. XLVI. XLIX. LII. LXXXIV.* HERTIVS *de Super. Territ. §. XIX.* MAGER *de Aduocat. Armata c. X. n. 597.*

††† Extant hac de re Acta in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VI. c. XI.*

* Extat Recessus iste apud LVNIGIVM *Forts. der II. Cont. p. 910.*

** *Art. XLV.*

*** S. H. G. *diss. XXXVII. §. LXXXIX.*

**** FABRI *Staats - Cantzelley Tom. V. c. IX. Tom. VI. c. XI. Tom. XVI. p. 364.* ELECTA I. P. *Tom. XII. p. 376. 691. 924. Tom. XIII. p. 99. 158. 369. 518. 559. 762. 849. 987.* Illustrat quoque hanc Controuersiam, *Schreiben eines Bayerischen von Adel, über den ietzigen Staat von Rheinfels, 1718. 8.*

§. XL.

Consequens Iuris Belli est Ius Pacis, de quo nullum dubi-

dubium ſubeſt. Huic adfine *Ius Fœderum.* Hoc cum Belli Iure a temporibus potiſſimum Henrici IV. a Statibus Imperii magis exerceri cœpit, dum iſti ad tuendam Pacem publicam atque mutuam defenſionem ſeſe inuicem obligarent. Faciunt huc tot illuſtria Germaniæ Statuum Fœdera, atque inter hæc Rhenanum, Hanſeaticum, Sueuicum atque alia, quæ longo numero enarrat DATTHIVS. Vt taceamus Fœdera illuſtria recentiorum temporum, Smalcaldicum, Vnionem Euangelicam, Ligam Catholicam, Fœdus Lipſienſe, Heilbrunnenſe, Auguſtanum de a. 1686. inter Imp. Leopoldum & quosdam Status initum, quæ totidem ſunt Exempla Fœderum a Statibus initorum. * Quibus nouiter acceſſit Aſſociatio Quatuor Circulorum Franconici, Sueuici, vtriusque Rhenani. ** Albertus II. Imp. *** & poſt eum Carolus IV. quidem in A. B. illa ſaltim Fœdera conceſſit, quæ ad tuendam Pacem publicam directa, non æque alia: **** Sigismundus vero ***** atque Fridericus III. ****** Imp. hæc ſine Imperii conſenſu admitti noluerunt. Maximilianus I. cauſſam hanc Fœderum ad Comitia annua voluit referri, atque conſenſum Imperii adhiberi. † Tandem, poſt multas altercationes, hoc Ius etiam Statibus per Pacem Weſtphalicam †† fuit conceſſum, atque in Capitulationibus ††† confirmatum, modo non ſint contra Imperatorem & Imperium & Pacem eiusdem publicam, tunc enim Executio contra eosdem locum habet, prout Exemplum nuperum Colonienſis, atque Bauari docet. Videmus itaque, ſi hæc excipiantur, Status quotidie Fœdera inire cum exteris, immo, cum ipſo Imperatore. Eadem ratione Ius Guarantiæ atque Mediationis Statibus potentioribus competit, †††† prout Electores Saxo atque Brandenburgicus circa Pacta Altonauienſia inter Danum & Holſatiæ Duces an. 1689. Mediatores egerunt atque Sequeſtros. †††††

* Plu-

* Plura Exempla adducit HERTIVS §. *XXXIV.*

** S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *CVII.*

*** Extat Constitutio Alberti apud LEHMANNVM *lib. VII. c. XCIII.* in qua: *und das es auch mit VVillen und Verhengnus des Reichs zugebe*, apud GOLDASTVM *Tom. I. Constit. p. 169.* & DATT p. 97. n. 16. *daß hinführo niemand wer der sey einich Bündtnüß oder Einung machen, oder angeben soll, ohne des Reichs VVissen, Gunst, Vrlob und VVillen.*

**** *Tit. XV. §. 2.*

***** In der Güldenen Bulle zu Nürnberg de a. 1431. apud GOLDASTVM *Tom. I. Const. p. 169.*

****** In Reform. de a. 1441. art. XII. *es soll im gantzenRæmischen Reich fürbashin kein Bündniß, Vereinigung, oder einige Verschreibung aufgerichtet, auch die Alte abgethan werden.*

† *Handhabung des Landfriedens zu VVorms de a. 1495. §. 5.*

†† *Art. VIII. §. 2.* Vid. quid circa hoc negotium in Tractatibus Pacis Westphalicæ actum apud PVFENDORF *lib. XVIII. Rer. Suec.* §. *95.* Vid. idem *Rer. Brandenb. lib. XIII.* §. *16.*

††† CAPIT. IOSEPHI *art. X.* CAROLINA *art. VI.*

†††† Vid. COCCEII *Diss. de Guarantia.* Exempla quædam suppeditat FÜRSTENERIVS *de Iure Suprematus cap. XII.*

††††† S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *LXII.*

§. XLI.

Nec etiam Statibus Imp. *Ius mittendi Legatos* vnquam fuit denegatum. Sed de eo Quæstio fuit, an ipsis competat Ius mittendi Legatos primi ordinis, quos vocamus *Ambassadeurs*, qui eodem Titulo *Excellentiæ*, eodem honore insignirentur ac Regum & Rerumpublicarum, vt ipsis dextra manus in domo concederetur, atque Ius haberent sex equis vehendi. In Tractatibus Pacis Westphalicæ eundem Titulum primum adfectabant, adsecuti etiam fuerunt Electorum Legati, denegantibus tamen illum Principibus: † In Tractatu Pacis Nouiomagensi cum Imp. & Rex Galliæ hoc Ius conce-

de-

derent Electorum Legatis, Principum vero denegarent, hi Pacis negotium ingredi noluerunt, vsque dum idem Titulus, eadem Iura concederentur. †† Licet autem Ius mittendi Legatos primi Ordinis Principibus, iisdemque sex equis vehendi concedatur, de Excellentiæ tamen Titulo non Tractatibus solum Pacis Nouiomagensis, sed etiam in congressu Francofurtensi de an. 1682. multa mota fuit controuersia, quæ nondum desiit, cum etiam ab Imperatoris Legatis in Tractatibus Pacis Ryswicensis isti honores Principum Legatis denegarentur, quæ ratio fuit, quod inuicem non congrederentur. ††† Non defuerunt tamen, qui Principum Iura diuersis argumentis defenderunt. †††† Hoc vero certum, Ciuitatum Imperialium Legatis Deputatorum saltim nomen concedi. Licet ipsis etiam Legatorum adpellatio per nuperam Capitulationem concedatur. †††††

† PVFENDORF *de reb. Suec. lib. XVII. §. 157.* & *Rer. Brandenburg. lib. II. §. 71. Lettres d'* ESTRADES Tom. I. p. 14. *Les seuls Electeurs dans l' Empire sont en possession d' envoyer des Ambassadeurs, & ce droit leur est nouvellement reservé par la Bulle d' Or, ils en ont eu au Traité de Munster. Il est vrai toutes fois que des trois Ministres qui y avoit Monsieur l' Electeur de Brandenbourg, le Comte de VVitgenstein étoit le seul à qui les Ambassadeurs de France & de Suede donnoient la main, les deux autres ne la prétendoient pas. A Cologne Monsieur le Prince Guillaume étoit Ambassadeur de Monsieur l' Electeur de Cologne. Les autres Princes de l' Empire n' ont point eu d' Ambassadeurs, & ie n' assure qu' ils ne le prétendrons pas dans l' Assemblée de Nimegue.*

†† PVFENDORF *Rer. Brandenburg. lib. XIV. §. 58.*

††† LVDEWIG *de Iure Adlegandi Ord. Imperii p. 187.*

†††† Durantibus Pacis Nouiomagensis Tractatibus, Principum Iura egregie defendit CÆSARINVS FÜRSTENERIVS (sub quo nomine latet LEIBNITIVS) *de Iure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ.* Deinde varia Scripta de eadem materia extant in THVCELII *Electis I. P. cap. VII.* apud FRITSCHIVM *Electis I. P. cap. IV.* & LVNIGIVM

Staats-Consiliis Tom. II. p. 922. 942. KVLPIS *de Legat. Stat. Imperii cap. X. §. XII. sqq.* qui integram hanc materiam de Legationibus Statuum Imperii vberius pertractauit. Nouiter demum Principum Iura defendit Generosissimus Dnus de Rheinbavven in *Vnvorgreifflichen Bedencken über die Concurrentz der Fürsten des Reichs bey der bevorstehenden Abhandlung des Friedens*, idemque variis Exemplis illustrat, Principibus competere Ius mittendi Legatos.

††††† Art. XXIII. *Allen des heiligen Reichs Churfürsten und Standen, so wohl als ihren Botschafften und Gesandten (die von der gefreyten Reichs-Ritterschaffs Abgeordnete mit begriffen.)*

§. XLII.

Circa Deputationem in Comitiis a. 1653. ad Grauamina examinanda institutam, subnatum inter Electorum secundi Ordinis atque Principum primarios Legatos de loco certamen, ita quidem mox compositum, vt ad Subsellium, quo primarii Electorum Principumque Oratores considerent, mensa collocaretur, cui accumberent, qui secundum Legationis locum essent sortiti.* Recruduit controuersia in Comitiis a. 1716. dum Löwensteinius Princeps primus ex Cæsaris Legatis, Legatos Electorales, Austriacum, Salisburgensem ab aliis Principum distingueret, dum illis Excellentiæ Titulum concederet, quem reliquis denegabat. Ad istos etiam quendam ex nobilibus aulicis mittebat, dum ad hos saltim Secretarium mitteret. Qua de caussa reliquorum Principum Legati XIX. Decembris 1716. in hospitio Legati Monasteriensis conuenerunt, eandemque caussam ad Principes suos communi Relatione detulerunt. Dum etiam Iudicium Camerale a. 1711. solenni more iterum aperiretur, Legato Comitum quæstio Status mota fuit de Iure sex equis vehendi, vt ideo solenni Processioni se subduceret.**

* PFANNER *Hist. Comit. lib. V. §. III.*

** Vid.

** Vid. Acta hac de re in ELECTIS IVRIS PVBLICI *Tom. III. p. 379.* & *Tom. V. p. 417.*

§. XLIII.

Alia Iura sunt Superioritatis Territorialis, quæ illis saltim competunt, qui Territorium habent. Vocari hæc solent Regalia, eademque distingui in Permanentia & Transeuntia. Illa dicuntur quæ Principum Imperii sunt propria, nec aliis concedi solita: hæc vero, de quibus etiam Vasalli possunt inuestiri, vtpote Ius Minerarum, Forestale, Venationum & eiusmodi.* Verum, dum ipsum Instrumentum Pacis Cæsareo-Gallicum ** distinguat inter Regalia & Superioritatem, rectius & nos ista distinguimus.*** Ista sunt Iuris Feudalis, de quibus iamdudum Status Imperii inuestiuerunt Imperatores, de quibus etiam sæpius Status Vasallos suos solent inuestire: hæc sunt Iuris Publici a Statibus sensim adquisita. Primus Actus Territorialis est, quod Principes atque Status Subditos sibi ad Subiectionem obligent per *Receptionem Homagii, die Landes-Huldigung.* † Obtinet istud ab antiquis Francorum temporibus, atque consuetudinis Imperii fuit factum. †† Distingui solet *in Erb-und Landes-Huldigung*, idque dicitur, quando Princeps ratione certorum saltim Iurium etiam in Territoriis alienis Homagium exigit: hoc vero, quod ratione Territorii competit, licet ista distinctio, hodie præsertim, non adeo obseruetur. †††

* Fecit hoc potissimum IO. THEOD. SCHEFFERVS *in Diss. de Regalibus, Tubingæ 1719.*

** §. LXXIV. *Præfectura Prouincialis in dictas decem Ciuitates & loca dependentia, itemque omnes Vasalli, Landsassii, subditi, homines, oppida, castra, villæ, arces, syluæ, forestæ, auri, argenti, aliorumque mineralium fodinæ, flumina, riui, pascua, omniaque Iura, Regalia & appertinentia, absque vlla reseruatione cum omnimoda Iurisdictione & Superioritate, supremoque Dominio.*

*** Distinguit etiam L. B. de LYNCKER *de Super. Territ. p. 22.* ANT. GVIL. ERTL *Theatr. Super. Territ. p. 35.*

† CAPIT. lib. III. c. LXXXVIII. *vt missi nostri populum nostrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant, secundum consuetudinem iamdudum ordinatam. Et ipsi aperiant & interpretentur illis hominibus, qualiter ipsum sacramentum & fidelitatem erga nos seruare debeant.* HERTIVS *de Subiectione Territoriali* §. 13. Singula Superioritatis Territorii Iura sigillatim exposuerunt CHRISTOPH. MINGIVS, B. de LYNCKER *de Superioritate Territoriali.* IO. WOLG. TEXTOR *de Iurisdictione Territoriali.* MYLERVS ab EHRENBACH *de Principibus & Statibus Imperii.* ANT. GVIL. ERTL *Theatro Superioritatis Territorialis*, & IO. WILH. GOEBEL *de Iuribus Procerum Imperii Maiestaticis.*

†† In Diplomate Friderici II. Ottoni Brunsuicensi a. 1235. concesso, apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 208. vt fidelitatis Iuramentum Duci secundum consuetudinem Imperii exhibeant.*

††† Videri potest IO. BRVNINGH *de Homagiis subiectitiis, Basileae 1621. 4.*

§. XLIV.

Obligantur ad praestandum Homagium in Territoriis, in quibus Landsassiatus viget, omnes Subditi, quoties persona Domini fuerit mutata, mediante corporali iuramento, nisi aliud vel praescriptione vel conuentione obtineat, honoratiores fidem saltim manu stipulata promittunt. Et quidem praestari debet Dominis Territorii, siue Primogenito siue omnibus, qui Territorium tenent, etiam Foeminis & Tutoribus, quandoque in euentum illis, qui ex Pacto, vel Iure Successionis, futuri sunt Domini, quod vocatur *die Euentual-Huldigung.* Exemplum praebent Subditi Saxonici, qui in euentum etiam Homagium praestant, *den Erb-verbrüderten.* Tenentur igitur Subditi ad fidem domino praestandam, Dominus ad defensionem.

§.XLV.

§. XLV.

Hoc igitur Homagium arctius adhuc Subditos ad obsequium Principis sui adstringit, quam Imperatoris, cui nulli Sacramento obligantur. Dum vero Statuum potestas Legibus Imperii sit subordinata, subditi ad obsequia non tenentur, si hostem Imperii se exhibeat Dominus, vel alias contra Leges Imperii agat, atque tunc Mandata Imp. & Imperii potius sunt obseruanda, † prout in Bauaria, Archiepiscopatu Coloniensi, & Episcopatu Leodiensi fuit factum.

† L. B. de LYNCKER *de Religione Obsequii.* HENNIGES *de Super. Territ.* §. *XXVI.* HERTIVS *de Subiectione Territoriali* §. *XX.*

§. XLVI.

Licet autem Subditi singuli domicilium possint mutare, alterius tamen clientelæ se in præiudicium Domini sui subiicere minime poterunt. † Hinc etiam Protectoria Cæsarea certis personis vel familiis concessa, dominis Territorii minime præiudicant. †† Protectoria vero exterorum in Status Imperii vel immediatos, vel mediatos, per Capitulationes plane prohibentur. ††† Eadem ratione a Rudolpho Habsburgico & Ludouico Bauaro Imp. †††† ac Carolo IV. etiam per A. B. ††††† *Pfalburgeri* prohibentur, qui in aliqua regione domicilium habentes, a liberis quibusdam Ciuitatibus æque Ius Ciuitatis obtinebant, vt Priuilegiis atque Iuribus istius vterentur. Hi, quia in suburbiis habitabant, quæ sæpe sudibus, *mit Pfæhlen*, erant cincta, †††††† ideo sic dicti videntur. Ab his distincti erant *die Vsburger*, qui sine fraude alterius Ius Ciuitatis alicuius fuerunt adepti.*

† R. I. Spiræ *de a. 1529.* §. *10.* R. I. Spiræ *de a. 1544.* §. *83.* R. I. Augustæ *de a. 1555.* §. *23.*

†† Vide supra *cap. XII.* §. *XIV.*

††† CAROLINA *art. XXVII.*

†††† Sic enim in Recessu Würtzburgensi de a. 1287. apud LEHMANNVM lib. V. c. CVIII *wir setzen und gepieten, das man die Pfalbürger allenthalben lasse, wir wollen in unsern Statten ihr keinen haben.* Ludouicum Bauarum hoc singulari Edicto an. 1341. fecisse testatur LAVR. FRIESE *Chron. Würtzburg. p. 624.*

††††† *Tit. XVI.* Secutus fuit Sigismundus per A. B. Noribergensem a. 1431. quæ extat apud LVNIGIVM *p. Gen. Cont. p. 37.*

†††††† Patet hoc ex eo, quod hodie adhuc Ciues Eulenburgi in Suburbiis degentes, dicantur *die Pfal-Bürger,* IO. FRIED. FRENTZEL *Ileburgo* §. *XLIV.*

* Vid. vberius IAC. WENCKERI *Collectanea I. P.* HERTIVS *de Subiectione territoriali* §. 20. DATT *lib. I. c. XIV. n. 54. sqq.*

§. XLVII.

Homagium igitur semper ad fidem obligat, non tamen semper nota est Superioritatis Territorialis, cum præstetur etiam Dominis Territorii, licet Superioritatem non habeant; nec semper notat Subiectionem, cum æque ratione certorum Iurium quandoque præstetur iuramentum. Tale est Iuramentum Clientelare, quod ratione Protectionis vel Iuris Aduocatiæ est præstandum, *die Schutz- und Schirm-Pflicht.* Sic in nonnullis locis Homines proprii a Dominis suis *ihren Hals- und Leib-Herren,* ad iusiurandum adiguntur, vti & Wildfangii Electori Palatino. * Colonienses, Spirenses, Hamburgenses, Bremenses ob Iura quædam vicinis Regionum dominis iuramentum præstant. ** Alia sunt Homagia Tutelæ, *Vormundschaffts-Huldigung,* vel constituti Dotalitii, *Witthums-Huldigung.* Sic etiam distinguenda sunt Vasallagia, *die Lehns-Pflicht,* quæ a solis Vasallis, ratione Feudorum, etiam per Procuratorem in animam Vasalli præstari possunt, quod dicitur *in des Vasallen Seele schweren.* Iuramentum Officiale, quod ratione certi Officii præstandum, *die Amts-Pflicht,*

Iuramentum Ciuium *der Bürger-Eyd*, quod a ciuibus magistratui præstatur, plane sunt diuersa. Præstatur quandoque *Eventual-Huldigung* illis, qui spem saltim succedendi habent, prout in Saxonia etiam Subditi Hassiæ Landgrauiis ob Confraternitatem in euentum præstant Homagium. ***

* *Cap. XVII. §. XXV.*

** HERTIUS *de subiectione territoriali §. XIV. XV.* ENGELBRECHT *de Seruit. I. P. s. II. membr. II. §. VIII.*

*** VIETOR *de Exemt. Imperii concl. XXXVI. num. 9.* ENGELBRECHT *de Seruit. I. P. s. II. m. II. §. VIII.*

§. XLIIX.

Est autem Statuum potestas monarchica quidem, aristocratice tamen, per Ordines Prouinciales temperata, *die Land-Stände*. Hinc in negotiis, quæ Politiam potissimum atque Regimen prouinciæ concernunt, vtpote in caussis religionis, legibus sanciendis, tributis imponendis, & reliquis, quæ ad defensionem prouinciæ faciunt, ipsorum consensus requiritur. * Obligarunt tamen Electores Imp. ne concedat, vt sine præscitu Principis Status Prouinciales conuentus agant.** Hi autem Status pro diuersitate prouinciarum variant. In plerisque Terris, Saxonicis potissimum, Brandenburgicis atque Lüneburgicis, Status Prouinciales triplicis sunt ordinis, Prælatorum & Comitum *der Prælaten und Grafen*, Equestris Ordinis & Ciuitatum. *** Ad primum Ordinem referuntur etiam Academiæ & Prælati Monasteriorum Protestantium, & Comites mediati. In secundo ordine Nobiles in Saxonia distinguuntur in *Schrifftsassios* **** atque *Amtsassios*. ***** Illi dicuntur, qui immediate dependent a Cancellaria vel Regimine Principis, *unter die Regierung*; hi vero,

ro, qui Præfectum, *den Amtmann*, iudicem adgnoscunt primæ instantiæ. Eadem ratio distinctionis est in Pomerania, in *Schloß-gesessene und gemeine Edelleute.* ****** Sessione & Voto in Comitiis Prouincialibus gaudent Nobiles Schriftsassii, licet & hi sæpe, prout in Terris Electoratus Saxonici distinguantur *in alt Schrifftsassig und neu Schrifftsassig.* Admittuntur tamen quandoque etiam Amtsassii, prout illud antiquo Iure obtinuerunt. In tertio ordine Ciuitatum non omnes admittuntur, sed istæ saltim, quæ hoc Ius ab antiquo obtinuerunt. Alia Territoria nullos habent Prælatos & Comites. In Austria Status Prouinciales distinguuntur in Prælatos, Comites, Barones & Nobiles & Communitates siue *Marckte.* † In Frisia Orientali, in Equites, Ciuitates & Communitates pagorum, *die Haußmannen.* †† Electoratus Palatinus qui ex diuersis Comitatibus coaluit, Ordines Prouinciales non habet, licet tales non desint in Ducatu Neoburgensi & Bipontino. †††

* CAPIT. IOSEPHI *art. III.* Dominus a SECKENDORF, *im Teutschen Fürsten-Staat P. II. cap. V.* HERTIVS *de Consult.* §. *VIII.* LVD. HVGO *de Statu Region. German. c. IV.* §. *XXI.*

** Potissimum in CAPIT. CAROLINA *art. IX. & XV.*

*** GEVVOLDVS ad Hundii Metropolim Tom. II. p. 23. *Sunt autem siue Regni siue Ducatus Boioariæ Status, more iam inde a Tassilone, Carolo M. ante etiam & post, recepto, & ad nostra vsque hæc tempora deriuato tres distincti. Primus Clericorum: der Geistlichen, der Pfaffheit (sic habent vetusta diplomata) oder Prælaten-Stand. Alter Nobilium: der Herrn, Ritterschafft, und vom Adel. Tertius, plebeius, der Statt und Marckt.* Vid. HERTIVS *de Consult. Leg. & Iudiciis* §. *VII.*

**** Singularem Dissertationem *de Schriftsassiis* inseruit SCHILTERVS Commentario suo in Pandectas. VVILHELM LYSER *de Schrifftsassiis & Amtsassiis.*

***** Hos

***** Hos olim dictos fuisse *Mannschafft*, adnotauit HORTLEDERVS in MSto: *Mannschafft ist die Ritterschafft, so nicht immediate uff Cantzley, sondern uff Amtschrifft unter den Aemtern und Ambtleuten gesessen. Vnd den Amtleuten als ihren Capitanen, Leutenanten, oder Rittmeistern haben folgen müssen, wann das Noth gethan. Drumb setzt Churf. Fried. der II. in seinem Anweisungs-Briefe uf dem Hellischen Spruch an. 1445. Ritter und Knechte dem Ambtleuten vor, nach dem Ambtleuten Mannschafft und Stadte. Ein Ambtmann selbst hat von seinen Mannen seinen Nahmen.*

****** RANGO *Pomerania diplomatica p.59.*

† ELECTA I. P. *Tom. VII. p.579. T. X. p.35.*

†† SCHWEDER *sect. II. c. XIII. §.57.*

††† EVROP. HEROLD. *P. I. p.301.* SPRENGER *Font. I. P. p. 213.* Olim tamen etiam in Palatinatu tales fuisse docet nos TRITHEMIVS Chron. Sponheim. ad a. 1505. *Philippus Comes Palatinus Rheni, Bauariaque Dux conuocauit omnes Principatus sui Prælatos, Episcopos, Abbates, Comites, Nobiles & Communitates vrbium & oppidorum ad se Heidelbergam, habuitque cum iis consilium simul atque tractatum super conditionibus certis ad Reformationem Pacis inter ipsum & Principes Imperii pertinentibus.*

§. XLIX.

Originem suam hæc Ordinum Prouincialium Iura, vel ab antiquo habent, cuius iamdum in Recessu Herbipolitano a. 1287. sub Rudolpho Habsburgico videmus argumentum.* Principes enim hæreditariam sibi vindicantes potestatem atque propriam, Nobilibus atque Ciuitatibus talem relinquebant libertatem, vt ipsorum Imperium eo certius adgnoscerent, quæ dein a Successoribus per certa pacta fuerunt confirmata. Quare etiam in plerisque Prouinciis Status Prouinciales, horumque Conuentus ab antiquo memorantur.** Hinc Principes Regimen ineuntes pacta antecessorum suorum confirmant, & de sartis tectisque Iuribus ac Priuilegiis Ordi-

num Prouincialium & Subditorum conseruandis dare solent Reuersales. Ecclesiastici quidem Principes Statibus Prouincialibus & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Iura sua & Priuilegia etiam & iuramento solent confirmare, quod etiam in Ducatibus quibusdam Secularibus obtinuit, prout de Ioanne Brabantiæ Duce testatur PETRVS DIVÆVS, *** de Alberto Hollandiæ Comite, MAGNVM CHRONICON BELGICVM, **** de Margaretha Hollandiæ Comitissa IOANNES de BECKA. ***** De Arnoldo Geldriæ Duce IO. ISAACIVS PONTANVS. ****** Licet hoc a seculo & vltra fuerit abolitum. † Nec desuns exempla, quod Status etiam Prouinciales in Terris potissimum Ecclesiasticorum sub Regiminis initium ad certa pacta obligent quæ dici solent Capitulationes. ††

* Apud LEHMANNVM *l. V. c. CVIII. p. 631. was auch die Fürsten in ihrem Lande mit der Land-Herren Rate setzent und machent.* In Diplomate Caroli IV. apud LVNIGIVM *II. Cont. III. Forts. pag. 167. edir Land-Herren zu Behem.*

** De Belgis GROTIVS Ann. Belgic. lib. I. p. 4. *penes vtrumque ordinem, nobilium & oppidanæ plebis, reipublicæ cura antiquitus fuit: quibusdam in locis accessit tertius, sacerdotum. Hi legationibus, vbi necesse erat, coibant: hi maximis de rebus consulebantur: nec nisi cunctis volentibus indicere tributa, Statum qui erat rerum mutare, ne nummi quidem pretium nouare fas erat. Adeo cauebatur, etiam cum boni Principes essent, ne malis fieri liceret.* De Bauariæ Ducatu AVENTINVS lib. I. cap. II. n. 17. *Principes de omnibus rebus reliquis consultant, omnia apud Principes pertractantur. Nisi quando aut bellum ineundum, vectigal nouum pendendum, censusue agendus fuit: aut denique discordes Principes fuerint. Quod si huiusmodi res, siue aliud inconsuetum inciderit, omnes ii iussi & vocati, die locoque præscripto coeunt atque conueniunt: Equitum singuli, ex quaque ciuitate, vnus vel bini. Collegia sacerdotum eum, qui præest, mittunt; in iisdem Conciliis ex ordinibus, vt numerus placuit, eliguntur, penes quos est arbitrium decernendi.* Reginoburgi autem

Conuentus fuisse institutos, idem Auctor est *lib. IV. cap. XXII.* §. *XIV.* Seriem Comitiorum Misnensium Prouincialium nectit VVECKIVS *Chron. Dresd. p. IV. Tit. VI. p. 434. sqq.*

*** Rer. Brabant. lib. XIV. p. 144. *Mense Iunio anni sequentis Ioannes filius Ioannis Ducis iam pubertatem attingens Louanii, totius Brabantiæ Ducatum accepit, iuratus more maiorum vniuersæ gentis priuilegia, rata firmaque se habiturum.*

**** p. 322. *fidelitatem cunctis incolis iurauit, & homagium de suis Vasallis accepit.*

***** Chron. Traiect. p. 119. *Imperatrix apparatu pulcherrimo mox ad Hollandiam descendit, fidelitatem cunctis incolis iurauit, homagium de Vasallis suis accepit, libertates & gratias omnibus ampliauit.*

****** *Hist. Geldr. lib. IX. p. 429. 466.*

† Quare Frisiæ Comes, teste REIDANO *Ann. Belg. ad a. 1599.* dum Emdani ab ipso tale Iuramentum postularent, renuit, *quasi indecorum esset, adigere Comitem arrecta dextra iusiurandum dicere. Perinde æstimandum, si per famam atque honorem suum iuraret. Cæsaris cum Sacramento obstrictum, eique Regiminis rationem reddere teneri. Absurdum esse Principem subditis iurare.*

†† Diuersa Exempla vide apud HERTIVM *de Subiect. Territ.* §. *XIX.*

§. L.

Vrgente itaque necessitate, conuocant Imperii Status Ordines suos prouinciales ad Comitia vel Diætas prouinciales. Ista vero vel vniuersalia sunt, ad quæ omnes conuocantur, vel particularia, quando selecti saltim ex Ordinibus Prouincialibus conueniunt, qui vocari solent *der Ausschuß*, atque distinguuntur *in den engern und weitern Ausschuß*, qui tamen, vbi negotia fuerint ardua, ad vniuersalia sæpe prouocare solent. Vniuersalia Principes sub initium statim Regiminis solent conuocare ad ordinandum Regiminis Statum, & finito concessionum tempore, *wenn die Bewilligungen zu Ende.*

de. Solent enim Status in certas Contributiones ad annos definitos consentire. Tempore igitur consensus præterlapso, noua Comitia conuocantur.

§. LI.

Locus olim erat publicus sub dio, vbi conuenire solebant Status Prouinciales: in Misnia quidem Culmæ, prope Oschatzium: * Hassiæ in loco Comitatus Ziegenhaynensis Spies dicto. ** In Terris Brunsuicensibus in sylua quadam Schott dicta, ad Hasseringam: *** In Frisia prope Vbstallesbornum in agro Auricano. **** Hodie vero in Aula Principis vel Prouinciæ Metropoli conueniunt. Modus fere idem obseruatur ac in Comitiis Imperii, nisi quod ipsi Status adesse debeant in persona. Quod si stato tempore comparuerint, de præsentia Principis Mareschallum faciunt certiorem. Adlucente die Conuentui præfixo, peractisque Sacris, propositio fit a primario ex Principis Consiliariis, cui respondet primarius ex Statibus, inde Propositio exhibetur. Hinc in Collegia sua discedunt Status; primum quidem ea, quæ Præliminaria dicuntur, pertractant atque Grauamina sua, *die Landes-Gebrechen,* quæ contra Regimen habent, singulari scripto *der Præliminar-Schrifft* exponunt, eorundemque medelam a Principe petunt. Ad hæc Principe se declarante, de materiis propositis deliberant & de certis præstationibus ad onera publica sustinenda conueniunt, quæ vocantur *die Bewilligungon.* Quod si hoc conclusum cum Principis sententia nondum conueniat, per duplicam, triplicam, quadruplicam inter Principes atque Ordines Prouinciales agitur, vsque dum inuicem conueniant. Hoc facto, Recessus formatur, qui vocatur *der Landtags-Abschied,* qui in duplo conscribitur, a Principe atque singulis, qui adfuerunt Statibus, sub-

scribi-

ſcribitur & ſigillatur, vnum Exemplum Princeps in Archiuo ſuo, alterum in Archiuo Statuum Prouincialium adſeruatur. Hinc fit publicatio, atque tunc Receſſus iſte vim habet Legis Prouincialis. †

* ANT. VVECKE *Beſchr. Dresden p. 437.* occaſione Comitiorum Prouincialium ab Henrico Illuſtri an. 1259. inſtitutorum: *Es iſt aber das offtbemeldte Culm oder Culmitz, wie oben erwehnt, nichts anders, als das mitten im Lande zu Meiſſen gelegene Colmen, bey Oſchatz gevveſen, alda man aufm Berge, den man durchs gantze Land ſehen kan, die Land-Tage, nach obenangeführter alter Obſervantz, unter freyem Himmel gehalten.*

** HERTIVS *de Conſult. Legibus & Iudiciis in Spec. Germ. Rebuspubl.* §. *IX.* qui etiam Auctor eſt, Philippum Magnanimum adhuc ibidem cum Statibus ſuis Prouincialibus deliberaſſe.

*** HERTIVS c. l. ex ZEILERO: *Es pflegen ſolche Land-Tage, vvenn es die Nothdurfft erfordert, alten Herkommen nach unter dem freyen Himmel, in einem Gehœltz, der Schott bey Haſſering genant, in dem Ampt Bodentreich vier Meil von Zell gehalten zu vverden.*

**** VBBO EMMIVS Hiſt. Friſ. lib. XIII. ad an. 1323. *Vbſtalles bornam ibant. Is locus in agro Auricano eſt, in Friſia Orientali Ciſamaſana, haut plus medio ab Aurica oppido milliari Germanico, ad occaſum hybernum, vbi tres ingentes quercus, quarum vna ad noſtram vsque memoriam pene, emortua peruenit, aperto ac patente campo prope contiguis ramis ſe attollebant, ad bina ternaue ſtadia circumcirca ædificiorum nihil habens. In hoc porro, quaſi in propria libertatis area, tentoriis ad vſum lato ſpatio in modum caſtrorum militarium poſitis, poſtquam illuc peruentum erat, peragebantur velut cœlo teſte, quæ Comitiorum ratio poſcebat.*

† SECKENDORF *Fürſten Staat lib. II. cap. IV.* AHASV. FRITSCHIVS *de Conuentibus Prouincialibus.* CHRIST. WILDVOGEL *de Statibus Prouincialibus.* Prodiit a. 1709. *Diſcurs von Land-Standen*, qui tamen fatis:

tis est ictimus, atque Iura Statuum Prouincialium nimium supprimit. Cui opposita fuerunt *Eines Teutschen unverfängliche Gedancken von Land-Stenden.* IO. THEODOR. VON FLIESSENHAVSEN, siue potius FLIESBACHS *Bericht von Landtagen 1692.* vbi modus Comitiorum Prouincialium describitur cui tamen oppositum fuit I. C. IMANDERS *Antworts-Schreiben an Curiosum Sincerum.*

§. LII.

Iura igitur Territorii consistunt vel in Regimine & Politia prouinciæ, vel in Iuribus gratiosis, vel Cameralibus & Fiscalibus. Ad primum referenda est *Potestas Statuum Legislatoria.* Hæc olim ad Reseruata Impp. spectabat, qui Prouinciis peculiares concedebant Leges, prout Leges Alemannorum, Boiorum & similes testantur, post vero sensim in Principum potestatem peruenit, quibus speciatim concessum, vt proprio Iure vterentur *Landrecht.* * Scilicet hæc inter Duces atque Comites erat differentia, vt Ducum facultas esset Ius Prouinciale publicandi, non æque Comitum, qui secundum Ius Cæsareum pronuntiabant. ** Immo, ex Concessione Impp. etiam Ciuitates Imperiales hoc Ius fuerunt adeptæ, *** inde sensim ad Iura Territorialia fuit relatum, vt Impp. isti derogare nequeant. **** Et licet Seculo decimo sexto quidam Status confirmationem Legum suarum Prouincialium ab Impp. petierint, prout Ducum Brunsuicensium Ordinatio Iudiciaria a Ferdinando I. Moguntina a Carolo V. fuit confirmata, Holsatica a Ferdinando II. nec tamen ista amplius petitur, nec eadem est necessaria. †

* In Diplomate Bertholdo, Comiti Hennebergico de Principali dignitate concessio, inter alia Iura Principum conceditur illud etiam *in Iure ciuili & plebiscito, quod vulgo dicitur Landrecht*, apud MEIBOMIVM *Tom. III. p. 209.* Plura Exempla habet HERTIVS *de Superioritate Territoriali* §. *XXIII.*

** Quare in Reformatione Sigismundi Imp. apud GOLDASTVM *Reichs-Satzun-*

Satzungen p. II. p. 132. c. IX. *Nun sol man merchen, Zwing und aller Penne Recht, nach Keyserlicher Ordnung. Es ist zu wissen, daß hohen Fürsten, die grosse Land haben, auch vast Keyserliche Recht zu iren Teil halten,* (participant de Iure Cæsareo,) *aber Graffen, Freyen, Ritter und Knecht, die auch Zwing und Penn haben, die eygent Leut, und haben sy ietz für eygen, und steuren sy, und nemen ungewonlich Steur von in über daß, das sy Holtz und Velde schwerlich verzinsen.*

*** Rudolphus Imp. Nordhusæ de a. 1290. tale Priuilegium dedit: *confirmamus & obseruari volumus inuiolabiliter omnes Constitutiones constitutas, & adhuc constituendas a Consulibus Ciuitatis Nordhusen, quæ ipsi Ciuitati profiaue fuerint & honeste, & nobis & Imperio præiudiciales non fuerint, nec generauerint detrimentum.* HERTIVS *c. l.*

**** CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. III.* CAROLINA *art. I.*

† HERTIVS *c. l.*

§. LIII.

Nec tamen libera hæc est potestas & illimitata, sed Legibus Imperii subordinata. Distinguendum tamen inter Leges Imperii publicas & Ius Iustinianeum. Istæ vel de publico Statu quidpiam decernunt, vel de caussis saltim ciuilibus. Sin istud, per Constitutiones prouinciales aliud decerni non poterit. Hinc Adpellationes ad Cameram, vbi nullum adsit Priuilegium, Lege Prouinciali non possunt prohiberi.* In caussis ciuilibus vero in ipsis Legibus Imperii auctoritas Legum Prouincialium stabilitur, secundum quas etiam in Iudicio Camerali est pronuntiandum, si modo tenor earundem Actis fuerit adiectus.** Quod si vero Lex Imperii vniuersaliter sit lata, abrogatis omnibus Legibus & Consuetudinibus contrariis, tunc secundum Recessus Imperii saltim pronuntiant Camerales.*** Iuri Iustinianeo vero & Ciuili per Constitutiones contrarias libere præiudicant Status, cuius Exempla sunt quotidiana.

* ORD.

* ORD. CAM. *p. II. Tit. XXVIII.* §. *2.*

** R. I. Nou. §. *105. 137. 171.*

*** Talis est in R. I. Augustano *de a. 1551.* §. *71.* R. I. Nou. §. *6.* LVDOLPHVS HVGO *de Statu Regionum Germaniae c. III.* §. *21.* IO. EHRENFRIED MAYER *de Potestate Statuum Legislatoria.* THOMASIVS *de Statuum Imperii Potestate Legislatoria contra Ius Commune.* HIST. IVRIS *cap. VI. §. XLII.* An vero Lex etiam vltra Territorium obtineat, singulari Dissert. exposuit DAVID SCHEINEMANN *de Authoritate Legum Ciuilium extra Territorium Legislatoris, Tubingae 1696. 4.*

§. LIV.

Ex hac potestate Legislatoria fluit *Potestas publicandi Edicta, Mandata atque Inhibitiones, Ius dandi Rescripta,* quae ex libera facultate Principi licent. Sic etiam ad Principem pertinet, *Ius circa Politiam, certa Pondera, Mensuras atque Vlnas constituendi. Ius Statuta condendi* Magistratui etiam inferiori competit, quae tamen, vt valeant, Principis confirmatione habent opus.†

† HERTIVS §. *25.*

§. LV.

Vt autem Leges Executioni mandentur & stricte obseruentur, *Magistratus* a Principe constituuntur. Liberiorem hic potestatem habent Principes ac Ciuitates Imperiales. Isti pro lubitu Magistratus mutant, Consiliarios, Praefectos & similes constituunt, destituunt. Ciuitates vero Imperiales Magistratus non nisi secundum Statuta legunt. Quaedam Ciuitates Municipales & Collegia Ius habent Rectores, Consules, Administratores constituendi, qui tamen a Principe confirmantur.†

† HERTIVS §. *XXXVII.*

§. LVI.

Competit etiam Statibus Iurisdictio in Terris suis vniuer-

uerſalis, quæ olim ſub *Iuſtitiarum* nomine venire ſolebat. * Hanc ob rem inſtituuntur in Territoriis diuerſa *Collegia atque Tribunalia Iuſtitiæ.* Iſta vel concernunt Statum ſaltim publicum, vel Regimen & Politiam Territorii, vel Tribunalia ſunt Iuſtitiæ. Primum, idemque in Territoriis Electorum atque Principum præcipuum eſt Collegium Status, *das geheime Raths-Collegium*, quod non niſi publica negotia, & quæ Principis Iura concernunt, tractat, quandoque etiam ea, quæ circa Regimen Prouinciæ occurrunt momenta, examinat. Huic ipſe Princeps præſidere ſolet, qui tamen plerumque conſtituit, *einen Geheimen Raths-Directorem.* Primus inter Status Imperii tale Collegium inſtituit Auguſtus, Saxoniæ Elector, ** quem ſecutus fuit Ioachimus Fridericus, Brandenburgicus. *** Licet plerique Principes atque Comites ob Territorium non adeo amplum, negotia publica coram Regimine tractent. In Ciuitatibus Imperii, quæ aliis ſunt eminentiores, Analogum quid eſt, quod vocant *den geheimen Rath* vel *den innern Rath.*

* Fridericus I. Imp. in CHRON. CONSTANT. apud PISTORIVM *Tom. III. p. 427.* Epiſcopo Conſtantienſi confirmauit: *poſſeſſiones, terminos, immunitates, mercatum, monetam, portum, telonium & ceteras Iuſtitias.* Idem Fridericus in Diplomate an. 1168. apud BROVVERVM *Ann. Treuir. lib. XIV.* *vterque*, Archiepiſcopus & Comes Palatinus, *debitam Iuſtitiam in Ciuitate* (Treuiri) *habeat & conſuetam.* Plura loca hanc in rem congeſſit HERTIVS *de Superioritate* §. *VIII.*

** ANT. VVECKIVS equidem *Chron. Dresd. p. 174.* hoc primum Chriſtiano an. 1587. tribuit. Verum contrarium docet MÜLLERVS *Ann. Saxon. ad d. 24. Ianuarii 1581.* dicens: *Ließ Churfürſt Auguſtus ſeinen von neun Sœhnen annoch lebenden eintzigen Sohn, Chriſtian I. zum Præſidenten in der geheimen Rath-Stube durch Stadthalter und Rathe vorſtellen und inſtalliren.* Et licet iam olim Conſiliarios intimos habuerint Electores, prout ex Diplomate Friderici Landgrauii

de a. 1420. patet: *Dieser Sachen und Geschichte sind gezugen, und sin dabey gewest unser heymelichen und lieben getreuen Rete und Manne*, non tamen constituerunt Collegium peculiare.

*** LVDEVVIG *Germ. Princeps lib. II. cap. I. §. 19. & lib. V. cap. I. §. 29.*

§. LVII.

Alterum Collegium est Cancellaria vel *Regimen Prouinciæ*, quod in Terris Principum dici solet *die Landes-Regierung*, in Terris Comitum, *die Cantzelley*. Illud primario curam gerit regiminis & politiæ prouincialis. Expediuntur etiam ex eiusdem Cancellaria confirmationes Magistratuum, Diplomata dispensationum atque Priuilegiorum. In plerisque tamen Terris caussæ etiam Iudiciariæ ad illud deferuntur, vel in prima instantia in caussis personarum illustrium, Consiliariorum, Schriftsassiorum, vel Collegiorum, in vltima vero instantia in caussis reliquorum Subditorum. †

† Vid. BERGERI *Differt. de Iudiciariis Cancellariæ prærogatiuis.*

§. LVIII.

Tertio consideranda sunt *Tribunalia Iustitiæ*, quæ vel subalterna sunt vel suprema. Subalterna consistunt vel in Præfecturis Principum, vel Iudiciis Collegiorum & Oppidanis, vel Iudiciis Vasallorum. Præfecturæ a Principibus dependent, vel Statibus, qui suos constituunt Præfectos, *Amt-Leute, Amts-Verweser, Vœgte*, qui Iura dicunt per pagos vicosque, qui ad præfecturam istam referuntur. Horum etiam iurisdictionem adgnoscunt Ambtsassii, & quandoque Magistratus Oppidorum quorundam minorum. Alterum Iudicium subalternum ex Concessione Principum constituunt Collegia Academica & Senatus Oppidani in Ciues suos, vt primam Instantiam coram iisdem capiant. Tertium ex concessione

ſione Superioris exercent Vaſalli, qui ſpeciatim cum Iurisdictione, *mit denen Gerichten* fuerunt inueſtiti. Quibus vero talis Iurisdictio competit, vlterius progredi non poſſunt, quam ipſis a Principe fuerit conceſſum. Alii itaque ſaltim habent Iurisdictionem inferiorem & mixtum Imperium, *die Erb-und Nieder-Gerichte*, alii vero Iurisdictionem æque adepti ſuperiorem & merum Imperium, *auf Hals und Hand*, & vocantur *die Ober-Gerichte*, ſiue vt in Litteris exprimitur, inueſtiuntur *mit einer Feimſtatt.* In Franconia diſtingui ſolet in *Cent* vel *Frays*, quod merum Imperium notat, & *Vogthey.* * Neque tamen iſtis, qui Iurisdictionem etiam altam ab Principe impetrarunt, Ius Ceræ rubræ conceditur. **

* Vtriusque Iurisdictionis Terminos diſtinguit ANTON. VVILH. ERTEL in *Praxi Aurea.* HERTIVS *de Conſult. Leg. Iudiciis* §. *XXIII.*

** Prout a. 1716. in Ducatu Vinarienſi fuit prohibitum. Vid. EL. IVR. PVBL. *Tom. VI. p. 449.*

§. LIX.

De illo vero adhuc dubitatur, quousque Principum atque Statuum Imperii Iurisdictio ſe extendat. An etiam Iurisdictionem Criminalem exerceant in alios Imperii Status in Territorio delinquentes, prout Boruſſiæ Rex Rantzouium Comitem cuſtodiæ fecit mandari, Cæſare licet contradicente. * An Princeps Statusque Imperii Iurisdictionem exerceat in Coniugem atque Principes Apanagiatos. Prioris Exemplum videmus in Ludouico Palatino Comite, qui Mariam Coniugem ſuam ob adulterium capite plecti fecit. ** An Princeps Iudex eſſe poſſit in Crimine Læſæ Maieſtatis, *** de quo tamen hodie non adeo dubitatur, dum etiam per Capitulationes ipſis Bona proſcriptorum Imperii in Territorio ſita, fiſco ſuo addicere concedatur. **** Et licet in Principem Maieſtatem non

habentem, Læſæ Maieſtatis Crimen committi nequeat, committitur tamen Crimen Læſæ Superioritatis. Conceſſum etiam eſt Statibus Ius puniendi Falſarios monetæ, † dubitatum tamen nuper fuit circa Iudæos Francofurtenſes, †† a quibus Imp. nouiter Homagium recepit. An in cauſſis Criminalibus prouocari poſſit ad Iudicia Imperii ſuprema, contra quod Status ſemper fuerunt proteſtati. †††

* Vide ſupra *cap. XXIV.* §. *XV.*

** CHRON. AVGVST ad an. 1256. *Ludwicus Dux Comes Palatinus Rheni Dominam Mariam Vxorem ſuam, Sororem Heinrici Ducis Brabantiæ ſuſpectam habens de adulterio, tunc in Sueuico Werde morantem, XV. Kal. Febr. præcepit decollari.* Vid. etiam ſupra *cap. XXIV.* §. *XV.*

*** Vide ſupra *cap. XXIV.* §. *LVI.*

**** CAP. CAROLINA *art. XXI.*

† CAP. CAROLINA *art. IX.*

†† Mota fuit controuerſia, cum a. 1709. Moſes Elckhahn, Iudæus Francofurtenſis, iuſſu Commiſſarii Imperialis caperetur in Territorio Epiſcopi Herbipolenſis, de qua GERCKEN *Otio Vienna-Ratisbon. p. 95. 96.*

††† Vide ſupra *c. XXIV.* §. *LIV.*

§. LX.

Iudicia Suprema vero Prouincialia Triplicis ſunt Ordinis. In Territoriis Electorum potentiſſimorum conſtituta ſunt Iudicia Appellationum, *die Appellations-Gerichte*, ad quæ, dum Priuilegio Electores gaudeant de non adpellando, in vltima inſtantia poſſit adpellari. Quale eſt Dresdæ, Berolini. Idem Ius erigendi ſummum Tribunal, ad quod cauſſæ prouinciarum Germanicarum deuoluantur, conceſſum Coronæ Sueciæ. Vbi vero nulla Collegia Adpellationum, cauſſæ etiam Iudiciariæ per Adpellationem deuoluuntur

uuntur ad Regimina, vel in vltima Inſtantia, vbi Status Priuilegium habent de non adpellando, vel vt ab iisdem vlterius prouocatur ad Iudicia Imperii Suprema. Tertio huc referenda ſunt Dicaſteria & Iudicia Prouincialia, *die Hof-Gerichte.* Hæc fere cum Camera Imperiali conueniunt, & ab Ordinibus æque Prouincialibus dependent. Hæc in cauſſis Schrifftſaſſiorum, Collegiorum & perſonarum, qui dignitate quadam pollent, locum habent, vt primam iisdem inſtantiam præbeant, a quo vlterius vel ad Iudicium Adpellationum, vel vbi nullum ſit, ad Principem poterit adpellari.

§. LXI.

Sequitur *Ius Archiui*, quod tamen non tam Superioritatis eſt Territorialis, quin potius Landſaſſiis etiam competat, Collegiis, immo Familiis. Licet Principum atque Statuum Archiua ratione negotiorum publicorum atque Territorii, maioris ſint momenti. Hæc autem diuerſi ſunt generis. Vel enim Archiuum ſecretum eſt, *das Geheime Archiv*, in quod reconduntur Acta, quæ negotia Status & publica concernunt, vel Archiuum Cancellariæ, *das Cantzelley-Archiv*, in quo reconduntur Acta, quæ coram Regimine vel Cancellaria fuerunt pertractata.* Quædam ſunt Archiua Familiæ & communia, vel ſingulis Statibus propria. Archiuum commune, *Gemeinſchafftlich Archiv*, reperitur in Domo Saxonica. Aliud enim commune eſt vniuerſæ Domui Saxonicæ vtriusque Lineæ, quod adſeruatur Wittebergæ, &, non, niſi præſentibus ab vtraque parte Secretariis aperiendum.** Aliud Archiuum commune ſaltim Lineæ Erneſtinæ, adſeruatur *** Vinariæ, vbi etiam alterum commune Archiuum habetur, quod inter Vinarienſem ſaltim atque Iſenacenſem Lineam eſt

commune. **** Tale commune Archiuum etiam reperitur Slesuici, quod Regi Daniæ atque Duci Holſatiæ eſt commune.

* FRITSCHIVS *de Iure Archiui.* HERTIVS *de Super. Territ.* §. LXXX.
** MVLLERI *Ann. Sax. ad a.* 1554. *ad a.* 1631. 1659.
*** MVLLERI *Ann. Sax. ad a.* 1581.
**** MVLLERI *Ann. Sax. ad a.* 1693.

§. LXII.

Demum circa Regimen Prouinciæ conſiderandæ ſunt *Viſitationes Prouinciales*, quæ diuerſæ ſunt, vel Viſitationes Eccleſiarum atque Scholarum, *Kirchen- und Schul-Viſitationes*, Academiarum, Collegiorum, Iudiciorum, Collectarum & ſimiles, quæ inter Principis Reſeruata ſunt referenda, licet quandoque etiam Ordines Prouinciales easdem petant & circa Viſitationes concurrant. *

* FRITSCHIVS *de Viſitationibus Prouincialibus.*

§. LXIII.

Circa Iura Territorii gratioſa, hæc regula obtinet, quod Princeps in Territorio omnia, immo maiora poſſit, quam Imp. in Imperio, * dum Imp. magis adhuc ad conſenſum Statuum Imperii obligatur, quam Princeps ad conſenſum Statuum Prouincialium: immo, maiorem adhuc circa diſpenſationes Princeps habet facultatem, quam Imperator. Hinc, quæ Imp. in Imperio ſunt Reſeruata, Principi etiam competunt in Territorio, vt ideo Reſeruata Imp. atque Statuum Iura ſibi inuicem perperam opponantur. ** Excepto Iure conferendi dignitates illuſtres & Academicas. Iſta, vel in Iure diſpenſandi conſiſtunt, vel in conceſſione certarum Immunitatum, priuilegiis vel in conferendis dignitatibus. *Ius diſpenſandi*

ſpenſandi Principi nec contra Ius diuinum, nec contra Ius Publicum & Leges Imperii competit, ſed vel in matrimonialibus conſiſtit, vel in ciuilibus, vel in criminalibus. In matrimonialibus Principes & Status Imperii diſpenſant in gradibus Iure humano prohibitis, non vero, quæ Iure diuino prohibentur. † In Criminalibus, Princeps diſpenſat circa pœnas adulterii, furti & ſimiles, vt vel mitiori pœna adficiantur delinquentes, vel pœna mortis & corporis adflictiua mutetur in mulctam, non vero circa homicidium doloſum. Vocatur hoc *Ius adgratiandi*.

* Plurimum equidem ſuper hoc Brocardico adhuc diſputatur. L. B. de LYNCKER *de Superior. Territ. p. 84.* hanc regulam limitat, quod Status tantum poſſint, non identitate poteſtatis ſpecifica, & ne quidem eodem poteſtatis genere, nec ea iurium perfectione, quod facile concedimus, ſed vt rem magis dilucidemus, hæc erit differentia, ea quæ Imp. ex Iure Maieſtatis per vniuerſum Imperium exercet, Principi competunt per Territorium. Idem Brocardicum explicat MYLERVS ab EHRENBACH *p. I. cap. XIV. n. 8.* BETSIVS *de Pactis illuſtrium cap. VIII.* §. *XXXVII.* & ſingulari Diſſertatione HVLDERICVS ab EYBEN, qua potiſſimum originem poteſtatis Territorii explicauit.

** Demonſtrauit illud ſingulari Diſputatione THOMASIVS *de iniuſta oppoſitione Iurium Maieſtaticorum Superioritatis Territorialis & Reſeruatorum Imperatoriorum, Halæ 1696. 4.*

† IO. IOACHIM MÜLLER *vom Diſpenſations-Recht.* IO. VVOLFG. TEXTOR *de Iurisdictione Territoriali* §. *XLIX.*

§. LXIV.

In Ciuilibus Principes varie poſſunt diſpenſare. Diſpenſant itaque circa famam, & *Famæ reſtituunt*, habent *Ius legitimandi*, *Ius concedendi veniam ætatis*, *Inducias moratorias*, ita tamen, vt hæc diſpenſatio non vltra Territorium valeat,

immo,

immo, nec circa personas illustres, quæ ad Reseruata spectant Imperatoris, nisi vtrumque speciatim concesserit Imp. tunc effectum etiam habet, non tamen ex Iure Territoriali, sed Iure ab Imp. concesso. † Dum enim talis dispensatio contra leges sit ciuiles, Princeps quidem subditos suos, non æque alios Status poterit obligare ad eandem adgnoscendam, nisi ipsi ex mutua beneuolentia eiusmodi dispensationes inuicem adgnoscant. †† Circa Famæ restitutionem illud monendum, quod si infamia lege saltim prouinciali fuerit decreta, tunc illam a solo Principe legislatore posse aboleri, cum tali notatus hoc casu extra Territorium minime habeatur pro infami. ††† Nec sine ratione Principi tribuitur *dispensatio circa defectum solennitatum in Testamentis*, †††† si alias de mente Testatoris pro certo constet. Dum enim Principi in grauioribus, Delictis scilicet, non denegetur dispensatio, atque in caussis, quæ etiam in aliorum vergunt præiudicium, quales sunt Litteræ moratoriæ, cur non æque in solis solennibus, quæ moribus saltim sunt recepta.

* Vid. pluribus NIC. MYLERI ab EHRENBACH *Ecologia Ordinum Imperialium.*

† B. de LYNCKER *de Super. Territ. p. 32.*

†† BERGERVS *de Iudiciariis Cancellariæ prærogatiuis* §. *XV.* eiusmodi dispensationes ratione subditorum valere ait etiam extra Territorium, non æque ratione extraneorum. In ELECTIS I. P. *Tom. IX. pag. 573.* reperitur Exemplum legitimationis a Duce Vinariensi exercitæ.

††† GRIBNERVS *de Iure restituendi famam Principum Imperii.*

†††† SCHVVEDER *p. spec. sect. II. cap. XIV.* §. 4.

§. LXV.

Alterum Ius gratiosum consistit in concessione Immunitatum, & confirmatione certorum Iurium. Huc referendum

dum potiſſimum eſt *Ius Dandi Ciuitatem*, *Stadt-Recht zu geben.* Primis quidem temporibus hoc inter Reſeruata Imp. fuiſſe, extra dubium eſt, nec ante Sueuicorum Imp. tempora Exemplum reperiemus, quod Ciuitatis Iura ſine Priuilegio Impp. fuerint conceſſa. Sub Sueuicis vero Impp. ab vtraque parte extant Exempla. * Hinc Reinoldus I. Gelriæ Comes ſub Henrico VII. Imp. teſtatur communi conſenſu concluſum eſſe, nullum Principem oppido cuidam Iura poſſe concedere, ſine expreſſo conſenſu Regis, ** Ludouicus Bauarus Imp. an. 1324. Godfrido Comiti Saynenſi conceſſit Fridewaldum in oppidum extruendi, quod paria Iura cum Ciuitate Noribergenſi haberet. *** Idem Imp. a. 1328. Friderico Burggrauio Noribergenſi indulſit Ciuitatem munitam in Grundelach condendi. **** Carolus IV. Imp. Gerlaco Moguntino a. 1356. conceſſit villam Gerensheim, Nidernhall & Haſelam oppida facere. ***** Idem de Laichinga a. 1364. Würtenbergenſibus Comitibus permiſit, ****** vt plura Exempla alia conceſſorum ab Impp. Ciuitatis Iurium taceamus. ******* Hinc etiam cum Albertus, Comes Mansfeldicus vico cuidam prope Islebiam Ius Ciuitatis dare vellet, inhibuit illud ſingulari mandato Maximilianus I. † E contrario reperiuntur Exempla Ciuitatum a Ducibus Germaniæ conſtitutarum. Henricus Leo Lubecenſibus monetam, teloneum & Iura Ciuitatis honeſtiſſima dedit. †† Otto Dux Meraniæ forum Inſpruck an. 1234. Iure ac Priuilegio donauit. ††† Otto, Haſſiæ Landgrauius oppidum Gieſſen anno 1325. Iure Ciuitatis donauit. †††† Fridericus, Epiſcopus Caminenſis oppido Bublitz Ius Ciuitatis dedit. ††††† Scilicet, tota res redibat ad potentiam. Potentiores enim hoc Ius ſibi adſerebant, Epiſcopi vero atque Comites, qui tardius Superioritatem conſecuti, hoc Ius ab Imp. petierunt. Hodi-

erno vero tempore liberius hoc Ius Status exercuerunt. Exemplum præbet Franckenthalia in Palatinatu, Freudenstadtum Ducatus Würtenbergici, Erlanga Marchionatus Baruthini, Suburbia Berolinensia, Ciuitate donata, & quam haud ita pridem Rex Borussiæ ex pago Lützelburg Ciuitatem Charlottoburgum fecit. Iulius, Dux Brunsuicensis Suburbia Guelferbyti ex Iure Superioritatis †††††† Ciuitate donauit, sub nomine Heinrichstadt, licet ex superfluo confirmationem a Rudolpho II. peteret, quam etiam singulari Diplomate obtinuit. Nec defuerunt Comites, qui Iura Ciuitatis concesserunt. Exercuerunt illud Comites Lippienses, & Comes Hanouicus in vrbe sua Neu-Hanau. * Si quis tamen locus in præiudicium vrbis vicinæ ciuitate donetur, querelæ locus est. **

* Supra *cap. XI.* §. *XXXIV.*

** In Charta ad a. 1312. apud PONTANVM Hist. Gelr. lib. VI. *anno Domini millesimo trecentesimo decimo feria sexta ante natiuitatem beatæ Virginis excellentissimo Principe Domino Henrico Romanorum Rege in Spira pro tribunali sedente, in communi sententia per Principes, videlicet venerabiles Coloniensem atque Moguntinensem archiepiscopos &c. quæsitum obtentumque fuisse, quod nullus Princeps aut Dominus possit alicui oppido vel concedere aliquas libertates, vel priuilegiare aliqua oppida absque manu & expresso consensu Regis, in cuius Regno Dominium ipsius Domini situm existit.*

*** LVNIG Spicil. Secul. Tom. II. p. 986. *locum dictum Friedewald eidem pertinentem, libertamus & concedimus, vt in ipso oppidum possit extruere, & eundem munire murorum ambitu & fossatis, cui ipsas libertates & Iura donamus, sicut nostrum regale oppidum Franckenfurt habet & habuit ex antiquo.*

**** LVNIG *p. spec. III. Theil. p. 297.*

***** Extat Priuilegium apud LVNIGIVM *Spicil. Eccles. Cont. I. Theils p. 54.*

****** Ex-

****** Extat Diploma apud LVNIGIVM *Fortsetzung der II. Continuat. p. 679.*

******* Plura Exempla habet LIMNÆVS *lib. II. c. IX. §. 128.* HERTIVS *de Superioritate Territ. §. XVIII.* SCHOTTELIVS *von unterschiedenen Rechten c. XI. p. 311.* & THOMASIVS *de Iure Statuum Imperii danda ciuitatis §. XLIII. sqq.*

† SCHOTTELIVS *c. l.*

†† HELMOLDVS *lib. I. Chron. Slau. c. LXXXVI.* KRANTZIVS *Sax. lib. VI. c. XXVI.*

††† VVIG. HVND *Metrop. Salisb. Tom. I. p. 447.*

†††† HERTIVS *c. l.*

††††† RANGO *Pomerania Diplomatica p. 206.*

†††††† Ita in Litteris Iulii, Ducis ad Imp. apud SCHOTTELIVM p. 319. *und ob ich wohl in dem, als der Landes-Fürst so wohl wie andere Chur- und Fürsten eines solchen vor mich machtig und befuget bin, mir das auch auf den meinen niemands zu wehren oder zu sperren hat &c.*

* RANGO *p. 212.*

** Exemplum adducit SCHOTTELIVS *p. 323.*

§. LXVI.

Huc facit etiam *Asyli constitutio.* Asylum aliud est vniuersale Imperii, aliud prouinciale. Ius Asylum Vniuersale Imperii constituendi competit Imperatori & Imperio. Tale Priuilegium habet Reutlinga, Ciuitas Imperialis Circuli Sueuici, quæ Asylum præbet in Homicidiis culposis. * Asylum vero prouinciale, etiam Dominus Territorii poterit constituere. Exemplum habemus in Friderico IV. Electore Palatino, qui Manheimii tale Asylum constituit, & in Friderico, Duce Würtenbergensi, qui Freudenstadto, vrbi municipali talem concessit immunitatem. ** Hæc autem inter vtraque Asyla est differentia, quod Asylo vniuersali vti possint

omnes, quotquot in Imperio viuunt: Asyla prouincialia subditis saltim præbent securitatem, cum Legibus Imperii toties prohibeatur, ne quis alterius subditos delinquentes detineat. Tale vero Asylum Homicidas non a pœna reddit immunes, sed hoc saltim operatur, vt quis sine carcere caussam suam possit dicere, licet etiam præstita prius ab actore cautione & certis præuiis requisitis, reus possit incarcerari. ***

* KNIPSCHILD *de Iure Ciuit. Imper. lib. III. c. XLIV. §. 24. sqq.*
** VITRIARIVS *Inst. I. P. lib. III. Tit. XVII. §. 78.*
*** RITTERSHVSIVS & MYLERVS ab EHRENBACH *de Iure Asyli.*

§. LXVII.

Quartum Ius Gratiosum consistit in *Iure Academias atque Gymnasia instituendi*, quod vigore Superioritatis Territorialis, omnibus competit Statibus. Scilicet, Professores libere constituunt, qui Corpus Academicum conficiant, & Iurisdictione vtuntur peculiari. Hi Ciues recipiunt, Collegia aperiunt, atque omnia peragunt, quæ alias in Academiis fieri solent, excepta Graduum Academicorum collatione, quæ ad Reseruata spectat Imp. * Ex hac ratione, vt plena sint Iura Academica, Priuilegia ab Imp. petuntur. Quintum Ius gratiosum consistit in *Concessione Iuris Nundinarum* minus solennium *Iahrmærckte zu halten.* ** Licet Status iisdem eadem in Territorio suo concedere possint Priuilegia, quæ Nundinæ solennes habent in Imperio.

* *cap. XI. §. XXIII.*
** *cap. XII. §. XIX.* HERTIVS tamen *de Super. Territ.* §. *XXI.* Notis diuersa Exempla adducit, quod etiam Impp. oppidis concesserit Nundinas minus solennes.

§. LXIIX.

Sextum Ius gratiosum Statuum in eo consistit, vt Princeps

ceps libere possit concedere *Priuilegia*, quæ effectum habeant per concedentis Territorium, ni modo vergant in perniciem Reip. Quod si vero Imp. & Principis Priuilegia sibi inuicem aduersentur, disquirendum, quodnam præualeat. Distinguendum hic est, an Priuilegium sit concessiuum, an vero prohibitiuum. Concessiuum Priuilegium Imp. simul cum Status Priuilegio in concedentis Territorio stare potest. Prohibitiuum vero Imp. in Territorio illius Status, qui contrarium concessit Priuilegium, non valet. * Exemplum in priuilegiis de libris, quod si aliquis ab Imp. Priuilegium de certo Libro adeptus, ne ab alio imprimatur, Elector vero Saxoniæ alii de eodem Libro priuilegium concesserit, Imp. Priuilegium valebit in Imperio quidem, non vero in Electoratu Saxonico, in quo Saxonis saltim Priuilegium viget. Sic etiam Status in Territorio suo Collegiis & Societatibus Opificum Priuilegia concedunt, quæ etiam confirmationes iurium suorum a Dominis Territorii petere tenentur.

* Vide supra *cap. XII.* §. *I.*

§. LXIX.

Demum ad Iura gratiosa Statuum referendum est *Ius conferendi Dignitates*. Hoc quidem certum est, Principes atque Status Consiliariis suis, Ministris Aulæ, atque aliis, certas Prærogatiuas, certa Iura & dignitates posse concedere. Dignitates etiam quasdam Feudi Iure concedere, prout Principes quidam suos habent Officiales Hæreditarios feudi lege constitutos. * Sed, de eo disceptatur, an etiam Nobilis dignitatem possint conferre. Plures quidem sunt, quorum sententias collegit COCCEIVS, ** qui Principibus hoc Ius nobilitandi tribuunt, non æque Comitibus atque Baronibus. Verum, licet non negemus, Austriæ Archi-Ducibus atque Ele-

ctoribus Palatinis hoc Ius ex speciali Priuilegio ab Impp. concesso, competere; *** Leopoldus etiam Imp. Christiano Guilielmo, Principi Schwartzburgico concessit Ius creandi Equites Imperii, Comites Palatinos, & legitimandi Nobilium spurios: † Exinde tamen ad singulos argumentari minime licebit. Et licet facile concedamus, Status subditis suis posse iniungere, vt eos, quos Nobiles crearunt, pro talibus agnoscant, nemo tamen exterorum ad idem obligabitur, cum hoc saltim summæ sit potestatis. Quod si vero Imp. Nobilitatem, vel alias dignitates conferat, hoc Iuri Territoriali Statuum minime debet obesse. †† Hinc etiam Rex Borussiæ a subditis suis contendit, vt si Nobilitatem ab Imp. adepti, Diploma suum exhibeant, quo in Matriculam Nobilium referantur. Hoc tamen sæpius reperimus quod Status Imperii ante vel post Proelium, quosdam Nobiles Equites creauerint, ††† prout Fridericus Placidus, Saxoniæ Elector post victoriam de Hussitis an. 1438. partam, plures Equites creauit. †††† Fridericus Salisburgensis Episcopus ante proelium ad Müldorfium an. 1422. diuersos Equites creauit. ††††† Balduinus Treuirensis Archiepiscopus tempore proelii Eslingensis, Ioannem Bohemiæ Regem fecit militem. ††††††

* Vid. de hoc NIC. MYLERI ab EHRENBACH *Hyparchologia.* Add. BÖHMERI *Diss. de Iure Principis circa dimissionem Ministrorum.*

** Diss. *de potestate Statuum circa dignitates*, quem secutus IO. FRID. STROPPANEGER Differt. *de potestate Electorum & Principum Imperii circa Ius Nobilitatis subditis suis conferendi, Lipsiæ 1707. 4.* Plures adlegat FRITZIVS *de Nobilitate concl. VII.*

*** Prout diximus *cap. XI. §. XIII.*

† Priuilegium exhibet TENTZEL *monathl. Vnterredungen ad a. 1694 p. 599.*

†† CAPIT. LEOPOLDI *art. XLIV.*

††† Pe-

††† FELIX MALLEOLVS de Nobilit. & Rustic. c. XV. *solens etiam iuxta Legem Saxonum, quam confirmat vsus regnorum omnium prædictorum sacro Romano Imperio subiectorum, Principes & Duces & Capitanei, similiter & Magistri militum aut Rectores exercitus in apparatibus bellum siue pugnam præliorum immediate, indubitanter quoque præcedentibus, aut in bellorum siue pugnarum aciebus viros strenuosque bellatores fide probitateque probatos in Milites indubitanter solenniter creare & insignire, & creatos seu insignatos docta quadam verborum forma publice patenter altaque voce pronuntiare.* OBS. HALENS. *Tom. II. Obs. IV. §. IV.*

†††† Longum horum Catalogum nectit ANT. WECKIVS *Beschr. Dresden p. 120.*

††††† HVNDIVS *Metrop. Salisburg.* p. 13. *Militauerunt sub Friderico Episcopo, Nobiles sequentes, quos pridie illius prælii ense stricto ter in caput percussos, vt animosiores redderet, Equites Auratos designauit, vulgo zu Ritter geschlagen.*

†††††† GESTA BALDVINI *lib. III. cap. II.*

§. LXX.

Ad Iura Statuum Cameralia spectant omnia ea, quæ vel ad Domania & Commercia faciunt, vel, e quibus ipsis aliqua emolumenta obueniunt, licet quandoque etiam ad Politiam Prouinciæ insimul conducant. Huc refertur *Ius cudendi Monetam*, quod sensim, vel ex priuilegio Imp. vel ex præscriptione Principes Imperii adquisiuisse, supra iamdum demonstrauimus.* Factum id iamdum Seculo XIII. quo Henricum Bauariæ Ducem de Moneta disposuisse Historiæ ** nos docent. Hoc tamẽ Ius Statibus aliter non, nisi secundum Leges Imperii competit. † Nec omnibus competit, sed iis saltim, qui illud speciali priuilegio vel præscriptione fuerint adepti, ideoque non semper adnexum est Superioritatis Territorialis. ††

* Vide supra *cap. XII. §. XXXIV.*

** CHRON. AVGVST. ad a. 1255. *Hainricus itaque Dux cum Alberto*

to Episcopo Ratisbonensi plene concordans, monetam Lantshutensem, quam pater suus fabricari iusserat, cassauit, & innouatam Monetam Ratisponensium denariorum dari, sicut prius per suum districtum permisit & praecepit. HERTIVS *de Super. Territ. c. XX.*

† Supra *cap. XXIII.* §. *XL.*

†† CAPIT. LEOPOLDI *art. XXXIV.* CAROLINA *art. IX.* Licet THVANVS *lib. CXXXIII. p. 1160.* illud *vocet principale Supremi Dominii Sigillum.*

§. LXXI.

Huc facit *Ius circa Vias, auf denen Heer-Strassen*, quae in alicuius sunt Territorio. Hinc, si quis cum milite per alterius Territorium transire velit, veniam ab eodem debet impetrare. † Ex eodem Iure sequitur *Ius conducendi*, quod omnibus, qui illud petunt, per Territorium suum concedere debent Status, & quidem vel per Litteras, *ein schrifftlich Geleit*, vel si necessitas ita postulet, per Milites, *durch Geleits-Reuter*, quod vocatur *persœnlich Geleit*, & quidem certo accepto pretio, quantum vsus fert, transeuntes securos reddunt, atque si damnum a praedonibus acceperint, illud resarcire tenentur, modo spoliatus non a via regia discesserit. †† Hoc Ius Territoriale saltim est, exercet tamen illud Elector Palatinus ex pacto vel praescriptione etiam in alieno Territorio. ††† Marchio Badensis exercet per Territorium Palatinatus vsque ad Brethemum, Dux Würtenbergensis per Vrbem Imperialem Gemundam. †††† Huic adnexum est *Ius indagandi, prosequendi & conquirendi securitatis publicae Infestatores*, quod fit per certos equites, emissarios & vocatur *das Strassen-Bereuten.* Aliud est Saluus Conductus de securitate in Iudicio se sistendi, qui etiam ab illis concedi potest, qui merum Imperium habent. *

† R. I. Augustae *de a. 1555.* §. *40.*

†† R. I.

†† R. I. Augustæ *de a. 1548.* §. 20. R. I. Augustæ *de a. 1555.* §. 54. HERTIVS *de Super. Territ.* §. XXII.

††† *Diss. XVII.* §. *XXIV.*

†††† STRAVCH *Controu. illust. diss. XI.* §. 2. Vide supra §. *VI.*

* MÜLLER *Friderico, I. Vorst. c. VII.* §. *XXVIII.*

§. LXXII.

Tertium consistit in *Iure Postarum*, quod ad Statuum quoque Iura Territorii est referendum. Olim quidem ordinarias postas ignorabat Germania nostra, vsque dum Franciscus Taxius Maximiliano I. Cæsari demonstraret, qua ratione postæ per Germaniam possint constitui, ideoque præfecturam postarum ab eodem in feudum accepit, * neque tamen adhuc ordinatæ dum postæ Germaniæ. Prima eiusdem fundamenta reperimus in R. I. Noribergæ de a. 1522. ** vbi ad promouenda Imperii negotia Posta inter Noribergam & Viennam decernitur. Sic etiam in R. I. Spirensi an. 1542. *** de posta Imperii, communi consensu concluditur. Inde Lamoralus de Taxis & huius successores, Postas, durante Bello tricennali, magis ordinarunt, **** atque in R. I. Ratisbonensi de a. 1641. ***** fuit decretum, vt præfectura postarum generalis in esse suo conseruetur, quod etiam in Capitulatione Leopoldina atque Iosephina † continetur, saluo Iure Comitis de Paar in Prouinciis Austriacis, ex Priuilegio Ferdinandi II. 1624. concesso.

* WAGENSEIL *de summis Officialibus cap. III.* §. *3. p. 14.*

** §. *5.*

*** §. *45.*

**** Quis Status olim Postarum in Imperio, ex singulari Relatione patet, quam AHASV. FRITSCHIVS inseruit *Electis I. P. cap. XI.*

***** §. *93.*

† CAPIT. LEOPOLDI *art. XXXV.* IOSEPHI *art. XXXIV.* CAROLINA *art. XXIX.*

§. LXXIII.

Dum autem sub medium superioris Seculi Status potentiores in Terris suis postas instituerent, quæ etiam ex pacto, vicinorum Territoria insimul transirent, desuper conquestus fuit Taxius.* Caussam hanc ad Collegium Electorale deferebat Imp. huiusque consilium petebat. Verum, Electorum Consilium a. 1641. eo vergebat, Statibus Imperii minora Iura haut esse, quam Austriæ Archi-Ducibus, qui Postas suas constituerint, hæreditarias, de iisdemque Comites de Paar inuestiuerint, ita, vt Taxiis in illis nihil plane sit Iuris, quin potius Taxiorum Inuestitura sine Statuum præiudicio sit intelligenda, quibus hoc Postarum Ius ex Iure Territorii minime sit denegandum. Hoc etiam Consilium in Capitulatione Leopoldina ** fuit confirmatum, licet Status in Monitis suis ad eandem vrserint, vt ipsis hoc Ius confirmaretur. Dum de Proiecto Capitulationis perpetuæ ageretur, caput hocce ad vlteriorem deliberationem differebatur. Ast, in Capitulatione Carolina *** Placitum illud Electorale confirmatur, vsque dum ab Imperio aliud quid fuerit definitum, saluo nihilominus Iure Taxiorum & Comitis de Paar.

* Plures de hac controuersia pro & contra scripserunt, quos recensuimus in Bibliotheca Iuris *cap. XIV. p. 70.* quibus addi possunt *Miscellanea & Collectanea Iuris Publici curiosa de Regali Postarum Iure, per* CHRIST. LEONHARDI, *Lipsiæ 1710. f.* SAMVEL COCCEIVS *de Regali Postarum Iure*, qui potissimum exposuit, quid circa personas & res Postarum sit Iuris.

** *art. XXXV.* IOSEPHINA *art. XXXIV.*

*** *art. XXIX.*

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Licet autem Status hoc Ius hodie exerceant, habet tamen adhuc Imp. postarum Iura per vniuersum Imperium, eademque per Comitem de Taxis exercet etiam in Territoriis Statuum, constitutis cursoribus, *die reutende Posten:* cautum tamen in Capitulatione Iosephina, * ne aliis quam subditis Imperii præfectura postarum committatur. Statuum vero Postæ vel per Cursores, vel per Rhedas instituuntur, *reutende und fahrende Posten.* Et cum Status quidam minores, Ciuitates etiam Imperiales ob Territorium non adeo amplum, hac facultate destituantur, in iisdem potissimum Stationes suas Postarum habent Taxii, constitutis certis Postarum præfectis. Habent tamen Status etiam suas Postas ex pacto in certis ciuitatibus, prout Postæ Brandenburgicæ Hamburgi atque Noribergæ testantur.

* *Art. XXXIV.*

§. LXXV.

In plerisque Ciuitatibus Imperialibus ab antiquo fuerunt Tabellarii *die Stadt-Boten,* qui partim ad vsum Mercatorum, partim ad vsum Ciuium suorum in diuersis Academiis viuentium, introducti. Hos æque abrogari voluerunt Taxii, sed ex Priuilegio Rudolphi II. Ferdinandi II. III. & Leopoldi hoc Ius ipsis speciatim fuit confirmatum, * ita tamen, vt non vterentur Signis Cursorum, *Post-Hærner.* ** Hinc etiam, non obstante Taxiorum protestatione, Noribergenses a. 1705. nouam Postam vectoriam instituerunt.

* Priuilegia hæc extant in THVCELII *Electis I. P. cap. XI.*

** HERTIVS *de Superior. Territ.* §. 23. Vid. etiam COCCEII *Diss. de Tabellariis, von Boten, Heidelbergæ 1682. 4.*

§. LXXVI.

Ad Iura Fiſcalia ſpectant Principis Domania, quæ olim Impp. erant, atque Ducibus & Comitibus ſaltim loco Salarii ad vſumfructum concedebantur.* Poſtquam vero iſti propriam atque hæreditariam adquiſiuerunt poteſtatem, ipſorum propria facta fuerunt atque patrimonialia, quibus libere vtuntur ad conſeruandam Principis dignitatem. Confirmantur hæc Fiſci Iura etiam per Capitulationes, ** ita, vt etiam Bona Proſcriptorum Imperii Dominis Territorii adiudicentur. *** Habent in iisdem omnia Iura Regalia, Ius Fluminum publicorum, **** & quod huic eſt connexum, Ius Grutiæ, *das Floß-Recht*, ***** Ius Pontium, piſcandi & Molendinorum, ****** Ius Metallifodinarum & Salinarum, † Ius Theſauri, Ius Foreſtale, cum Banno ferino, *der Wild-Bahn*, †† perceptionem Vectigalium, ††† recipiendi Iudæos †††† & quidquid alias ex Terris peti poteſt emolumenti, quæ vel ipſi exercent, vel Vaſallos ſuos de iisdem inueſtiunt, eademque quandoque Magiſtratibus Inferioribus concedunt. Principum igitur hæc Iura ſunt atque Statuum Imperii in Terris ſuis niſi in quantum illa Vaſallis, & Magiſtratibus Inferioribus fuerint conceſſa, vel ab iisdem vſu atque præſcriptione adquiſita. †††††

* Supra *cap. XIX. §. V.*

** CAPIT. LEOPOLDI *art. XXVII.* IOSEPHI *art. XXVI.* CAROLINA *art. XXI. denen mit den Iuribus Fiſci belehnten, oder dieſelbe ſonſten durch beſtændiges Herbringen habenden Churfürſten, Fürſten und Stænden, unter welcher Obrigkeitlicher Bothmæſſigkeit ſie gelegen, nicht entziehen, ſondern die Landes-Obrigkeiten, oder Dominos Territorii mit deren Confiſcirung gewehren laſſen.*

*** Hoc tamen iamdum ab antiquo obtinuit, prout tradit DODECHINVS App. Mariani Scoti Chron. ad a. 1125. *Rege* (Lothario) *apud Ratisbonam in Conuentu inquirente, prædia Iudicio proſcriptorum a*

Rege

Rege, si iuste forisfactoribus abiudicata fuerint, vel pro his quæ Regna attinent, commutata, verum cedant ditioni Regiminis vel proprietati Regis iudicatum, potius regiminis subiacere ditioni, quam Regis proprietati.

**** Huc facit AHASV. FRITSCHII *Ius Fluuiaticum.* FRANC. STYPMANNI *Ius Maritimum.*

***** FRITSCHIVS *de Iure Grutia.*

****** ANT. HERING *de Iure Molendinorum.*

† IO. EISENHARD *de regali Metallifodinarum Iure.* L. B. de LYNCKER *de Iure Minerarum.*

†† FRITSCHII *Ius Venatorio-Forestale.* Qua ratione Impp. olim Principes de hoc Iure inuestiuerint, testatur HERTIVS *de Super. Territ.* §. *XLVIII.* LINDENSPÜR *de Imper. & Famil. Orig. mutat. c. XXXI.*

††† Supra *cap. XII.* §. *XXV.*

†††† Supra *cap. X.* §. *VIII.*

††††† Hæc Domaniorum Iura exposita videmus in diuersis Scriptis, Consiliis, atque Deductionibus, quæ in *Corpore Iuris Domanialis* collegit CHRISTOPH FRIESE. Videri etiam potest THOMASII Diss. *de Regalibus Fisci Principum Germaniæ circa acquisitionem Præcipua*, exhibens *Halæ 1713. 4.* qua etiam Iura Fisci expenduntur. De singulis hisce Fisci Iuribus, qua ratione Statibus Imperii obuenerint, vberius HERTIVS *de Super. Territ.* §. *XLVI. sqq.*

§. LXXVII.

Præcipuum inter Iura Fiscalia est Ius Collectarum, *Land-Steuren anzulegen*, quas Subditi vel de Bonis suis, vel etiam de negotiatione *Gewerbe-Steuren;* vel tanquam capitis censum, *Kopff-Steuer*, vel de pecore, alimentis, victus atque potus necessariis, *Vieh-Steuern, Fleisch-Steuern, Tranck-Steuern, Accise* soluere tenentur:* licet ad singulas eiusmodi Collectas indicendas, Statuum Prouincialium Consensus requiratur. Hoc Ius in Principum necessitatibus cum Statuum Prouincialium consensu Collectas indicendi in diuersis

Germaniæ Prouinciis iamdum ab antiquo obtinuit, prout teſtantur Hiſtoriæ,** licet tunc admodum fuerint moderatæ. Quare etiam Scriptores I. P. adſerere non dubitant, Ius conſentiendi in Tributa, vna cum voto negatiuo, etiam Tributa indicta diſtribuendi, Statibus Prouincialibus competere. *** Collectas vero Imperii Status ex Domaniis ſuis præſtabant, vsque dum per Receſſum Imperii Noribergenſem de an. 1543. Statibus fuerit conceſſum, vt ipſorum Domania plane eſſent exempta, atq; onera Imperii ſaltim a ſuis ſubditis exigerent.**** Confirmatum illud poſtmodũ fuit per Receſſum Imperii Auguſtanum de a. 1548. ***** Extenſa hæc ob connexionem fuerunt ad præſtationes Circuli, & Collectas Camerales *die Cammer-Zieler*. Senſim Status Imperii cœperunt Collectas ad rem militarem & defenſionem a Statibus Prouincialibus poſtulare, atque hac occaſione onera quæ ad legendum, conſeruandumue militem, fortalitia & horum defenſionem, immo, vniuerſum Ius Armandiæ pertinent, in ſubditos deuoluere, id quod etiam per Receſſum Imperii Nouiſſimum ****** & per Capitulationes † recentiores fuit confirmatum, per quas Statibus Prouincialibus diſpoſitio circa Collectas Imperiales denegatur. Dum autem Status Imperii extenſionem dicti Paragraphi Receſſus Imperii nouiſſimi peterent ad ſingulos caſus, Leopoldus Imp. conſentire noluit.†† Eadẽ eſt ratio cum impenſis ad Legationes neceſſariis, quæ Status Prouinciales olim denegabant, vsque dum per Decretum Leopoldi Imp. de a. 1670. illæ decernerentur.††† Licet autẽ ſingula hæc Legibus Imperii fuerint definita, extenduntur tamen nimium. Hinc in cauſſa Megapolitana diſputatum nuper fuit, an Status Imperii Pactis anteceſſorum teneantur, dum Status Prouinciales in Ducatu Megapolitano per Pacta cum Anteceſſoribus ad certum ſaltim quantum eſſent obligati? †††† an Status prouinciales ad ſuſtentandum militem, vltra quam prouinciæ conueniret, teneantur, dum

dum in vtroque Status Prouinciales Megapolitani se opponerent, atque desuper Decretum a Iudicio Aulico obtinerent. Plura etiam sensim inter Prouinciæ onera fuerunt destinata, vtpote ea, quæ ad militem Prouincialem, *den Landausschuß*, faciunt, Salaria Consiliariorum, impensæ Transitus militaris, in Arces, ædificia publica, aggeres, vias publicas, pontes, aquæductus, Dotationes filiarum illustrium *die Frauleins-Steuer*, ad soluendum æs alienum Principis, donaria in matrimonium, natiuitatem vel itinera Principis Iuuentutis. Ex hisce Onera Prouinciis subnata fuerunt prægrauia. In Episcopatu Würtzburgensi Status Prouinciales vltra Collectas Imperii atque Circuli obligari nolunt, licet ab Imp. Leopoldo an. 1690. decretum fuerit, Impensas etiam ad alendum militem, quem Episcopus ex fœdere cum Imp. debebat, ex Prouincia præstandas. †††††

* Facit huc FRIDERICI GERDESII *Diss. de Collectis & Contributionibus Imperii ac Prouinciarum, Gryphiswaldiæ 1681. 4.*

** Vocabantur Precariæ. AVBERTVS MIRÆVS Diplom. Belg. lib. I. n. 84. *homines Terræ Brabanticæ sint sine tallia, exactione & precaria.* In Priuilegio a Friderico II. Imp. Viennensi Ciuitati dato, apud PETRVM LAMBECIVM *Bibl. Cæsar.* lib. II. cap. V. p. 79. *nullus Iudex nulla vel alicuius successoris nostri, vel sua præsumat auctoritate, taliamque seu precariam in prædictos ciues facere nisi quod & quantum dare valuerint de spontanea voluntate.* Exinde etiam dicitur *Bethe*, quasi vltimæ preces, quia has Collectas Principes a Statibus suis petebant; vel *Vhrbeden*, quæ ex Curia quotannis præstabantur. Hæc vberius exposuit BECMANN *Anhalt Historie p. IV. c. IX. §. II.* & RHETIVS *diss de Orbeda.* Licet etiam iam Seculo XIII. vox *Steuern*, vsitata, quæ occurrunt in Diplomate Rudolphi Palatini Tubingensis de a. 1267. inter BESOLDI *Docum. Würtenberg. p. 918. ab exactione Collectarum, quod vulgo Stiora dicitur.* NAVCLERVS Vol. II. Gen. XLIX. p. 1078. *Mos est Australibus, quoties repentina principi necessitas ingruit, ex subditis pro modo facultatum pecuniam exi-*

exigere, permissu tamen prouincialium, conuocantur pro veteri consuetudine quatuor Status, Sacerdotes, Barones, Nobiles, Ciuitates: ibi Comes præsente rege necessariam fore pecuniam suscipiendam, hortatur, annuant. GERH. a ROO *lib. II. Ann. p. 63.* de Rudolpho Palatino: *mox vti æs alienum exolueret, pecuarium censum, quem vulgo Klosteuram, id est singularem exactionem vocant, rem antehac insitatam indicit.*

*** LVD. HVGO *de Statu Reg. Germaniæ cap. III. §. XXX.* MEVIVS *p. III. Dec. CCXVI.* HENNIGES *ad Capit. Iosephi p. 80.* L. B. de LYNCKER *de Grauam. Extraiudic. cap. IV. §. IV. n. 7.* KLEIN *de Inobed. impuni c. IV. §. XIV.* COLLECT. MECKLENB. *fasc. I. p. 111.*

**** Vide supra *c. XXIII. §. XXXVIII.*

***** §. 102. *Zudem, daß ein iede ordentliche Obrigkeit, wie Herkommen und recht ist, ihre Vnterthanen, Geistliche und Weltliche, exempt und nicht exempt, gefreyt und nicht gefreyt, niemand ausgenommen, derhalben belegen mœge, und die Vnterthanen hierin zu gehorsamen schuldig seyn sollen, welche aber nicht hœher noch weiter angelegt, noch beschwert werden sollen, dann als hoch sich eines ieden Stands Anschlag erstrecken.*

****** §. 180. *sonderlich aber sollen iedes Churfürsten und Standes-Landsassen, Vnterthanen und Bürger zu Besetz- und Erhaltung der einem oder andern Reichs-Stand zugehœrigen nœthigen Vestungen, Platzen und Guarnisonen ihren Landsfürsten, Herrschafften und Obern mit hülfflichen Beytrag gehorsamlich an Hand zu geben schuldig seyn.*

† CAPIT. LEOPOLDI & IOSEPHI *art. III.* CAROLI VI. *art. XV. auch nicht gut heissen oder zugeben, daß die Land-Stænde die Disposition über die Land-Steuern, deren Empfang, Ausgab- und Rechnungs-Recessirung, mit Ausschliessung des Landes-Herren priuatiue vor und an sich ziehen, oder in dergleichen und andern Sachen, ohne der Landes-Fürsten Vorwissen und Bewilligung Conuente anstellen, oder wider des iüngsten Reichs-Abschieds ausdrückliche Verordnung, sich des Beytrags, womit iedes Churfürsten, Fürsten und Standes Landsassen und Vnterthanen zu Besetz- und Erhaltung derer einem und andern Reichs-Stand zugehœriger nœthiger Vestungen, Pletze und Guarnisonen, wie auch*

auch zu Unsers und des Heil, Reichs Cammer-Gerichts Unterhalt an Hand zu geben schuldig seyn, zur Ungebühr entschlagen.

†† Extat Resolutio Cæsarea apud FRITSCHIVM *Addit. ad* LIMNÆVM *lib. IV. c. VII. p. 134.*

††† Pro Subditis facere videbatur R. I. Trevir. de a. 1512. §. 26. §. 26. in quo disponitur: *Nachdem Churfürsten und Fürsten, geistlich und weltlich, auch Grafen und Herren des Heil. Reichs, die Reichs-Tage, wie vor, und nach gemelt, iede Zeit, in eigner Person, oder durch ihre vollmæchtige Bottschafft, auf ihren Kosten ersuchen, auch den Anschlag in ihren Fürstenthumen und Gebieten, einbringen, und allerley Kostens aus ihrem Kammer-Guth darauf wenden, und nicht auf die Unterthanen schlagen sollen.* Rationes in vtramque partem adferuntur in FRITSCHII *Electis I. P. cap. I.* vbi etiam Decretum Cæsareum exhibetur, *daß ein ieder Churfürst und Stand des Reichs, nach Inhalt obangezogenen Reichs-Bedenckens oder Postscripts von seinem Unterthanen zur Reichs-Deputation und Kraiß-Conventen die nœthige Legation-Kosten erheben, und den bevorstehenden Reichs-Abschied unsertalben ein gewisser Passus inseriret werden mœge.* Extat hæc Resolutio Cæsarea etiam apud FABRVM *Tom. I. p. 12.* LVNIGS *Reichs-Archiv p. Gen. p. 657.* Licet hæc ad omnes Legationum sumptus postmodum fuerint extensa.

†††† De hisce Grauaminibus agitur vberius in Collectaneis Mecklenburgicis a. 1717. & 1718. cuius Fasciculi IV. prodierunt.

††††† Extant Conclusa in LONDORPII *Tom. XVII. c. XXI.*

§. LXXVIII.

Præter Superioritatis autem Iura considerandum, ex quibusnam argumentis ad Superioritatem Territorii possit concludi. Exorta nouiter fuit Controuersia, an a Territorio argumentum sumi possit ad Superioritatem, ita, vt qui in Territorio Bona, Feudaq; habeat, etiam sit subditus, homagium præstare teneatur, comparere debeat in Comitiis Prouincialibus Foro Prouinciali sit subiectus. Prius in caussa Electorum Saxoniæ

 con-

contra Comites Schönburgenses in Territorio Saxonico degentes adseruit LVDERVS MENCKENIVS cui se opposuit WENCESLAVS XAVERIVS NEVMANN de PVCHOLTZ ICtus Pragensis * Eodem argumento olim vsi fuerunt Saxonici Ducales contra Waldeccios Comites, dum Tonnensem Dynastiam possiderent, cuius ratione ipsos Landsassios esse adserebant, **hodieque vtuntur contra Principes Schwartzburgicos, *** Hassiæ Landgrauius contra Comites Ritbergios ****Elector Palatinus Marchiones Brandenburgici, Dux Würtenbergicus contra Nobiles Immediatos ipsorum Vasallos. Id quod etiam superius adseruimus, fundatam esse Territorii potestatem contra omnes in eodem viuentes, donec Exemtio demonstretur. † Et si eiusmodi Landsassii in maiorem dignitatem fuerint elati, hoc Iuribus Territorii nullum adferre posse præiudicium Capitulationes nos docent. ††

* Euulgauerat illustris Saxoniæ Iureconsultus, LÜDERVS MENCKENIVS Dissertationem Iuris Publici *de Vi Superioritatis Territorialis in Territoriis Imperii clausis, & discernendo ab eadem Iudicio Feudali, Intuitu Feudi in iisdem siti, Curiæ Domini Directi relinquendo, Lipsiæ 1712.* qua non solum Distinctionem inter Territorium clausum & non clausum inculcat, sed & potissimum illam Regulam firmat: quicunque in Territorio clauso sit Vasallus, præsumatur etiam esse Subditus, idemque euincit ex Iuramento, quod Vasalli æque se deuniciant *gehorsam zu seyn.* Maxime cum mores Prouinciæ vsusque id iubeant. Idemque de Comitibus Schönburgicis magis adhuc firmat, eo quod ad Comitia Prouincialia euocentur, Supremæ Curiæ Prouinciali Lipsiensi, Regimini & Iudicio Adpellationum Dresdensi sint subiecti Mandata contra ipsos ad conseruandam Territorii Superioritatem fuerint decreta, in caussis etiam non Feudalibus contra ipsos iudicatum. Opposuit eidem WENCESLAVS XAVERIVS NEVMANN de PVCHOLTZ *Dissertationes ex Iure Publico & Feudali, de Iurisdictione Feudali & Superioritate Territoriali in subfeudis Imperii tam datis quam*

oblatis

oblatis, *nec non de Natura & Prærogatiuis feudorum regni Boëmiæ*, *Pragæ 1716. 4.* quibus dicta argumenta euertere conatur. Verum opposuit ipsi MENCKENIVS *Dissertationem de Foro Competente Vasallorum simultaneeque inuestitorum*, *Lipsiæ 1716.* Obuiam etiam eidem iuit HENRICVS de BVNAV *in Examine Dissertationum ex Iure Publico & Feudali*, *Lipsiæ 1718. 4.* qua simul in Naturam Superioritatis Territorialis inquirit, & IO. BALTHASAR WERNHER *de probatione Landsassiatus ex situ Terrarum*, *Witteberge 1717. 4.*

** Prodiit hac in caussa *Assertio und Fürstellung der auch in dem hœchstlœblichen Chur- und Fürstlichen Hause Sachsen und desselben Landen von undencklichen Zeiten bestændig und unverrückt gewæhnlich hergebrachten und exercirten Landsasserey*, *und daß die Herren Graffen zu VValdeck*, *welche von dem Fürstlichen Hause Sachsen-Altenburg die Herrschafft Tonna zu Lehen tragen*, *in Krafft und zu Folge des Demselben*, *neben die Lehens-Pflicht*, *zugleich auch geleisteten Iuramenti Subiectionis und Ihrer ausgeantworteten Reversalen*, *vor desselben Landes-Regierung und gesamptem Hoff-Gericht zu Iehna auch in nicht lehenrührigen Persœnlichen und dinglichen Sprüchen in Rechten passiue zu stehen schuldig und verbunden seyn. Altenburg 1665. 4.* vbi illud multis exemplis confirmatur.

*** Facit huc *Deductio Iuris & Facti in Sachen Sachsen-VVeimar und Schwartzburg. Arnstadt 1712. f.*

**** Vide IO. PETRI LVDEWIGII Dissertationem *de primo foro subfeudorum Imperialium in Reichs-Afterlehn*, *Halæ 1715. 4.* in qua ex legibus moribusue Germaniæ atque exemplis demonstrare conatur, eiusmodi Subfeuda non solum in rebus Feudalibus coram Domino suo directo forum sortiri, sed etiam eorum possessores in causis personalibus. Eadem inter Hassiæ Landgrauios atque Waldecciæ Comites est Controuersia, de qua LONDORP *Tom. II. p. 940.* atque cum Busseckiis.

† *Cap. V. §. V.* Vid. etiam HENNIGES *de Super. Territ. §. XIX.* HERTIUS *de Subiect. Territ. §. III.*

†† CAPIT. CAROLINA art. XXII. *So soll auch des ein oder andern unter Churfürsten, Fürsten und Standen des Reichs Gesessenen und Begüterten, dergleichen hœhere Stands-Erhœhung dem Iuri Territoriali nicht nachtheilig seyn, und die ihme zugehœrige und in solchen Landen gelegene Güther, einen als den andern VVeg, unter voriger Landesfürstlichen Iurisdiction verbleiben.*

§. LXXIX.

Nec leuis hodie est Controuersia, an Ius Aduocatiæ Superioritatem inuoluat, in Episcopatus & Monasteria. Quod si ex pacto oriatur Aduocatia, nullum amplius Ius prætendere poterit Aduocatus, quam ipsi ex pacto fuerit concessum, * ex communi Prouerbio, *Schutz und Schirm giebt keine Obrigkeit.* Quod si vero Episcopatus vel Monasteria in Territorio fuerint sita, Aduocatia vel Maiestatica, vel Territorialis locum habet, atque tunc non vt Aduocatus, verum, vt Dominus Territorii ea Iura exercet, quæ ipsi ab antiquo obuenerunt. ** Inualuit ista Controuersia an. 1541. circa Episcopatum Numburgensem, dum Io. Fridericus Elector in Comitiis Imperii singularibus Scriptis exhibitis demonstrare vellet, Saxoniæ Episcopatus, Numburgensem, Merseburgensem atque Misnensem Misniæ Marchionatui & Thuringiæ Landgrauiatui esse quasi coadunatos, ideoque Episcopos ad instar aliorum Statuum in Comitiis Prouincialibus comparuisse, Legibus Prouincialibus se subiecisse, Electores in ipsorum Terris Ius Collectarum & Sequelæ exercuisse. *** Licet Episcopi regererent, se Immediatos esse Imperii Status ad Comitia Imperii olim vocatos, in iisdemque comparuisse, de Terris suis & Regalibus ab Imp. inuestiri, & continuata fuit

hæc

hæc Controuersia ad nostram vsque ætatem. **** Eadem ratione Abbates olim Salfeldenses tanquam Immediati, Iuribus Territorii Saxonici se subducere fuerant conati. †

* Prout etiam vberius declarauit MART. MAGERVS a SCHÖNBERG *de Aduocatia armata cap. X. n. 385. sqq.* HERTIVS *de Spec. Rebuspubl. S. II. §. XXXIV.*

** Extant Scripta apud HORTLEDERVM *lib. V. c. XI.*

*** MEIBOMIVS Orat. de Helmstadto, Opp. Tom. III. p. 227. *aliquando, vbi Ecclesiæ aut Monasteria sita erant in Territoriis Aduocatorum, habebant Aduocati super bona Ecclesiastica & in Ecclesiæ subditos, Ius Territorii, collectandi, Sequelæ, Homagium a subditis exigendi & recipiendi, confiscandi & plura alia quæ potestas superior Aduocatiæ Iureconsultis vocatur.*

**** Extant hac de Controuersia scripta in CASSANDRI THVCELII *Electis I, P. c. VIII.* inque *Fasciculis de Directorio Euangelii, promulgatis.*

† De hoc *im Histor. und Polit. Archiv Tom. II. p. 100.*

§. LXXX.

Dubitatur etiam, an Preces Publicæ argumentum præbeant ad Territorii Iura. Metuebant hoc Erfurtenses, dum post Pacem Westphalicam Moguntinus Elector, vt ipsius in precibus publicis mentio fieret, postularet. * Neque tamen exinde argumentum sumi posse, patet ex eo, quod etiam in Precibus publicis Imp. omnium Regum, Principum Apanagiatorum, *der Erbverbrüderten*, Patroni, Officialium fiat mentio. Quod si vero pro Principe preces dirigantur, *als Landes-Herren*, aliter se res habet, atque ex eo argumentum sumi posse, facile patet. ** Certiora tamen præbent Argumenta ad Superioritatem Territorii Vocatio & Comparitio in Comitiis Prouincialibus, *** Homagium *die Erbhuldigung*, Ius Legum Prouincialium, Collectandi, **** Armandiæ, Sequelæ & quæ sunt similia. *****

* Vid. S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XIII.* BOEHMER *de Iure Precum Publicarum cap. III.*

** Vid. ENGELBRECHT *de Seruit. I. P. sect. II. memb. II. p. 117.*

*** FRITSCHIVS *de Conuentibus Prouinc. cap. IV.* §. *IV.* qui tamen etiam auctor est, eiusmodi comparitionem Subiectionem per se non probare, si fiat cum protestatione ac reseruatione Iuris immedietatis. Quo Iuribus Principum Schwartzburgicorum conatur prospicere qui in Comitiis Prouincialibus Vinariensibus equidem per Deputatum adparent, qui Propositionem audit, inde vero facta protestatione iterum secedit.

**** Hoc potissimum demonstrat MART. MAGERVS A SCHÖNBERG *de Aduocatia Armata cap. X. n. 181.*

***** Vid. L. B. de LYNCKER *Vol. I. Resp. CXCIII.*

§. LXXXI.

Exercent autem Status hanc Superioritatem non libere & priuatiue, vti dicitur, cum etiam ratione Iuris Territorii Legibus Imperii subiiciantur, nec etiam cumulatiue, vt Imp. insimul cum iisdem hæc Iura exerceat, sed subordinate, quatenus Imp. atque Legibus Imperii sunt subiecti. * Nec Superioritas Feudi semper Lege possidetur, ** cum ista non ex Impp. beneficio, sed libero vsu fuerit adquisita, *** per Pacem Westphalicam, **** & Capitulationes ***** confirmata, nisi quod in quorundam Statuum Litteris Inuestituræ insertum sit, vt inuestiantur: *mit aller Regalischen Landes-Fürstlichen Obrigkeit,* ****** tunc demum Feudi lege eandem obtinent. De Iure Sacrorum vero omnino certum est, illud Status Euangelicos proprio Iure exercere, dum nunquam de eodem inuestiantur. †

* Vid. supra *cap. XV.* §. *XXI.* HERTIVS *de Super. Territ.* §. *LXVIII. seqq.*

** Prout ITTERVS statuit de Feudis Imperii *cap. VIII. p. 193.*

*** Prout superius iamdum adseruimus §. *XV.* & ex I. P. art. X. §. XXX.

XXX. patet: *Cum eiusmodi Statibus Immediatis cum Iure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus vsitata praxi etiam Ius Reformandi Exercitium Religionis competat.*

**** I. P. art. VIII. §. I. *omnes & singuli Electores, Principes & Status Imperii Romani in antiquis suis Iuribus, praerogatiuis, libertate, priuilegiis libero Iuris Territorialis tam in ecclesiasticis, quam politicis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium possessione, vigore huius transactionis ita stabiliti firmatique sunto.*

***** LEOPOLDINA, IOSEPHINA art. III. CAROLINA art. I. Idem adserit EYBEN *Electis Feudalibus cap. VI. §. VII.*

****** Vide supra §. *XV.* LVDOLPH *de Iure Primogeniturae p. spec.* §. *VI. n. 5.*

† I. P. *art. V.* §. *XLVIII.* MYLER ab EHRENBACH *de Principibus Imperii p. I. c. IX.* ALEXANDRI *de Iure allodiali cap. IV. sub initium.* Diss. *de Allodiis Imperii* §. *L.*

§. LXXXII.

Adquiritur haec Territorii Superioritas, diuersis, atque iisdem modis, quibus Territoria Imperii Immediata adquiruntur. Ecclesiastici enim Status eam adquirunt postquam in Archiepiscopatum vel Episcopatum fuerint electi: Seculares vero successione.* Licet etiam per alios modos Superioritas haec possit adquiri, vtpote per Praescriptionem immemorialem,** Alienationem *** vel Dispositionem Testamenti prout videmus in dispositione circa Ius Primogeniturae. Requiritur tamen ad hanc Superioritatis Translationem consensus Imp. tanquam Supremi Capitis Imperii, **** licet etiam Allodiali Lege ista saltim teneatur. Nec Territorio in Feudum oblato, ipsa Territorii Superioritas transfertur, quod peculiarem requirit pactionem, ideoque ista oblatio saltim intelligi debet saluis Iuribus Imperii & Superioritatis, prout videmus in Domo Würtenbergica, dum huius terrae feudū essent Austriacum saluis Iuribus Imperii.***** Nec alienata Regionis parte,

te, oppido, castro, vico, præfectura cum suis Iuribus, non statim intelligitur translata Superioritas, nisi hæc etiam fuerit expressa. †

* Vide supra *cap. XV.* §. *XXII.*

** Negat hoc equidem Referens apud KLOCKIVM *Relat. LXXII. n. 8.* Ast, decernitur ista per R. I. Augustanum de a. 1584. §. 56. & 64. *vbi excemtio in Menschen Gedaechtnüs præscribi* dicitur. In I. P. *art. VIII.* §. *IV.* prouocatur ad Iura longo vsu obtenta & possessa CAPIT. LEOPOLDINA & IOSEPHINA *art. III.* CAROLINA *art. I.* obligatur Imp. Statibus: *sie bey ihren hergebrachten Rechten zu lassen.* HERTIVS *de Super. Territ.* §. *LXI.* HENNIGES *de Superior. Territ.* §. *XX.*

*** HERTIVS *de Super. Territ.* §. *LXIV. LXV.*

**** HERTIVS §. *LXV.*

***** Vide supra *cap. XV.* §. *III.* HERTIVS *c. l.*

† HERTIVS *c. l.*



CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM DE SVCCESSIONE PRINCIPVM ET COMITVM.

§. I.

PRæter Superioritatem Territorialem, ſpeciatim nunc conſideranda ea, quæ ſunt Iuris Principum. Inter hæc locum habet Principum Succeſſio. Hæc vel ex Iure hæreditario fit, vel ex Pacto. Succeſſio vel in Linea deſcendente eſt, vel collaterali. In vtraque peculiaria Iura ſunt Electorum, de quibus iam antea fuit dictum. * Succeſſio Principum vel pro indiuiſo fit, vel ex æquis partibus, vel ex Iure Primogenituræ. Inualuit hoc Ius ab antiquo, quod Legibus deinde atque pactis fuit confirmatum. Teſtantur illud Exempla maiorum Germaniæ Ducatuum, Bauariæ puta, Franconiæ, Saxoniæ, Lotharingiæ atque Alemanniæ, quæ ad Seniorem ſemper fuerunt delatæ, licet maius in iiſdem conferendis olim arbitrium fuerit Impp. immo etiam ſeniores pro indiuiſo reliquos fratres potuerint admittere. Teſtatur illud Conſtitutio Friderici I. ** Ius Saxonicum, *** atque Alemannicum, quæ Ius Primogenituræ apud Germanos firmant. **** Teſtantur etiam Hiſtoriæ. *****

* *Cap. XVI. §. XXIII.*

** II. F. LV. §. 1. *præterea Ducatus, Marchia, Comitatus, de cætero non diuidatur.*

 *** Sa-

*** SACHSEN-SPIEGEL lib. I art. XIV. *es ist allein Leben-Recht, da der Herr nicht weiter leihet denn einem Son seines Vaters Leben.*

**** I. FEVD. ALEMANNIC. c. LX. Vid. pluribus LVDOLPH. *de Iure Primogenituræ p. Gen. aph. XI.* GOLDASTVS *de Senioratu lib. II. cap. XVI.*

***** Quare Fridericus Cocles, Sueuiæ Dux Sec. XII. filium suum cognominem primogenitum successorem destinauerat, de quo OTTO FRISINGENSIS de g. Friderici I. lib. I. c. XXXIX. *inter hæc Fridericus Dux nobilissimus, in Galliæ manens, graui infirmitate detinebatur, acrem in mente contra Dominum & fratrem suum Conradum regem, indignationem gerens, quod filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum, ac nobilissimæ prioris comparis suæ filium vnicum committendo ipsius gratiæ, cum filio suo paruulo, ex secunda vxore totius terræ suæ heredem fecerat, crucem permiserat accipere.* Sic Christina, Henrici V. Cæsaris filia a. 1140. in Senatu Polonico proponebat: *sic in sua Germania, sic apud alias gentes, quæ cultu vitæ, ingeniis & sapientia præcellerunt, moribus atque legibus receptum esse, vt maximus natu in bona paterna succedat, ceteris fratribus paululum aliquid præ manibus dari, vnde viuant,* apud MART. CROMERVM *Rer. Polon. lib. VI. ineunte.*

§. II.

A temporibus vero Seculi vndecimi, crescente Principum potestate, inualuerunt quoque Diuisiones, maxime, si Principes Terras plures vna possiderent. Hæc vero diuisio vel per ipsum patrem per modum paragii facta, vel post mortem patris, æquis vel inæqualibus partibus. In hac vero diuisione hoc potissimum locum habebat, vt Primogenitus Ducatum principalem, reliqui alias Prouincias, Comitatus vel Dynastias obtinerent, vt integra conseruarentur singula Dominia. Prioris exemplum præbet Conradus, Misniæ Marchio, qui an. 1156. incolumi valetudine & consilio maturo adhibito, Wigmanno, antistite Magdeburgico, sororis suæ filio, & Al-

Alberto Marchione Brandenburgico genero, conſentientibus filiis, & ordinibus omnibus comprobantibus, Othonem Marchionem Miſnenſem facit, Ditericum Luſatiæ & Ileburgi, Dedonem Comitem Rochlicii, Henricum Vitini, Fridericum Brenæ. † Huius Exemplum ſecutus Dietericus, Thuringiæ Landgrauius, qui ditiones inter filios, Nobilitatis plebisque conſenſu, viuus diſtribuit. †† Leopoldus Auſtriæ Dux omnes filios ſuos voluit eſſe hæredes. ††† Qua ratione Henricus illuſtris an. 1265. viuus adhuc Terras diuiſerit, docet FABRICIVS. †††† Sic etiam Io. Wilhelmus Saxoniæ Dux a. 1573. inter liberos per Teſtamentum diſpoſuit. ††††† In Domo Palatina inſigne habemus Exemplum Ruperti, Electoris, qui an. 1410. Diſpoſitionem ſeptem arbitris commiſit, * licet Rupertus II. paullo ante Ius Primogenituræ introduxiſſet. ** In Domo Brandenburgica primus ex Burggrauiis Elector inter filios diuiſionem ſuſcepit. ***

† FABRICIVS *Origg. Saxon. lib. V. p. 542.*

†† FABRICIVS *lib. VI. p. 586.*

††† Sic enim iſte in Pactione cum ſorore ſua, Regina Hungariæ, an. 1385. inita, apud IO. CVSPINIANVM Auſtria p. 51. *eſt etiam inter nos proloquutum & ordinatum, quod filius noſter Wilhelmus præſenſentialiter & poſt mortem noſtram, cum aliis noſtris filiis & liberis præſentibus, & tunc relictis, ad iuſtam & hæreditariam portionem omnium noſtrorum patriorum principatuum & dominiorum Ius habeat patrimoniale; & æqualem cum iis portionem habere debeat, iuxta Iura & conſuetudinem Principum.*

†††† *Origg. Saxon. lib. VI. p. 586. ſibi pater retinuit Miſniam, Alberto dedit Thuringiam, Dieterico Oſterlandiam, filiis Elizabetæ certas præfecturas, Friderico Dresdenſem aſſignauit.*

††††† Quod extat apud LVNIGIVM *p. ſpec. p. II. p. 93. Vnd ob Vns wohl unverborgen, daß Exempla im Chur- und Fürſtl. Hauſe zu Sachſen, Pfaltz und Brandenburg ſich zugetragen, daß obgemelte Gleichheit*

heit in den Fürstlichen Theilungen nicht gehalten worden, und solches vielleicht darumb, damit die Churfürstlichen Dignitaten und Regierung so viel stattlicher haben mœgen erhalten werden, so stellen wir doch alles an seinen Orth, und lassen uns die angezogene Gleichheit vielmehr gefallen, sintemahl dieselbige in Gottes VVort ergründet, welches lauter saget, du solt dich an deines Vatern Erbtheil halten, so ist es auch den geschriebenen Rechten und vielen lœblichen Fürstlichen Exempeln gemæß, daß unter Brüdern in der Succession die Gleichheit solle gehalten werden, denn die wahret am längsten und beständigsten, und hat sonder Zweiffel den Seegen Gottes, ist auch zu Erhaltung Brüderlicher Liebe und Einigkeit sehr nützlich und verträglich, an welchem allen gar vielmehr gelegen, denn an einigen Vorzuge und Vortheil.

* Ipsa Diuisio extat in TOLNERI *Codice Diplom. n. 208.*

** Extat hæc Constitutio apud TOLNERVM *n. 205.* SCHILTER *Inst. I. P. Tom. post. p. 205.* S. H. G. *Diss. XXVIII. §. XXIV.*

*** Quam descripsit ÆNEAS SYLVIVS *de Statu Europæ. c. XXXI.*

§. III.

Primum, quod noui, Exemplum factæ Partitionis post mortem patris, est inter Ottonis illustris filios, Ludouicum & Henricum, an. 1254. quorum ille Palatinatum cum Bauaria superiori adeptus, dictusque Comes Palatinus: hic Bauariam inferiorem cum titulo Ducis Bauariæ. † In Linea Bauarica post mortem Stephani fibulati a. 1375. cum tribus istius filiis Stephano II. Friderico, & Iohanne tres exortæ fuerunt Lineæ, Ingolstadtensis, Landshutana & Monachiensis. †† In Domo Saxonica primum Exemplum, dum post mortem Alberti I. filius natu maior Albertus II. Electoratum Saxoniæ, frater ipsius Iohannes, Lauenburgensem tractum nacisceretur. Licet hoc Paragium potius fuerit, quam æqua diuisio. In periodo vero Misnensi notabilis est diuisio post mortem Friderici

derici Placidi. Hic enim, cum an. 1464. esset extinctus, filios relinquebat Ernestum atque Albertum, qui primum pro indiuiso ad an. 1485. vsque Terras tenebant, sed eodem anno in Curia Lipsiensi solennem instituerunt Diuisionem. ††† In Pomerania post mortem Barnimi I. binæ Lineæ, Stettinensis atque Wolgastensis fuerunt exortæ. Vt plura exempla Diuisionum recentiorum in Domo Saxonica aliisque taceamus. Nec desunt exempla, vbi Territorium manet indiuisum, maior vero vel Senior illud reliquorum nomine administrat, prout exemplum inter filios Magni Torquati Brunsuicensis habetur. Quandoque Terræ ex æquis partibus diuiduntur, Directorio tamen & potioribus Iuribus Regiminis & Imperii manentibus penes Seniorem. †††† Tota res redit ad Testamenta, vel Pacta specialia & Familiæ. ††††† Licet quandoque per Status Prouinciales Successio definiatur, prout post mortem Friderici Grauis, Misniæ Marchionis fuit factum. * Idemque an. 1467. in Domo Hassiaca aliisque. **

† Egregie hac de Diuisione ADLZREITERVS Ann. Boi. p. I. lib. XXIV. num. 14. *Iam tum Ludouicus & Otho Boicæ Duces, pari imperio post parentis obitum cœperunt obire munia Principatus, & pace cum finitimis, Alberto quoque Ratisbonensi conciliata, reductaque in Templa publica religionis celebritate, mortalium cœlitumque amicitiam ambire. Quo vero minus inter eos esset dissidii (vtili, an noxio ad posteros exemplo,) prouincias sunt partiti. Ludouicus natu maior Rheni Palatinatum, Burggrauiatum Regensburgensem, Regenstauffium, Lengenfeldam, Calmanzium, totamque Boicam superiorem est sortitus. Henrico, qui, comperto parentis obitu, ex Vngarico bello prospere domum redierat, cum Ducis titulo, Ratisbona, Chambum, Kelhaimium, Erdinga, Landishuta, Oetinga, Burghusium, Hala, Straubinga, Vilshouium, Landauium, Dingolfinga, Brunouium, Schardinga, & quicquid est adiacentium, obuenere.* ANDR. PRESBYTERI *Chron. Bauar.* CHRON. AVGVSTANVM *ad a. 1255.*

†† ADLZREITER *Ann. Boi. p. II. lib. VI. n. 25.*

††† MÜLLER *Ann. Sax. ad a. 1485.*

†††† Qualia Exempla in Domo Saxonica videmus, de quibus L. B. de LYNCKER *de Super. Territ. p. 62.*

††††† HERTIVS *de Spec. Rebuspubl. sect. II. §. 12. & Diss. de comment. distinct. Parag. & Apanag. §. 16.*

* FABRICIVS Origg. Saxon. p. 674. *defuncto patre* (Friderico Graui) *cum de Prouinciarum diuisione varia consilia inirentur, optimatibus visum est, vt tutoris nomine atque auctoritate Fridericus omnes administraret: fore enim viribus coniunctis magis inuictos. Baldasar igitur & Wilhelmus, cum domi essent, alter Vodlandis alter Misnensibus quasi praefecti imperabant.* De Frisia Orientali tradit VBBO EMMIVS *lib. XLIV. Rer. Frisic. ad an. 1512. p. 681.* Edzardum Comitem vltimae voluntatis tabulis iussisse, si contingat, plures se in vita liberos relinquere, vt ex iis, quem Ordines probaturi maxime sint, vnus ac solus in Imperium sibi succedat, & hic caeteris, fortunam industria & virtute quaesituris, satisfaciat. De Holsatia IONAS ab ELVERVELT Libro de Holsatia cl. 2. *Horum Ducatuum Status liberam ex Regum Principumque filiis, quem velint, eligendi habere potestatem. Quod Priuilegium speciali quondam Christiani I. beneficio promulgatum ipsis sit, cum in Ducem hic assumtus a posteris confirmaretur.* HERTIVS *de Special. Rebuspubl. sect. II. §. III.*

** NIC. BETSIVS de Pactis illustr. cap. VII. §. XX. ex Chronico Hassiaco: *Nachdem zwischen den dreyen Landgraffen zu Hessen, Ludwigen, Heinrichen und Herrman, der Vatterlichen Succession halben, und Austheilung der Fürstenthumb, Missverstande, Zwyspalt, Vneinigkeit, ia auch zum letzten gefahrliche Kriegs-Empœrung sich erhoben haben zwischen den zween Eltesten Brüdern, anno 1467. Vnd derhalben weiteren Vnrath und Verderben vorzukommen, aus Ritter und Landschafft etliche unpartheyische vernünfftige, hocherfahrne Manner den Krieg zu entscheiden niedergesetzt, und durch dieselbe dann geordnet worden, dass allein zween regierende Fürsten seyn, und dieselbe Landgraff Herman ein Vnterhalt auf sein Lebtag verschaffen sollen.*

§. V.

§. IV.

Licet autem in plerisque Terris Diuisioni locus esset, sensim tamen Ius Primogenituræ iterum inualuit.* Hoc vel speciali Priuilegio, vel Pacto, vel Testamento nititur. Primogenituræ ex speciali Priuilegio introductæ exemplum habemus in familia Austriaca, cui a Friderico I. in Comitiis Ratisbonensibus an. 1156. concessum, vt Senior saltim Dominium Terræ habeat, nec Ducatus Austriæ vllo vsquam tempore Diuisionis alicuius recipiat sectionem.** Id quod a Carolo V. in Comitiis Wormatiensibus an. 1522. fuit confirmatum.*** Eadem ratione huc referenda est familia Würtenbergica, quæ ex Priuilegio Maximiliani I. † vna cum Ducali dignitate Ius Primogenituræ obtinuit. Et licet in eodem mentio quoque fiat Pactorum, videmus tamen inter Eberhardi Iunioris filios, Ludouicum Seniorem, & Vlricum Terras fuisse diuisas, vt binæ essent Lineæ, Auracensis & Stutgardiensis, quod paullo ante tempora Eberhardi factum, vt ex eodem satis pateat, pacta anteriora non semper fuisse obseruata.

* De Henrico, Comite Lützenburgico postea Imp. ALBERT. MVSSATVS Hist. Henrici VII. lib. I. rubr. II. *eum cum tribus fratribus eodem patre natis, mansisse paterna domus maiorem, vt Primogenitum, Lege Gallica.* Ita BECKA Hist. Traiect. p. 75. arbitrio definitum esse dicit: *vt Theodoretus, tanquam maior natu, quiete permaneret Comes Hollandiæ.*

** Extat apud GOLDASTVM *Constit. Tom. I. p. 302.*

*** Extat apud LIMNÆVM *lib. V. cap. II. n. 31.*

† Extat apud HORTLEDERVM *Tom. I. lib. III. cap. I. n. 5.* Eberhardus tamen Barbatus iamdum hoc Ius Primogenituræ introducere voluit, de quo TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug. ad a. 1482.*

§. VI.

§. V.

Plura exempla habemus Pacto introducti Iuris Primogeniturae. Factum hoc in Domo Brandenburgica per Pacta vnionis successionisque Gerauiensia a. 1603. condita.* per eademque fuit definitum, vt praeter Electoratum, bini in Franconia essent Principatus, Baruthinus atque Onoldinus, in singulis obseruato ordine Primogeniturae. In Ducatu Brunsuico-Lüneburgensi iam an. 1374. post excessum Magni Torquati de introducendo Iure Primogeniturae fuit actum, atque per Transactionem ab Ordinibus Prouincialibus comprobatam, illud introductum, ita vt Seniori ex fratribus Friderico, tota Terra obuenerit. Post huius tamen mortem, frater ipsius Bernhardus atque Henricus, abolita priori Transactione, Terras iterum diuiserunt. Postea denuo inter Henricum & Guilielmum fratres atque Ordines Prouinciales, de Iure Primogeniturae, solenni Transactione an. 1535. firmata, conuenit, eademque a Carolo V. Imp. post a Rudolpho II. confirmata, atque in Terris Guelferbytanis obtinuit, non aeque in Linea Cellensi & Hanouerana.** In hac enim inter Guilielmi Iunioris septem filios an. 1592. conuenit, vt sorte successione definirent, quae in sextum, Georgium cecidit. Hic Testamento ordinauit, vt bini ex quatuor filiis succederent, vnus in Cellensi, alter in Calenbergensi Ducatu, idque imposterum obtineret. Primus vero Elector Brunsuico-Luneburgensis, Ernestus Augustus denuo Ius Primogeniturae cum Ordinum Prouincialium consensu introduxit, ab ipsis etiam Iuramento corroboratum, atque ab Imp. post concessam dignitatem Electoralem confirmatum.*** In Mecklenburgico Ducatu controuertebatur quidem, an Ius Primogeniturae valeat, quod tamen haut ita pridem Pacto inter vtramque Lineam fuit definitum.**** Familia Holsatica Lineae Got-

Gottorpiensis, vigore Pacti a. 1688. Ius Primogenituræ obseruat, licet illud in Linea Sunderburgica non obtineat. ***** Hassiaca familia vtriusque Lineæ idem Ius Familiæ Pactis introduxit, a Cæsare non solum, † sed etiam Pace Westphalica & Recessu Imperii †† nouissimo confirmatum. In Domo Badensi introductio facta fuit ex Pacto inter Ernestum, Lineæ Durlacensis Autorem, eiusque ex fratre Bernhardo nepotes, inito. Anhaltini Principes Lineæ Bernburgicæ & Seruestanæ idem Successionis Ius non ita pridem receperunt, quod ab Imp. a. 1678. fuit confirmatum. ††† Requiritur autem in eiusmodi Pactis vt omnes eiusdem Familiæ consentiant, atque Imp. accedat Confirmatio. †††† Quandoque etiam Ordinum Prouincialium Consensus fuit adhibitus, iidemque Iuramento obligati, prout in Domo Brunsuicensi fuit factum. †††††

* LVDOLPH *de Iure Primogenit. p. Gen. §. XIII. n. 8.* LVDEWIG *Germania Princeps lib. II. cap. IV. p. 117.* Extant hæc Pacta apud LVNIGIVM *Fortſ. der II. Contin. IV. Abth. p. 45.*

** LIMNÆVS *lib. V. c. VI. n. 4.* SPRINGSFELD *de Apanagio cap. II. n. 66. sqq.* LVDOLPH *n. 9.*

*** EVROP. HEROLD *p. I. p. 323.*

**** FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VI. p. 243. sqq.* Prodiit hac in caussa: *Facti Species, worin das im Fürstlichen Hause Mecklenburg introducirte Ius Primogenitura, und davon dependirende Linealis Successio kürtzlich und gründlich deduciret und vorgestellet wird.*

***** LVDOLPH *c. l. n. 11.*

† I. P. *art. XV. §. 15.*

†† §. *118.*

††† LVDOLPH *c. l. n. 13. 14.*

†††† HERTIVS *de spec. Germ. rebuspubl. sect. II. §. VII.*

††††† Auctor est NIC. BETSIVS *de pactis famil. illustr. c. IX. p. 522.* quod Constitutio de Iure Primogenituræ iamdum a. 1535. in Conuentu Prouinciali fuerit facta, eademque Subscriptionibus, Sigillis ac Iuramentis Ordinum confirmata, quam Princeps etiam sub initium

Regiminis se seruaturum esse Iuramento promiserit. Idem repetitum fuit tempore Ernesti Augusti Electoris.

§. VI.

Tertius modus introducendi Primogenituram est per Testamentum. In Hassia siquidem Otto, Landgrauius a. 1311. hoc Ius introduxisse dicitur.* Licet postmodum ex Pacto singulari inter Landgrauium Hasso-Cassellanum & Darmstadtiensem an. 1627. idem vberius fuerit decisum, idemque insequenti anno ab Imp. confirmatum. ** In Bauaria Ludouicus Bauarus iamdum constituerat, ne Terræ diuiderentur, *** licet postea Bauaria diuisioni iterum fuerit obnoxia, **** vsque dum Albertus V. totius Bauariæ hæres, Testamento facto, Primogenituram iterum constitueret, quod an. 1573. ab Imp. fuit confirmatum. ***** In Palatina domo primus Alexander Claudus Testamento an. 1514. introduxit Ius Primogenituræ, a quo deinde ipsius filii recesserunt. Per Testamentum vero Wolfgangi, Comitis Palatini, quod a Maximiliano II. a. 1570. fuit confirmatum, duæ Terrarum portiones fuerunt factæ, vna Neoburgica, quæ Primogenito, altera Bipontina, quæ secundo genito cessit, ita quidem, vt in vtraque imposterum Successio ex Iure Primogenituræ obtineret, reliqui vero essent Apanagiati. ****** In Domo Saxonica, Lineæ Albertinæ, Ius Primogenituræ ex Testamento Io. Georgii I. Electoris, quod a. 1652. conditum, † fuit introductum, quod, Pactum Fratrum Serenissimorum an. 1657. atque confirmatio Cæsarea fuit insecuta, atque hoc Legis fundamentalis instar est in dicta Linea. Christianus I. etiam Dux Mersseburgensis a. 1688. idem Ius Testamento introduxit, quod Leopoldus Imp. confirmauit. †† In Linea Ernestina, & quidem Isenacensi, Io. Georgius per Testamentum 1685. condi-

tum,

tum, a Serenissimis filiis fratribus adgnitum, & vna cum Pacto fraterno, d. 21. Augusti 1688. ab Imp. confirmatum, Primogenituram introduxit. Fridericus Dux Saxo-Gothanus idem fecit in Testamento a. 1683. scripto, atque ab Imp. a. 1688. confirmato. Reliquae Domus Ducales eodem Iure non vtuntur. ††† Quod si tamen sequius geniti in Testamentum non consenserint, disputatum fuit, an Iuri ipsorum in Successionem adferri possit praeiudicium.

* Demonstrauit illud HERTIVS *de Spec. Germ. Rebusp. sect. II. §. VI.* ex Chronico Hassiae: *Er ordnet auch, daß allwegen der elteste solte Fürst im Land seyn, und sich mit seinen Brüdern vertragen, und mit Rath seiner Freunde erbahrlich versorgen, das kam auch also auf, und schrieben sich der eltiste Landgraff und Herr zu Hessen, aber die andere nur Landgraffen zu Hessen und nicht Herrn, und die elteste hieß man gnædige Herren, und die andere gnædige Iunckern. Also ist bey hundert Iahr gehalten, biß die Grafffchafft Ziegenhain herzukommen.*

** Extat hoc Pactum cum Caesaris Confirmatione apud LVNIGIVM *Forts. der II. Contin. p. 834-846.*

*** NIC. BVRGVNDVS *Hist. Bauar. lib. III. ad a. 1340.*

**** ADLZREITER *Ann. Boi. P. II. lib. VII. n. 67.*

***** SPRINGSFELD *de Apanagio cap. III. n. 56. 57. & cap. V. n. 40.*

****** IMHOF *Not. Proc. lib. IV. cap. I. §. 6.*

† Extat hoc Testamentum & reliqua Pacta in LVNIGII *Reichs-Archiv p. spec. sect. II. p. 169.*

†† Extat illud apud LONDORPIVM *Tom. XIV. p. 665.*

††† MÜLLERI *Ann. Sax. ad a. 1685.* Diuersa Exempla alia reperiuntur apud PHIL. KNIPSCHILDVM *de Fideicommissis Famil. Nobil. cap. VI. n. 275. sqq.* Vberius Primogeniturae Iura persecuti fuerunt IAC. a SAA, MARQVARDVS FREHERVS, ARNOL. ENGELBRECHT, MELCH. GOLDASTVS, NICOLAVS BETSIVS, IO. MEHLBAVM, IO. PHIL. SLEVOGTIVS, & potissimum GEORG MELCHIOR LVDOLPH *de Introductione Iuris Primogeniturae*, quos in *Bibliotheca Iuris cap. XIV. §. XIX.* excitauimus.

§. VII.

In Comitatibus, quorum plures ſunt allodiales, vel pluribus allodiis intermixti,* Ius Primogenituræ rarius fuit introductum. Exemplum tamen ſingulare in Comitatu Flandriæ iam ab antiquo obtinuit,** vt, non quidem Primogenitus, ſed qui patri potiſſimum placuiſſet, ſolus ſuccederet. Idem ratione Primogenituræ de Comitatu Burgundiæ teſtatur OTTO FRISINGENSIS. *** Inter Comites Hanouienſes Statuto Gentilitio an. 1375. ab Vlrico Comite hoc Ius fuit introductum, idemque a. 1607. a Rudolpho II. Imp. & a. 1620. a Ferdinando II. fuit confirmatum **** Primogenituram Domui Lippiacæ Rudolphus II. a. 1593. decreuit † id quod Ioſephus Imp. a. 1709. confirmauit. †† Eadem ratione apud Montfortenſes, Oettingenſes hoc Ius eſt introductum. De eodem paucos ante annos inter Comites Ruthenos ſingulari Pacto conuenit. †††

* Vide ſupra *cap. XX. §. III.*

** Teſtatur hoc LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad an. 1071. *in Comitatu Balduini eiusque familia id multis iam ſeculis ſeruabatur, quaſi ſancitum lege perpetua, vt unus filiorum, qui patri potisſimum placuiſſet, nomen patris acciperet, & totius Flandriæ principatum ſolus hæreditaria Succesſione obtineret; cæteri vero fratres aut huic ſubditi, dictoque obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregre profecti, magis propriis rebus geſtis florere contenderent, quam deſidia ac ſocordia dediti, egeſtatem ſuam vana maiorum opinione conſolarentur. Hoc ſcilicet fiebat, ne in plures diuiſa prouincia claritas illius familiæ per inopiam rei familiaris obſoleret.*

*** OTTO FRISING lib. II. de geſtis Friderici I. cap. XXIX. *mos in illa qui pene in omnibus Galliæ Prouinciis ſeruatur, remanſit, quod ſemper Seniori fratri, eiusque liberis, ſeu maribus, ſeu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad Dominum reſpicientibus.*

**** Extat illud apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 531.*

† Ex-

† Extat Diploma apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 555.*
†† Apud LVNIGIVM *c. l. p. 568.*
††† ITTER *de feudis Imperii c. XIII.* LVDOLPH *n. 16.*

§. VIII.

Succedit autem Primogenitus non ſolum in Territorio, ſiue Feudale ſit, ſiue allodiale, ſed etiam in reliquis, quæ vel ad Territorium, vel Principalem dignitatem ſpectant, acceſſoriis. Spectant huc præter vrbes, arces, palatia, ſubditos, Machinæ & Inſtrumenta Bellica *Artillerie & Munition*, Æraria & Viuaria, *Magazinen* Ornamenta Ducalia vel Comitum, Theſauri, Cimeliarchia, Bibliothecæ publicæ, atque omnis apparatus publicus. * Hinc prætenſiones Duciſſæ Aurelianenſis in hæc ipſa in Palatinatu, moribus Germaniæ erant illegitimæ. Licet in reliqua hæreditate allodiali omnes liberi, etiam fœminæ, ex æquis partibus ſuccedant, niſi aliter a parente fuerit diſpoſitum.

* COCCEIVS *cap. XXVII.* §. *20. 21.* prout etiam exprimuntur in Pacto Confraternitatis Saxonicæ de a. 1614. *Churfurſtenthumb, Fürſtenthumb, und Herrſchafft, Lehen, Angefallen, Anwartungen und Pfandſchafften, mit Landen und Leuten, Erben, Eigen, Kleinodien, Schulden und Gülte, Geſchütz und zugehærige Artollerie, &c.*

§. IX.

In Succeſſione igitur Primogeniti apud natu ſequiores vel Paragium, vel Apanagium locum habet. Nota quidem eſt Controuerſia, an hæc diſtinctio inter paragium atque Apanagium valeat, cum HERTIVS Paragia plane reiiciat, putans, Exempla, quæ huc referuntur, vel ad Terras diuiduas eſſe referenda, cum aliqua tamen Primogeniti prærogatiua. Verum, licet non diffiteamur, luſum ſæpe eſſe in terminis, qui

in hac materia occurrunt, cum plerique, quod nos Paragium vocamus, adpellent Apanagium improprium, immo, Paragii significationem, quatenus apud Gallos sumitur, Germaniæ nostræ vix conuenire. Attamen, si Paragii vocem ad mores Germaniæ adplicemus, atque consideremus, Principatus vel Comitatus diuiduos dici non posse, vbi sunt inæquales plane portiones, non solum ratione Terræ, sed etiam ratione Iurium, vbi etiam legitima non semper est salua, nec ad Apanagia hæc posse referri, quæ vel in pecunia, vel in reditibus saltim consistunt, faciliorem putem explicationem, adsumta hac partitione. *

* Primus hanc distinctionem ad mores Germaniæ adplicauit NIC. BETSIVS *de pactis illustrium cap. VIII. §. 4. p. 216.* Hunc secutus IO. SCHILTERVS *de Paragio & Apanagio*, qui hancce materiam plenius exposuit. Contradicit tamen HERTIVS in Dissertatione, *de Commentitia Apanagii & Paragii distinctione in Rom. Germ. Imperii Principatibus profanis & Comitatibus*, cui respondet EPHRAIM GERHARDVS, qui sub præsidio THOMASIANO *Vindicias distinctionis inter paragia & apanagia* proposuit. Contra hasce prodiit *discussio atque castigatio vindiciarum, Eleuteropoli 1711.*

§. X.

Dicitur autem PARAGIVM, vbi Terræ quidem post mortem patris diuiduntur, inæquali tamen Terræ & Iurium diuisione, ita, vt potiores partes sint Primogeniti. Dicitur Germ. *Erbtheilung*, *Erb-Portion*, ipsi Domini *abgetheilte Herren.* * Olim etiam *locarium dictum.* ** Prima paragii species est, quando Primogenito Terræ potiores, vna cum Iure Status & Superioritate Territoriali obueniunt, secundo geniti tamen certas Terras obtinent cum Dominio, Iure Homagii, Cancellariæ aut Regiminis particularis, Regalibus, & Iurisdi-

risdictione Territoriali. *** Hoc nec diuiduus dici poterit Principatus, ob nimias Primogeniti prærogatiuas, & iniuriam omnino faceremus eiusmodi Principibus vel Comitibus, si eosdem dicere velimus Apanagiatos. Altera paragii species huic inferior est, si Terræ inæquali diuisione inuicem diuidantur, sequius geniti adipiscantur dominium adsignatæ portionis, sine tamen Superioritate & Iurisdictione Territoriali, siue Iure Cancellariæ, quandoque sine Regalibus maioribus, quæ penes Seniorem manent. Redit igitur tota Paragii ratio ad Testamentum, vel Pacta. Ex hoc etiam facile sequitur, Paragiatos in Statuum numero minime posse haberi, cum Iuribus Imperii & Territorii sint destituti. ****

* SCHILTER *de Paragio* §. 5.

** AIMOINVS lib. V. c. XL. *ad quod placitum Hugo abbas quibusdam sociis secum assumptis profectus, Carolum adiit, pro petitione partis regni, quam frater suus Ludouicus in Locarium acceperit.* ANN. BERTINIANI ad a. 864. *Lotharius Lotharii filius de omni regno suo quatuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum multa pensione farinæ, atque pecorum, nec non vini ac siceri, Rodulfo Nortmanno, Herioldi filio ac suis locarii nomine tribuit.* Ad an. 882. *venientes autem Primores partis illius Regni, quæ ipsi Ludouico in Locarium data fuerat.*

*** SCHILTER §. 28. 29.

**** IO. equidem HENRICVS LOMBARDVS *in Trutina Trium Quæstionum controuersarum, Francofurti 1710.* quam occasione Landgrauiorum Lineæ Reinfelsensis scripsit, Paragiatos etiam in numero Statuum haberi contendit & quidem potentia tales, ad quam tamen Auctor Anonymus singulari epistola, *Francofurti 1711. 4.* respondet.

§. XI.

In eo tamen SCHILTERO adsentiri nequeo, quod inter Paragia æque referat, vbi Superioritas Territorialis iuxta ratas

por-

portionum hæreditariarum communicetur, nisi Paragium in sola diuisione inæquali dicamus consistere. Alias, diuidua dicitur hæreditas, licet partes ex diuisione parentis sint inæquales, si modo Iura sint paria. Talis Diuisio inæqualis Terrarum ex Testamento Philippi Magnanimi, Hassiæ Landgrauii a. 1562. patet. Hic enim Prouincias in duodecim Vncias fuit partitus, Guilielmo Cassellano semissem, Ludouico Marpurgensi tres vncias, Philippo & Georgio reliquas tres vncias attribuit, & quisque post mortem ipsius de parte sua inuestitus, Sessionem cum suffragio peculiarem in Comitiis fuit adeptus. † Huc etiam referendus Principatus Veldentinus & Lautereccensis in Palatinatu.

† HERTIVS §. *VIII.*

§. XII.

Alia ratio est Successionis, quæ ex parte est diuidua, ex parte vero ad Paragium, vel Apanagium erit referenda. Exemplum in domo Palatina, dum Wolfgangus, Comes Palatinus ad Rhenum & Dux Neoburgicus atque Bipontinus, facto a. 1568. Testamento, primogenitum in Ducatu Neoburgico, secundogenitum in Ducatu Bipontino instituit hæredes, vt reliquos tres isti Regentes alere iisdemque satisfacere, *sie absfertigen*, teneantur. * Simile Exemplum in Ducatu Megapolitano, cum a. 1547. Dux Albertus mortuus esset, relictis quinque filiis, Io. Alberto, Vlrico, Georgio, Christophoro & Carolo, maior natu ad sexennium Dux regens fuit, Homagium vero omnibus simul reseruatum. Anno 1552. mortuo Henrico II. Duce Mecklenburgensi sine filiis diuisio facta inter primo & secundogenitum, qui duo Regentes cæteris alimenta dederunt. ** Eiusmodi Exemplum in Domo Saxonica olim reperimus.

* SCHILTER §. X. In LVNIGII *Staats-Consiliis Tom. I. p. 1501.* reperitur Consilium Georgii Euerhardi de Iure Primogeniturae in domo Palatina.

** SCHILTER §. XII.

§. XIII.

Infimum est APANAGIVM, quod in eo consistit, si secundogenitis alimenta saltim praebeantur, quae ipsorum dignitati conueniunt, Germ. *Deputat.* * Summa eiusdem, vel Testamento parentis, vel pacto, vel consuetudine definitur. Consistit autem vel in annua pensione, *jährlichen Apanage-Geldern*, vel in adsignatis reditibus ex certa praefectura, vna cum sede quadam & arce, quae Apanagiatis concedenda. ** Origo Apanagii est antiquissima, cum iam Seculo XI. idem occurrat in Comitatu Flandriae, Sec. XIII. eiusdem mentio fiat in Priuilegio Friderici II. Domui Austriacae concesso, † licet ipsa vox in iisdem non occurrat. Adgnoscunt isti Iurisdictionem primogeniti, tanquam Domini Territorii. ††

* Hoc sensu occurrit in Testamento Io. Georgii I. apud LVNIGIVM Reichs-Archiv p. spec. S. II. p. 171. *hatten unsere andere Herren Söhne und dero Erben auch spem successionis, und sich auf allen Fall mit einem Fürstlichen Deputat begnügen lassen müssen*, licet in eodem etiam occurrat *Landes-Deputat*, quod certam Terrae portionem notat.

** SPRINGSFELD *de Apanagio c. VIII.* SCHILTER §. *XIX.*

† FVGGER *Spiegel der Ehren lib. II. cap. III. p. 181. alii vero heredes minores natu, non habeant aliquid, nisi quod ex Regis gratia possint obtinere.*

†† HERTIVS §. *XII.* Add. RHETIVS *de portione alimentaria.*

§. XIV.

In hisce Successionibus siue diuiduae fuerint, siue cum paragio atque Apanagio, obueniebat, vt post Diuisionem,

non communi gentis nominè adpellarentur, prout hodie fit, sed diuersa sortirentur nomina, diuersos titulos, atque a sedibus suis distinguebantur. Primis quidem temporibus Austriæ atque Bauariæ Duces hoc Iure gaudebant, vt de Stemmate suo vocarentur. * Postea vero a sedibus suis distincti in Landshutanos, Ingolstadtienses & Monachienses. Pomerani distinguebantur in Stettinenses & Wolgastenses. Immo Ducum quoque filii, si Comitatus saltim adepti, dicebantur Comites. Sic Vlrici VVürtenbergici Ducis frater, Georgius Mompelgartensis saltim titulo Comitis VVürtenbergensis fuit vsus. In monumento sepulcrali dicitur Henricus pinguis, generosus Comes, filius Ottonis Ducis. ** Et Henricus Comes, filius Lotharingiæ Ducis Godefridi dicitur. *** Immo, si partem adhuc familiæ facerent, dicebantur *Domicelli, Junckern.* †

* IO. A LEIDIS Chron. lib. XXIX. cap. II. *VVilhelmum & Albertum dici Duces in Bauaria, non quod Bauariam possiderent, sed quod sanguine Bauarorum nati essent: Ducatum enim Austriæ & Bauariæ hoc in se comprehendere, vt omnes de stipite eorum prodeuntes, dicantur Duces vtrinsque.*

** EYBEN *de titulo Nobilis* §. 7. Magis adhuc hoc explicat HENR. BODO Synt. Eccl. Gandersheim apud LEIBNITIVM *Tom. III. p. 721. Ottoni erant filii Sifridus, Henricus & Cono, quos vti Ducatu Bauariæ priuati fuerant, primum Ducatus honore & nomine priuari contigit: & Comites de Homburg, de Dassel & de Euerstein vocati fuerunt, vnusquisque a loco, quem sortitus (patre distribuente) fuerat.*

*** ALBERICVS *ad a. 1140.*

† MVLLER *Friderico, p. I. cap. VII.* §. *XXII.*

§. XV.

Alia Successionis est ratio, quæ vocatur *Mutschierung*, dicta a voce obsoleta *muyten*, quod idem est, ac mutare, & *schi-*

schiren scindere, diuidere. * Hæc in eo consistit, si duo vel plures filii alternatim regunt, vel per personas, vel per lineas, quod tamen plerumque ad certos saltim annos solet dirigi. Plura eiusdem in Historiis reperimus Exempla. Tale pactum ad quadriennium fuit inter Fridericum Bellicosum & fratrem Guilielmum.** Eiusmodi etiam pactum fuit post mortem Friderici Bellicosi a. 1436. inter ipsius filios Fridericum Placidum, Sigismundum & VVilhelmum, cum Terras ad nouennium inter se diuiderent, ita tamen, vt Electoratus vna cum Terris adnexis cederet primogenito. *** Sic post mortem Io Friderici Saxoniæ Electoris, Io. Fridericus II. & Io. Guilielmus, filii, de hæreditaria ditione ita inter se conuenerunt, vt quilibet eam per decennium gubernet, initio facto a maximo natu Io. Friderico II. **** decennio vero isto præterlapso, Terras inter se diuiserunt. ***** Io. Casimirus & Io. Ernestus, de Terris Franconicis ad quinquennium eadem fere ratione fuerunt pacti. †

* HERTIVS *de Special. Rom. Germ. Imp. Rebuspubl. sect. II. §. XIII. & diss. de Comment. distinct. paragii & apanagii §. XV.*

** MVLLERI *Ann. Sax. ad a. 1415.*

*** De hoc MVLLERVS *Friderico, p. I. c. XIV.*

**** CHYTRÆVS Saxonia p. 556. *In Saxonia Superiore, Ioannes Fridericus, natus Saxoniæ Elector, decedens, tres filios, Ioannem Fridericum medium, Ioannem VVilelmum, & Ioannem Fridericum iuniorem, reliquerat. Cum autem inter fratres ita conuenisset, vt primo decennio, Ioannes Fridericus medius, qui primogenitus erat, solus gubernationem teneret: & hoc anno Ioannes Fridericus iunior, anno ætatis vicesimo octauo obiisset: Ioannes Wilelmus, exacto iam decennio, de hæreditate hercisunda cum fratre Ioanne Friderico medio, actionem orditur, quæ vtriusque socero, Friderico Palatino intercedente, sic composita est, vt Ioannes Wilelmus, Coburgum & con-*

iuncta Franconiæ oppida Ioannes Fridericus Gotham & Thuringiæ partem deinceps teneret. THVANVS *lib. XXXIX. p. 370.*

***** FABRICIVS *Rer. Mem. Sax. Vniuerſ. lib. II. ad a. 1554.*

† MVLLERI *Ann. ad a. 1590.*

§. XVI.

Succedunt autem omnes, qui ex iuſto nati fuerint atque legitimo Matrimonio, excluduntur e contrario illi, qui ex Matrimonio ad Morganaticam nati, dum iſti ex pacto excludantur a Succeſſione paterna, idque moribus Germaniæ continuis. * Quod ſi tamen Matrimonium inæquale ſine Lege Morganatica fuerit contractum, adhuc dubitatur. Inæquale olim ducebatur Matrimonium cum vxore Slauica, atque liberis ex eodem natis de Succeſſione ſcrupulus mouebatur ** Noſtra ætate dubium adhuc mouetur, an liberi ex inæquali Matrimonio nati, quod Princeps, vel Comes Imperii cum Nobili vel Ignobili vxore contraxit, ad dignitatem vel Succeſſionem paternam ſint admittendi. Doctores equidem Iuris Ciuilis id plerumque adfirmare ſolent, *** eo quod vxor participet de dignitate mariti, atque Legibus Iuſtinianeis **** omnis natalium macula plane ſit ſublata. Verum, excluduntur tales Legibus & Moribus continuis Germanicis. Excludit enim Ius Saxonicum ***** æque ac Alemannicum ****** filios ſi non æqualis ſint natiuitatis cum patre, *nicht ebenbürtig.* Exempla quoque docent, quod Principes vel Comites inæquale Matrimonium cum Miniſterialis filia ineuntes, eiusdem prius confirmationem & filiorum ex eodem natorum Legitimationem ab Imp. petere neceſſum habuerint. Prout Henricus Illuſtris Miſniæ Marchio, poſtquam cum Eliſabetha Miltitia Matrimonium inierat, illud a Rudolpho Habsburgico a. 1278. fecit confirmari, ******* natus tamen eodem ex Matrimonio filius Fridericus pa-

tri haud ſucceſſit, ſed præfecturam ſaltim Dresdenſem obtinuit. Idem factum in matrimonio Reinhardi Hanouiæ Comitis, quod cum Miniſterialis ſui filia contractum, idem Imp. atque Electores an. 1273. confirmarunt. † Quare etiam filii Ferdinandi Auſtriæ Archi-Ducis ex Philippina Velſeria, a Succeſſione Auſtriaca fuerunt excluſi. †† Georgii Ariberti, Anhaltini Principis filius ex Ioanna Eliſabetha a Kroſigk natus, Chriſtianus Aribertus, fauore licet Aulæ Cæſareæ ſubnixus ob Catholicam quam adſumſerat religionem, nihilominus Comitis de Bäringen titulo atque dignitate contentus eſſe debuit. ††† Vnicum adlegari poteſt Exemplum filiorum Eduardi Fortunati, Badenſis Marchionis ex Maria ab Eicken natorum, qui, contra nitentibus licet Adgnatis, ex decreto Iudicii Aulici IV. Septembris 1622. ad Succesſionem fuerunt admiſſi, id tamen inter Germaniæ turbas, poſt prœlium ad Wimpfenam, in fauorem Religionis Catholicæ fuit factum, ne Succeſſio ad Adgnatos, Euangelicæ Religioni addictos perueniret. †††† Alterum eſt, Io. Caroli Palatini Comitis in Birckenfeld, qui ex Eſther Maria VVitzlebia filios genuit, qui ex Decreto Iudicii Aulici XI. Aprilis 1715. ad Dignitatem & Succeſſionem paternam fuerunt admisſi, ††††† proteſtante tamen deſuper Domo Palatina. Hoc autem certum, quod ſi vxor Principis vel Comitis ſiue nobilis fuerit ſiue ignobilis, in maiorem dignitatem fuerit euecta, atque Adgnati in Succeſſionem filiorum ex tali matrimonio natorum conſenſerint, tunc demum iſtam locum habere, prout in Domo Cöthenſi atque Deſſauienſi vidimus. †††††† Eiusmodi etiam Matrimonia in certis illuſtrium Familiis Pacto prohibentur, vel liberi ex eodem nati ad Succeſſionem inhabiles redduntur. Quale Pactum an. 1695.

in Domo Brandenburgica & Zollerana fuit erectum, idemque 30. Ianuarii 1707. confirmatum. Simile pactum de a. 1607. in Domo Ysenburgica factum. †††††††

* Secundum II. F. XXIX. Videri etiam potest MYLERI ab EHRENBACH *Gamologia c. V.* HERTIVS *de Spec. Rebuspubl.* §. *V.* HENR. LINCK *de Matrimonio ad Legem Salicam contracto.* HENR. COCCEIVS *de Lege Morganatica.* GABR. SCHWEDER *de Matrimonio ad Morganaticam* Auctor quidem *des Vnmaßgeblichen Gutachtens über die Ehen nach Morganatischen Recht* apud LVNIGIVM *Staats-Consiliis Tom. I. p. 1558.* hoc Matrimonium, tanquam Iuri diuino & naturali contrarium reiicit, verum argumentis vtitur satis infirmis.

** LAMBERTVS SCHAFNABVRG ad an. 1057. *Otto frater Guillelmi Marchionis, sed Matrimonio impari, matre scilicet Slauica natus.*

*** CARPZOV *Iurispr. Consist. lib. II. Tit. I. def. XI.* STRYK *de dissensu Sponsalit. sect. V.* §. *LXXIV. Vsu moderno Pandect. lib. I. Tit. IX.* §. *VI.* BERGER *Oeconomia Iuris lib. I. Tit. II. p. 64.* CASPAR ZIEGLER *de Iuribus Maiestatis lib. I. c. XXVIII.* §. *XXVIII.* ANDR. TIRAQVELLVS *de Nobilitate c. XVIII.* CONS. MARPVRG. *Vol. III. Cons. XVII. qu. II. n. 38.* & HENRICVS SALMVTH *Spec. Tract. de Matrim. Principis cum virgine nobili.* Inter Dd. Iuris Publici MYLERVS *Gamologia Princ. Imperii cap. V.* §. *XII.* & COCCEIVS *de Lege Morganatica sect. II.* §. *1. 2.* DVLSSECKER *de Matrim. Illustr. qu. II.*

**** *l. 23. C. de nuptiis.*

***** SÆCHSISCH LEHNRECHT c. XX. *Wo aber ein Sohn seinem Vater nicht eben bürtig ist, so mægen des Vaters Lehenmann zu Rath wol wegern, vor dem Sohne ir Gut zu empfahen, und auch so gleich ein solcher Sohn lebete, nach seines Vaters Tode, er kan doch deneuſdie an des Vaters Gut gedinge haben, nicht nemen.*

****** SCHWAEBISCH LEHN-RECHT *c. XL.* *VVo der Sun dem Vater nit ebenbürtig ist, do gewaygernt die sins Vater worent wol sich ir Leben von Sun zu entphahende.*

******* Extant Litteræ Legitimationis apud ANT. VVECKIVM *Chron. Dresdensi f. 159.* in quibus: *deuotis suis supplicationibus inclinati, Elisabeth legitimam thori sui consortem, Fridericum natum legitimum* vtri-

vtriusque & vniversos liberos si quos ab eisdem parentibus procreari contigerit in futurum ab omni seruilis seu ministerialis conditionis respectu de plenitudine Regie potestatis eximimus.

† Extant Tabulæ, vna cum Electorum confirmatione apud LVNIGIVM *VI. Abtheil. p. 519.* in quibus: *cum igitur sicut oblata nobis nobilis viri Reinhardi de Hagenowe mariti tui petitio continebat, ipse te olim ea intentione duxerit in vxorem, qui te nobilem fore credebat, & parem sibi in originis libertate, & quidem postmodum asseruerunt te nobilem non fuisse, supplicauit nobis, vt prouidere sibi super hoc de benignitate Regia dignaremur.* Et paucis interiectis: *ecce ad tollendum huiusmodi dubium, eo quod a patre ministeriali genita dicebaris, a te notam originis si qua extitit super eo, adimimus, & de consensu Principum nostrorum, qui coronationi nostræ felici interesse poterant & debebant, te, puerosque tuos, si quos habes, vel inposterum te habere contigerit, reddimus, & donamus nobiles & ingenuos de vtroque parente, ac ab omni seruitute ministerialium liberamus, præsentium Testimonio literarum. Supplentes de plenitudine potestatis si quis defectus aut dubium extitit in præmissis.*

†† De hoc THVANVS *lib. CXII. p. 537.*

††† De hoc BECMANN *Anhalt. Historie p. V. lib. III. c. VI.*

†††† Integrum negotium describit CAROLVS CARAFFA *Germania Sacra restaur. p. 127.*

††††† In ELECTIS I. P. *Tom. III. p. 347.*

†††††† Prout docet BECMANN *Anhalt. Historie p. V. lib. III. c. III. n. 5. 6. & c. IX. §. XIV.*

††††††† FELTMANN *de impari Matrimonio p. I. cap. II. p. 53.* Improbant etiam eiusmodi Matrimonia SPRINGSFELD *de Apanagio c. III. n. 306.* NIC. BETSIVS *de Pactis Illustrium cap. VI. §. XXIV.* SECKENDORF *im Fürsten-Staat p. II. cap. V. n. 26.* FRID. SCHENCK *Comment. ad II. F. XXIX. n. 10.* P. de ANDLO *de Imperio Rom. lib. I. c. XI.* ANDLER *Iurispr. Publica & Priu. lib. II. c. XXX. n. 16.* SCHILTER *Comm. ad Ius Feud. Alemann. c. XL.*

§. XVII.

Dubitatur non minus, an Clerici succedere queant in

Feuda

Feuda Regalia. De Electoratibus omnino recte se habet, in quibus secundum A. B. Successor laicus requiritur. * In Principatibus Ius Longobardicum Clericos à Successione excludit, ** Ius Saxonicum Monachum saltim excludit non Clericum *** Ius Alemannicum Feudale eosdem admittit. **** Moribus tamen Germaniæ fuit introductum, vt Clerici si succedere vellent in Terras seculares, Statui clericali cum Papæ dispensatione renuntiarent, id quod Exempla docent, prout Albertus II. Canonicus antea Passauiensis, antequam anno 1358. in Austria succederet, fecit. ***** In Domo Saxonica potissimum vsu venit, vt, dum Ius Primogenituræ nondum esset introductum, nec Terræ in plures partes scinderentur, quidam ex iis Statum Ecclesiasticum susciperent, qui a Successione excludebantur. Sic Alberti II. Saxoniæ Electoris filius Albertus, Episcopus Patauiensis destinatus, vt habilis esset eligendo Fridericum, gratiæ Papali renuntiauit. ****** Inter Friderici Bellicosi filios, Fridericum Placidum, Sigismundum & VVilhelmum primum a. 1436. diuisio placuit, ******* postquam autem Sigismundus Statui Ecclesiastico se addixisset, Terris sese abdicauit, atque ipsi saltim vitalitium *eine Leibzucht* fuit adsignatum. † Eadem ratione Albertus atque Ernestus, iste Moguntinus, hic Magdeburgensis Archiepiscopus, post mortem Ernesti patris a Successione fuerunt exclusi. Patet hoc etiam ex Dispositione Alberti Brandenburgici Electoris de anno 1473. in qua disponitur in casum, *daß die übrigen unsere Sœhne also tieff Geistlich worden werrn, daß sie nimmer würentlich werden mœchten.* ††

* Vide supra *cap. XVI. §. XXIII.*

** II. F. XXVI. §. 4. *qui, Clericus efficitur aut Votum Religionis assumit: hoc ipso Feudum amittit* II. F. 39. Id quod plenius persequitur

consequitur ROSENTHAL *Tract. Feud. cap. VII. Concl. XXIX. XXX.* LAVR. KIRCHOV *Cons. XXII. n. 106. sqq.*

*** LANDRECHT lib. I. art. XXV. *Der Pfaff teilt mit seinen Brüdern und nicht der Mœnnich - - - Begibt sich aber ein Mann zum Mœnchen Leben, der zu seinen Iahren kommen ist, er hat sich von Land-Recht und Leben-Recht geleget, und seine Leben sindt dem Herren ledig, denn er dem Herschilt hierdurch niedergelegt.* LEHEN-RECHT cap. II. vero *Pfaffen und Frawen - - die sollen Lehen-Rechtes darben.*

**** Cap. III. *Ein ieglich Pfaffe der von Ritters Art ist der mag wol behaben Leben zu süne libe. Er mag es aber nüt von der Hant gelihen noch anders damit nüt getün wenne mit des Herren Willen. - - Vnd hett ein Pfaffe einen Brüder oder me Brüder und entphohet er ein Leben mit den Brüdern mit einer Lebenshant und het ouch mit In nutz und gevver und sterbent sü one Lebens Erben Im bliebet das Leben mit Rechte in dem Rechte als hievor geschrieben ist.*

***** GERH, a ROO lib. III. p. 92. de eodem: *is sacris primum destinatus, & in Patauiensem præsulem elatus, quod nullam ex fratribus prolem esse videret, Albertum, Alberti Saxoniæ Ducis, ex Agnete amita sua filium, in suum locum promouit, & a Pontifice Max. sacris absolutus, vxorem duxit Ioannam Vdalrici vltimi Ferretarum Comitis filiam, ex quo matrimonio (nam Ottonis filii non diu super vixere) inclyta hac familia instaurata est.* Licet de eo dubitauerit FVGGER *lib. III. c. VIII. p. 33.*

****** HENR. STERONIS Continuator ad a. 1313. *Dux Saxoniæ Senior, qui in Episcopum Patauiensem a Sede Apostolica erat deputatus, nondum tamen eandem sedem adscenderat, sciens, se frustratum in electione & perfectione Monarchæ, iunioremque Ducem, fratrem suum, timens, eligere volens Ducem Bauariæ Superioris, nomine Ludouicum occasione electionis, gratiæ Apostolicæ renunciauit.*

******* Extat Recessus Diuisionis apud LVNIGIVM *p. Spec. Cont. II. p. 211.*

† Extat noua diuisio inter Fridericum II. & Wilhelmum III. *c. l p. 214. Als der Hochgebohrne Fürst, Hertzog Sigemund, unser lieber Bruder*

einen Vorsatz, Priester zu vverden, für sich genommen, und auch gereichte, etliche VVeibung empfangen, und allhier zu Gena, uf solche Leibzucht, als vvir Ihme mit etlichen Schlossen, Stedten und Oerterung unserer Leuthe, und etlicher Vorschreibung, Gelder, Getreidichs und VVeins, seine Lebtage zu gebrauchen, gemacht und vorschrieben haben. Et in alio Pacto p. 217. *nach Vsgebunge der Lande unsers lieben Bruders, Hertzog Sigismunds zu Iehna geschehen.*

†† Extat ista Dispositio apud SPRINGSFELD *de Apanagio cap. III. p. 49.* Sub his verbis autem intelliguntur, qui consecrationem *die Priester-Weyhe* fuerunt adepti, circa quos ob dogma Pontificiorum de Charactere indelebili haut facile dispensatur. Vid. etiam LVDEVVIG *ad A. B. p. 682.* RHETIVS *de Portione Alimentaria cap. II. §. XL. sqq.*

§. XVIII.

In Linea vero collaterali Successio feudalis locum habet, secundum Lineæ & Gradus proximitatem * exceptis Electoratibus, in quibus, nullo existente fratre, Successio Linealis Adgnatica obtinet. ** In Ducatibus nonnunquam Ordinum Prouincialium consensu Successionem videmus esse definitam. *** Habent tamen locum Pacta Successoria, quæ etiam inter Principes de hæreditate viuentis & futura possunt institui. **** Ista Pacta non inter collaterales solum instituuntur, prout Pactum de Successione in Electoratum Palatinum a. 1685. inter Carolum Electorem, & Philippum Guilielmum Neuburgensem Halæ Sueuorum initum, nos docet; ***** Sed etiam inter alios, qui nullo vel adgnationis vel cognationis vinculo sunt adstricti. Vocatur hoc *Pactum Confraternitatis, Erb-Verbrüderung.* Confundi hoc solet cum *Erb-Vereinigung.* ****** Quod saltim est Pactum mutuæ Defensionis, quale non solum ab antiquo est inter Domum Saxonicam, Hassiacam & Brandenburgicam, † sed etiam inter Misnenses & Bohemos: primum quidem inter Iohannem Bohemiæ Regem & Fri-

& Fridericum Landgrauium erectum, postmodum inter Carolum IV. eiusdemque filium Wenceslaum atque Fridericum, Balthasarem & Wilhelmum an. 1372. renouatum, †† iterum an. 1482. inter Vladislaum & Ernestum atque Albertum Electorem & Duces Saxoniæ. ††† Pactum Confraternitatis vero vel consistit in mutua Successione atque est Vniuersale vel Particulare. Vniuersale, quod ad omnes Terras est directum, hac ratione, vt extincta plane omni Familia, Successio fiat in omnes Terras. Pactum vero particulare ad quasdam saltim Prouincias est directum. Dum autem hisce Pactis de Successione Terrarum definiatur, moribus, Legibusque Feudalibus requiritur, vt si valida esse debeant, etiam ab Imp. confirmentur.

* Sic Ludouicus Bauarus in Successione Bauariæ inferioris a. 1339. Adolpho fuit prælatus, quod Adolphum non quidem Lineæ, sed Gradus prærogatiua vinceret, prout narrat NIC. BVRGVNDVS *lib. III. Hist. Bauar. ad a. 13II.* AVENTINVS *lib. VII. c. XVIII. n. 30.* Imperator Adolpho vna stirpe prior erat. Eadem gradus proximitas obseruata fuit a. 1672. in Successione Altenburgensi, de qua S. H. G. *Diss. XXXVII.* §. *XXIII.* In vtroque vero Hassiæ Landgrauiatu Principibus eorumque posteris secundum Linealem Successionem Homagium dicere Subditos, notauit HERTIVS *de Spec. Rebuspubl. f. II.* §. *IX.*

** Supra *cap. XVI.* §. *XXII.*

*** KRANTZIVS *Saxonia lib. XI. circa fin.* de Adolpho Holsatiæ Comite: *Princeps ille bonus, quum peruenisset viuendo ad annum Christi quinquagesimum nonum post mille quadringentos, finem fecit viuendi, nullo herede legitimo sui corporis relicto: peruenitque res in contentionem de Iure succedendi, inter Regem Daniæ Christianum, germana sorore Adolphi natum, & Ottonem de Schowenburg Comitem; qui longiori quidem gradu distabat, sed tamen ex masculino latere in Feudo credebatur præferendus. Sed tamen Proceres Holsatorum sui fecere arbitrii, quem vellent Dominum, elegeruntque Regem*

Daniæ, vt fieret Comes Holsatiæ, data ingenti pecunia Ottoni, qui Iuri suo renuntiaret.

**** Prout de hisce vberius disserunt NIC. BETSIVS *de Pactis illustr. cap. V. §. VII.* STRYK *de Success. ab intestato Diss. VIII. c. VII. §. XVIII.* IO. PHIL. RINGLER *de Pactis illustrium Successoriis*, IO. HEINRICH MÜNCH *de Pacto Hereditatis inter illustres fœminas acquisitiuo, Giessæ 1715.* & FRANC. AVGVSTINVS SEBASTIANVS GREINER *de Success. Principum c. VI. §. III.*

***** Quod extat apud LVNIGIVM *p. spec. p. 734.*

****** De quo §. sequenti.

† De vtraque MÜLLERVS *Friderico, I. Vorst. c. III.* §. *XXIII.* §. *LVI. II. Vorst. c. IX. p. 526.* & Maximiliano *IV. Vorst. c. XXIV.* WINCKELMANN *Hess. Chronic p. V. c. VI. p. 524.*

†† STRYK *de Success. ab intestato diss. VIII. c. VII.* §. *VII.* SCHILTER *lib. III. Tit. I.* §. *IX.*

††† Extat apud LVNIGIVM *p. spec. II. p. 7.*

§. XIX.

Celebratissimum hodie est Pactum Confraternitatis inter Domum Saxonicam atque Hassiacam. Initium huius Confraternitatis ab eo tempore ducitur, quo primum inter Henricum illustrem Misniæ Marchionem atque Sophiam Brabantinam a. 1263. de Hassiæ atque Thuringiæ Successione plene conuenit, licet de hoc nulla fide certa constet.* Certius est fundamentum, dum Fridericus Strenuus, Balthasar & Guilielmus Cocles Misniæ Marchiones a. 1373. Eschwegæ cum Henrico Ferreo & Hermanno docto Hassiæ Landgrauiis Pactum Confraternitatis facerent,** quod a Carolo IV. Pragæ in die Luciæ fuit confirmatum.*** Renouatum hoc Pactum fuit a. 1392. inter Balthasarem, Thuringiæ & Hermannum Hassiæ Landgrauium.**** Iterum illud fuit renouatum a. 1421. inter Fridericum Bellicosum Misnensem, & Ludouicum Pacificum Has-

Hassiæ Landgrauium. ***** Tertio, a. 1431. inter Fridericum Placidum Electorem, Sigismundum, Wilhelmum III. fratres, Friderici Bellicosi filios, Fridericum Pacificum, Thuringiæ Landgrauium & Ludouicum Pacificum, Landgrauium Hassiæ. ****** In hac autem Terræ Saxonicæ fuerunt exceptæ, quæ tunc ad Misnenses peruenerant, cum Pactum hoc ad Terras Misnenses saltim fuisset directum. ******* Hanc a. 1434. confirmauit Sigismundus, qui tamen Terras Saxonicas sigillatim excepit. ******** Licet in Pactis posterioribus nullam amplius videamus exceptionem. Denuo hæc Confirmatio facta a. 1457. † vbi etiam mentio fit *des Churfürstenthumbs*: iterum a. 1487. †† atque a. 1495. Wormatiæ ††† a Maximiliano I. inter Fridericum Sapientem Electorem & Philippum Hassiæ Landgrauium, †††† an. 1520. ab Augusto Electore Numburgi a. 1555. ††††† a Christiano I. an. 1587. †††††† a Io. Georgio I. a. 1614. Numburgi ††††††† atque in omnibus Inuestituræ Actibus a singulis Imperatoribus. ††††††††

* Hæc communis est traditio, quam fouet CHYTRÆVS *Saxonia p. 480.* & WAREMVNDVS ab EHRENBERG *Medit. pro fœderibus lib. I. c. II. n. 35. p. 441.* DILICHIVS *Chron. Hassiæ ad a. 1263.* Contradicit tamen HOTTOMANNVS, Ingolstadienses & Louanienses *Vol. I. Cons. IX. Germ.* & LIMNÆVS *lib. IV. I. P. c. VIII. §. 161.* qui potius in annum 1373. consentiunt. Subdubitat etiam WINCKELMANN *Chron. Hassiæ p. V. c. VI.* Scilicet, Diuisionem isto tempore factam fuisse Brabantos inter atque Misnenses certum est, de Pacto Successionis vero tacent antiqui Scriptores.

** FABRICIVS lib. VI. p. 652. sic inducit Hermannum ad Misniæ Marchiones loquentem: *se paratum tradere illis Hassiam conditionibus eiusmodi, vt si absque herede decedat, eam possideant: sin vero aliquid illis accidat humanitas, vt heredibus careant, sui vt posteri eodem Iure fraternitatis vtantur. Hæc placuerunt fratribus: nec difficulter est ceteris ordinibus persuasum, quibus fœdera illa ignota non erant. Incidit autem hoc fœdus in annum MCCCLXXII. Baldasari*

 datur

datur negotium eundi in Hassiam: cui iuramentum a nobilitate atque Ciuitatibus est præstitum: iurant Hermanno itidem Turingi, Osterlandi & Misnenses. WINCKELMANN tamen *c. l. p. 522.* hoc ad an. 1373. refert, memorat etiam locum conclusi Pacti Eschwegæ. Ad eundem annum refert MÜLLERUS *Ann. Saxon. ad a. 1421.* Ipsum vero Pactum extat apud MÜLLERUM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII. §. IV.*

*** Extat hæc Confirmatio inter Documenta, quæ Actis Successionis Marpurgensis accesserunt *p. 26.* & apud LIMNÆUM *lib. IV. c. VIII. n. 161.* & apud LUNIGIUM *p. Spec. II. Theil p. 3.* MÜLLERUM *c. l. §. XX.* in qua inter alia dicitur, quod Wilhelmus Landgrauius, suo & fratrum nomine ad Imp. venerit: *da Wir sassen offenbar in viel anderer unserer und des Reichs Fürsten, Grafen, Freyen und Getreuen Gegenwartigkeit in Kayserl. Maiest. Zierde und Schœnheit als gewœhnlichen ist, kommen ist, mit Panieren und Fahnen seiner und seiner ebegenannten Brüder Fürstenthumen.*

**** Extat in forma apud MULLERUM *II. Vorst. c. LXVII. §. X.*

***** Prout patet ex MÜLLERI *Annalibus ad a. 1421.*

****** Testatur de eo GEORGIUS FABRICIUS *Origg. Saxon. lib. VII. p. 747.* dicens: *Renouatur eodem anno XI. Cal. Nouemb. fœdus fraternum & hereditarium inter Electorem & fratres; & inter Ludouicum IV. Hessiæ Landgrauium, excepta ditione Saxonica; quæ nec in fœderibus maiorum fuit comprehensa, quia ad Imperium pertinet, nec generi tribuitur, sed honori. Leges fœderis erant, quæ antiquitus; nempe libertas, Iura, & bona communia. Summa fœderis: vt alterutra familia sine heredibus sublata altera in Possessionem Terrarum succederet: ne defuncti Testamentum vllo modo violaretur. In Testamenti autem factione nihil legandum aliis præter definitam pecuniæ summam: nullam ditionis partem abalienandam dotem filiabus, sororibusque liberaliter & sine exceptione numerandam: Ordinibus cunctis seruandas immunitates & antiqua Priuilegia: ministris dandam mercedem & constituta salaria, nihil cuique de suo Iure detrahendum: donationes esse debere ratas & firmas. Præterea æs alienum persoluendum: arces aut vrbes oppignoratas primo tempore redimendas.* Patet & hoc ex ipso Pacto in quo: *doch nemen Wir Friderich,*

rich, Sigmund, Heinrich und Wilhelm, Gebrüdere vorgenant aus das Land zu Sachsen, daß VVir hinder dem Reich also nicht Macht haben zu verbrüdern, ydoch sollen und wollen VVir bey unsern gnedigsten Herrn, dem Rœm. Kœnig und dem Reich, ernstlichen, sundern alles Geverde, bearbeitten und getrawlichen versuchen: Ob wwir das Land zu Sachsen in diese unnsere Brüderschafft auch also bringen mœgen.

******* Extat apud MVLLERVM c. l. in qua Confirmatione: *ausgeschieden das Hertzogthum zu Sachsen.*

******** CHYTRÆVS *c. l.* SCHILTER *Tom. II. p. 76.* Extat Pactum apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII.* §. *XII.*

† Extat apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII. §. XIII.*

†† Extat apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVIII.* §. *VII.*

††† WINCKELMANN *c. l.* de hoc MVLLERVS *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII.*

†††† Extat apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII.* §. *XV.*

††††† Extat apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII.* §. *XVI.* LIMNÆVM *lib. IV. c. VIII. n. 161.*

†††††† MVLLER §. *XVII.* LIMNÆVS *lib. IV. c. VIII. n. 164.*

††††††† MVLLER §. *XVIII.*

†††††††† Sic enim in Litteris Inuestiturae Saxonicae Lineae Ernestinae a. 1688. *in Krafft der alt-Vaeterlichen Verbrüderungen und Vertrage zwischen denen Haeusern Sachsen und Hessen aufgerichtet, zu der gesamten Anwartung an dem Fürstenthumb Hessen kommen lassen.* Et circa finem: *So viel über obberührte Anwartungen, Primogenitur und Succession an dem Churfürstenthum zu Sachsen, samt dem Ertz Marschall-Amt und andern darzu gehœrigen obspecificirten Stücken, desgleichen an der Landgrafffchafft Catzenellenbogen belanget, mit denenselben soll es auf zutragenden Fall eines oder des andern Churfürstenthums, Fürstenthums und Grafffchafften Verledigung gehalten, und alles vollzogen werden, wie es die Expectantz und Begnadigungs-Briefe mit sich bringen und ausweisen.*

§. XX.

Ab hoc diuersum cum Domu Brandenburgica initum fuit

fuit Pactum. Primum a. 1451. inter Fridericum Placidum Electorem eiusdemque fratrem Wilhelmum III. atque Fridericum, Electorem, Iohannem, Albertum & Fridericum, Marchiones Brandenburgicos Fœdus hæreditarium Numburgi fuit conclusum. * Huic fœderi postmodum Ludouicus, Hassiæ Landgrauius a. 1457. accessit, ad idemque filii ipsius Ludouicus atque Henricus a. 1461. se obligarunt. ** In dicto Conuentu Numburgensi de a. 1457. etiam de Pacto quodam Confraternitatis inter Domum Saxonicam, Brandenburgicam atque Hassiacam conuenit, atque certum Proiectum Confirmationis Cæsareæ a Friderico III. Imp. impetrandæ fuit propositum, quod tamen ad effectum minime fuit deductum.*** An. 1470. equidem cum Alberto Achille Fœdus iterum placuit hæreditarium, nihil vero tunc actum fuit de Pacto Confraternitatis.**** Postquam autem an. 1537. in Citicensi congregatione Marchiones Brandenburgenses Pactum Successorium confirmari vellent, atque copiam Pacti cæteris exhibuissent, communi consensu decretum fuit, Archiua perscrutari, atque in Originalia inquirere. Nec in Conuentu Seruestano a. 1538. negotium illud ob quædam obstacula ad effectum duci potuit. † Anno 1555. Saxoniæ Duces, Augustus Elector & Io. Friderici Electoris filii, Ioannes Fridericus II. Ioannes VVilelmus, Ioannes Fridericus III. fratres, & Marchiones Brandenburgici, Ioachimus II. Elector, Ioannes Frater, Ioannes Georgius Electoris filius, & Georgius Fridericus, Georgii Anspacensis filius, & Landgrauii Hassiæ Philippus & VVilhelmus filius fœdus hæreditarium inuicem confirmarunt. †† Mansit igitur negotium Pacti Successorii in suspenso vsque ad a. 1571. vbi ad renouandum Pactum hæreditarium de mutuis auxiliis, Schönbeccii Conuentus fuisset institutus. Tunc enim ex duabus formulis illa, quæ a. 1457. inter tres

Fami-

Familias prædictas, & altera quæ inter Saxonicam & Hasſiacam olim facta, noua concepta, præſentibus exhibita, abſentibus vero, inter quos erat Georgius Fridericus, Brandenburgenſis Marchio, transmiſſa, qui ſaltim æqualem Succesſionem in partes deſiderauit. ††† Anno 1587. nouus Conuentus Numburgi, Fœderis auxiliaris gratia fuit celebratus, ibi leui additione ad priorem formulam facta, conſenſu mutuo Pactum ſucceſſorium fuit ſuſceptum, a ſingulis qui aderant ſubſcriptum, & confirmationem a Cæſare per Legatos eſſe petendam, fuit concluſum. Misſi ergo a. 1588. ad Cæſarem Legati, ſed dimisſi cum Reſponſo dilatorio. †††† Tandem an. 1614. in Conuentu Numburgenſi vltima vice & quidem die XXIX. Martii Fœdus Hæreditarium, *die Erb-Vereinigung*, die vero XXX. Martii Pactum Confraternitatis fuit ††††† iteratum, ſubſcriptum & ſigillis munitum, ſed Iuramento nullo vallatum. In eodem vero conuenit, vt, extincta Familia Brandenburgica, Saxones & Hasſi ex æquo ſuccederent. Extinctis vero vel Saxonica vel Hasſiaca familiis, Brandenburgici ſaltim tertiam, reliqua pars ſuperſtes duas tertias obtineret, Electorali dignitate ad Hasſiacos deuoluenda. Hoc vero Pactum cui Brandenburgici acceſſerunt, nec per Litteras Inueſtituræ, nec ſingulari Diplomate ab Imp. vnquam directe fuit confirmatum, cum potius in Litteris Inueſtituræ Pacti Hasſiaci ſaltim fiat mentio, ad idemque Vaſalli ſaltim & Subditi Saxonici in euentum obligentur. Indirecte tamen illud confirmari videmus in Pace Pragenſi, †††††† atque in Confirmatione Pacti Confraternitatis inter Brandenburgicos & Pomeranos a. 1574. a Maximiliano II. Imp. factæ. * Extat etiam in Capitulationibus Confirmatio Confraternitatum Generalis. ** Haut ita pridem de redintegranda hac Vnione & Pacto Confraternitatis a Boruſſorum Rege fuit propoſitum.

* Die Mercurii, post conuersionis S. Pauli festum LIMNAEVS *Addit. ad lib. IV. c. VIII. p. 606.* MVLLER *Ann. Saxon. ad a. 1451.*

** LIMNAEVS *c. l.* MÜLLERVS *ad a. 1457.*

*** MÜLLER *ad a. 1457. Freytags nach Quasimodogeniti ist zwischen Churfürst Friedrichen und Wilhelmen, Gebrüdern, Hertzogen zu Sachsen, und Landgraff Ludwigen zu Hessen, eines, und Churfürst Friedrichen zu Brandenburg, Iohansen den Alchymisten, Albrechten den Teutschen Achille, und Friedrichen dem Jüngern und Feisten, Gebrüdern, Marggraven zu Brandenburg, andern Theils ein Erb-Verbrüderungs-Receß zu Naumburg an der Saal, aufgerichtet worden. Diese Erb-Verbrüderung haben die Paciscenten eine Parthie der andern, nemlich die von Sachsen und Hessen, eines, und die von Brandenburg andern Theils, vor Sich und Ihre Erben gelobt und beschworen, iedoch ohne Verordnung, daß diese sich auf gleiche VVeise künfftig darzu anpflichtig machen solten.* Extat Pactum apud MVLLERVM *Maximiliano, II. Vorst. c. LXVII. §. XIIII.*

**** CHYTRAEVS *Saxonia p. 480.*

† LIMNAEVS *c. l. p. 614. 619.*

†† De hac CHYTRAEVS *Saxonia p. 480.* Extat etiam apud LVNIGIVM *p. spec. II. Theil p. 77.*

††† LIMNAEVS *p. 619.* & *l. IV. c. VIII. n. 161.*

†††† LIMNAEVS *c. l.* MVLLERVS *ad a. 1587.*

††††† Hoc autem a Pacto Saxonico-Hassiaco esse distinctum, patet ex eo, quod singulare plane inter dictas Familias tunc conuenerit. Extant vtraque apud LVNIGIVM *c. l. p. 154.* & WINCKELMANNVM *Hess. Chronic p. V. c. VI. p. 530.* LIMNAEVS *c. l.* Historiam huius Pacti ex Actis fuit persecutus. Singularibus Dissert. de eodem egerunt BENEDICTVS CARPZOVIVS & HENRICVS BODINVS *de Pacto Confraternitatis Saxonico-Brandenburgico-Hassiaco, Halae 1708.*

†††††† §. 79. *so solle auch dardurch der dreyen Chur- und Fürstl. Hauser Sachsen, Brandenburg und Hessen, uralte von den Rœmischen Kaysern confirmirte Erb-Einigung und Erb-Verbrüderung ohnbeschadt seyn.*

* Extat apud THVLEMARIVM *de Octouiratu cap. XVII. §. XXXVII.*

** CAPIT. CAROLINA *art. I.* verbis: *zuforderst aber die unter Churfürsten, Fürsten und Standen aufgerichtete Erb-Verbrüderungen - - in beständiger Form confirmiren.*

§. XXI.

§. XXI.

Aliud Pactum est *particulare*, quod ad quasdam saltim Prouincias directum. Tale Pactum inter Duces Saxoniæ Io. Fridericum II. Io. Guilielmum & Fridericum III. atque Georgium Ernestum & Popponem, Comites Hennebergicos a. 1554. fuit erectum, vi cuius, extincta quidem Familia Hennebergica, integer Comitatus Hennebergicus Saxonicis; extincta vero Familia Saxonica, Ducatus Coburgensis Hennebergicis obueniret. † Hinc extincta a. 1583. Hennebergicorum Comitum Familia, Saxoniæ quoque Duces successerunt. Deinde Pactum est vel *ambilaterale*, quod ab vtraque parte obligat, vel *vnilaterale*, cuius obligatio saltim ab vna parte. Tale erat Pactum Marchionum Brandenburgicorum cum Pomeraniæ Ducibus, de an. 1323. ad Successionem saltim Pomeranicam directum, vsque dum a. 1571. fieret ambilaterale, idemque Maximilianus II. Imp. a. 1574. confirmaret. †† Huc etiam referendum Pactum de successione inter Fridericum II. Electorem Brandenburgicum, atque Duces Megapolitanos an. 1442. initum, quod ad Successionem Megapolitanam saltim est directum, non vice versa ad Brandenburgicam. †††

† LIMNÆVS *lib. IV. c. VIII. n. 173.* HOENNS *Coburgische Chron. lib. II. p. 181.* LVNIG *p. Spec. Cont. II. p. 296.* THVLEMARIVS *Octouir. cap. I. §. XX. XXI.*

†† Extat hæc Confirmatio apud LIMNÆVM *Addit. ad lib. IV. c. VIII. n. 175.* & THVLEMARIVM *de Octouir. cap. XVII. §. XXXVII.*

††† Latius hæc exponuntur in FABRI *Staats-Cantzelley Tomo XIV. cap. I.*

§. XXII.

Quandoque defertur Successio etiam Fœminis † Exem-

plum habemus in Terris Auſtriacis, in quas ex Priuilegio Friderici I. de a. 1156. extinctis maſculis, etiam filiæ ſuccedunt.* Fridericus II. Imp. an. 1235. Ducatum etiam Brunſuico-Lüneburgenſem ad filias voluit deuolui. ** Philippus Imp. a. 1204. Henrico Duci Priuilegium conceſſit, vt fœminæ in Ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ, deficientibus maſculis, ſuccedant. *** Hinc etiam a. 1431. inter Renatum Andegauenſem & Barrenſem Ducem, qui vnicam Caroli, Lotharingiæ Ducis filiam in Matrimonio habebat, & Antonium Vaudemontanum Caroli illius fratrem de Succesſione in Lotharingiam magnum ſubortum fuit certamen. **** Wilhelmo, Hollandiæ Comite defuncto, ex Decreto Imperiali ſuccesſit Margaretha, Ludouici Bauari vxor, contranitente licet Iohanne, Brabantiæ ***** Duce. Maria Anna poſt mortem patris in Comitatum Sultzenſem & Landgrauiatum Kletgouienſem cum Iuribus adnexis ſuccesſit. ****** In Ducatu Iuliacenſi Cliuenſi & Bergenſi, Succesſio, ſi maſculi non extiterint, non ſolum ex Priuilegio Caroli V. de a. 1546. ſed etiam per pacta inter Io. Fridericum Saxoniæ Electorem atque Sibyllam Cliuenſem inita, fœminis etiam fuit definita. ******* Alias excluduntur regulariter fœminæ a Succesſione in Ducatus † atque Comitatus Germaniæ. Quod ſi etiam Principatus vel Comitatus pluribus allodiis ſint intermixti, fœminæ tamen ab adgnatis excluduntur, eo quod iſta Territorio plene incorporata, niſi extinctis omnibus maſculis, tunc etiam fœminæ in Allodiis poterunt ſuccedere. Atque tunc ſeparatio Feudi ab Allodio locum habet, prout in cauſa Limburgenſi videmus, dum extincto vltimo ex Limburgenſibus, Volratho, in Feuda Imperii ſuccederet Rex Borusſiæ ex Iure Expectatiuæ Allodiales vero Terras ſibi vindicarent Filiæ †† Idem factum in ſucceſſione Oldenburgenſi, dum in Feudis Imperii Hol-

ſatiæ Duces Adgnati ſuccederent, in Dynaſtia allodiali Ioannes, Anhaltinus Princeps, ex ſorore vltimi Comitis Magdalena prognatus. ††† Filiabus tamen præter Mundum muliebrem dignitati conuenientem, adſignari ſolet certa pecuniæ ſumma ex tributis prouincialibus, quod vocatur *die Fraulein-Steuer*, cuius quantitas pro diuerſitate Prouinciarum variat. †††† Idque ab aliquot iamdum Sæculis obtinuit, ††††† atque olim dicebatur *Marritagium.* †††††† Plerumque tamen renuntiare debent Hæreditati paternæ atque maternæ. †††††††

† Facit huc HENRICI COCCEII *Diſſ. de Ordine ſuccedendi Fœminarum illuſtrium in Territoriis, Francofurti ad Viadrum 1711.* qua potiſſimum de Succeſſione agit Lineali.

* Sic enim in Priuilegio apud LVNIGIVM *p. ſpec. Cont. p. 4. Si quod Deus auertat, Dux Auſtriæ ſine herede filio deceſſerit, idem Ducatus ad Seniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur.*

** Apud MEIBOMIVM *Tom. III.* extat *Hiſtoria erectionis Ducatus Brunſuico-Lüneburgenſis.*

*** PET. DIVAEVS *lib. I. Rer. Brabant. c. IX. & XIII.*

**** BROVVERVS *Ann. Treuir. lib. XIX. ad a. 1451.*

***** TRITHEMIVS *Chron. Hirſ. ad a. 1345.* S. H. G. *Diſſ. XXVI. §. XXXIII.*

****** IMHOF *Not. Proc. lib. VII. c. XIV. §. V.* Plura Exempla vide apud ARNISAEVM *lib. II. Relect. Polit. ſ. XII. n. 30.* MYLER *de Princip. Imperii c. XXIV. §. I. ſqq.*

******* Extant Pacta Dotalia in LVNIGII *Reichs-Archiv p. ſpec. ſect. II. p. 33.* Add. S. H. G. *Diſſ. XXXIV. §. XXXIII.*

‡ SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad a. 1033. Friderico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux impetrato ab Imperatore etiam Moſellanorum Ducatu, in Lotharingia potentius principatur.* Hinc etiam, dum poſt mortem Magni, Saxoniæ Ducis, ex Billinganis vltimi, a. 1106. filiæ ipſius Ducatum peterent, renuit Henricus V. Imp. eundemque Lothario Supplinburgico detulit. S. H. G. *diſſ. XVI. §. XII.* Eadem ratione

tione, extincto a. 1422. Alberto III. ex Ascaniis vltimo, Ioannes Alchymista Brandenburgicus, qui ex Rudolpho fratre filiam habuerat in Matrimonio, a Successione fuit repulsus s. H. G. *diss. XXIX.* §. *XXIX.*

†† Extat hac de re *In Iure & facto bestgegründete Deduction und Vorstellung, die Separation der Limburgischen Reichs Lehen von dem Allodio betreffend*, in FABRI *Staats-Cantzelley Tom. XVIII. c. I.* Reliqua scripta extant in *Tomo XXIII. c. XVI. Tomo XXVI. c. X.* ELECTIS I. P. *Tom. VI. p. 147. 455. Tom. VII. p. 959. Tom. XII. p. 879.* S. H. G. *diss. XXXVIII.* §. *LIX.* Diss. *de Allodiis* §. *XLVI.*

††† S. H. G. *diss. XXXVII.* §. *XVII.* BECMANN *Anhalt. Historie p. V. lib. III. c. III.* §. *XI.*

†††† In Testamento Io. Georgii I. Sax. El. cuiuis filiae Principi adsignantur 12000. thalerorum. In Linea Ernestina *die Freulein-Steuer* est 15000. florenorum Misnicorum. Vid. BETSIVS *de Pactis illustrium cap. VI.* §. *XLVII.* Quid circa hanc Dotationem in Domo Saxonica olim obtinuerit, exemplis declarat SCHILTERVS *Tomo II. p. 95.*

††††† Florentius Pinguis, Hollandiae Comes, in Charta an. 1197. apud BOXHORNIVM Theatr. Vrb. Holland. p. 120. *cum soror nostra aut filia aut filius matrimonium contraxerint coniugale, vnicuique eorum sex libras Hollandiae ministrabunt.* Florentius V. apud Eundem p. 187. *si ego filiusue meus vel frater vxorem duxerimus, si filiam vel sororem meam Matrimonio copulauerimus, in quouis articulo X. Libras Hollandicas tribuent.*

†††††† PETRVS de VINEIS lib. III. c. V. *donec eos in manibus eius omnem dotem & Ius de quibus tenebatur eis pro Maritagio, respondere oportuit necessario remisisse*, lib. III. cap. XVI. *& ideo cum pro Maritagio filiae nostrae charissimae, quam filio N. marchionis Misnensis decreuimus copulandam, a fidelibus nostris regnicolis subventionem placeat exhiberi.*

††††††† Exemplum eiusmodi Renuntiationis adduxit NIC. BETSIVS *de Pactis Illustr. p. 518.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Neque tamen per Succesſionem ſaltim, ſed etiam per Alienationem Ducatus atque Comitatus, vel Dynaſtiæ ad alios poterint transferri. In his ſecundum Leges Feudales, Moresque Germaniæ Cæſaris confirmatione opus erit.* Prout praxis docet continua, olim etiam Statuum Prouincialium & Vaſallorum Conſenſus requirebatur, quod tamen hodie non amplius obtinet. ** De Allodialibus vero Terris atque hæreditariis Principes olim atque Dynaſtas Germaniæ libere diſpoſuiſſe, easdemque alienaſſe, diuerſa teſtantur Exempla. Prout a. 1368. Godefridus Comes Arnsbergenſis, cum coniuge ſua, Anna Cliuenſi, Cunoni, Colonienſis Eccleſiæ Adminiſtratori Arnsbergenſem Comitatum vendidit. *** Simon Nobilis de Büren, Ruperto, Paderbornenſi Epiſcopo a. 1384. dimidiam partem Dynaſtiæ Webelsburgenſis vendidit. **** Qua ratione Noribergenſes Burggrauii plura bona ſine confirmatione adquiſiuerint, LIMNÆVS nos docet. ***** Ex deſignatione Duciſſæ Aurelianenſis, in Iudicio Compromiſſoriali Francofurtenſi exhibita, quoq; patet, plures Dynaſtias aliaque loca tali modo ad Palatinam domum veniſſe.****** Margaretha Maultaſchia a. 1363. per donationem inter viuos Bolzani conſcriptam, Auſtriæ Ducibus Comitatum Tirolis, Goriciæ, aliosque reliquit. † Plura Exempla Donationum Epiſcopatibus vel Monaſteriis factarum, docent nos Annales. Nec deſunt Exempla Territorii in Dotem dati. ††

* RADEVICVS lib. II. c. VII. *non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum & feuda, quæ Vaſalli ab eis tenebant, ſine Dominorum licentia obligauerunt, & quadam colluſione nomine libelli condiderunt, vnde debita ſeruitia omittebant, & honorum Imperii noſtri felicis expeditionis complementum minuebant* Eadem Alienatio prohibetur *II. F. LII. & LV.* Videri etiam poteſt GODEFRIDI de

STOCK-

STOCKHAVSEN *Diss. de Iure Statibus Imperii circa Alienationem Territorii competente*, *Erfordiæ* 1714.

** In Charta apud FRANC. GVILLIMANNVM *Habsburg. lib. VI. c. II.* de a. 1259. dicitur, Rudolphum Comitem Habsburgicum & Alsatiæ Landgrauium *Dieticam & Slieram vicos vendidisse, non solum suo sed & Vasallorum & ministerialium consilio & consensu.* Comites Waldeccenses Comitatum suum Hassiacæ Domui in Feudum offerre volentes, prius cum Subditis suis egerunt: *Dahero die Herrn Grafen zu VValdeck, auf sich genommen, ihre Vnterthanen zu behandeln, zu bitten und zu heissen, daß dieselbe solches placidiren und zum Zeugniß ihrer Beliebung den Herrn Landgraffen huldigen und gehorsam seyn sollen zu solcher Lehnschafft* apud AVCTOREM DER WALDECKISCHEN EHREN-RETTVNG *p. I. c. XI.* In Pactis inter Cæsarem & Ducem Würtenbergicum conuenit: *vt intra sextam hebdomadam filius huius Christophorus & populus ista confirment & habeant rata*, apud SLEIDANVM *lib. XVIII. p. 563.* HERTIVS *de Super. Territ. §. LXV.*

*** Facta hæc Venditio cum Iuribus, Dominiis, Iurisdictionibus altis & bassis, ac mero & mixto Imperio in MONVM. PADERBORN. *p. 203.*

**** FVRSTENBERGII *Monum. Paderborn. p. 206.*

***** *Addit. ad Lib. V. cap. VII.*

****** ADLZREITER *p. II. Ann. Boiic. lib. V. n. 16. sqq.* S. R. G. *diss. XXVII. §. XXIII.*

† Extat hæc Designatio ACTIS COMPROMISSI FRANCOFVRTENSIS *p. 63.*

†† *Diss. de Allodiis §. XLIV.*

§. XXIV.

Principi Viduæ per Pacta Dotalia constitui solet Dotalitium *ein Wittumb, Leib-Geding.* Hoc ab antiquis iamdum temporibus obtinuit, dum Henricus Auceps Mathildi vxori suæ Walhusam vrbem in Dotalitium constitueret.* Tale etiam Vxori suæ a. 1299. constituit Rudolphus Dux Austriæ.** Hoc autem non solum per Pacta Familiæ, sed etiam per Testamentum mariti hodie constituitur. Adsignari autem

autem solent præter certam Sedem, ad dies vitæ certa Bona, vel reditus, qui in Terris Saxonicis plerumque solent consistere in vsuris duplicatis dotis illatæ. Requiritur tamen secundum Leges Feudales, vt Dos vere sit illata. *** Conceditur etiam ipsis in Dotalitio Iurisdictio Ciuilis vel Criminalis, salua tamen semper Principi Regenti Superioritate. ****

* VITA MATHILDIS cap. I. *Tunc circumducebatur* (Mathildis) *ciuitas* (leg. per ciuitates) *egregii Ducis Ottonis a Comite Thietmaro & militibus ceteris: donec in Walohusen præparabatur conuiuium nuptiale magno honore, vti decuit illos, qui postea imperabant gentibus plurimis: ibi perfruebatur connubiis & licito fœdere amoris. Henricus autem tradidit venerabili nuptæ in dotem omne quod attinet ad eandem ciuitatem, patre suo consentiente.* Qua ratione vero Henricus an. 929. dictæ Mathildæ donauerit Quedlinburgum, Poledam, Northusam, Gronauiam, Duderstadtum, Tabulæ docent apud IOACHIMVM IOHANNEM MADERVM *Antiquit. Brunsuic. p. 102.*

** Extant tabulæ apud LEIBNITIVM *Cod. Diplom. p. 39. ac nihilominus dedimus & concessimus, damus & concedimus, & ex nunc assignamus prædictæ sorori Dotalitium seu donationem propter nuptias Comitatum Alsatiæ & Terram de Friburc Lausan. diœcesis, cum omnibus Iuris pertinentiis suis: quorum Comitatus & Terræ, quæ præfato Duci perpetuo & hæreditarie remanebunt nobilium homagia & fidelitates, & vniuersitatum & incolarum villarum insignium Iuramenta præstari faciemus, statim post contractum matrimonium, Procuratori dictæ Blanchæ Sorori dicti Regis pro ea solenniter stipulanti, quod eidem sorori, si præfato Duci forsitan superuiuat, tanquam fideles Vasalli & subditi Dominæ suæ, quoad vixerit, obedient & intendent.*

*** Vid. L. B. de LYNCKER *Vol. I. Resp. CXLV.*

**** Facit huc NIC. MYLERI *ab* EHRENBACH *Gamologia illustrium cap. X.* LVDOLPH *de Iuribus Fœminarum illustrium.* NIC. HENELIVS & IO. GEORG. SCHERTZ *de Dotalitio*, IO. FRIDER. DVLSSECKER *de Matrimoniis Personarum illustrium.*

Kkkk kkkk §. XXV.

§. XXV.

Quod si Principes sint Minorennes, *Curæ* vel *Tutela Illustrium* locum habet. Ad Maiorem vero Principum ætatem annus vigesimus quintus requiritur, qui non tam ex Iure Romano quam moribus potius, etiam inter personas illustres fuit receptus.* Excipiuntur tamen Electores, quibus Annus decimus octauus per A. B. fuit definitus:** etiam illi, qui ab Imp. veniam ætatis obtinuerunt.*** Immo quoque in diuersis Illustrium familiis atque prouinciis, alia ætas moribus fuit definita. In Domo equidem Saxonica annus ætatis vigesimus primus & Legibus moribusque Prouincialibus & inter ipsos Duces requiritur.**** Et dum Anhaltini Saxonum Iure semper fuerint vsi, Saxonesque imitati, eadem ætas apud eosdem quoque fuit introducta.***** Apud Hassiæ Landgrauios Lineæ Darmstadtiensis, ex Priuilegio Ferdinandi II. de an. 1625. annus decimus octauus saltim ad maiorem ætatem requiritur.****** Bauariæ etiam Duces, antequam adhuc Electoratum fuissent adepti, anno ætatis decimo octauo Regimen susceperunt.† In quibusdam Episcopatibus hunc annum locum habere *zur Stiffesmündigkeit*, supra iamdum diximus.††

* Sunt equidem qui contradicant, annum vigesimum quintum non adeo esse obseruandum putantes, vt non ab eodem possit recedi, hinc DIETRICH HERMANN KEMMERICH *de Maiori Principum ætate*, §. *XXVI.* plura producit exempla, quod Principum cura ante dictum annum fuerit finita. Sequitur eum LVDEWIG *ad A. B. p. 735.* Verum, si singula ista Exempla probe examinemus, vel venia ætatis ab Imp. fuit impetrata, vel alia ætas inter familias illustres obtinuit, id quod etiam continua docet Obseruantia.

** Vide supra *cap. XVI. §. XXIX.*

*** Vide supra *cap. XII. §. IV.*

**** Prout etiam adseritur in ELECTIS I. P. *Tom. VIII. p. 1024.* Obiici quidem potest, quod in Bulla Caroli IV. super Successione Electora-

ctoratus Saxonici an. 1376. concessa, dicatur: *Aetatem autem debitam in hoc casu, eligendi videlicet Romanorum Regem in Imperatorem promouendum, decem & octo annorum censeri volumus & haberi. In Principatibus autem Ducatibus & Dominiis aliis temporalibus gubernandis, Aetatem obseruandam decernimus, prout a diuis Romanis Imperatoribus & Regibus nostris praedecessoribus, est sancitum.* Id quod etiam in Bulla Wenceslai & Sigismundi Imp. repetitur, continua tamen praxis testatur, etiam in Saxoniae Ducatibus ad maiorem aetatem Annum XXI. suffecisse. Licet in Deductione Isenacensi apud LONDORPIVM Tom. XVI. p. 132. diuersa adducantur Exempla, quod olim etiam ante ista tempora Saxoniae Duces Regimen susceperint.

***** Prout demonstratur, ELECTIS I. P. *Tom. IX. p. 356.*

****** Testatur de eo ZECH *Europ. Herold p. I. p. 477.* secus in Linea Cassellana, in qua annus XXV. adhuc obtinet. Idem testatur SPRENGERVS *Instit. I. P. p. 427.*

† KEMMERICH §. *XXVI.* haec ex Actis Comitiorum Prouincialium an. 1514. profert.

†† Vide supra *cap. XII. §. IV.*

§. XXVI.

Tutela vero & Cura vel secundum Leges Imperii, vel secundum Pacta & consuetudines familiarum erit consideranda. Si nulla adsint Pacta, Ius Ciuile obtinet. Tutelam Electorum A. B. definiuit. * Circa Principum vero Tutelam olim quidem legitima apud Germanos potissimum obtinuit, ita tamen, vt Status Prouinciales insimul admitterentur, prout exemplum Meinhardi videmus, qui filius erat Ludouici Senioris Brandenburgici, cuius Tutelam an. 1362. & Adgnati Duces Bauariae & Nobiles petebant. ** Licet etiam Tutorum Testamento constitutorum videamus exempla. Henricus XIII. Inferioris Bauariae Dux, Ludouicum Bauarum Imp. Ioanni, filio suo Testamento constituit Tutorem. *** Thie-

dericus Misniæ Marchio, Henrico illustri filio suo, Tutorem constituit Ludouicum, Thuringiæ Landgrauium. **** Et licet Tutela legitima in Domo Saxonica postea obtinuerit, prout etiam Augustus Elector an. 1573. Tutor factus fuit filiorum Io. Wilhelmi, tanquam proximus adgnatus, ***** licet ipse Io. Wilhelmus Ludouicum Palatinum, & Albertum Megapolitanum Testamento constituisset Tutores. Eadem ratione Ioannis Vinariensis Tutelam Christianus II. Elector, tanquam Tutor legitimus a. 1605. suscepit. ****** Non desunt tamen alia etiam Exempla Tutelæ Testamentariæ. In Testamento siquidem Friderici Guilielmi Lineæ Altenburgensis de a. 1668. dicitur, quod Tutela Testamentaria in Domo Saxonica minime fuerit insueta, qui etiam Io. Georgium II. Saxoniæ Electorem & Mauritiū Ducem Saxo-Citicensem constituit Tutores Supremos, subalternam vero Tutelam Consiliariis suis Intimis reliquit. ******* In Recessu Gentilitio inter Wilhelmum, Albertum & Ernestum Saxoniæ Duces an. 1641. inito, definitur, etiam Testamento constitui posse Tutores. ******** In alio inter Lineam Vinariensem atque Isenacensem a. 1667. fuit definitum, vt liceat Patri filio impuberi de Tutore prospicere, ita tamen, vt in publicis & secretis Domus Adgnatus votum gerat. ********* Adolphus Guilielmus Isenacensis, Ioannem Ernestum Vinariensem & Rudolphum Augustum, Brunsuicensem Ducem constituit Tutores. Mauritius Saxo-Citicensis Io. Georgium & Fridericum, Isenacensem atque Gothanum. † Quandoque Legitimis Tutoribus ex Testamento paterno, vel mater, vel exteri etiam Principes solent adiungi, maxime quantum ad Educationem, vel Diuisionem Terrarum, prout Exemplum Friderici Guilielmi testatur, qui præter Ioannem fratrem, Tutorem legitimum, Christianum II. Electorem designauit. †† In Domo Austriaca, defuncto Alberto

berto IV. filii adhuc impuberis Tutelam Ordines deferebant Leopoldo IV. ipſius Adgnato, proteſtante deſuper Erneſto, fratre, qui deinde in Tutelæ conſortium fuit adlectus. ††† Ludouicus Bauarus Imp. legitimam Tutelam contra Auſtriacos an. 1313. obtinuit Henrici & Ottonis Ducum Bauariæ. †††† Locum etiam ſæpe habet Tutela Fœminea & Materna, prout nuper demum in Domo Anhaltina vidimus, ††††† hæ tamen ſuſcepta Tutela Nuptiis ſæpe ſecundis & SCto Velleiano renunciarunt. †††††† Licet plerumque Matri ſaltim Tutela relinquatur ratione educationis, ratione vero adminiſtrationis Terrarum adgnatus adiungatur. ††††††† Admitti quoque poſſe Tutores diuerſæ Religionis, quantum ad Regimen potiſſimum Prouinciæ, Exempla in Domo Palatina aliisque nos docent, licet alia ſit ratio educationis, quæ tunc vel Matri, vel Adgnatis eiusdem Religionis, vel Statibus etiam Prouincialibus erit relinquenda. †††††††† Immo, circa Tutelam Io. Wilhelmi Principis Ienenſis diſputatum fuit, an, qui in pari gradu Adgnationis ſint conſtituti, etiam inſimul Legitimam Tutelam debeant adminiſtrare, an vero Senioratus ſecundum Ius Saxonicam tunc locum habeat. * Illud defendebant Iſenacenſes, hoc Vinarienſes, ** quæ tamen Controuerſia Kl. Maii 1688. per Pactum ſingulare fuit ſopita atque tutela Seniori fuit relicta. ***

* Supra *cap. XVI. §. XXIX.*

** HENR. REBDORFFIVS ad a. 1361. *Eodem anno poſt feſtum Paſchæ oritur guerra grauis inter Duces Bauariæ ſuper tutela ſeu cura Meinhardi Marchionis Brandenburgenſis & Ducis Bauariæ filii Ludwici ſupraſcripti: ex hoc & pro eo, quia Rupertus Dux Bauariæ & Comes Palatinus Rheni & Stephanus Senior, ac Stephanus Iunior filius eius, Duces inferioris Bauariæ (quibus etiam Dux Auſtriæ aſſiſtebat) ex vna parte contendebant eſſe tutores & curatores præfati Mein-*

Meinhardi iuuenis tanquam legitimi tutores secundum legem ciuilem. Sed alii Nobiles Terrae, consiliarii patris eiusdem (quibus Fridericus filius Stephani Ducis praescripti assistebat) ex alia parte similiter volebant esse tutores & curatores praefati iuuenis, in quorum fuit potestate, & tanquam ii, quibus filius fuit commissus a patre & cuilibet partium aliquae ciuitates Terrae adhaeserunt. Et cum ambae partes cum magna comitiua armatorum se parassent ad bellum, & hoc inuicem vicinia condixissent, contigit causaliter tunc in festo Corporis Christi (quod fuit XVI. Kalen. Iulii) quod idem Marchio iuuenis deuenit in potestatem partis aduersae, videlicet Ducis Stephani, & sibi adhaerentium, & sic sine bello ab inuicem recesserunt. Idem dicunt ANDR. PRESBYTER *Chron. Bauar. p. 37.* AVENTINVS *lib. VII. c. XXI. n. 12.* ADLZREITER *p. II. lib. III. n. 6.* Plura Exempla adducit HERTIVS *de Spec. Rebuspubl. S. II. §. XVII.*

*** S. H. G. *diss. XXVI. §. XXVI.*

**** Singulare est, quod de Tutela Henrici Illustris, Misniae Marchionis narrat GEORGIVS FABRICIVS *Origg. Saxon. lib. VI. p. 574. Defuncto ipsius patre, cum pubertatis nondum excessisset annos, Ludouicus IV. Landgrauius Turingiae, eius auunculus, pueri tutelam, quam viuens eidem pater commiserat, suscipit; sororique Imperium relinquit; qua neminem existimabat populo Misnensi aequiorem. Echardus Praesul Mersburgicus, sibi tutelam poscebat Osterlandiae, & oppidorum, quae inter Salam & Muldam sita essent. Eam postulationem cum viro Ecclesiastico indignam Turingus duxisset, & praefecti vrbium Lipsiae, Grimmae, Bornae & Groizae, eam detrectarent: Praesul & Henrico adolescenti, & eius tutori, atque ipsis praefectis interdixit sacris: sed minis territus Praesul, a suo iure, quod vrserat, discessit: & edictum seuerum antiquauit. Fuerunt etiam e generosorum & nobilium ordine in Misnia, qui ad se tutelam pertinere dicebant, qua contentio ita multos afflixit, vt aliqui fortunis exuerentur, & vitam amitterent.*

***** MVLLERVS *Ann. Saxon. ad d. 8. Aprilis 1573.*

****** MVLLER *ad d. 31. Oct. 1605.* Plura Exempla adlegantur in DE-

DEDVCTIONE VINARIENSI apud LONDORPIVM *Tom. XVI. 109. 110.*

******* Extat hoc Testamentum apud LVNIGIVM *Cont. II. p. 579.* in quo: *Vnd ob schon bekannt, was de Tutela legitima die Rechte verordnen, so ist auch doch die Testamentaria Tutela bey dem Chur- und Fürstlichen Hause Sachsen nicht ungewæhnlich, die wir uns auch, um Verhütung grosser Weitlaufftigkeit willen, gefallen lassen.*

******** Apud LVNIGIVM c. l. p. 447. *Schliesslichen und zum neun und zwanzigsten, haben VVir uns noch mit einander verglichen, daß einem jeden seines Gefallens unter den Lebendigen, oder Testaments-weise für seine unmündige Erben Vormünder zu setzen, frey stehen, und erlaubet seyn soll.*

********* DEDVCT. ISENACENSIS apud LONDORPIVM *Tomo XVI. p. 117.*

† Ad hæc Exempla prouocatur in DEDVCTIONE ISENACENSI apud LONDORPIVM *Tom. XVI. p. 135. 147.*

†† MVLLER *Ann. Saxon. ad 7. Iulii 1602.*

††† S. H. G. *diss. XXIX. §. XXXIV.*

†††† S. H. G. *diss. XXVI. §. III.*

††††† ELECTA I. P. *Tom. VIII. p. 964.* Quare COCCEIVS *de Tutelis Illustrium S. III. §. XII.* non satis recte Tutelam maternam quantum ad Terrarum Administrationem excludit. Sic etiam olim Ludouicus Bauarus postea factus Imp. sub Tutela materna fuit educatus, S. H. G. *diss. XXVI. § II.* Alia Exempla refert HERTIVS *de Spec. Rebuspubl. S. II. § XVIII.* Contrarium tamen videmus in Domo Megapolitana, in qua Adolphus Fridericus Lineæ Suerinensis tanquam proximior Adgnatus a. 1636. Eleonoram Mariam Matrem, Testamento constitutam Tutricem, eo quod Reformatæ Religioni esset addicta, a Tutela Gustaui Adolphi filii exclusit, licet ipsa contradiceret de quo: *Informatio Facti & Iuris in Vormundschafft Sachen der Durchlauchtigen Fürstin, Frauen Eleonoren Marien, Hertzogin zu Mecklenburg 1641. 4.*

†††††† Patet hoc ex Tutorio Leopoldi de an. 1666. super Tutela Christiani Eberhardi, Frisiæ Orientalis Principis apud LVNIGIVM *II. Contin. III. Forts. p. 786.* in quo: *dessen Vormundschafft Dero Lbd. als die Mutter, und Fürstin zu Ost Friesland auf vorhergangene Renuncia-*

nunciationem secundarum Nuptiarum, & Senatus Consulti Velleiani neben Dero Lbd. und die als erbethene nechste Agnati und Befreunden zu unternehmen, sich entschlossen.

††††††† Prout in Domo Würtenbergica post mortem Eberhardi Ducis a. 1678. fuit factum, de quo SCHILTER *T. II. p. 88. & lib. I. Tit. XII. §. IV.*

†††††††† Sic Ioannes Casimirus Palatinus Reformatæ Religioni addictus Friderici IV. licet in Lutherana Religione educati, Tutelam a. 1583. suscepit. Qua ratione vero circa Tutelam Ortenburgicam anno 1667. disceptatum fuerit, exponit FRITSCHIVS *Electis Iur. Publ. c. IX.*

* Factum hoc post mortem Ioannis, Ducis Saxo-Vinariensis a. 1605. vbi ex Adgnationis Iure, Ioannes Casimirus Tutelam petiit, non æque frater eius Io. Ernestus, de quo MVLLERVS *ad d. 31. Oct. 1605.*

** Scripta hac in caussa inter vtramque partem ventilata, exhibet LONDORP. *Tom. XVI. cap. IV.* LVNIGII *Grundveste p. II. p. 110.*

*** Extat Pactum apud LONDORPIVM *Tomo XVI. p. 158.* Sic etiam a. 1473. in Domo Hassiaca Tutela saltim Seniori ex fratribus fuit relicta BETSIVS *de Pactis Illustrium cap. VII. §. XX.*

§. XXVII.

Petitur Confirmatio Tutelæ ab Aula Cæsarea, licet etiam in hoc Saxoniæ Duces immunitatem sibi adserant, atque plerumque Tutelam sine Cæsaris confirmatione exercuerint. * Geritur Tutela secundum Iura recepta, atque Subditi quoque tenentur ad Homagium, quod dicitur *die Vormundschaffts-Huldigung*, omnis etiam Terræ administratio a Tutore dependet, ideoque Regimen dicitur *die Vormundschaffts-Regierung.* Postquam autem Pupillus vel Minor iustam adimpleuerit ætatem, Tutela finitur, atque Tutor, a quo tamen rationes Tutelæ administratæ rarius petuntur, Apographum Tutelæ gestæ accipit. **

* MVLLER. Ann. Saxon. ad 7. Iulii 1602. *die Kayserl. Confirmation aber wurde nicht gesucht, weiln dergleichen in dem Chur- und Fürstl. Hause Sachsen nicht brauchlich.* Idem ad 4. Dec. 1696. *wurde in dem Kayserl.*

serl. Reichs-Hoffrath zu Wien, wegen der Fürstl. Merseburgischen Tutel, dieses Conclusum gemacht, wofern der Churfürst das von ihm allegirte undenckliche Herkommen, krafft dessen demselben in seinem Churhause die Tutel ohne einige Confirmation oder andern præstandis, zukomme, innerhalb Zeit zweyer Monate dociren und darthun würde, sodann fernere Kayserliche Resolution erfolgen solle. Idem confirmat L. B. de LYNCKER *de Libert. Stat. p. 60.* Adducit tamen SCHILTERVS *Tom. II. p. 82. Bedencken in puncto Confirmationis Tutelæ* idque a Consiliariis Altenburgensibus, in quo dicitur, securius esse Tutelæ Confirmationem a Cæsare petere, prout etiam in Linea Gothana, nondum vero in Vinariensi fuit factum.

** COCCEIVS *c. XXIX. §. XIV.* Vid. SCHILTER *Inst. Iur. Publ. lib. I. Tit. XII. §. V.* Facit huc IO. PHILIPPI RINGLERI *de Tutelis illustrium Specimen Iuris Publici,* in quo tamen pleraque ex placitis Iuris Ciuilis deducuntur.

§. XXVIII.

Nec desunt Iura quædam & Prærogatiuæ, personam Principum concernentia. Huc facit, quod Principes olim apud exteros gladium sibi præferri fecerint, in signum Iurium Imperii.* Iisdem caput coram Imp. tegendi facultas competit.** Iure Ceræ rubræ vtuntur. *** Donationes illustrium iudiciali insinuatione haut indigent. † Facultatem habent testandi sine solennitatibus, †† nisi vbi circa Terras Imperii disposuerint, tunc Imp. confirmatione opus est, prout diuersa testantur Exempla, ††† de futura Successione paciscuntur †††† Promissiones illorum *bey Fürstlichen Worten und Ehren,* citra casum Testimonii dicendi, vim habent iuramenti. †††††

* De Henrici V. Imp. Legatis in Galliam missis, SVGERIVS Vita Ludouici Grossi p. 289. *Hi siquidem erant Archiepiscopus Treuerensis, Episcopus Aluertatensis, Episcopus Monasteriensis, Comites quamplures, & cui Gladius vbique præferebatur Dux Welfo, vir corpulentus, & tota superficie longi & lati admirabilis & clamosus.*

** PVFENDORF Rer. Brandenburg. lib. IV. §. XXXVII. ad an. 1653.

Isthac porro Controuersia, quæ nostris Lubecæ mouebatur, Electori dignitatis suæ retinentissimo ansam præbebat, vt Ratisponam ad Conuentum Ordinum Imperii mittendis stricte iniungeret, quid circa solennia rituum sequi deberent. Quæ inter erat, vt si Principum quispiam prout solet mensæ Cæsareæ adsistens caput tegeret, Electorales quoque legati reuocato vetere more caput tegerent. Nam an. 1642. Palatinus Neoburgicus tecto capite fuerat, Electoralibus Legatis demto pileo adstantibus, id quod Elector emendari cupiebat. Idem ad a. 1666. lib. IX. §. vlt. *Quin etiam ad mensam Cæsaris extra Residentiam adorti Principes, ab isto, vt caput tegant, rogantur.* Coram Augusta vero caput haut tegunt. L. B. de LYNCKER *de Libert. Statuum sect. I. §. IV.*

*** STRYK *de cera rubra.* Licet hæc concessio olim ab Impp. dependerit, prout patet ex MVLLERI *Annalibus Saxonicis ad d. 25. Martii 1423.*

† MYLER *de Principibus & Stat. Imperii c. XXVII.*

†† MYLERVS c. XXVI. Contrarium equidem docet STRYKIVS *de Cautelis Testamentorum c. V. m. II. §. IX. & X.* Solennia Testamentorum in publicis Imperii Comitiis a. 1512. comprobata esse dicens, ita, vt in vnius Principis potestate haut sit, Iuri ab omnibus Imperii Statibus recepto, sese eximere. Varia inde adducit Exempla Testamentorum solennium. Verum, licet Principes Regimini suo Testamentum offerrent, vel illud ab Ordinibus confirmari sinerent, factum illud non Solennitatis, sed maioris securitatis gratia, vt Regimen, vel Ordines Prouinciales ad illud seruandum obligarent. Potius concludimus, si Principes circa priuatorum Solennitates dispensant, prout demonstrauimus, *c. XXVI. §. LIV.* nec ipsi ad easdem tenentur.

††† Testamentum Io. Georgii I. Saxoniæ Electoris de a. 1652. confirmauit Ferdinandus III. Imp. LVNIG *p. spec. II. Theil p. 176.* Testamentum Io. Georgii Isenacensis de a. 1685. extat *p. 211.* Christiani Merseburgensis a. 1688. *p. 228.*

†††† Huc faciunt Pacta Confraternitatis, aliaque Successoria de quibus dictum fuit in superioribus. MYLER *c. XXV.*

††††† GAILIVS *II. Obs. LIX. n. 6.* MYNSINGER *I. Obs. XVII.* RVLANDVS *de Commissariis p. II. lib. II. c. XI. n. 41. seqq.*

CAPVT

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM

DE

MEMBRIS IMPERII IMMEDIATIS ET VASALLIS.

§. I.

Ultimo in Imperio nostro consideranda sunt Membra & Vasalli, quatenus scilicet a Statibus distinguuntur. * Membra potissimum constituunt Nobiles immediati. NOBILES ** in Germania nostra diuersimode distinguuntur: secundum septem Clypeos militares, *nach denen sieben Heerschilden*, ita, vt primum constituat Rex Romanorum, alterum Principes Ecclesiastici, tertium Principes seculares, quartum Liberi domini siue Comites, quintum medii liberi *die Mittelfreyen*, siue Barones, sextum Ministeriales, siue Nobiles, septimum *die Semperlüte*, qui ex parentibus quidem Nobilium minime nati, ob certa Feuda vero seruitia præstabant militaria, vel ministeria Palatina. ***

* Agit de iisdem R. I. Wormatiensis 1564. §. 29. *Vnd wollen wir als Rœmischer Kayser, gegen denen, so nicht Stand des Heiligen Reichs, iedoch dem Heil. Reich immediate unterworffen, diese Constitution exerciren.*

** Titulus Nobilis a Papa Ducibus etiam & Comitibus hodie adhuc tribuitur, prout docuit HVLD. ab EYBEN *de Titulo Nobilis p. 818.*

*** *I. Feud. Alemann. cap. I.* HISTORIA IVRIS *cap. VIII.* §. *X.*

§. II.

Deinde diſtinguuntur in Superiores atque Inferiores. * Sub ſuperiori Nobilitate olim omnes intelligebantur, qui Regna vel Feuda regalia tenerent, Reges, Comites, Barones, *Herrenſtands-Perſonen.* Sub inferiori vero Nobilitate minores, qui abſolute tales ſunt. Hinc diſtinguebantur etiam in Officiales, quod nomen Ducibus potiſſimum competebat, & Miniſteriales, qui ob certa Feuda ad miniſteria tenebantur. Diſtinguuntur porro in Liberos atque Miniſteriales. Iſti dicebantur *Schœppenbahr Freyen,* ** qui immunes erant a Miniſteriis, e quibus orti fuerunt Barones. *** Inualuit etiam diſtinctio in *Ritter und Knechte,* quorum illi, qui Equites fuerunt creati, hi ſimplices Nobiles. Demum diſtinguuntur in Nobiles mediatos atque immediatos. Iſti, qui ſub Ducibus eſſent atque Officialibus: hi vero, qui ſeruitia Imperio immediate præſtabant, dum reliqui illud mediate ſaltim ſub ſuis Principibus facerent, de quibus hic ſermo Germ. *die ohnmittelbahre Reichs-Ritterſchafft.*

* De hac materia egregie ANT. MATTHÆI *de Nobilitate.*

** SPEC. SAX. *lib. I. art. III.* HISTORIA IVRIS *c. VIII.* §. *VIII.*

*** Sic enim diſtinguit CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 311.* inter Barones & Miniſteriales.

§. III.

Originem ſuam Immediata Nobilitas habet ex Terris Im-

Immediatis, dum enim istæ a Ducum potestate essent exemtæ, soliusque Imp. adgnoscerent potestatem, Nobiles in iisdem viuentes ab Imp. quoque dependebant immediate. Hinc primi atque antiquissimi Nobiles apud Germanos, Rhenenses. In Francia & Sueuia vero, qui olim Ducatus fuerunt, æque dantur Nobiles Immediati, qui originem suam exinde ceperunt, quod vtraque Prouincia olim sub fisco regio fuerit, & Francia post varias mutationes Sueuiæ accessit. * Licet autem Sueuia Duces accepisset, quibus etiam Vasalli, ratione Feudorum subiecti, videtur tamen ratione allodiorum ipsis libertas remansisse. ** Durante vero Interregno, vtraque hæc Nobilitas potiora cepit incrementa. Occasionem dedit Philippus, Sueniæ Dux, postquam factus fuisset Imp. Hic enim, teste CONRADO VRSPERGENSI, † cum non haberet pecunias, quibus salaria præberet militibus, primus cœpit distrahere prædia, quæ pater suus Fridericus, Imperator late acquisierat in Alemannia, ita, vt cuilibet Baroni, siue Ministeriali villas, seu prædia rusticana, vel Ecclesias sibi contiguas obligaret. Hi igitur, Domania pleraque adepti, Superioritatem quidem Sueuiæ Ducum adhuc adgnoscebant: his autem cum Conradino paullo post extinctis, dum Sueuia æque ac Franconia Ducibus destituerentur, Imperio se subiecerunt, ex quo tantus numerus Sueuicæ atque Franconicæ Nobilitatis, quorum Bona pleraque in Allodiis saltim consistunt Immediatis, e quibus tamen permulta in Feudum fuerunt oblata. ††

* *Cap. III. §. VIII. IX.*

** Patet hoc ex VVIPPONE in vita Conradi Salici *p. 435. inde ad oppidum, quod Vlma vocatur, veniens, & colloquium publice condictum illic habuit. Huc Dux Ernestus non voto supplice venit, confisus in multitudine militum, quos optimos habuit, vt vel secundum libitum*

sum cum Cæsare se pacaret, vel inde per potestatem rediret, & habito colloquio cum suis primum monuit eos fidei sacramentaliter promissæ. Dehinc hortabatur eos, ne illum desererent, ne honorem suum perderent, non decere eos immemores fore, in historiis patrum, semper Alemannos bonæ fidei & stabilitatis in Dominos testimonium habere & si sibi fidi forent, illis præmia, posteris eorum gloriam & honorem esse futurum. Talia dicenti duo Comites, Fridericus & Anselmus pro cæteris respondebant, hoc modo: nolumus inficiari, quin vobis firmiter promitteremus contra omnes, præter eum, qui nos vobis dedit, sin servi essemus regis & Imperatoris nostri, & ab eo iuri vestro mancipati, non nobis liceret a vobis separari. Nunc vero cum liberi simul & libertatis nostræ summum defensorem interea Regem & Imperatorem nostrum habeamus, vbi illum deserimus, libertatem amittimus,

† *p. 311.*

†† CASPAR A LERCH *de Ordine Equestri*, originem & dignitatem, Iura etiam Nobilitatis Imperii immediatæ vberius fuit persecutus, Add. DAVIDIS GEORGII STRVBII Dissertatio *de Origine Nobilitatis Germanicæ & præcipuis quibusdam eius Iuribus, Lugduni Batauorum a. 1718.* sub Præsidio GERHARDI NOODT ventilata. Præ cæteris vero huc facit IO. STEPHANI BVRGERMEISTERS *Status Equestris Cæsaris & Imperii Romano-Germanici*, qui Originem, Historiam, Incrementa & Familias Ordinis Equestris multa industria exposuit.

§. IV.

Diuiduntur igitur hodie Nobiles immediati in tres Classes, Sueuicam, Franconicam & Rhenanam.* Isti iterum in certa loca, Germ. *Viertheil* distinguuntur Sueuica quidem nobilitas distinguitur in quinque loca *(1.) an der Donau, (2.) im Hegau, Bodensee und Allgau, (3.) am Neckar, Schwartzwald und der Ortenau, (4.) am Kocher, (5.) Kreichgau.* Equites Franconiæ, in sex diuiduntur loca, *(1.) Odenwald, (2.) Steygerwald, (3.) Gebürg, (4.) Altmühl, (5.) die Buchenau, (6.) die*

Rœhn

Rœhn und Werrs. Rhenani in tria loca, *(1.) im Gau und Wasgau, (2.) Nieder-Rheinstrom, Hundesrück, Eberswald, (3.) Wetterau, Westerwald, Rheingau.* Sub Rhenanis olim erant nobiles inferioris Alsatiæ, qui vero nunc Gallis subiecti.

* R. I. Augustæ *de a. 1500.* §. 47.

§. V.

Quælibet Classis suum habet Directorem, quilibet locus, *Orth*, suum Capitaneum, *Ober-Hauptmann & Vnter-Hauptleute.* Vniuersale vero Directorium singulis annis mutatur, & mutatis vicibus a Circulo Sueuico, Franconico & Rhenano geritur. Habent etiam suos Consiliarios, Syndicos, Secretarios, Registratores & Scribas. *

* BVRGERMEISTER *p. 555.*

§. VI.

Bona nobilitatis immediatæ sunt vel immediata, vel mediata: Ista ab Imp. tenent, eorundemque ratione neminem adgnoscunt superiorem, quam Imperatorem, & sunt vel bona feudalia, de quibus ab Imp. inuestiantur, vel allodia, * qualia illorum bona pleraque fuerunt, licet permulta etiam diuersis Imperii Statibus in Feudum fuerint oblata. Alia bona sunt mediata. Licet multa adhuc sit controuersia, an Nobiles Immediati Feuda a Principe Imperii habentes, eiusdem etiam Iuri Territorii subiiciantur. De Saxonia, Bauaria terris Austriacis, aliisque, quæ ad Territoria clausa solent referri, non amplius disceptatur, de Franconia vero, Sueuia & Terra Rhenensi, adhuc haut leuis agitatur Controuersia, maxime inter Electorem Palatinum, Marggrauios Brandenburgenses

ses, Ducem Würtenbergicum, Comites Rhenenses ** atque Nobiles Immediatos prædia possidentes, ipsorum Status Imperii a Dominio directo subiecta ad Ius Territorii prouocant atque diuersa Impp. Priuilegia & Consuetudinem aliarum Germaniæ Prouinciarum, secundum quæ Vasalli etiam Dominis Territorii ad religionem obsequii teneantur, allegant; *** Nobiles Immediati vel ex nomine suo Iura Imperii patere contendunt, deinde ad diuersa Priuilegia ab Imp. impetrata **** prouocant, per quæ soli Imp. reseruentur, nec in istis Terris subiectionem atque Landsassiatum obtinere, cum a dominio directo ad Ius Territorii argumentum sumi nequeat, eo quod Vasallagium præstent, non vero homagium, ideoque hæc Territoria esse non clausa & potiora Feuda oblata. ***** Dum autem ista distinctio in Territoria clausa & non clausa minime procedat, potius bona in Territorio sita præsumantur esse eidem subiecta, atque Priuilegia Nobilium Iuribus atque Priuilegiis Principum, quæ antiquiora, nullum adferre possint præiudicium, Principum Iurisdictionem in bona non solum, sed etiam personam Nobilium Immediatorum in perpetratis potissimum delictis fundari & Iura docent & Exempla, maxime, dum etiam Nobiles Immediati in Ciuitatibus Imperii degentes, harum Iurisdictioni sint obnoxii.

* *Diss. de Allodiis Imperii* §. *XXXVII. XXXVIII.*

** Facit huc IO. SCHILTERI *de S. R. G. Imperii Comitum Prærogatiua ac Iure inter ipsos & Ordinem Equestrem Imperii immediatum secundum quosdam controuerso*, *Diatribe*, *Argentorati 1702. 4.* cui IO. STEPHANVS BVRGERMEISTER opposuit: *Graven- und Ritter-Saal, Vlmæ 1715. 4.* eodemque Scripto voluit demonstrare, Nobiles Immediatos olim cum Comitibus paris Iuris fuisse habitos.

*** Hanc Principum Iurisdictionem in Nobiles etiam Immediatos defendunt MVLTZIVS *in Repræs. Imperii p. II. c. XXV. membr. V. n. 38.*

L. B.

L. B. de LYNCKER *de Grauam. extraiudiciali cap. VI. n. 4. Cap. IX. n. 3. Vol. I. Resp. XXVII. Resol. DLXXV. Decis. CCCXCII. DCLXII.* GOECKEL *de Iurisdictione* p. 7. & plures alii.

**** Hæc Priuilegia & a BVRGERMEISTERO & LVNIGIO videmus collecta.

***** Iura Nobilitatis & caussam diuersis Scriptis defendi videmus, quæ nuper demum congessit, Vir circa hanc Nobilitatem probe meritus, IO. STEPH. BVRGERMEISTER in *Thesauro Iuris Equestris Publici & Priuati, Vlmæ 1718. 4.*

§. VII.

Iura Nobilitatis immediatæ sunt eximia. Olim quidem ad Comitia æque vniuersalia admittebantur, vbi vel Imp. eligendus, vel leges vniuersales erant ferendæ.* Postquam vero hæc desierunt, non amplius vocantur, ideoque nec inter Status Imperii erunt referendi.** Et licet an. 1686. petierint, vt ipsis secundum tres Classes suas tria concederentur Vota curiata in Comitiis, ipsis etiam faueret Imp. & Moguntinus, contradicebant tamen Principes atque Ciuitates Imperiales. †

* Vide supra *cap. XXII. §. VI.* BVRGERMEISTER *Grafen- und Ritter-Saal sect. XLVII.* MVLLER *Friderico, I. Vorst. p. 18. 83. Maximiliano II. Vorst. c. LIV.* DATT *lib. V. c. IV.*

** Statuum quidem Iura Nobilibus Immediatis adserere conatus fuit HIPPOLYTVS a TREISBACH *im unvorgreifflichen Bedencken über etliche Fragen der freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben, Francken und Rheinstrom, Stand und Session betreffend,* prouocans ad Capitulationem Caroli V. *art. XV.* Ferdinandi II. art. XII. Ferdinandi III. *art. XVII.* quibus Statibus accenseantur, cui tamen respondet LIMNÆVS *ad Capit. Caroli V. art. XV.* TITIVS equidem *de Habitu Territ. Germaniæ §. XXV.* eosdem pro Statibus habet, eo quod sint immediati, verum male argumentatur.

† Vid. diuersa Acta hac de re in PFEFFINGERI *Notis ad Vitriarium lib. IV. Tit. I. §. 34.* FRITSCHII *Electis Iur. Publ. c. XIII.* LONDORP *Tom. XIII. c. XXIII.* in LUNIGII *Staats-Consiliis Tom. II. p. 1096.* reperitur: *Bedencken, warum der læblichen freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben, Francken und am Rheinstrom Votum & Sessio auf Reichs und Crayß-Tegen nicht zu verstatten, 1687.*

§. VIII.

Nec etiam ipsis in ditionibus suis immediatis tribui poterit Superioritas Territorialis. † Licet enim non diffitendum, gaudere eosdem quibusdam Iuribus Superioritatis, quæ vulgo dici solent Iura eximia, potioribus tamen destituuntur, vtpote Iure collectandi publico, legum condendarum, monetandi, conscribendi milites, & omni Iure armandiæ. Quæ etiam exercent Iura Fœderum, legationum & similia, non tanquam singuli exercent, sed secundum Classes vel loca sua.

† Licet COCCEIUS *de fund. in Terr. pot. Tit. I. §. 9.* ipsis tribuat Territorii Superioritatem, ex I. P. art. V. §. 28. quo tamen Ius Sacrorum ipsis saltim conceditur. HERTIUS *de Spec. Rom. Germ. Imp. Rebusp. sect. I. §. VIII.* eandem ipsis tribuit, eo quod in Capitulatione Leopoldina & Iosephina *art. III. & VII.* cum cæteris Imperii Ordinibus coniungantur, sigillatim vero *art. XXVII.* Ius confiscandi & *art. XXIX.* Ius Legatos mittendi concedatur. Licet hæc Iura ipsis non singulis concedantur, sed secundum Directoria & Classes. Videri etiam potest IO. LAUR. SCHMIDTS Diss. *de Superioritate Territoriali Nobilium Immediatorum.*

§. IX.

Eximia autem Iura, quibus gaudent, sunt sequentia. Primum, idemque præcipuum est Ius Sacrorum, quod ipsis non

non ex Iure proprio competit, ſed ex conuentione reliquorum Statuum, qui in hoc Nobilibus immediatis, euangelicæ religioni addictis, per Pacem religioſam & Weſtphalicam † ſpeciatim proſpexerunt. Habent itaque Ius mutandi & reformandi religionem in prædiis ſuis immediatis, ſecundum Leges tamen Imperii. In bonis vero mediatis ipſi ratione perſonæ ſuæ liberum vſum habent religionis, non vero Ius reformandi, eo quod Iuri Territorii ſubiiciantur.

† I. P. *art. V. §. 28.* atque Autor Meditationum in hunc locum.

§. X.

Alia Iura exercent vel in Corpore, vel vt ſinguli. In Corpore habent Ius Fœderum, quod Exemplo Fœderis Sueuici, Rhenani, Heilbrunnenſis, ex cauſa Wildſangiatus, aliisque conſtat. Gaudent Iure mittendi Legatos, non ad Imp. ſolum, ſed etiam exteros. * Vtrumque non ſolum ſecundum Claſſes, ſed etiam loca ſua. Habent Ius diætas inſtituendi, *Ritter-Tage*, quæ vel vniuerſales ſunt, quando ex omnibus Claſſibus conueniunt, *gemeine Ritterliche Correſpondentz-Tage*, vel particulares, quæ vel circulares, quando nobiles vnius ſaltim circuli conueniunt, vel locales, *Viertheils-Tage*, dum membra vnius ſaltim loci conueniunt, & vel Deputationum, *Ausſchuß-Tage*, quando Deputati & Conſiliarii ſaltim, vel omnium membrorum, quando omnes conueniunt. Conuocatio fit per Directores, Adiunctos & Capitaneos. **

* Vocantur iſti in Capitulatione Carolina *art. XXIII. der Reichs-Ritterſchafft Abgeordnete*, atque ſigillatim diſtinguuntur *von der Stænde Geſandten.*

** Vid. hac de re PHILIPPI FRIDERICI de BERCKHEIM Dissertatio *de Comitiis Nobilium, Argentorati 1708. 4.*

§. XI.

Gaudent quoque Iure collectandi, quod duplex est, vel publicum, vel priuatum: Priuatum singuli in bonis suis exercent. Publicum vero per Directoria & Capitaneatus indicitur, & quidem ad ferenda publica onera. Inter hæc potissimum est *Subsidium Charitatiuum.* Hoc tempore Friderici III. primum postulabatur, qui subsidium pecuniarium contra Turcas petebat, quem secutus est Maximilianus I. dum in Comitiis VVormatiensibus an. 1495. communem introduceret Denarium, renuente tamen hasce Imperii Collectas Nobilitate immediata,* eo quod ipsi quidem ad seruitia militaria essent adstricti, non æque ad collectas pecuniarias. Hinc per Ordinationem Regimenti de an. 1500.** R. I. Augustanum a. 1500. *** & R. I. Coloniensem de an. 1512. **** decretum, vt nobiles immediati a subditis suis collectas postularent ad vsus Imperii. Inde sub Carolo V. primum subsidium charitatiuum ad Bellum Turcicum a Nobilitate immediata fuit concessum, acceptis tamen desuper Reuersalibus de non præiudicando. Hinc plane in desuetudinem abierunt Seruitia personalia Nobilitatis, atque inualuit, vt exorto in Germania Bello, Imp. tale subsidium charitatiuum a Nobilitate immediata postularet, dari tamen etiam adhuc solent Reuersales. †

* LINTVRIVS ad Wern. Rolewincks Fasciculum Temporum p. 6. *Huius intuitu decreti, Imperator communem denarium dictum per Christi Ecclesiam dari ab omnibus & singulis, imposuit: quem denarium militares per Orientalem Franciam, tertia feria post Luciæ, ann.*

1495. in Sweinfort Oppido congregati, & per reuerendissimos & illustres Principes, Henricum Bambergensem, Laurentium Herbipolensem, Episcopos, & Marchionem Fridericum Brandenburgensem, conuocati, expresse hunc dare contradixerunt, dicentes se liberos Francones esse, & imperio non pecuniis, sed corporibus & sumptibus contra Ecclesiæ hostes inseruire velle, congregantur denique postea in Montanis, in Sueuia, Franconia, an der Ron, Notenbaldt, & alibi iterato, seorsim per districtus Nobilitates, agitantes negotium impositæ Steuræ a Maximiliano Rege Romanorum, & illi se opponentes; prout in Cubnbach Nobiles congregati quarta feria ante Oculi concorditer concluserunt, seque cum aliis supra dictis confœderarunt, se non daturos. Et p. 107. *Eodem anno, die S. Petri ad vincula, congregantur iterum nobilitates de partibus superioris Alemanniæ, per suos Capitaneos, ad hoc deputatos, de quolibet Territorio contradicentes Regi Romanorum Maximiliano, nec volentes impositam dare Steuram.* Vid. MVLLER *Maximiliano, II. Vorst. c. LXXIX.*

** *Tit. XXXIX.*

*** §. 46.

**** §. 27. 36.

† Plenius de hac materia agit BVRGERMEISTER *p. 42. seqq.*

§. XII.

Aliæ vero Collectæ ad alendum militem, Onera Quarteriorum, Transitus militares requiruntur, vel ad conseruationem Status & Ordinis Nobilium, pro Salariis Consiliariorum, Syndicorum, Officialium, pro sustinendis Belli oneribus, ad constructionem vel refectionem ædificiorum publicorum, pontium, aggerum, ad Processus, Legationes, Confirmationes Priuilegiorum, & quæ alias faciunt ad commo-

da Nobilitatis Immediatæ. Hæ autem Collectæ illorum Subditis pro rata imponuntur & vocantur *die Flecken-Beschwerden.* *

* BERCKHEIM *de Comitiis Nobilium cap. IX.*

§. XIII.

Multa tamen de hac Collectatione Nobilitati immediatæ fuit Controuersia. Plures enim in Prælatorum, Comitum vel Baronum dignitatem euecti atque inter Status fuerunt recepti. Hinc, dum certum Quantum matriculare suscipere debuerunt, se his collectis Nobilitatis Immediatæ subduxerunt. Huic malo vt obuiam iret Nobilitas, Statuta sua a. 1560. renouauit, idque a Ferdinando I. Imp. obtinuit, ne Bona extra consortium Equestre alienentur, vel saltim Ius Collectandi Ordini Equestri antiquitus quæsitum, reseruetur, & ne quisquam imposterum se ab ordine Equestri sub illo prætextu separet. Hoc postea a diuersis Impp. præcipue, a. 1688. a Leopoldo fuit confirmatum, sub graui pœna contra transgressores. *

* Extant hæc Priuilegia in BVRGERMEISTERS *Cod. Diplom. Nobil. Immed. p. 287. sqq.*

§. XIV.

Alia, ratione Iuris collectandi, subest Controuersia cum diuersis Statibus. Dum enim quidam Nobiles Immediati Feuda quædam, quæ a diuersis Statibus habent, Corpori Nobilitatis incorporarint, vt de iisdem etiam Collectæ pro rata peterentur ad Onera Nobilitatis publica, ista vero extinctis Familiis, ad Dominos directos deuoluerentur, hi Col-

lectas

lectas ad Cassam Nobilitatis soluere renuerunt, ex hac ratione, quod Feuda ista sine onere concessa, cum eadem immunitate ad Dominum directum redire debeant. His autem obiecerunt Nobiles vel Priuilegia Impp. vel Praescriptionem, vel potissimum, quod Ius Collectandi proprium sit Maiestatis Imperatoriae & in praediis radicatum, nec dominio vel vtili vel directo adnexum. Controuersia de hac re fuit Nobilitati Immediatae cum Duce Würtenbergensi, ratione Lindach, Oberndorf, Boltringen, Rietgarten, Rietheim: Nobilitati Franconicae cum Comitibus a Castel, ratione Vrsprinngen, licet hucusque tales Status contra Nobilitatem obtinuerint. *

* Extant varia Scripta de hac Controuersia in ANT. FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VII. cap. IX. Tom. VIII. cap. X. Tom. IX. cap. VIII.*

§. XV.

Concessit quoque Ferdinandus II. Imp. a. 1624. Ordini Equestri Ius Retractus, ratione omnium Bonorum & Iurium Equestrium alienatorum contra Extraneos, cuiuscunque sint Status atque dignitatis, ita, vt primum alienantis adgnatis atque cognatis secundum gradus praerogatiuam, deinde cuiuis membro loci vel classis, demum Corpori competat. Ferdinandus III. a. 1652. hoc Priuilegium eo extendebat, vt denuntiatio Alienationum cuiuis Directorio alienantis sub poena annullationis fieri, & terminus anni ad retrahendum, demum a praedictae denuntiationis insinuatione currere deberet. Tandem Leopoldus Imp. a. 1688. tempus retrahendi annuum in triennium, a tempore factae denuntiationis computandum mutauit, atque adiecit, vt restituto vel deposito pretio, Bona alienata sine exceptione, membro vel Corpori restituantur,

tur; & facta demum restitutione, de expensis vel meliorationibus coram Directorio, sub quo Bona alienata sita, agatur. Immo, omnia Pacta adnexa de alendis viduis, liberorum educatione & similia pro non adiectis habenda. *

* Priuilegia de hac re extant in BVRGERMEISTERI *Cod. Diplom. p. 326. sqq.*

§. XVI.

Locum etiam apud eosdem habent Pacta Confraternitatis, siue hæreditaria, Ius Primogenituræ, Renunciationes filiarum & similia. Titulus ex Priuilegio Ferdinandi III. ab Imp. Directoribus conceditur *Wohlgebohrn und Edel*, istis, qui Barones, *Wohlgebohrn*, reliquis *Edel*. *

* Extat Priuilegium apud BVRGERMEISTER *p. 354.*

§. XVII.

Ratione Iurisdict. personalis potissimum, dependent ab Imp. & Imperio, ita quidem, vt coram Iudicio Aulico vel Camerali conueniantur. Hodie Directorium cuiusque Ordinis vi Diplomatis Cæsarei die 21. Iulii 1688. per modum perpetuæ Commissionis Cæsareæ in confirmatione Tutorum & Curatorum, puncto Iuramenti, conficiendi Inuentarii, cautionis & redditionis rationum concurrunt cum Iudiciis supremis. Gaudent etiam, si ab Immediatis conueniantur, Iure Austregarum, & subiecti sunt Iudiciis Prouincialibus Sueuiæ atque Franconiæ, nisi specialiter fuerint exempti. Competit quoque in singula membra Ordinis Equestris, cuiusuis classis Directorio Iurisdictio, quæ primum consensu mutuo & Pacto constituta, postea vero ab Impp. est confirmata. Adpellatio vero a membris Sueuicæ Nobilitatis non statim ad summa Dicasteria, sed saltim ad totius Ordinis Equestris Dicasteria, vel Deputatos est permissa. In Franconia vero adpellatio ad summa Dicasteria permittitur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Singuli vero Nobiles in vrbibus, vicis & pagis suis Immediatis habent merum & mixtum Imperium, Ius colle-ctandi priuatum, scilicet præstationes annuas & perpetuas colligendi, ex Priuilegio Ferdinandi I. bannum ferinum *hohe und niedere Wildbahn,* Ius recipiendi Iudæos, Ius Archiui, & similia, quæ ex speciali Priuilegio fuerunt adepti. *

* Iura hæcce Nobilitatis sigillatim exposuit IO. FRIDERICVS a LENDERSHEIM *de Iure & Priuilegiis Nobilium Immediatorum.* IO. BIDENBACH, *de Ordinis Equestris Constitutionibus* PHIL. KNIPSCHILDIVS *de Nobilitate.* ANT. GVIL. ERTEL *in Obseruationibus Illustribus Iuridico-Equestribus.* WOLFG. PHILIPPVS NAGELIVS *de nexu Ordinis Equestris in Sueuia, Franconia, & Terra Rhenensi.* IO. CONRAD KREYDEMANN *der Freyen Reichs-Ritter in Schwaben Staat, Stand, Ehren, Würden, Freyheit und Gerechtigkeit* & qui singula Nobilitatis Immediate Priuilegia in vnum congessit IO. STEPH. BVRGERMEISTER, qui edidit *Reichs-Ritterschafftliches Corpus Iuris, Vlmæ 1707. 4.*

§. XIX.

Inter Membra Imperii Immediata referendi sunt COMMENDATORES quidam ORDINIS TEVTONICI. Bini enim in Imperio nostro reperiuntur Ordines militares religiosi, Teutonicus & S. Iohannis. Vterque suum habet Magistrum, qui inter Status Imperii locum habet. Magister quidem Ordinis Teutonici sedem suam habet Mergentheimi in Franconia, qui sub se habet vndecim Balliuias, Alsaticam, Austriacam, Tirolensem, Confluentiæ *(Coblenz,)* Franconicam, Bissensem, Westphalicam, Lotharingicam, Catholicæ Religionis, atque inter Euangelicos, Hassiacam, Thuringicam & Saxonicam. Hæ certis Administratoribus, consensu Magistri conceduntur, qui dicuntur *Gebietiger, Land-Commenthuren.* Inter hos *der Land-Commenthur der Balley Elsas,* & *der Land-Commenthur der Balley Coblentz* Prælatis Immediatis adnume-

rantur. Reliqui a Supremo quidem Ordinis Magiſtro dependent, ab eodemque confirmantur, ſubſunt tamen Superioritati Territorii, in quo ſita eſt Balliuia. *

* GRYPHIUS von Ritter-Orden p. 68. EUROP. HEROLD P. I. p. 334. Priuilegia huius Ordinis exponuntur in LUNIGII Spicilegio Ecclesiastico Tom. I. c. III. Plenius de hoc Ordine egit IO. CASPAR VENATOR im Bericht von Marianischen Ritter-Orden. Videri etiam poteſt PFEFFINGER ad Vitriarium lib. I. Tit. XXI.

§. XX.

Alter Ordo eſt IOHANNITICUS, cuius Magiſter dictus *Obriſter Meiſter*, inter principalis dignitatis Abbates in Comitiis locum habet. Hic non Imp. ſolum, ſed etiam Papam & Supremum Ordinis Magiſtrum, qui Malthæ ſedem habet, adgnoſcit Superiorem. Partem Ordinis Iohannitici in Germania facit *das Herrenmeiſterthum*, ſiue Balliuia Marchiæ Brandenburgicæ. Magiſter illorum dicitur *der Herren-Meiſter*, qui a Capitulo eligitur, a Magiſtro Germaniæ confirmatur, ſedem ſuam habet Sonneburgum. Patronus eſt Elector Brandenburgicus, cuius Superioritatem etiam adgnoſcit. Commendæ ſunt Sex: Lagau, Schievelbein, Lietzen, VVerben, VVittersheim, & in Ducatu Brunſuicenſi Supplinburg, quæ totidem Equitibus conceduntur. Licet plures conſtituantur Equites, qui expectatiuam ad certam Commendam accipiunt, in qua qui proximus eſt, ſuccedit. *

* Vid. de ſingulis plenius IO. CHRISTOPH. BECMANNS *Anmerckungen von dem Ritterlichen Iohanniter-Orden.* Huius Ordinis Priuilegia exponuntur in FABRI *Staats Cantzelley Tom. XVII. p. 818.* a LUNIGIO *im Reichs-Archiv im Anhang Contin. prima & in Spicilegio Ecclesiastico Tomo I. cap. III.* Qua ratione hic Ordo contra penſiones exterorum a Magiſtro Malthenſi ipſis adſignatas fuerit conqueſtus, docent Acta apud FABRUM *Tom. XI. p. 229.* Addi poteſt CHRISTIAN VON OSTERHAUSEN *Bericht deſſen, was zu einer vollkomme-*

kommenen Erkæntniß des Ritterlichen Ordens S. Iohannis von Ierusalem zu Maltha vonnæthen. Augſpurg 1650. 8.

§. XXI.

Faciunt huc etiam GANERBINATVS, *Ganerbſchafften.* Pactum Ganerbinatus eſt conuentio inter Nobiles ac Illuſtres Familias, certis Legibus, Superioris confirmatione accedente, inita, vt ſe, ſuasque facultates contra vim & hoſtiles incurſiones defendant, atque vna Familia extincta, reliquæ ſuccedant. Paciſcentes dicuntur *die Ganerben*, quod idem eſt, ac *gemeine Erben.* * Originem hæc Pacta potiſſimum habent in magno Germaniæ Interregno, dum Ius Manuarium obtineret, & quidem primaria ſedes Ganerbinatus eſt in certa arce, a qua reliqua Bona vel Feuda Nobilium ex Pacto dependent. Præſes dicitur Burggrauius, qui in Burgo iſto, ſiue arce præcipua ſedem habet, a quo etiam in prima inſtantia conueniuntur Ganerbii. Senatores, qui Burggrauio adſident, dicuntur *Burgmænner.* Reliqui, qui ad Ganerbinatum pertinent, dicuntur *die Beyſaſſen*, Pacta, quæ inter ſe habent, dicuntur *der Burg-Friede.* **

* Vid. late IACOBVS WERNHERVS KYLLINGER *de Ganerbiis Caſtrorum diſſ. I.* BECHMANN *de Confraternitate Principum §. II.* IO. GEORG LEIB *de Ganerbinatibus.* HERTIVS *de Spec. Rebusp.* §. XXX.

** KYLLINGER *diſſ. III.*

§. XXII.

Exempla Arcium Ganerbinatus ſunt varia. Prima eſt Arx Rotenbergenſis, haut procul a Noriberga, quæ olim ad VVildenſteinios pertinuit, ab his Coronæ Bohemicæ vendita, tandem ad Bauaros peruenit, reſeruato tamen Bohemis Dominio directo. Huius Arcis condomini ſunt plus quam ſeptuaginta Nobiles, quorum vnus Burggrauius Iudicis loco eſt. Hæc nupero Bello Bauarico fuit diruta, atque ab Imp. Noribergen-

ſibus conceſſa, poſt Pacem Badenſem vero Bauariæ Electori reſtituta. Aliud Exemplum præbet Fridberga VVetterauiæ, quæ ſuum adhuc habet Burggrauium, Leges, Priuilegia & Condominos. Tertium Exemplum præbet arx Saltzburg ad Salam, in Franconia. Quartum Reiffenberga, infra Francofurtum ſita, quæ arx Ganerbica quidem, ſed Familiæ Nobilium a Thüngen ſaltim eſt communis. Quintum arx Binningheim Zabergouiæ. Sextum arx Staden VVetterauiæ. Septimum Gelnhuſa, quæ arx Imperii dicitur a Ciuitate ſeparata. *

* Hæc plenius recenſentur a KYLLINGERO *diſc. XIV. & XIX.* EVROP. HEROLD *p. I. p. 770.* Plures Ganerbinatus Arces memorat PHIL. KNIPSCHILD *de Nobilit. Immed. l. III. c. XI. n. 47. ſqq.* BVRGERMEISTER *vom Reichs-Adel p. 421. & Grafen Saal p. 246.* de Ganerbinatu Rotenbergenſi FVGGER *lib. V. c. XXVIII. n. 9.*

§. XXIII.

Tale Pactum Ganerbinatus inter Nobiles Familias de Buſſeck a. 1357. fuit conſtitutum, eidemque certæ Arces & Feuda Haſſiaca fuerunt incluſæ: ipſi dicti *Vierer und Ganerben.* Controuertitur tamen adhuc hodie, an iſti Nobiles *des Buſſecker Thals* ſint Immediati, an vero Superioritati Haſſiacæ ſubiecti. Landgrauii Haſſo-Darmſtadtini hucusque Superioritatem in ipſos, eorundemque ſubditos, vi Pacti a. 1576. exercuerunt, licet Iurisdictionem criminalem, quam majoribus Ludouicus Bauarus a. 1357. in Feudum Imperii conceſſerat, reliquerit. Ipſi vero Nobiles cauſſam ad Iudicium Aulicum detulerunt, & d. 13. Dec. 1706. decretum obtinuerunt, ipſorum Iuribus Imperii haut poſſe præiudicare. Quo motus Landgrauius, Recurſum ſumſit ad Imperii Comitia. *

* Acta hac de re vide in FABRI *Staats-Cantzelley T. XIII. c. VII.* & in ELECTIS I. P. *T. I. p. 51. 658. 890. T. III. p. 684. T. VII. p. 949.* LVNIG *Contin. II. Fortſ. p. 929.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Sic inter *Collegia Immediata* referuntur, vel referri prætendunt Collegium Canonicorum Arenfeldense prope Saræpontum, Monasterium Erpacense *auf dem Steiger-Walde*, Monasterium S. Mich. *auf dem Mœnchs-Berge bey Bamberg*, quæ in caussis ciuilibus immediatam Imperii Iurisdictionem adgnoscunt. Eadem ratione Scabinatus Aquisgranensis immediate subest Imperio. * * EVROP. HEROLD *p. I. p. 770.*

§. XXV.

Dantur etiam *Communitates & Pagi immediati*, quorum Iuri Sacrorum speciatim fuit prospectum.* Huc refertur pagus Meglofs, qui olim sub protectione fuit Ciuitatis Isnensis, hodie vero sub protectione est Austriaca. ** Huc referuntur Suffelheim, Godramstein, Gamb, quæ propria olim gaudebant Iurisdictione, atque Imperio subfuerunt immediate, *** nunc vero ad Ducatum spectant Bipontinum. Hodie tamen Gochsheimum prope Würtzburgum, vicus Imperii adhuc est immediatus, cuius Iuri Henricus VI. Imp. in Priuilegio Ecclesiæ Würtzburgensi concesso an. 1234. sigillatim prospexit. **** Dum igitur Ferdinandus II. Imp. Superioritatem in Gochsheimum & Senfeldam Herbipolensi concessisset, desuper protestati fuerunt Status Euangelici. ***** Immo, dum Würtzburgensis Episcopus Iurisdictionem in dictos Pagos sibi vindicaret, per sententiam Commissariorum a Ferdinando III. constitutorum a. 1649. in pristina Iura immediata fuerunt restituti. ****** Hinc per Decretum Camerale de a. 1702. eiusdem Attentatis obuiam fuit itum atque libertati horum Pagorum fuit prospectum. †. Inter immediatos Rusticos referuntur illi *auf der Leutkircher Heyden.* †† Auctor etiam est MAGERVS a SCHOENBERG, tales reperiri in Abbatia Elwangensi, qui saltim sub protectione viuant, & præter Imperii Collectas nihil soluant. †††

 * I. P.

* I. P. *art. V.* §. 2.

** ZEILLERI Chron. paru. Sueu. p. 302. *Es sollen vor diesem ihr der Stadt Isny Schutz und Schirm die Richter, Rath, Gemeind, und freye Leut zu Meglets oder Meglofs, (so ein Fleck und Schloß beym VVasser Argen) als dem Heiligen Reich immediate zugehærig, befohlen gewesen seyn.*

*** GOLDASTVS in Epistola dedicatoria der Reichs-Handlung. BVCKISCH ad *I. P. p. 141.* HERTIVS *de spec. Germ. rebuspubl. sect. I. §. 10.* LIMNAEVS *Tom. I. Addit. p. 582.*

**** Extat illud in LEVCKFELDI *App. ad Antiquit. Pöld. p. 258.* in quo: *Reseruamus autem nobis Ius, quod in villa Gocksheim ab antiquo dinoscimus habuisse,*

***** PFANNER *Hist. Pacis VVestphal. lib. III. §. XXXV.*

****** Extat hæc Sententia in IMM. WEBERI Diss. *de Iure circa Sacra Pagorum Imperii Immediatorum* §. *VII.* integra inserta, in qua exprimuntur: *die Reichs-Schultheissen, Dorffmeistere, Gericht- und Gemeind beyder Reichs-Dærffer, Gochsheim und Sennfeld.*

† Extat apud THVCELIVM *Actis Publicis Tom. II. p. 859.*

†† LIMNAEVS *c. l.*

††† *De Aduocatia Armata cap. VI. n. 7.*

§. XXVI.

Vltimo considerandi sunt VASALLI IMPERII, qui nec Status sunt, nec Membra, sed Imperio, non nisi secundum Leges feudales subiecti. Tales sunt Principes Italiæ, qui, excepto Sabaudo, ad Comitia Imperii non vocantur, quia non sunt Iuris Germanici, sed Iuris Longobardici, ideoque in Statuum numero minime habendi: nec Membra Imperii dici possunt, quia nec iurium nec commodorum Imperii participes, sed nudi Vasalli, quos Leges saltim obligant Feudales.

§. XXVII.

Sunt autem isti vel Duces, Principes, Marchiones, Vice-Comites, Barones & Nobiles, Rectores, potestates, & Consules Ciuitatum.* Inter Duces referendi Mediolanensis, Florenti-

rentinus, Mantuanus, Mutinensis, Parmensis. Inter Principes Mirandulanus & Pedemontanus. ** Marchiones sunt Montisferratensis, Anconitanus & Pignarolii. Vicecomites apud Italos iidem, qui apud Germanos Burggrauii, atque Mediolani olim nomine Impp. Iudicia exercebant, vsque dum VVenceslaus Imp. Io. Galeacium ex Vice-Comite Ducem crearet. Baronum & Nobilium Vasallorum ingens est numerus. *** Huc faciunt Feuda Landarum in Marchionatu Montisferratensi, quæ tamen sibi vindicare contendit Dux Sabaudiæ. †

* In Registro Innocentii III. Italiæ Status sic describuntur: *Rectores, Potestates, Consules, Marchiones, Comites & alii Nobiles Lombardiæ.* Statum Vasallorum Italiæ sub Ottone M. describit SIGONIVS *lib. VII. p. 175.*

** Agitur de iisdem plenius *Cap. II. §. VI. sqq.*

*** Longum eorundem Catalogum recenset PAVLVS GERTZWEILERVS, qui ad inquirenda Italiæ Feuda mittebatur. Extat iste apud ITTERVM *de Feudis Imperii cap. VI. p. 263.* Leopoldi Imp. Edictum ad omnes Italiæ Vasallos a. 1697. directum, quo ipsis mandat, vt iustam designationem Feudorum atque Iurium suorum exhibeant, reperitur apud LVNIGIVM *II. Cont. III. Fortf. p. 679.* Diuersæ Litteræ Inuestituræ Vasallorum Italiæ reperiuntur *p. 733. sqq.*

† De hac Controuersia egimus vberius in S. H. G. *diss. XXXVIII. §. XXIX.*

§. XXVIII.

Differunt isti Vasalli Italiæ a Statibus Germaniæ, origine, Iuribus, præstationibus. Origine quidem, quod Status sint Iuris Germanici, Principes Italiæ Iuris Longobardici. Iuribus differunt, quod Principes ac Status Germanici Imperii sint Ciues, omnium Iurium ac Priuilegiorum Imperii participes, Principes Italiæ vero nulla ex Legibus Imperii capiant emolumenta, quare etiam nec Territorii Iura aliter olim quam sub Vicarii Imperii Titulo exercuerunt.* Quod si vero contra Leges deliquerint, facilius ob Feloniam, Feudo priuantur, ita tamen

men, vt vi Capitulationis, hodie Statuum etiam consensus ad Bannum requiratur.** Testatur illud Exemplum Ducis Mantuani, qui die 20. Maii 1701. citabatur ab Consilio Imperiali Aulico ad audiendum & videndum omnia Bona caduca & fisco Cæsareo delata esse: *** ad sententiam Banni **** vero, quæ a. 1708. insequebatur, consensus tunc Electorum requirebatur. Tertio differunt Præstationibus, dum Germaniæ Principes Imp. alias non teneantur, nisi ex pacto, in quantum ipsi in Comitiis concesserunt. Italiæ vero Principes ad fodrum, paratam & mansionaticum obligati. † Exinde oriuntur Contributiones, quas in bellis Italicis ex iisdem Terris Impp. hucusque postularunt.

* Prout adseruimus cap. XIII. §. XLIV. Vid. etiam HENR. de BVNAV *Exam. Dissert. Pucholtzii cap. III. §. III sqq.*

** CAPIT. CAROL. *art. XX.* verbis: *Churfürst, Fürst, Stand, oder anderer.*


*** FABRI *Staats-Cantzelley Tom. VI. c. IX.*

**** Extat ista in FABRI *Staats Cantzelley Tom. XIII. p. 670.*

† *cap. X. §. XI.*

SOLI DEO GLORIA.

IENAE
EXCVDEBAT PETRVS FICKELSCHERR





INDEX
RERVM PRAECIPVARVM

PRIOR NVMERVS ROMANVS CAPVT INDICAT ALTER PARAGRAPHVM TERTIVS PAGINAM.

Exempla

quinam

Ba-

contra

sub

West.

in

CO-

pri

per

Hauß-

DELE-

DY-

cur

EVAN-

EXPE-

FO-

FRAISCH

FRAN-

Geln-

huius

HE-

 Im-

Com-

INTER-

Prouin-

eius

ad

Com-

Cor-

KOENIG-

Gericht

eine

eius

in

eius

plu-

N.

die

NORI-

O.

X.

ONERA

tati

Ius

sæpi-

PON-

Iiiii iiii - per

Mo-

- Hel-

huic

Regios

- sæpius

- vica-

RVDOL-

SANCTIS-

torum

Pome

- in

su de-

stri

- Bina-

- est

VENA-

VER-

Qooooo oooo VINVM,

- in

 rin-

VER-

VORMVND-

Spe-

Do-

